

SCHOLASTICO SUB SCHEMATE  
**THEOLOGIÆ MORALIS**

PRIMUS IN MEDIUM EGRESSUS,

SEPTEM SUB UNO TRACTATU DISPUTATIONES

AD SCOTI mentem concinnatas

Expromens;

**DE JUSTITIA, ET JURE**

Theologis speculativis, & Moralibus, ac Juristis, & Canonistis

Perutiles,

*Vel quia suis in locis pro ipsarum exigentia materialium opportune  
reperiuntur propositiones à Summis Pontificibus Alex. VII.*

*Innocentio XI. & Alexandro VIII. damnatae:*

AUCTORE

~~P. BONAVENTURA TROTTA A VETERI~~

Sacrae Theologiae Lectore Jubilato Provinciae Principatus  
Min. de Observ. S. FRANCISCI

SUB AUSPICIIS

EMINENTISSIMI, AC REVERENDISSIMI DOMINI

**FRATRIS VINCENTII MARIAE**

Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis URSINI  
Archiepiscopi Beneventani.



NEAPOLI, MDCCLVII. Ex Typographia Hæredum Michaelis Monaco!

**SUPERIORUM FACULTATE, ET PRIVILEGIO.**  
SIMPARTIBUS CAROLI PORPORA.







## EMINENTISSIME PRINCEPS.



**L**VCULENTISSIMVS Antiquitatis mos; Eminentissime Domine, Civi, in alias è sua confederatas Vrbes perrecturo, publicam tradidit Symbolam, qua illas subituro, & Ostia per effusos in agmina Admissionales patefierent, & , suis præstructa numeris, Tecta hiarent, & omnigenæ hospitalitatis exhiberentur molimina. Hæc itaque omnia benevolentia, honorisque specimina, tum lætus is numerabat Civi, cum, quàm præferret, ea lectissimis excipientium Civitatum Viris Symbola redderetur; cerneretur, legeretur. Hujus & Ego moris praxin amplexatus, in publicam è prælo lucem prodituro huic primo de IVSTITIA, ET IVRE Tomo Symbolam exoptem, qua ipse Civi more, exteris petentis Vrbes, aut Pluteolos sibi, aut Bibliotheculas aperiat, in eisque, ne uti erro per fora, & loca obeat exclusus, aditum, situs, hospitalitatisque aliquid obtineat. Hoc autem voto, ut potiar, unde his Lucubrationibus meis ejusmodi exquiram Tesseram? In quem me Cætum sedulus vertam? Vnde vel parem, vel supparem Symbolam auspicabor?

Profectò à Tua, Eminentissime Domine, magni Nominis VRSINA Familia, à Teque potissimùm uno, qui plena in omnes humanitate mihi affulges, longè majorem expetam. Tuum hujus Operis Fronti inscriptum nemo legerit Nomen, quin tantæ Domus originem antiquissimam, Nobilissimam perennibus fortunis, ac Dominationibus florentissimam mente deprehendat, ut quæ uberrima ad stuporem vena profuderit; nunc, qui olim Imperatoribus, & Regibus, Generalissimi militum Præfecti meruerunt; modò, quæ & magno Hæturix Duci, & Gallix Regi nupserunt; aliàs, qui ad calculum perquam longum, sacra emicuerunt Purpura; plures, quibus summæ Petri claves datæ; aliosque demum, qui vel inter cælites numerantur. Verùm hæc, aliave, atque alia, meritis utique, atque laudibus ubique Gentium satis elata, qui addiscere satagat, bibulas ad perpetuam sudantium Prælorum vocem, aures arrigat, quæ VRSINORVM cùm gesta canit, tum eloquitur Heroas. Cùm igitur tam magnum præclarissimæ Stirpis tuæ Theatrum, Eminentissime Domine, præteferas; cùmque inde etiam Dux prodieris; cùmque hoc tua sponte exutus Titulo, sacrum indueris muricem, quidni hanc in spem erigar, venientem à magni Tui Nominis manu Symbolam, quoquò pariter latam, huic in medium ituro Tomo opportunæ apud omnes commendationi fore, & adjumento? Fateor quidem nihil in ipso styli, elegantix nihil, nihil mei esse ingenii; at magnum tuum in Tesseram inest Nomen: quò & Comite, & Commendatore, non eum Admissionalibus, nec Pluteis, nec Virorum oculis ingratum ex asse, & indignum fore sperem. En mea, Eminentissime Domine, vota omnia: en nuncupatas Tibi meas Lucubrationes. Quæ proinde, ut diu fulciantur, & omnem Tibi felicitatem apprecor; & quàm humillimè osculum ad sacram Purpuram defero.

E. V.

*Humillimus, & obsequentiss., servus addictiss.*

F. Bonaventura Trotta à Veteri &c.

# AMICE LECTOR.



*AS* est, ea tibi producere, quae meum in hoc opus calamum impulerunt; ni ut tuum mihi parem animum, saltem ne de Iustitia agens, ab eadem videar excidisse. Inscriptioe forte ipsa apparuerim gravis, quippe in *Moralia* me impediens, per jam actum, non nisi molestiam allaturus. At si animadverteris, neminem Auctorum, qui extant, tanta materia nervos ad concentum syllogisticum temperasse; parces in scopum hanc haud inutiliter collimanti. Tirones nostri in doctrinam, quae narrationem praesferat, non assueti, nisi methodum induat, in quam ut discerent juravere; etiam illi, quae perspicua est, sunt difficiles veritati: id quod ejusdem cautionis ingenia non insuper habeant, si cognoscant, rerum omnium summam incuriosos sapius effugisse. His ergo, quos meus labor praecipue inspexit, (ceterisque in rem scholasticam intentibus; vel ad Sapiantum calculum *Moralia* theoremata propugnare solitis, vel impetere) me non temere grandis auxilii vicem arbitror obtenturum. Neque hoc pacto studia tantum juvare dabitur, his legibus instituta; verum etiam SCOTI subtilitatem, morali à quibusdam sterilitate damnatam, pro rerum se se offerentium exigentia, hujusmodi decretautorum inscitiae subduxisse. Intuebuntur, Doctorem adeo celebrem, etiam in hac parte suo nomini parem: cumque ejusdem sententiis, omnimoda stabilitate instructis, semel indulserint oculum, dediscunt in illis inveni, quorum vel lucubrationes nondum inspexerint, vel inaccessam profunditatem imbecillo captus non exequarint. Quartum Sententiarum librum *Moralis* facultati in totum ita sufficere compertam est; ut eidem Emporium verius, quam exiguam mercedem liqueat impendisse. Solido, eoque non infrequentia dogmate adeo eminent, ut doctrina modum, vel inde liceat collegisse, quod suis plane suffultris, ad Exterorum cautelam interdum etiam exuberet: potissimum Sapientibus argumentum, quo rebus in omnibus abundantiam consueverint dimetiri. Hanc blateronum turbam caeco contulerim, qui Patri luminum notam inurat obscuritatis, eo iudicio, plane evidenti, opinatus luce non instrui, quod haec oculis suis non innotescat. Mira sane propria dignitatis ebrietas, eximia celsitudinis mentem damnare malle, quam legere: cumque tramite ab eadem subtilissime strato, neque omnibus in id excitis datum sit ire Corinthum; perinde infra excellentiam suam esset, attingere; ex aere duntaxat rerum, multo intervallo excessisse. Alii in eam minus facti facilitatem, quae obloquentibus prona sit, consultius aggressi sunt, fidem à suo iudicio petere, quam amulis dictitationibus: at studiis ad tantum finem incommodis, nequaquam moniti, intelligentiam perspicacitatis altissima unica lectioni non credi, arbitrati sunt praedae incumbere, dum adhuc per incognita venationis abriperentur: nec proinde mirum, si error hic incautis persuaserit, in monstra se offendisse: quippe qui ignavis abdiderit veritatem. Hinc sibi jus faciunt, quo in infensa partem dicacitatis suam ipsi etiam larvam inflectant; iisque injectis deliramentis, in quae neque tanti Viri somnia abiissent, doctrinam, quam non noverunt, affligant; eo tamen exitu invidia in suimet perniciem insanientis, ut dum in Auctore hoc comminiscitur absona, quae non invenit, odium plane professum ad suam juxta ignominiam, ac percrebrescentis in dies ejus fame gloriam concitarit. Ne autem dum pro Doctore, imò pro veritate, in defensionem effundor, praeter-

recreari, mihi etiam adesse: si hoc in opere inculti penitus calami deprehendas humilitatem, ne acuas in me linguam digna se, nempe altiora desiderantem: siquidem cum labor, vel mentibus proficius hebetioribus mihi in votis fuerit, veritus essem, finem non in venustum per elegantiam corripisse. Hunc igitur Tomum, qualisqualis ille sit, pro tua humanitate complectere; unum; & alterum subinde excepturus, ad Moralis materie complementum in lucem publicam adornatos: quibus Damnatarum Propositionum Brevis enucleatio, aut verius Moraliū Decisionum norma præmittetur. Rerum notabilium Indicis defectum æqui bonique consulas; tum quòd illum totius Operis Summa, ad tertium Tomum amandata, supplebit; tum quòd interim sufficere visus fuerit Questionum, ac dubiorum omnium Index locupletissimus. Tuum tandem erit Orthographia præscriptum, si tuo sensui non arrideat, excusatum habere; siquidem ejus methodus in varias distracta leges, non uno ab omnibus flexu usurpatur: sicut & non nulla Præli errata, quæ forte effluerint, ne severius damnes; nam vitium hoc, vel Impressoribus, vel oculi adeò est infirmi imbecillitati, ut cum emendatius est, tunc crediderim emendatissimum. Vale.



*FR. COELESTINVS A MEDIOLANO Ordinis Minorum Obs.  
S. P. N. Francisci, Lector Iubilatus, in hac Cismontana Familia ejusdem  
Ordinis Vice-Commissarius Generalis: Observantium, & Refor-  
matorum Discretus perpetuus, & servus,*

**C** Vpiente Rev. Patre Fr. Bonaventura à Veteri Sac. Theologiæ Lectore Iubi-  
lato Provinciæ Nostræ Principatus edere in lucem Opus, cujus titulus est:  
*Theologia Moralis septem Disputationes de Iustitia, & Iure*, quod de mandato  
nostro à duobus Patribus Theologis revisum, & approbatum fuit, tenore præsen-  
tium eidem debitam facultatem impartimur, quatenus servatis omnibus de jure  
servandis, Typis mandare possit, Dat. Romæ ex Araceli die 8. Januarii 1707.

*Fr. Celestinus Vice-Commissarius Generalis*

De mandato suæ Reverendissimæ Paternitatis

*Fr. Ioannes Christophorus de Varisio Secretarius Generalis.*

---

**A P P R O B A T I O O R D I N I S,**

**REVERENDISSIME PATER,**

**M** Andato Reverendissimæ tuæ Paternitatis libentissimè obsequentes, legi-  
mus, ac sedulò expendimus opus, diù expectatum, cujus titulus est: *Scho-  
lastico sub schemate Theologiæ Moralis primus in medium egressus de Iustitia, &  
Iure*, ab Adm. Rev. Pat. Bonaventura à Veteri Ord. Sancti Francisci de Obs. Pro-  
vinciæ Principatus Prædicatore General. Lectore Iubilato, ejusdemque Ex-Diffini-  
tore, elucubratum. Egregium sanè opus, suoque dignissimum Authore; quem,  
cùm longo noverimus experimento sapientissimum, & quâ suggestorum applau-  
sibus, quâ cathedrarum encomiis præclarissimum, sæpius enixè rogavimus, ut  
de Theologia Morali aliquod proderet singulare, velut ingenii sui mnemosy-  
non, nobisque futurum, ut suæ decumanæ eruditionis monumentum. Auspica-  
tissimum tandem sui laboris protulit partum. Nobismet gratulamur. Doctrinæ  
claritas, scholastico obstetricante stylo, juxta Summorum Pontificum, Sancto-  
rumque Patrum, ac orthodoxæ Fidei dogmata, Iuris, & Iustitiæ dictamina, nec la-  
tum unguem à Subtilissimi Doctoris devians semita, dilucidam in omnibus,  
quantumlibet perplexis, difficultatibus, enixa est veritatem. Quapropter cùm  
Regularibus, ac Secularibus, Canonistis, ac Juristis censeamus esse maximè pro-  
futurum, ut Typis quò citiùs mandetur, exoramus. Datum Neapoli in Conven-  
tu Sanctæ Mariæ Novæ hac die 23. Decembris 1706.

*F. Bonaventura Melitensis Lect. Iubil. & Ex-Minister Provincialis.*

*F. Agnellus Lombardus Concionat. Clarif. & Lect. Iubilatus.*

R. P. Carolus Alciatus S. I. Studior. Præf. & Curia Archiepiscopalis S. Offic. Consultor, & Exam. Synodalis revideat, & in scriptis referat, Neap. 15. Octob. 1706.

SEPTIMIUS PALVTIVS VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius super editione librorum Deputatus.

EMINENTISSIME ; ET REVERENDISSIME DOMINE.

**D**E mandato Dominationis Vestræ Illustrissimæ perlegi librum, qui inscribitur; *Scholastico sub schemate Theologia Moralis &c.* conscriptum ab Ad. R. P. F. Bonaventura à Veteri Ord. Seraphici Min. Obs. cumq; reperi, non modo ab omni erroris labe purum, verū dignum omnigena, quæ in scriptorem ullum congruere possit florentē, laude, ut nescias quid prius mirere ingenium ne, an Doctrinam, an perspicuitatem, an prudentiam? Nec id sane mihi novum accidit, cum jam pridem perspectissimum mihi sit, qua tantus Author polleat literaturæ præstantia, auditus toties in hac nostra Academia Neapolitani Collegii, qua Philosophicis, qua Theologicis in concertationibus summa cum laude, atque ingenii acumine disputans: qua de re equum mihi videtur, ut quam jamdudum sibi promeritus est Author famam, & huic ejus operi impertiatur, quod dignum censeo, ut & prælo, & æternitati mandetur; si ea Illustrissimæ Dominationis suæ mens fuerit. Datum in nostro Collegio Neapolitano S. I. 25. Januarii 1707.

Dominationis Vestræ Ill. & Rev.

Humillimus, & Addictissimus Servus  
Carolus Alciati S. I. Studior. Præfectus, in Curia Archiep.  
Exam. Synod. & S. S. Off. Consult.

Attenta retroscripta relatione R. P. Revisoris, Imprimatur. Neap. 26. Jan. 1707.

SEPTIMIUS PALVTIVS VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius super editione librorum Deputatus.

---

Rev. Pater Antonius Balso S. I. videat, & in scriptis referat.

GASCON R. MERCADO R. BISCARDVS R. VLLOA R.

Provisum per S. E. Neap. die 9. Decembris 1706.

Mastellonus.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

**L**ibrum, cujus titulus: *Scholastico sub schemate Theologia Moralis primus in medium egressus*, Auctore Adm. R. P. Bonaventura Trotta à Veteri de mandato E. V. accuratè perlegi; ac nihil in eo, quod Regiæ Jurisdictioni adversetur, deprehendi. Quæ siquidem continet omnia saluberrimam doctrinam, ac pietate redolent: quare publica luce omnino dignum volumen censeo. Neapoli die 10. Februarii 1707.

Antonius de Baucio Societatis Iesu.

Vna relatione imprimatur, & in publicatione servetur Regia Pragm.

GASCON R.

VLLOA R.

Provisum per S. E. Neap. die 20. Julii 1707.

Mastellonus.

IN-

# I N D E X

Disputationum, Quæstionum, & Dubiorum pro qualibet materia incidentium.

## DISPUTATIO PRIMA.

### De Virtute Iustitiæ.

- QVÆSTIO 1.** Quid sit formaliter Iustitiæ; & in qua Animæ potentia resideat? P. 1  
**QVÆST. 2.** An necessariò Iustitiæ dicat esse ad alterum, ut nequeat esse ad seipsum, quasi ad alterum? p. 5  
**QVÆST. 3.** An virtus Iustitiæ consistat in medio: & an hoc medium sit rei, vel rationis? p. 7  
**QV. 4.** An Iustitiæ sit essentialiter virtus? p. 11  
**QVÆST. 5.** De diuisione Iustitiæ in commutatiuam, & distributiua; & an hæc sit generis in suas species? p. 15  
**QVÆRES 1.** An Commutatiua Iustitiæ sit una specie atboma, vel potius subalterna? p. 19  
**QVÆR. 2.** An necessariò Iustitiæ distributiua in quolibet actu debeat plura respicere? ibid.  
**QVÆST. 6.** An Iustitiæ legalis rectè dicatur generalis, vel potius specialis virtus, à ceteris condistincta virtutibus. p. 20

## DISPUTATIO II.

### De Iure, eiusque speciebus.

- QVÆST. 1.** De multiplicitate Iuris; & an hoc sit Iustitiæ obiectum? p. 25  
**QV. 2.** An Dominium à ceteris actibus, ad ius spectantibus, rectè distinguatur? p. 28  
**PETES.** Si usufructuarius moriatur ante perceptionem rei, ad quem spectarent fructus percipiendi à rebus? p. 33  
**QVÆST. 3.** An saltem in iis, quæ vnico actu consumuntur, vsus à Dominio sit distinctus? ibid.  
**QVÆST. 4.** Quænam subiecta dicantur veri domini capacia? p. 37  
**QVÆST. 5.** An Beneficarii sint veri domini capaces? p. 41  
**QVÆST. 6.** An verè homo dominium habeat suæ vitæ, & famæ? p. 45  
**QVÆST. 7.** An aliquo Iure, & quo, Dominia rerum fuerint olim diuisa? p. 49  
**QVÆST. 8.** In qua varia resoluntur dubia circa modum acquirendi dominium proprietatis aliquarum rerum. p. 53  
**QVÆRES 1.** De modo acquirendi Dominium circa res inuentas, quarum directus dominus ignoratur. ibid.  
**QVÆRES 2.** De modo acquirendi Dominium in thesauros, in loco aliquo latentes. p. 54  
**PETES.** An, si arte magica, vel alio diabolico actu inueniretur Thesaurus, transiret in Dominium Inuentoris? p. 55  
**QVÆRES 3.** An certò sciens in Agro alie-

- no latere Thesaurum, possit licitè agrum illum emere? ibid.  
**QVÆRES 4.** De modo acquirendi dominium circa venationes, & piscationes. ibid.  
**PETES.** An, si Columbae effugerint à Columbario, ita ut redeant per aliquod spatium propriae consuetudinis redeundi, & quis eas occuparet, possent fieri occupantis: sicut etiam de ceteris mansuetis animalibus, quæ per longum tempus non redeant ad proprium dominum? p. 56  
**PETES 1.** An quis possit licitè venari in prædio alieno? ibid.  
**PETES 2.** An fera à me vulnerata, & ab alio capta sit vulnerantis, vel capiētis? ibid.  
**PETES 3.** An fera capta in laqueo alieno sit domini laquei, ita ut non possit ab alio eximi, & auferri à laqueo illo? ibid.  
**QVÆST. 9.** De acquirendi dominij in proprios seruos. p. 57  
**QVÆST. 10.** Quomodo acquiratur dominium ex præscriptionis iure? p. 60

## DISPUTATIO III.

### De contractibus, tum in communi, tum in particulari, seu de reliquis titulis acquirendi dominium.

- QVÆST. 1.** De essentia, & multiplicitate contractus, & de conditionibus requisitis ad ipsius valorem. p. 66  
**QVÆST. 2.** An, & quomodo ratione liberi cōsensus inuadari possit contractus? p. 70  
**QVÆST. 3.** De contractu promissionis, & de eius obligatione inducente ad contrahendum. ibid.  
**QVÆST. 4.** De donatione; & an possit aliqua ratione donatio iuramento firmata reuocari? p. 79  
**PETES 1.** An, si filii post donationem nati, moriantur ad huc viuente Patre, poterit reuiscere donatio, à Patre facta, quæ per filiorum natiuitatem fuit reuocata? p. 83  
**PETES 2.** An, si nascantur filij spurij, & naturales, possit donatio reuocari? ibid.  
**QVÆST. 5.** In qua varia quæsitaresoluntur de testamentis, commodato, precario, & deposito. ibid.  
**QVÆRES 1.** De testamentis. ibid.  
**QVÆRES 2.** De commodato, & precario. p. 85  
**QVÆRES 3.** De deposito. p. 86  
**QVÆST. 6.** De mutuo, & vsura; an ratione mutui licitum sit aliquid supra sortem accipere.

# I N D E X

- cipere? ibid.  
**QVÆRES.** *An ratione mutui citra usuram possit mutuator à mutuuario exigere aliquod commodum ratione amicitia, & gratitudinis?* p.91  
 Appendix ad plures Casus conscientia, in quibus interuenit pactum ratione mutui. p.93  
**QVÆST.** 7. *An usura mentalis obliget mutuatore ad restitutionem?* ibid.  
**PETES** 1. *Si usurarius certè sciret mutuatarium non ratione gratitudinis, vel titulo donationis ei dedisse ultra sortem, sed vi mutui; an teneretur ad restitutionem?* p.96  
**PETES** 2. *An, accedente scientia in mutuatario, quod usurarius intendisset accipere ultra sortem, dum mutuo dedit; teneretur usurarius ad restitutionem?* ibid.  
**QV.** 8. *An in usura transferatur dominium ultra sortem accepti ab usurario?* ibid.  
**PETES** 1. *An usurarius teneatur restituere tantum rem ultra sortem acceptam, an etiam id, quod per rem illam acquisiuit.* p.97  
**PETES** 2. *An peccet mortaliter mutuatarius petendo rem sub usura?* p.98  
**PETES** 3. *An peccaret mortaliter, petendo sub usura, si mutuatarius esset in graui, vel saltem extrema necessitate?* ibid.  
**PETES** 4. *Qua pœna debeatur usurariis, & couperantibus ad usuram; & quam sit eorum obligatio?* ibid.  
**QVÆST.** 9. *De contractibus emptionis, & venditionis. An sit licitum emere minori pretio, anticipata solutione, & vendere caro pretio dilata solutione ad tempus?* p.99  
**PETES** 1. *An sit licitum tempore magna sterilitatis vendere rem iuxta Prudentum aestimationem; vel seruanda sit lex, seu pragmatica, praesertim loquendo de re commestibili?* p.101  
**PETES** 2. *An licitè quacunque res vendi possit maiori pretio ex concursu emptorum, iuxta prudentum aestimationem; vel possit licitè emi viliori pretio ex carentia emptorum, vel deficientia pecunia?* p.102  
**PETES** 3. *An ubi adest dolus possit licitè vendi caro pretio, quam res valet, vel vendere viliori pretio, quam res valet?* ibid.  
**PETES** 4. *Cui post celebratum contractum res vendita pereat, vel fiat deterior, vel melior?* ibid.  
**QVÆST.** 10. *An sit licitum emere, & vendere cum pacto de retrouendendo?* p.103  
**QVÆRES.** *An sciens rem breui minus valituram, possit licitè vendere pretio currenti, quando hoc soli venditori est votum?* p.105  
**QVÆST.** 11. *An credita possint minori pretio emi anticipata pecunia?* p.106  
**QVÆST.** 12. *In qua varia dubia resoluntur de contractibus illicitis.* p.107  
**QVÆRES** 1. *An sit illicitum Monopolium plurium emendi vili, vel currenti pretio, vt alij ab vnitis in Monopolium cogantur cariiori pretio emere?* ibid.  
**QVÆRES** 2. *An sit licita conuentio de non vendendo, nisi pretio supremo in latitudine iusti?* p.108  
**QVÆRES** 3. *An possit Princeps licitè concedere Priuilegium, vt certi Mercatores certas in suo Regno vendant merces?* p.109  
**QVÆRES** 4. *An sit licitus contractus Mohatra?* p.110  
**QVÆST.** 13. *De Cambio. Vtrum quacunque Cambia licitè fieri possint?* ibid.  
**PETES** 1. *An si Campsor cambiret gratis, teneretur in se suscipere periculum, quod posset euenire in tali cambio?* p.114  
**PETES** 2. *Quid sit dicendum, si postquam littera cambii fuerunt acceptatae, data responsione, Campsori de acceptatione, ille, ad quem fuerunt transmissae litterae, fugeret, vel incideret in paupertatem.* p.115  
**QVÆRES.** *An sit licitum Cambium cum recambio?* ibid.  
**QVÆST.** 14. *De Censu. An census licitè emi, vel vendi possit?* p.117  
**QVÆRES** 1. *An si res, in qua est fundatus census, sit diuisa in duos dominos, possit censualista insolidum ab utroque exigere pensionem, vel medietatem ab vno, & medietatem ab alio?* p.120  
**QVÆRES** 2. *An Mons Pietatis sit licitus?* p.121  
**QVÆST.** 15. *De societate. An contractus societatis sit licitus, quando assecurata sorte unius socii alter teneatur certum lucrum minus, pro maiori incerto soluere?* p.123  
**PETES.** *Quomodo facienda sit distributio inter socios, quando vnus in societatem posuit tantum labores ex propria persona, & alter totam pecuniam?* p.127  
**QVÆST.** 16. *De emphyteusi, & feudo.* ibid.  
**QVÆRES** 1. *Quae conditiones requirantur ad vaorem emphyteusis, & quomodo à ceteris contractibus distinguatur.* ibid.  
**QVÆRES** 2. *Quid sit feudum; & quid requiratur ad valorem ipsius?* p.129  
**PETES** 1. *In quibus casibus possit feudatarius amittere dominium vtile feudi?* ibid.  
**PETES** 2. *Quinam possint in feudum succedere?* ibid.  
**QVÆST.** 17. *De locatione, & conductione.* ibid.  
**QVÆRES** 1. *Quid sit locatio, & quid conductionis; & quam sint locatoris, & conductoris obligationes?* ibid.  
**QVÆRES** 2. *An sit licitum locare domum meretricibus, & quidem absq; peccato?* p.130  
**PETES** 1. *An locator licitè possit locare domum maiori pretio intra latitudinem iusti meretricibus, quam ceteris personis honestis?* p.131  
**PETES** 2. *An si fortuitò supervenerit sterilitas, absque negligentia scilicet conductoris, teneat.*



- teneatur hic integram pensionem soluere locatori? *ibid.*
- PETES 3.** An conductor, qui ob impedimentum non potuit uti re locata, teneatur pensionem soluere? *ibid.*
- PETES 4.** An possit licite res locari ad fruendum? quod vulgò dicitur *godere à godere.* p.132
- QVÆST. 19.** & vltima. De affecuratione, fideiussione, Pignore, & Hypotheca. *ibid.*
- QVÆRES 1.** De validitate contractus affecurationis, & quænam conditiones requirantur ad huiusmodi contractum. *ibid.*
- QVÆRES 2.** Quid, & quotuplex sit fideiussio: & an possit licite fideiussor aliquid accipere à debitore? *ibid.*
- QVÆRES 3.** Quænam sit differentia inter pignus, & hypothecam? & quænam possint pignorari, & hypothecari? p.133

DISPVATIO IV.

De restitutione in communi.

- QVÆST. 1.** A qua virtute oriatur restitutio; & an quis obligetur ad restituendum ex præcepto affirmativo, vel ex negativo? p.135
- PET. 1.** Vnde oriatur obligatio ad restituendum? p.139
- PET. 2.** An hæc doctrina valeat etiam in contractu? p.140
- PET. 3.** An culpa lata, & ex dolo, ut obliget ad restitutionem, debeat esse culpa mortalis, vel sufficit, si sit venialis. *ibid.*
- QVÆST. 2.** An ad restitutionem teneantur, nedum qui causant efficaciter damnum, verùm etiam qui obligati sunt vitare damnum, & non vitant. *ibid.*
- QVÆST. 3.** An liceat recuperare, & surripere rem suam furtiuè, & per vim? p.144
- PET. 1.** An quando creditum est dubium, possit quis licite surripere rem suam? p.147
- PET. 2.** An familiares possint licite à domino aliquid surripere pro compensatione suorum laborum, quando excedunt pretium, & stipendium collatum? *ibid.*
- PET. 3.** An si plures concurrant ad vnum damnum inferendum, omnes in solidum teneantur ad restitutionem? *ibid.*
- PET. 4.** An si vnus ex his restituat, ceteri soluantur à debito restituendi? *ibid.*
- QVÆST. 4.** An possint dari casus excusantes à restitutione, & quinam sint? p.148
- PET. 1.** An quando debitor haberet animum nunquam soluendi, & creditor liberè ei remitteret debitum, diceretur tunc debitor solutus à restitutione? p.150
- PET. 2.** An qui manifestauit suam impotentiam actualem restituendi, per cessionem bonorum, absque vlla sui ignominia sit excusatus à restitutione, tum in foro externo, tum in foro conscientie? *ibid.*
- PET. 3.** An qui cogitur cedere bonis suis, pos-

- fit tuta conscientia abscondere, & retinere pro seipso, & pro eis, quos alere tenetur, aliquid pro eorum sustentatione? p.151
- PET. 4.** An qui publica ignominia cessit bonis suis, ut concutiendo lapidem in foro mercatorum; vel verenda monstrando in columna marmorea, teneatur ad restitutionem, cum peruenerit ad pinguiorem fortunam? *ibid.*
- PET. 5.** An excusetur à restitutione damni, qui non damnificauit, sed tantum mouit, & induxit alios ad damnum inferendum proximo? *ibid.*
- QVÆST. 5.** An quis teneatur restituere lucrum acquisitum per rem furto sublatam; & etiam damnum illatum ei, cui rem illam furatus est. *ibid.*
- PET. 1.** An iniuste possidens rem alterius, teneatur reddere fructus mixtos illius rei, iniuste possessæ; scilicet qui partim sunt naturales, partim industriales? *ibid.*
- PET. 2.** An qui mense Augusti furatur frumentum V. G. perseueraturum vsque ad Mensem Maij, teneatur reddere illud cum omni melioritate facta, vel pretium, quo valet Mense Maij; vel tantum pretium, quo valebat Mense Augusti? p.156.
- PET. 3.** An si res furto sublata patitur aliquod detrimentum apud iniuste possidentem, quod passura non erat apud proprium dominum, teneatur fur resarcire tale damnum? *ibid.*
- PET. 4.** An, qui bona fide emit rem furto sublatam, & durante bona fide illam vendidisset, & post venditionem sciret, rem illam fuisse furto sublatam, possit cum fure rescindere contractum? *ibid.*
- QVÆST. 6.** An bona acquisita per hypocritam sint restituenda? p.157
- QVÆST. 7.** An bona acquisita per turpem causam sint restituenda; & cui? p.159
- PET.** An saltem pro opere turpi meretricio possit dari in meretricie actio contra fornicarium, & quidem iure positiuo? p.163
- QVÆR.** An quis accipiens pretium pro opere bono, ad quod tenetur ex præcepto; vel ad vitandum malum ex præcepto, teneatur ad restitutionem? *ibid.*
- QVÆST. 8.** Cui restituenda sit res, quam quis emit à fure? p.164
- QVÆST. 9.** Cui facienda sit restitutio, tam boni incerti, quam boni per errorem acquisiti? p.167
- PET. 1.** Quid sit dicendum, quando res inveniuntur in litore maris? p.170
- PET. 2.** Per cuius manus facienda sit restitutio pauperibus, vel Ecclesie, quando dominus, vel hæredes boni incerti non cognoscuntur? *ibid.*
- PET. 3.** An bona incerta, quæ acquiruntur sine delicto, possint ab inuentore retineri, si iste sit pauper? p.171
- QVÆST. 10.** Quo tempore facienda sit restitutio? *ibid.*
- PET.**

**PET. 1.** *An quis teneatur restituere cum graui damno sui honorifici status?* p.175

**PET. 2.** *An quis possit restitutionem differre, quando adest periculum animæ suæ, vel suorum?* ibid.

**QVÆST. 11.** *Quibus expensis facienda sit restitutio, quâdo res iniuste possidetur?* ibid.

**QVÆST. 12. & vltima.** *Quinam ordo seruandus sit in restitutione debiti ex delicto, & ex contractu oneroso; an scilicet hoc debitum sit illi præferendum, vel è contra?* p.178

**DISPVATIO V,**

**De Restitutione in bonis Animæ, Corporis, & famæ: vbi de Accusatore, Reo, Iudice, Testibus, Aduocato, & Notario.**

**QVÆST. 1.** *An de lege iustitiæ teneatur ad restitutionem, qui consilio, & precibus alium induxit ad peccandum?* p.182

**QVÆST. 2.** *An qui falsam prædicaverit doctrinam, inducendo alios ad illam sequendam, teneatur ad restitutionem?* p.186

**QVÆST. 3.** *An prouocans aliquem ad egressum à Religione teneatur ad restitutionem: sicut etiam prouocans ad non ingrediendam Religionem?* p.189

**PET.** *An cum intentione nocendi alteri, in omni casu quis attendens suæ utilitati, teneatur ad dampnum resarciendum, si est secutum?* p.194

**QVÆST. 4.** *An liceat publica autoritate punire pœna mortis malefactorem?* ibid.

**QVÆST. 5.** *An licitum sit priuata autoritate, occidere iniustum inuasorem suæ vitæ?* p.198

**PET. 1.** *An ex motiui Charitatis possit inuasus permittere, ut potius occidatur ab inuasore, quàm ipsum occidat, & in quibus casibus possit hoc euenire?* p.201

**PET. 2.** *An sicuti potest inuasus suam vitam defendere cum occisione inuasoris, ita possit licitè hoc ipsum præstari ab alio in defensionem vitæ inuasus?* p.202

**QVÆST. 6.** *An licitum sit priuata autoritate occidere iniustum inuasorem suorum bonorum, ac etiam castitatis, & pudicitia?* ibid.

**PET. 1.** *An inuasus in bonis possit insequi inuasorem, ipsumque licitè occidere, si hic violentiam inferat?* p.207

**PET. 2.** *An sicuti mulier, cum moderamine inculpata tutela, occidere possit iniustum inuasorem suæ pudicitia, ita etiam possit hoc fieri à marito, & consanguineis ipsius mulieris?* ibid.

**PET. 3.** *An in tali pugna, si maritus mulieris posset fugere, teneretur fugere?* p.208

**PET. 4.** *An si Mulier consensum præbuit, posset etiam maritus ferrum impugnare con-*

*tra inuasorem?* ibid.

**PET. 5.** *An sit licitum occidere uxorem, sororem, vel filias in adulterio deprehensas?* ibid.

**QVÆST. 7.** *An licitum sit, priuata autoritate, occidere iniustum inuasorem sui honoris, siue inuasio sit per accusationem, siue per calumniam, siue per iniustam sententiam, siue per alapam, vel alia verbera?* ibid.

**QVÆST. 8.** *An in aliquo casu sit licitum occidere innocentem?* p.213

**QVÆST. 9.** *An in aliquo casu sit licitum procurare abortum fœtus, tum animati, tum inanimati?* p.215

**QVÆST. 10.** *An homicida teneatur aliquid restituere pro vita hominis iniuste occisi, vel pro membro illius iniuste mutilato?* p.221

**QVÆST. 11.** *An homicida, qui pœnam talionis soluit ex Iudicis sententia, adhuc ad alia damna resarcienda teneatur, etiam si occisus occisori ante suam mortem remissionem fecerit?* p.224

**QVÆST. 12.** *De restitutione in bonis famæ. An imponens falsum crimen alicui, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur?* p.227

**PET. 1.** *An, si infamator sit in magna dignitate constitutus, & infamatus in minori, & priuata persona, teneatur infamator famam restituere?* p.234

**PET. 2.** *An, qui falsum crimen alteri imponit, dum restitutionem facit, debeat verbum suum retractare, tantum apud quos aliam infamavit, an etiam apud alios, apud quos per primos auditores fama diuulgata est?* ibid.

**PET. 3.** *An, qui alium infamauerit, imponendo falsum crimen coram pluribus, si non recorderetur, coram quibus tale crimen imposuerit, excusetur à restitutione facienda?* ibid.

**PET. 4.** *An, & quæ sint causæ excusantes imponentem falsum crimen à restitutione famæ?* p.235

**PET. 5.** *An, quando quis excusatur à restitutione facienda, siue per retractionem, siue per alium modum condecensentem, seu simpliciter, posset restitutionem famæ pecunia compensare?* p.236

**QVÆST. 13.** *An, qui verum crimen, sed occultum, alterius manifestat, non seruato iuris ordine, ex quo infamia resultet, teneatur ad restitutionem famæ, & quomodo restitutio famæ sit facienda?* p.237

**PET. 1.** *An in aliquibus casibus sit licitum occultum crimen proximi manifestare?* p.242

**PET. 2.** *An Iudici potestatem habenti, & iuridicè interroganti teneamur occultum crimen proximi in iudicio manifestare?* ibid.

**PET. 3.** *An possit dici detractor, qui peccatum publicum proximi in vno loco, manifestat in alio*

- alia loco, ubi publicum non est?* ibid.
- QVÆST. 14.** An, qui verum crimen occultum, in publico tamen sibi impositum, neget, ex qua negatione sequitur infamatio accusatoris, teneatur ad restitutionem; & quomodo facienda sit huiusmodi restitutio? p.243
- PET. 1.** *An publicè interrogatus de crimine verò, sed occulto, si illud in publico neget, peccet mortaliter, mentiendo pro se, seu contra animam suam?* p.245
- PET. 2.** *An saltem negando crimen illud occultum, intendens illud negare, ut publicum, teneatur de tali negatione penitere?* p.246
- PET. 3.** *An saltem negando tale crimen occultum, ut in publico impositum, peccet venialiter?* ibid.
- PET. 4.** *An accusatus de crimine occulto, si publicè, & coram Iudice diceret, accusatorem mentiri, esse infamem &c. peccaret mortaliter, & ad restitutionem teneatur?* ibid.
- QVÆST. 15.** An accusatus de crimine vero, & probatus Reus, per semiplenam saltem probationem, teneatur veritatem contra se fateri coram Iudice iuridicè interrogante? p.247
- QVÆST. 16.** An suspectus Reus de aliquo crimine, & non probatus, nec conuictus ad euitanda grauissima tormenta, possit licitè sibi illud falsum crimen imponere, non obstante, quod ex tali confessione certò sciret, se esse mortè damnandum? p.251
- PET.** *An qui delictum commiserit, sciens, innocentem de illo fuisse mortè puniendum, quia ad euitanda tormenta, quod non commisit, confessus est; teneatur suum crimen manifestare, ut innocens liberetur?* p.253
- QVÆST. 17.** An ante accusationem, & denunciationem iudicalem præcedere debeat fraterna correctio? p.254
- PET. 1.** *An sit obligatio accusandi, vel denunciandi delinquentem de quocunque crimine?* p.257
- PET. 2.** *An quando delictum est occultum, quod probari non possit, teneatur illud denunciare, dum per fraternam correctionem vitari non possit?* ibid.
- QVÆST. 18.** An quando delictum est publicum, quod probari possit, & quis teneatur accusare, vel denunciare, & non accusat, vel denunciat, peccet, & obligetur ad restitutionem? p.258
- PET. 1.** *An Regulares scientes, Religiosum aliquem esse suæ Regulæ publicum transgressorem, sicut etiam statutorum, teneantur in conscientia illum superiori denunciare?* p.260
- PET. 2.** *Quot modis accusatio fieri possit iniusta?* ibid.
- PET. 3.** *An, quando Reus sit à crimine absolutus, tunc denunciator erit condemnandus*

- pro expensis, ratione impostæ calūniæ?* p.261
- QVÆST. 19.** De Iudice, An Iudex teneatur necessariò in omni casu iudicare secundum allegata, & approbata? ibid.
- QVÆST. 20.** An Iudex in ferenda sententia teneatur sequi opinionem magis probabilem? p.266
- QVÆST. 21.** In qua varia dubia de testibus resoluuntur? p.270
- QVÆR. 1.** *An testis à Iudice, competente interrogatus teneatur veritatem fateri, sibi cognitam, & de crimine testari?* ibid.
- QVÆR. 2.** *An liceat testi pro vero testimonio ferendo aliquid accipere, absque obligatione restitutionis.* p.271
- QVÆR. 3.** *An testis citatus à Iudice, ad testificandum, si non compareat, & aliquis iniuste lædatur ab Aduersario, peccet, & quomodo?* p.272
- QVÆR. 4.** *An testes singulares faciant plenam fidem?* p.273
- QVÆST. 22. & vltima.** In qua varia dubia resoluuntur de Aduocato, & aliis officialibus concurrentibus ad Iudicium formandum? p.274
- QVÆR. 1.** *An Aduocatus peccet contra iustitiam exercendo officium circa quod est imperitus?* ibid.
- QVÆR. 2.** *An Aduocatus peccet contra iustitiam, tuendo causam iniustam?* ibid.
- QVÆR. 3.** *An Aduocatus aliquando teneatur gratis patrocinari causam pauperum?* p.275

DISPVATIO VI.

De restitutione in bonis fortunæ :

- QVÆSTIO 1.** De restitutione furti. An teneatur ad restitutionem, qui plura modica furta commiserit, deueniendo ad quantitatem notabilem? p.277
- PET. 1.** *An, si huiusmodi modica furta, usque ad notabilem quantitatem fuerint commissa à familiaribus domini, scilicet uxore, filijs &c. eodem modo isti ad restitutionem teneantur?* p.281
- PET. 2.** *An plures successiue furantes paruum quantitatem eidem domino, quæ parue quantitates reddunt dominum notabiliter damnificatum, teneantur ad restitutionem?* p.282
- QVÆST. 2.** An tam in extrema, quàm graui necessitate sit licitū aliena surripere? ibid.
- QVÆST. 3.** An, qui aliena surripit in extrema necessitate, si peruenerit ad pinguiorem fortunam teneatur ad restitutionem? p.286
- QVÆST. 4.** An fur quoties re aliena vtitur de nouo peccet? & insuper tandiu actualiter peccet, quādiu restituere potest? p.289
- QVÆST. 5.** De ludi restitutione. An, qui vi, metu, & fraude traxerit alium ad ludendum, teneatur ad restitutionem lucri per ludum acquisiti? p.292

QVÆ.

- QVÆST. 6.** An, qui certò sciat, se excedere alium in peritia Ludi, teneatur ad lucri restitutionem? p.294
- QVÆST. 7.** An, qui credito aliquid ludo prohibito amiserit, teneatur in conscientia illud solvere? p.296
- QVÆST. 8.** An vincens ludo prohibito per legem humanam, teneatur ad restitutionem lucri acquisiti? p.299
- QVÆST. 9.** An administrantes locum, & instrumenta necessaria ad ludendum ludo prohibito peccent mortaliter? p.303
- QVÆST. 10.** De restitutione accepti in bello An, qui aliena surripit in bello iniusto, teneatur ad restitutionem? p.307
- PET. 1.** *An milites in bello iusto possint licite surripere bona illorum, apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt?* p.309
- PET. 2.** *An in bello iusto possit vnus recuperare rem suam ab alia persona priuata illius Regni, contra cuius Principem bellum est initum?* p.310
- PET. 3.** *An in bello iusto licitum sit uti insidiis ad hostes vincendos; & an si quis per usum insidiarum bona inimicorum surriperet, teneatur ad restitutionem?* ibid.
- PET. 4.** *An Clericis licitum sit bellare in bello iusto? & an aliquem occidendo in tali bello, incurrant irregularitatem?* p.311
- QVÆST. 11.** De restitutione quod ad adulterium. An mulier adultera, quæ filium concepit in adulterio, teneatur adulterium manifestare, ne legitimi priuentur debita parte hæreditatis? ibid.
- PET. Ex dictis.** *An sit obligata mulier adultera ad aliquid aliud faciendum, ne legitimi filij priuentur debita hæreditate?* p.315
- QVÆST. 12.** An adulter teneatur ad omnia damna prouenientia ex adulterio? p.316
- QVÆST. 13.** De restitutione quod ad stuprum. An deflorator teneatur ad restitutionem, tam puellæ defloratæ, quàm parentibus eius? p.319
- PET. 1.** *An quando puella, per vim deflorata, cessit Iuri suo contra defloratorem, remaneat in parentibus actio contra ipsum in iudicio?* p.324
- PET. 2.** *An, qui per vim Virginem deflorauit, si mortua est post stuprum commissum ex violentia stupratoris, teneatur hic ad restitutionem faciendam hæredibus?* ibid.
- QVÆST. 14.** An, qui Virginem deflorauerit, spe fictæ promissionis matrimonij, teneatur illam in uxorem ducere? ibid.
- QVÆST. 15.** An, qui votum simplex castitatis, vel Religionis emiserit, & postea Virginem deflorauit cum fide data matrimonij, teneatur eam ducere? p.327
- PETES.** *An quando graue damnum emerget, tam defloratæ, quàm defloratori, teneatur deflorator accipere defloratam in uxorem?* p.330
- QVÆST. 16.** De fraude. An defraudantes gabellas, & vectigalia teneantur ad restitutionem? p.331
- QVÆST. 17.** An impediens magis dignum à consecutione alicuius officij, vel beneficij, vt detur minus digno, teneatur ad restitutionem? p.335
- QVÆST. 18. & vltima.** An sit obligatio sub culpa mortali ad quæcunque officia semper eligendi digniorem? p.338
- DISPVATIO VII. ET VLTIMA**  
De simonia, & Beneficiis.
- QVÆSTIO 1.** An Electores, si acciperent pecuniam, vel pecuniæ æquiualens in electione alicuius ad Ecclesiasticum Beneficium, committerent simoniam; & ad restitutionem tenerentur? p.344
- QVÆST. 2.** An simonia confidentialis sit specie distincta à ceteris simoniæ speciebus; & an hæc in Beneficiis Ecclesiasticis committatur; & quibus modis? p.349
- PET. 1.** *An sit contra iustitiam conferre Beneficia in confidentia cum hac obligatione resignandi illud, vel soluendi pensionem?* p.353
- PET. 2.** *An in aliquo casu sit licitum conferre Beneficium reseruata pensione?* ibid.
- PET. 3.** *Quenam pœne specialiter taxatæ sunt contra simoniacos confidentiales?* ibid.
- QVÆST. 3.** An in collatione beneficiorum possit aliquid temporale acquiri, titulo gratitudinis, absque simonia? p.354
- PET.** *An si ante receptionem beneficij quis rem temporalem daret collatori beneficij, & hic postquam rem illam acceperit, beneficium conferret, simoniam committeret?* p.359
- PET. insuper.** *Quid dicendum de dante rem temporalem, an simoniam committat?* ibid.
- QVÆST. 4.** An sit simonia dare pecuniam nolenti Baptizare, & alia Sacramenta ministrare, nisi pecuniam sibi detur? p.360
- QVÆST. 5.** An titulus redimendæ vexationis excuset à crimine simoniæ tradentem rem temporalem, quando vexatio est circa rem spiritualem, vel spiritali annexam? p.364
- QVÆST. 6.** An sit simonia donare, vel promittere aliquod temporale pro præstando opere spiritali? p.368
- PET. 1.** *An sit simonia recipere, & dare pecuniam nolenti facere opus bonum, siue præceptum, siue non præceptum, nisi pecuniam pro tali opere recipiat?* p.372
- PET. 2.** *An sit simonia dare, vel accipere pretium pro absolutione à peccatis?* p.373
- QVÆST. 7.** An simonia sit adeo mala, vt neque per dei potentiam licita fieri possit? ibid.
- QVÆST. 8.** An, qui pecuniam dat alicui, vt omittat actus spirituales, simoniam committat? p.376
- QVÆST. 9.** An, si sub ficta paupertate Monaste-

- nasterij, recipiatur aliqua puella , vt fiat monialis , eam obligando ad soluendam pecuniam , committatur simonia? p.380
- QVÆST. 10.** De Beneficijs. Quid, & quotuplex sit Beneficium , & an hoc possit conferri, antequam vacet? p.384
- QVÆST. 11.** An si Beneficiarius, vltra reditus ex Beneficio , haberet alios reditus ex Patrimonio, posset de istis secundis redditibus, absque vilo scrupulo , ad suum beneplacitum disponere? p.388
- PET. 1.** *Quanam sit congrua Beneficiarij sustentatio?* p.391
- PET. 2.** *An in omnibus Beneficiarijs congrua sustentatio sit aequalis?* p.392
- PET. 3.** *An Beneficiarij ex redditibus superantibus ex Beneficio, possint licitè sorores, & alias consanguineas dotare?* ibid.
- PET. 4.** *An parentes Episcopi peccent mortaliter, quando Episcopus eis donat, quod tenetur dare pauperibus?* ibid.
- QVÆST. 12.** An quando Beneficium est tenue , vt vix reditus, sufficiant ad congruam sustentationem , teneatur Beneficiarius illos reditus diuidere? ibid.
- PET.** *An in hac congrua sustentatione Beneficiarij, quando Beneficium est tenue, includantur consanguinei pauperes ipsius Beneficiarij.* p.395
- QVÆST. 13.** An bona acquisita , & meliorationes factæ à Beneficiario , cadant sub perfectum eius dominium? ibid.
- QVÆST. 14.** An residentia Beneficiarij in loco, vbi manet Beneficium, sit necessaria ipsi Beneficiario , & in quo casu dispensari possit? p.398
- PET.** *An huiusmodi Residentia se extendat etiam ad Canonicos, tum Ecclesiarum Cathedralium, tum Collegiatarum?* p.402
- QVÆST. 15.** An Beneficiarius possit licitè plura Beneficia retinere? p.403
- QVÆST. 16.** An Regularis assumptus ad Episcopatum possit esse dominus fructuum Episcopatus? p.406
- QVÆST. 17.** An Beneficiarij obligati ad recitandum diuinum officium , si non recitent , possint facere fructus ex Beneficio? p.409
- QVÆST. 18.** An vnica diuini officij lectione duorum dierum obligationi satisfieri possit? p.413
- PET. 1.** *An, quando quis ex errore inuoluntario recitauerit officium de vno sancto præ alio, teneatur iterum repetere officium de sancto currentis diei?* p.416
- PET. 2.** *An itinerantes debeant se conformare officio loci, per quem transeunt, in ipsius officij recitatione?* p.417
- QVÆST. 19.** An, qui rationabili causa integrum diei officium recitare non possit, saltem aliquam eius partem recitare teneatur, si potest? ibid.
- PET.** *An notabiliter interrumpens officium, vel quò ad totum, vel quo ad partes, peccet mortaliter?* p.420
- QVÆST. 20.** An milites Commendatarij possint fructus Commendarum ad libitum alienare, & expendere? p.421
- QVÆST. 21.** Quædam dubia resoluuntur circa renunciationem, & permutationem Beneficij?
- QVÆRES 1.** *In cuius manibus facienda sit Beneficij renunciatio, seu resignatio?* p.423
- QVÆRES 2.** *Quomodo fieri debeat Beneficij permutatio, vt sit licita?* p.424
- QVÆST. 22.** An patronus teneatur præsentare digniorem, & an Ius patronatus licitè vendi possit? p.425
- PET. 1.** *An si patronus præsentaret Episcopo personam non idoneam ad Beneficium, posset hæc ab Episcopo excludi?* p.429
- PETES 2.** *An fructus percipiendi ex Beneficio Iuris patronatus colligi, & distribui debeant à patrono, vel ab ipso Beneficiario?* ibid.
- QVÆST. 23.** An pensiones licitè imponi possint in Beneficijs. ibid.
- PET. 1.** *An Principes, qui ius habent ad promouendum, & præsentandum ad Beneficia Ecclesiastica, etiam ad Episcopatum, possint licitè, sine Papæ licentia, pensionem in illis Beneficijs imponere?* p.432
- PET. 2.** *An Episcopus conferens Beneficium, cuius collatio ad ipsum de Iure communi, vel Ecclesiastico spectet, possit in ipso Beneficio pensionem imponere, sibi, aut pro sua mensa soluendam?* p.433
- PET. 3.** *An supra pensionarium possit imponi onus soluendi partem ex fructibus pensionis?* ibid.
- QVÆST. 24. & ultima.** An pensio licitè vendi possit? ibid.



# TRACTATUS DE JUSTITIA, ET JURE. PROŒMIVM.

**D**EVS, cujus dominium est optimum, cujusque perfecta voluntas est, ut Vniuersi Orbis Conditor, ut humanarum rerum sapientissimus administrator, cuncta sua in præpotenti disposuit Iustitia; Lege, quæ condita sunt, seruato rerum iure, omnibus Creaturis omnia distribuit. Hinc ante præceptorum scientiam, quæ tum ad externorum actuum, tum quoque internorum normam spectant, ad exactam Iustitiæ virtutis notitiam attingendam perveniendum est; quæ quidem à Lege regulatur. In hac itaque materia, plures in disputationes diuisa, agendum est primò de ista virtute Iustitiæ, & in subsequenti disputationibus de iure, ejusque speciebus cum debita restitutione, ex debito Iuris correlativo proveniente.

## DISPUTATIO PRIMA.

### De Virtute Iustitiæ:

#### QVÆSTIO PRIMA:

*Quid sit formaliter Iustitia, & in qua Anima potentia resideat?*

**F**Ateor, præsentem materiam potius moralem esse, quàm Scholasticam; cum de ea omnes quidem Canonistæ pertractent morali methodo. At Ego, ut subtiliùs, & clariùs conclusionum, ac juxta nostræ Scholæ principia decisionum veritas pateat, Scholasticè, ut potero quæstiones efformabo. Quare ut Iustitiæ quidditas notescat, advertendum est cum Doctore nostro Scoto in 4. dist. 46. q. 1., & alibi, Iustitiæ virtutem non esse in latissima acceptione sumendam, pro omnium virtutum complexione, aut pro quacumque recta actione à recta, & iusta voluntate proveniente: sicut D. Ansel. de Veritate cap. 12. agebat: *Iustitiam esse voluntatis rectitudinem propter se seruatum*: nam in hoc sensu ceteræ morales virtutes dicuntur Iustitia; cum quilibet inclinet potentiam ad actionem rectam. Solùm hic sumitur Iustitia in stricta, & rigorosa acceptione, pro virtute scilicet speciali, quatenus æqualitatem ponit inter personas, ex debiti ratione; unde voluntatem inclinat ad reddendum alteri, quod suum est; quomodo necessariò debitum includit; æqualitatem nimirum constituendo: ex stricto Jure, juxta datum, & acceptum. Hoc ergo exemplo clarè omnia patebunt. Si quis domum alterius occupasset, tunc

occupans non seruaret æqualitatem; cum ex iustitia teneretur reddere domum domino; in quo casu sicuti ex parte unius haberetur debitum, ex parte alterius haberetur Jus. Si porrò domus redderetur domino, tunc æqualitas dati, & accepti seruaretur. De hac ergo Iustitia, quæ moralis virtus est, procedit controversia præsens. In qua re nulli dubium est, Iustitiam esse unam ex quatuor moralibus virtutibus à Philosopho recensitis.

Supponendum est, Iustitiam in hac rigorosa acceptione, legale quidem, ac strictum includere debitum, Juri, se tenenti ex parte alterius, correspondens: quare dum à ceteris secernitur virtutibus hoc evenit, vel quia ceteræ nullum includunt debitum, vel si aliquod includunt debitum, hoc erit duntaxat morale. Ad intelligentiam autem utriusque partis quæstionis.

*DICO*, Iustitiam rigorosè sumptam, esse constantem, ac perpetuam voluntatem jus suum cuique tribuendi; quæ tamen virtus residet in voluntate. Prima pars est definita sic ab Ulpiano lib. inst. ff. de just. & jure; & est inter omnes Doctores, tum Juristas, tum Canonistas, communis; quam sequitur Doctor noster in 3. dist. 33. §. ad quæstionem, & in 4. cit. Secunda pars est

A

est



## DISPUTATIO PRIMA

est ferè etiam communis.

1. Probatur prima pars, & simul explicatur. In hac definitione, ab Ulpiano tradita, *ly voluntas* sumitur, non pro facultate potentia, sed pro habitu inclinante potentiam ipsam ad operandum; & hæc particula stat loco generis; cum quælibet virtus moralis sit habitus potentiam inclinans, &c. *Ly voluntas* quoque sumitur pro habitu inclinante ad alterum, ad differentiam Temperantia, & Fortitudinis, quæ simpliciter sunt ad se. Dicitur *constans*, idest firmum, & deliberatum propositum. Dicitur *perpetua*, non quatenus sit in æternum duratura, sed quatenus manente Jure, semper ex parte alterius habetur debitum; unde nisi Jus ex parte unius cessaret, neque debitum cessare posset ex parte alterius; quare semper stat perpetuitas redditionis. Per has particulas quamdam habet convenientiam Justitia cum Pietate, Amicitia, & Obedientia. Dicitur tandem *Jus suum cuique tribuendi*, quatenus ex stricto debito unusquisque tenetur reddere cuique Jus suum: hæc autem redditiō Jurium alteritatem involvit, quatenus ponit æqualitatem juxta datum, & acceptum; quæ æqualitas, vel est simpliciter ad alterum, vel ad seipsum, quasi ad alterum. Hoc videtur discrimen poni inter Justitiam, & ceteras virtutes. Sed considerata hac expositione per has particulas, ponitur genus, ex convenientia cum ceteris, & differentia à ceteris virtutibus: Ergo adæquatè definitur Justitia definitione supra assignata.

Confirmatur hæc expositio, ex D. Augustini doctrina lib. 17. de Civit. cap. 21. & Amb. lib. 1. de offic. cap. 24. qui dicunt: *Justitia est virtus, quæ cuique sua distribuit*; sed cuique sua distribuere, est ponere æqualitatem Jurium inter datum, & acceptum; quæ æqualitas necessariò debitum ex parte unius, & Jus ex parte alterius supponere debet: Ergo &c.

2. Probatur secundò. De ratione intrinseca cujuscumque habitus virtuosus est inclinare potentiam ad eliciendum actum, sibi similem in natura; saltem ex inclinatione potentia: Sed cum habitu Justitiæ sic definitæ, voluntas est electiva actus similis in natura cum ipsa Justitia: Ergo Justitia, sic definita ab Ulpiano, est optimè definita. Maior patet, quia sicuti actus specificantur ab objecto, ita habitus per actus. Probatur minor: tunc actus dicitur Justus, quando ponit æqualitatem, vel ex eo resultat æqualitas inter Jus ex parte unius, & debitum ex parte alterius; & tunc potentia dicitur inclinata ad justè reddendum, quando ex motivo Justitiæ cuique sua distribuit: Ergoposito habitu Justitiæ, sic definitæ, elicitur actus Justus similis in natura cum Justitia. Ergo &c.

Confirmatur hoc exemplo. Si Petro deberem centum aureos, ipsique ex motivo Justitiæ centum redderem; tunc actus hic redditionis esset Justus, ex æqualitate servata inter Jus, quod Petrus haberet adversum me, & inter debitum,

quod cessaret ex parte mea; Sed hic actus redditionis debet esse similis in natura cum Justitia, quæ inclinaret voluntatem ad actum hunc redditionis producendum: Ergo si actus ille est justus, quia servatur æqualitas inter Jus, & debitum, evidentissime sequitur, quod Justitia, quæ voluntatem inclinat ad actum illum producendum, dicit talem æqualitatem, quæ per illa verba, *Jus suum cuique tribuendi*, explicatur. Ergo &c.

3. Probatur secunda pars. Primò per exclusionem aliarum potentiarum. Nulla alia potentia esse potest subjectum Justitiæ præter voluntatem: Ergo sola voluntas erit tale subjectum. Probatur antecedens: si alia potentia assignaretur, vel esset intellectus, vel appetitus sensitivus. Non intellectus, cum hic tantum habeat cognoscere operationem rectam, ac justam, sicut pravam. Neque appetitus sensitivus (de quo est difficultas). Primò sic. Justitia inclinat potentiam ad reddendum alteri, quod suum est, ad æqualitatem dati, & accepti; sed inclinatio cum ordine ad aliud nequit esse in appetitu sensitivo; cum careat cognitione alteritatis: Ergo &c. Secundò ad hominem: poneretur per adversarios in appetitu sensitivo Justitia, quia hic est indeterminata potentia ad rectè, & non rectè agendum, & sic poterit producere actum justum ex Justitiæ motivo; sed hac ratione magis residere debet in voluntate; cum hæc ratione suæ libertatis dicatur magis indeterminata, & indifferens, quam quælibet alia potentia. Ergo in appetitu sensitivo residere non potest. Ergo restat, quod resideat in voluntate.

Confirmatur hoc; quia voluntas ratione sui domini liberi in elicitione actus recti ex motivo Justitiæ imperat sensibus, ut eliciant actus rectos: Ergo sensus, cum subsint voluntatis imperio, non producant actum rectum ex propria inclinatione, sed ex motivo Justitiæ inexistentis voluntati, eam inclinantis ad actum rectum producendum.

4. Probatur secundò ratione deducta ex Doct. in 3. cit. In illa potentia subjectatur habitus Justitiæ, in qua saltem divisivè poterit stare habitus vitiosus oppositus; sed in sola voluntate stat habitus injustitiæ, oppositus virtuti Justitiæ; quæ potentia habet moderare omnes passionem gaudii, tristitiæ, mœroris, &c. aliàs daretur peccatum non in voluntate; quod asseritum est damnatum: Ergo, &c.

Probari potest hæc conclusionis pars ex ipsa definitione Justitiæ, quæ est voluntas, &c. explicata per habitum inclinantem voluntatem, &c.

### Solvuntur Objectiones.

5. **O** Bicies primò contra primam partem. Ratio perpetuitatis coincidit cum ratione formali æternitatis; sed Justitiæ sic acceptæ repugnat ratio formalis æternitatis.



æternitatis. Ergo eidem repugnat ratio perpetuitatis. Ergo &c. Probatur maior, quia utraque dicit interminabilem durationem: Ergo, &c.

Deinde: Reddere Jus alteri, quod suum est, convenit alteri à Justitia: Ergo non est propriū Justitiæ. Ergo &c. Probatur antecedens: convenit Principi in tota universitate cōstituto: Ergo &c. Antecedens patet, quia ad ipsum spectat servare æqualitatem juxta datum, & acceptum: Ergo, &c.

Respondetur ad primum dicendo, dupliciter sumi posse perpetuitatem. Primò in ratione actus, qui interminabilis est; & hoc modo idem formaliter est cum æternitate, & soli Deo perpetuitas hæc convenit. Secundo modo sumitur in ratione objecti, ut esset lex observanda; & hoc modo non coincidit cum æternitate formaliter. In primo sensu non sumitur in presenti perpetuitas, sed solum in secundo sensu; quatenus lex observanda, quæ regula est virtutis justitiæ in omni eventu observanda est; cum justum sit alteri reddere, quod suum est.

Dices. Ergo potius per propositum voluntatis, quam per perpetuam voluntatem definiti deberet justitia; cum perpetuitas in ratione objecti sit propositum voluntatis; sed hoc modo non definitur: Ergo dicendum est, quod perpetuitas sumatur in ratione actus; quomodo coincidit cum formali ratione æternitatis.

Respondetur dicendo, assumptum esse verum; at nego subsumptam propositionem. Quando Ulpianus definit justitiam per perpetuitatem, idem significavit, ac propositum voluntatis, ut omnes Doctores exponunt; quare, cum propositum voluntatis non coincidat cum formali ratione æternitatis, neque cum eadem coincidit ratio formalis perpetuitatis, in definitione posita.

Respondetur ad secundū negando antecedens, ad cujus probationē dico, hoc quod est reddere alteri, quod suum est, convenire Principi in tota universitate cōstituto, vel etiam Judici; at non formaliter, sed tantum effective, & imperando, ut jura serventur. Ad Principem ergo, & Judicem spectat, ut lex à subditis servetur, ne injustitia in Republica habeatur; quare Princeps, & Index vocantur legis Custodes. Justitiæ verò formaliter convenit reddere alteri, quod suum est, quatenus voluntatem inclinat ad formaliter reddendum cuique jus suum. Nec inconvenit, ut uniformaliter conveniat reddiditio alteri verò effective.

6 Obijcies secundo. In Canonistarum sensu, illa particula (Ius suum unicuique tribuendi) explicat distinctionem personarum, inter quas servari potest Ius ad æqualitatem dati, & accepti; sed absque tali distinctione poterit haberi vera ratio Justitiæ: Ergo, &c. Probatur minor. In Deo ab æterno fuit rigorosa justitia, absque distinctione alterius à se, antequam mundus factus conditus. Secundo una poten-

tia habet Ius in aliam, ut rationalis in sensitivam, &c. & tamen omnes eidem personæ coexistunt, Ergo, &c.

Deinde: datur in Patre, & filio personarum distinctio, & tamen inter ipsos non intercedit debitum rigorosæ justitiæ; nam unus debet alteri ratione Pietatis: Ergo ratio distinctionis personarum in reddendo Ius alteri, non constituit rationem formalem Justitiæ; ac per consequens Justitia non adæquatè importat Ius alteri reddendum.

Respondetur ad primum, dicendo, non importare omnimodam distinctionem personarum, sed satis est, ut justitia importet distinctionem personarum, solum moralem, & non physicam; nam ut dicemus in sequenti questione, dari potest rigorosa justitia ad seipsum quasi ad alterum. Unde ly *Ius suum unicuique tribuendi*, non necessario dicit alteritatem personarum; aliàs quis non posset sibi ipsi vindicare culpam per pœnitentiam à Confessario impositam, ex commutativa Justitiæ, quod est falsum. In Deo itaque (ut dixi in tractatu de voluntate Dei) adest legalis Justitia ad seipsum, quasi ad alterum, ut summum bonum est. Comparatione verò Creaturarum est quoque in Deo legalis Justitia, ex lege sibi voluntariè præfixa; estò non adsit legalis justitia simpliciter ex necessitate legis. Ad minorem igitur argumenti dico, ab æterno Deum habuisse propositum firmum suæ voluntatis, ex tali lege præfixa, reddendi in ordine naturæ, & gratiæ unicuique Creaturæ, quod suum est: non autem fuit exercitium Justitiæ; cum nulla fuerit condita creatura. Ad exercitium autem Justitiæ requiritur personarum distinctio, sive physica, sive tantum moralis. Ad secundam probationem dico, utique unam potentiam Ius dominandi habere in aliam ratione dispositivi dominii; & etiam inter ipsas intercedere rigorosam Justitiam; cum una moraliter ex prudentis iudicio non sit alia; estò physice eidem coexistent personæ.

Respondetur ad secundum, dicendo, assumptum in nostra sententia esse absolute falsum; nam sicuti justitia potest esse ad seipsum, quasi ad alterum, sic poterit esse Patris ad filium; estò non ita rigorosa, sicut esset inter aliàs personas, tamen est justitia ex debito legali orta, quatenus quilibet suum Ius servare debet.

Dices: Pater est principium esse filii, & filium non respicit, ut aliquid sibi non idem. Ergo justitia esse nequit inter Patrem, & filium.

Respondetur, dicendo, etiam Cives esse partes Republicæ; quæ est principium esse Civium, & tamen inter Cives, & Republicam est rigorosissima legalis justitia, & quidem simpliciter, ex necessitate legis. Ita in proposito dicendum est. Per hoc ergo ostenditur non esse necessariam personarum distinctionem physicam, sed sufficere alietatem, aut distinctionem moralem.

7 Obijcies tertio contra secundam partem, probando, justitiam residere in intellectu. In illo subjecto, in quo subjectatur veritas subjectari debet iustitia; sed veritas subjectatur in intellectu: Ergo etiam iustitia. Minor patet, quia veritas, & falsitas sunt actus intellectus. Probatum minor ex Psal. *Misericordia, & veritas obviantur sibi, iustitia, & pax osculatae sunt.* Ergo si una comitatur aliam, in illo subjecto, in quo una subjectatur, debet altera subjectari. Ergo, &c.

Deinde: iustitia, ad differentiam aliarum virtutum, dicitur ordinem ad aliud; at ordinare unum ad aliud est opus intellectus: Ergo iustitia est in intellectu.

Respondetur ad primum, negando maiorem; ad cuius probationem dico, iustitiam, & veritatem se invicem comitari in ratione rectitudinis, & hoc modo iustitia dicitur veritas; quatenus una virtus, ut plurimum, est cum alia connexa, ex connexionem, quam omnes habent cum prudentia. Et quia veritas, est actus rationis recte, proveniens ex dictamine prudentiae, hinc ut effectus, & causa se invicem comitantur. Non tamen iustitia veritas dicitur, sumpta veritate pro adaequatione rei ad cognitionem; cum sic iustitia sit tantum rationalis appetitus.

Dices: veritas est actus proveniens a prudentia dictante: iustitia a prudentia regulatur; Ergo semper ubi residet veritas, residet iustitia. Probatum ista consequentia, quia subjectum regulae moventis est etiam subjectum virtutis inclinantis ad actum, juxta dictamen regulae. Ergo &c.

Respondetur, negando consequentiam, & antecedens probationis. Ex hoc argumento potius sequitur oppositum. Per hoc quod prudentia sit regula movens ad operationem rectam, dicitur aliam movere potentiam diversam a proprio subjecto; unde si movet voluntatem, voluntas producit operationem iustam, ut mota a prudentia, & ut inclinata a iustitia; unde est regula, quae est prudentia, resideat in intellectu; iustitia tamen, quae est ipsius voluntatis inclinatio, in voluntate residere debet.

Respondetur ad secundum, dicendo, ordinare unum ad aliud non esse solius intellectus, sed etiam voluntatis, ut advertit Scotus pluribus in locis, vocans utramque rationalem potentiam collativam objectorum; cum hoc tamen discrimine, quod intellectus sit collativa potentia in linea cognoscendi, voluntas vero in linea appetendi.

8 Obijcies quarto, probando iustitiam subjectari in appetitu sensitivo. iustitia, cum sit moralis virtus, est moderativa passionum; sed passiones solum sunt in appetitu sensitivo: Ergo solum in appetitu sensitivo residet virtus iustitiae.

Deinde: habitus virtuosus ponitur in illa potentia, quae difficultatem habet ex se superandi aliquod vitium, virtuti oppositum; sed

solus appetitus sensitivus habet hanc difficultatem; cum vitia circa sensum versentur: Ergo, &c.

Præterea: habitus iustitiae non determinat voluntatem ad bonum, quod in casu esset ius alteri reddendum; cum voluntas ex se inclinata sit ad bonum; unde nullo habitu indiget, ut ad bonum inclinetur. Ergo determinat illam potentiam, ex se non determinatam, nec ad bonum inclinatam; sed hæc potentia est appetitus sensitivus: Ergo, &c.

Respondetur ad primum, negando consequentiam (est concedatur minor syllogismi.) Ratio est, quia passiones non sunt neque materia in qua, neque ex qua, sed tantum circa quam poterit ergo virtus quaecumque moralis residere in voluntate, & quascumque moderare sensitivas passiones; cum sensus subsint imperio voluntatis: unde satis est, ut in appetitu sensitivo virtus sit tantum effective, & causaliter, causando scilicet in ipsa potentia moderationem passionum. At minor non est absolute vera; cum etiam in voluntate sint passiones moderandae, sive conjunctae cum sensu, sive a sensu separatae. Quod satis est, ut ad nostrum propositum valeat inferri, tantum residere in voluntate.

Respondetur ad secundum, dicendo, minorem non valere. Primum, quia difficultas superanda vitii non solum videtur esse in sensu, sed quoque in voluntate; cum motus sensitivi inordinati difficilem reddant voluntatem ad operandum; quare ad talem superandam difficultatem in potentia ipsa volitiva ponendus est habitus virtutis.

2 Secundum, non est verum, vitia versari circa sensum, praesertim si habet rationem culpae; cum enim in tali casu quodlibet vitium sit peccatum, necessario sequitur nutum voluntatis; cum peccatum per D. Augustinum sit voluntarium; & hoc quoque verum est apud omnes.

Dices: Voluntas in superandis difficultatibus vitiosis se habet ut sessor ad equum, respectu sensitivi appetitus; sed propter inordinatum motum difficultas equitandi est tantum in equo; qua ratione equus, & non equitans eget freno: Ergo solus sensus eget habitu, Ergo, &c.

Respondetur dicendo, similitudinem illam non valere a toto genere, sed tantum in hoc sensu, quatenus utrobique habetur dominium dirigendi. Quare disparitas est, quia motus inordinatus equi non trahit equitantem ad inordinatam operationem; nec equitans difficultatem habet in tali motu; & ideo in equo tantum est ponendum frenum. At motus inordinatus potentiae sensitivae difficultatem ponit in voluntate, ipsam trahendo ad inordinatam operationem; & ideo hic ponendus est habitus.

Respondetur ad tertium, dicendo, duplicem esse in voluntate considerationem, secundum scilicet naturam, & in esse passivo; & secundum facultatem.

facultatem, & in esse activo. In primo sensu utique ex se determinatur ad bonum, ex affectione Justitiæ, juxta naturalem inclinationem. Ac in secundo sensu, cum sit liberum, & indifferens principium, est indeterminata, & sic ad bonum ipsum, quod in casu esset Jus reddendum, determinari indiget ab habitu Justitiæ. Satis pro utraque parte.

Q V Æ S T I O S E C V N D A.

*An necessario Justitia dicat esse ad alterum, ut nequeat esse ad seipsum quasi ad alterum?*

**M**ovetur præsens dubitatio à Doctore nostro in 4. dist. 46. q. 1., & aliis in locis, ubi duplicem assignat Justitiam; unam, quæ est simpliciter ad alterum; aliam, quæ est ad seipsum, quasi ad alterum. Non ergo Scotus negat alteritatem Juris requisitam ad constituendam æqualitatem dantis, & accipientis, ut perfecta habeatur Justitia; sed dumtaxat ait, posse perfectè salvari hanc æqualitatem, etiam si Justitia non sit ad alterum simpliciter, ut ad personam distinctam; cum satis sit ad hanc ponendam æqualitatem, ut quisque sit sui Juris.

Notandum itaque est, ex eodem Doctore cit. verè in Deo ponendam esse virtutem Justitiæ, & quidem ante mundi constitutionem; cum divina voluntas se determinet ad volendum justè id, quod concedens est suæ divinæ bonitati, & hoc bonum non est simpliciter alterum à Deo, præsertim ad intra, sed est quasi alterum. Si verò comparatio fiat inter Deum, & Creaturas conditas, tunc ultra exercitium virtutis Justitiæ, quæ alteritatem Juris simpliciter supponeret; argueret quoque perfectam Justitiam, vel ex lege condita, vel in ordine supernaturali gratiæ, reddendi unicuique suum Jus, ad meritorum æqualitatem. Hoc itaque notato, quod queritur in præsentem est, an necessario requiratur ad perfectam Justitiam esse simpliciter ad alterum; vel sufficiat, ut sit ad seipsum, quasi ad alterum? Pro resolutione ergo

*DICO*, ad rationem perfectæ Justitiæ non necessario requiri, ut sit simpliciter ad alterum, sed posse salvari, ut sit ad seipsum quasi ad alterum. Conclusio hæc est Scoti loco cit., & est contra omnes auctores extra nostram Scholam. Et

9 Probatur primò ex ipsa Scoti doctrina loco cit., ubi habet hæc verba relata ex eodem 4. d. 14. q. 2. *Pœnitentia est justitia punitiva, non tantum respectu alterius simpliciter; sed sui quasi alterius; quia sibi, ut Judicis ministro concessa est punitio sui, ut Rej.* Sed hæc verba Doctores indicant, posse justitiam esse ad seipsum, quasi alterum: Ergo non necessario est ad alterum simpliciter, sed sufficit, ut sit ad seipsum quasi alterum. Probatur sic Doctores doctrina: dum

quis per Sacramentum pœnitentiæ, pœnitet de peccatis, satisfaciendo pœnæ infligit à confessorio, tunc cum ipse sit Reus delicti, sibi ipsi ut alteri reddit, quod proprium est; sed hoc modo ponit æqualitatem ejusdem personæ pœnitentis ad seipsum, ut Ream delicti, quasi ad alterum: Ergo pœnitentia servat hanc æqualitatem. Sed perfecta Justitia constituitur per hanc æqualitatem: Ergo verè pœnitentia est punitiva Justitiæ sui, quasi alterius. Ergo poterit salvari perfecta justitia per esse ad seipsum, quasi ad alterum.

Confirmatur hæc doctrina. Ex lege à Deo condita habeo Jus ad gratiam, & gloriam; peccavi: ponitur in me debitum satisfaciendi pro gratia, & gloria: dum pœnitentiam ago, cessat in me debitum; sed dum cessat ex una parte debitum, & Jus ex altera parte; tunc constituitur æqualitas juxta datum, & acceptum: Ergo pœnitentia est verè Justitiæ punitiva ejusdem ad seipsum, quasi ad alterum, ut Reum. Ergo &c.

10 Probatur secundò eodem medio. Justitia vindicativa est vera species Justitiæ specialis; sed ad justitiam vindicativam satis est, ut sit ad seipsum, quasi alterum: Ergo de ratione justitiæ non necessario requiritur, ut sit ad alterum, sed sufficit, ut sit ad seipsum, quasi alterum. Major patet; dum quis justè vindicat sibi culpam commissam pro peccatis, commutat pœnam, & quidem juxta æqualitatem peccatorum; Ergo vera species Justitiæ specialis est punitiva Justitiæ. Probatur nunc minor. Actus Justitiæ punitivæ est vindicativus culpæ commissæ, juxta dictamen rationis; sed hic actus punitivæ justitiæ est ad seipsum, quasi ad alterum: Ergo ad vindicandam culpam commissam satis est, ut Justitiæ vindicativa sit ad seipsum, quasi ad alterum. Probatur minor: vindicans sibi culpam facit hoc, non quia præcisè persona est, sed quia Reus, & ut legi, à Legislatore tradita, obtemperet: Ergo actum illum vindicandi in seipsum exercet, ut Reum. Ergo actus ille erit ad seipsum, quasi ad alterum.

Confirmatur: voluntas, inclinata à particulari Justitiæ, determinari potest ad volendum sibi bonum, quod exigitur ex dictamine legis; sed ex hac inclinatione habetur actus redditionis debiti sibi ipsi, tanquam alteri, secundum necessitatem legis: Ergo poterit stare virtus Justitiæ inclinans voluntatem ad seipsum, quasi alterum. Ergo &c.

*Solvuntur Objectiones.*

9 **O**bjicies primò: si Justitia possit esse ad seipsum, quasi ad alterum, maximum sequeretur absurdum; Ergo necessario est ad simpliciter alterum. Probatur sequela; sequeretur, posse aliquem seipsum interficere

ob

ob crimen ab eo commissum, pro quo crimine à lege taxata est pœna mortis; sed hoc est absurdum; cum in nullo casu permillum sit, hominem seipsum interficere: Ergo &c. Probatur major: dum quis Jus habet ad seipsum, potest liberè de eo facere quicquid vult, præsertim in iis, quæ sunt ad dictamen legis; sed lex suadet, esse pœnam mortis infligendam pro gravi delicto commisso. Ergo dum esset iustitia ad seipsum, quis posset seipsum necare. At casus hic est impossibilis; cum necans seipsum ex inclinatione Iustitiæ, non peccaret; quod est iuxta fidei determinationem. Ergo &c.

Deinde: sequeretur, quod si Pater necaret filium, qui est à Patre, ut principium à principio, nec est alius simpliciter à Patre; Vel dominus servum, non peccarent contra Iustitiã; sed hoc est falsum; cum actio contra præceptum sit contra Iustitiã; & sit præceptum divinum, de non necando: Ergo &c. Probatur major: in his casibus, Jus Patris ad filium, & domini ad servum, esset ad seipsum, quasi ad alterum; sed de suo jure quis potest disponere ad suum libitum; nam pater potest filium vendere, & dominus servum: Ergo poterunt quoque respectivè eos necare.

Respondetur ad primum, negando sequelam antecedentis, ad cujus probationem dico, absurdum illud non sequi ex nostra sententia. In tantum, inquam, non potest quis seipsum justè occidere, neque ex directa sui-intentione (etiam si ad satisfaciendum pro quocumque commisso crimine): neque ex sententia lata à Judice, ut seipsum quis occideret in pœnam perpetrati delicti, pœna capitis puniendi; in quantum nemo suæ vitæ Dominus est, sed solum Jus ad eam conservandam habet. Vel etiam gratis dato (quod non concedimus) quod quis in vindictam patrati criminis, vel per sententiam Judicis, posset seipsum occidere; tamen in hoc casu non servaretur Iustitia ad seipsum, quasi ad alterum, ut nos defendimus. Ratio est, quia talis occisio, cum esset actio physica, esset sui ipsius ad seipsum, non ut ad alterum: quare non posset in tali occisione assignari alteritas. Et si dicas, Reitatem facere alterum à seipso. Tunc dico, Reitatem hanc supponere debere Jus in persona physice distincta à Reo; quæ non nisi per Judicis sententiam punienda est; & non ab ipso Reo. Ceterum in actu Iustitiæ exercendæ ob peccata commissa, assignatur alteritas; nam cum actio vindicandi peccata sit moralis, dum à seipso exercetur, respicit seipsum, tanquam alterum moraliter; quatenus, ut peccator, est alter moraliter à seipso, ut vindicante peccatum per pœnitentiam.

Respondetur ad secundum, negando sequelam. Est ergo intercedat vera Iustitia inter Patrem, & filium; qui originatur à Patre, ut à principio sui esse; quæ etiam intercedit inter dominum, & servum; tamen, nec Pater filium

necare potest, nec dominus servum; cum necatio sit à lege prohibita. Quod ergo est lege permillum, potest quis eo liberè uti, sicut sibi placet; & si Pater filium, & Dominus servum, necarent, & pietatis debito, & ex debito Iustitiæ præcipientis, neminem esse necandum, tenerentur injuriam resarcire. Quare solum id fieri potest in seipsum tanquam in alterum, quod est legi consonum, & à legislatore justè commissum: adeoque &c.

12. Objicies secundò: Iustitia, rigorosè accepta, ponere debet æqualitatem in rebus; sed æqualitas nequit esse ad seipsum: Ergo ad seipsum nequit esse rigorosa iustitia. Probatur minor: æqualitas est relatio realis, supponens duo extrema distincta; cum nemo sit æqualis sibi ipsi: Ergo nequit æqualitas constitui ad seipsum.

Deinde: si posset Iustitia esse ad seipsum, non discriminaretur à cæteris virtutibus, præsertim ab iis, quæ sunt ad seipsum: Ergo dicendum est, quod sit ad simpliciter alterum. Probatur antecedens: discrimen, quod est inter iustitiam, temperantiam, & fortitudinem, est quod hæ dicunt ordinem ad seipsum; illa verò ad alteri reddendum, quod suum est. Ergo &c.

Respondetur ad primum dist. minorem: æqualitas nequit esse ad seipsum simpliciter, concedo minore: ad seipsum quasi ad alterum, nego minorem, & consequentiam. Unde dico, verum esse, quod æqualitas constitui non possit, nisi ad alterum; at non semper requiritur alietas simpliciter, sed satis est, ut sit ad seipsum quasi alterum. Nam dum quis exercet actum iustitiæ in seipsum, non facit actum ipsum æqualem sibi ipsi, sed æqualem ipsi tanquam alteri; quamvis ergo ille talis sit minister legislatoris, habet aliam rationem ab eo, quod sit Reus delicti, pro quo imponitur pœna; & hoc satis est ad constituendam æqualitatem requisitam ad rationem formalem Iustitiæ. Ita loquitur Scotus in 4. dist. 14. quæst. 2.

Dices: Ut servetur vera ratio iustitiæ, debet poni æqualitas inter supposita diversa, ita ut unum sit ab alio diversum; sed in eodem nequit esse diversitas suppositorum, nec sui ipsius quasi ad alterum: Ergo nequit esse æqualitas in eodem ad seipsum, quasi alterum, requisita ad rigorosam iustitiam. Probatur major: æqualitas est relatio realis: Ergo supponit extrema realiter distincta. Ergo æqualitas constituens rationem formalem iustitiæ est inter supposita distincta.

Respondetur negando absolute assumptum. Quamvis quandoque iustitia ponat æqualitatem inter supposita diversa; tamen, regulariter loquendo, diversitas suppositorum non est necessaria. Ratio est, quia Iustitia, cum sit moralis virtus inclinans voluntatem ad justam redditionem, exigit legis conformitatem, ut rectificetur. Nam (ut ait Phil. 10. eth. cap. ult.) Iustitia est vitrix vitiorum, præmiatrixque virtutum:

rum; quare sola æqualitas moralis, à recta ratione deducta, requiritur ad salvandam formalem rationem Iustitiæ. Et quia æqualitas hæc moralis potest, secundum diversos prudentiales respectus, esse in eadem persona, ideo non est necessaria distinctio suppositorum ad constituendam æqualitatem, requisitam ad iustitiam rigorosam. Unde poterit, in sensu explicato, quis exercere rigorosam iustitiam ad seipsum, quasi ad alterum, ut legislatoris minister, ad seipsum, non simpliciter, sed quasi ad alterum, ut ad Reum: adeoque &c.

Respondetur ad secundum, negando sequentia. Ut Iustitia discriminetur à Temperantia, & Fortitudine, satis est, ut istæ nullum ordinem dicant ad alteritatem, neque physicè, neque moraliter, ita ut respectus alteritatis omninò excludantur à rationibus harum virtutum; & quod Iustitia respiciat alteritatem, estò non semper simpliciter aliud. Quando ergo est in ordine ad seipsum, ut ad alterum, sub illa ratione formali alteritatis constituit æqualitatem requisitam ad constituendam rigorosam iustitiam. Ratio est, quia, ut dixi, potest dari casus, ut evenit in persona pœnitente, ut à legislatore, vel à lege committatur, ut quis sibi ipsi vindicet offensam, aut delictum, sub ratione quidem reitatis, quæ reitas potest constituere alteritatem requisitam ad rationem formalem Iustitiæ.

Dices: aliæ virtutes esse possunt ad alterum, vel ad alterum, quasi ad seipsum; & tamen hoc quod est esse ad alterum, quasi ad seipsum, non benè constituit rationem formalem Temperantiæ, vel Fortitudinis: Ergo estò possit iustitia esse ad seipsum, quasi ad alterum, hæc alteritas non benè constituit rationem formalem iustitiæ. Antecedens Probatum ex Scoto in 3. dist. 33. l. 1. ubi de fortitudine (quam probabiliter constituit Doctor ipse in Angelis) ait, *per mibi & tibi non variari rationem formalem habitus*. Ergo esse ad alterum, quasi ad seipsum, non benè constituitur ratio formalis temperantiæ, & fortitudinis: adeoque &c.

Respondetur, negando antecedens. Sicut ergo nos dicimus, Iustitiam constitui per esse ad alterum, & tamen hoc non obstante poterit esse ad seipsum, quasi ad alterum, ita etiam dicendum est de temperantia, & fortitudine, quæ estò dicant esse ad se, tamen possunt esse ad alterum, quasi ad se. Unde Scotus ponens in Angelis virtutem temperantiæ, & fortitudinis, ait, posse esse ad aliud tanquam ad seipsum: & sic sicuti Iustitia dicit alteritatem, non obstante quod sit ad seipsum, ita temperantia dicit ordinem præcisè ad seipsum, non obstante quod sit ad alterum, in sensu explicato. Concludo igitur, posse iustitiam esse ad seipsum, tanquam ad alterum.

QVÆSTIO TERTIA.

*An Virtus Iustitiæ consistat in medio: & an hoc medium sit rei, vel rationis?*

**Q**uestio hæc communiter exagitari videtur in materia de virtutibus theologicis, & moralibus, in tertio libro sent.: at quantum spectat ad præsentem materiam, supponendum est cum Scoto in 3. dist. 36. quaslibet morales virtutes in medio consistere; cum moralis Virtus à Phil. 2. Eth. c. 6. definiatur: *Quod sit habitus electionis in mediocritate consistens, quò ad nos definita à ratione, ut, definirit ipse prudens*. Hoc itaque supposito in communissima, tum Theologorum, tum Philosophorum opinione,

Advertendum est pro explicatione tituli quæstionis, medium in præsentem nil aliud significare, nisi id, quod mediat inter duo vitia, virtuti opposita, & hoc quidem per defectum, & excessum; cum, juxta vulgare dictum, quodlibet extremum sit vitiosum: quare pro certo debemus dicere, virtutem mediare inter extrema; & cum extrema sint vitiosa, hinc medium ipsum virtutis collocari debet inter duo vitia, quæ quidem opposita sint ipsi virtuti. Ad explanandam rationem formalem medii Iustitiæ præsertim (quicquid dicant Doctores de medio cæterarum virtutum), varia sunt ipsorum placita. Nam aliqui volunt, ad constituendum medium Iustitiæ requiri, quod extrema, sive per excessum, sive per defectum, ex utraque parte sint formaliter virtuti opposita. Alii tandem, & quidem probabilius, affirmant, satis esse ad constituendum medium virtutis, ut unum extremum sit virtuti formaliter oppositum, & alterum tantum materialiter, ita scilicet, ut contingat in materia illius virtutis. In casu ergo, Virtuti Iustitiæ formaliter per defectum opponeretur iniustitia; & quandoque per excessum opponeretur prodigalitas, materialiter quidem, cum contingat in materia iustitiæ ob circumstantias adjunctas.

Advertendum est secundò contra Thomistas, & quosdam alios Recentiores, hoc medium non esse ex natura rei, quasi sit à natura ipsa taxatum, ut reddatur alteri, quod suum est ad æqualitatem; sed taxatur à ratione disante, secundum judicium prudentiale, esse sic unicuique reddendum, quod suum est: quapropter medium rationis dicendum erit, & non rei. His notatis,

*DICO*, Virtutem Iustitiæ in medio consistere; quod medium non est rei, sed rationis. Conclusio quò ad primam partem est communissima. Quò ad secundam est contra Thomistas omnes, à Soto citatos lib. de Just. & Jure 3. q. 2. art. 7. & contra quamplures Recentiores.

Est

Est Doctoris in 3. dist. 34. q. 1. & alibi cum omnibus Scotistis; tenetur etiam à Buridano lib. 5. eth. q. 13.

13 Probatur prima pars. Quilibet Virtus moralis dicit connexionem cum quacumque moralis virtute in ratione boni appetibilis; Ergo dicit oppositionem cum quocumque vitio virtutibus opposito; sed Iustitia est virtus moralis: Ergo ei opponi debet quodcumque vitium; sed in tali casu iustitia mediaret inter duo vitia opposita: Ergo verè Iustitia in medio consistit. Antecedens est certissimum, quia cum omnes morales virtutes connectantur cum prudentia, distante, bonum esse prosequendum, & malum fugiendum, etiam ad invicem connexionem habent. Probatur consequentia: virtus moralis non inclinatur ad opus, nisi omni circumstantia rectum; Ergo quando in ipsa virtute potest contingere aliqua circumstantia prava, tunc opus virtutis non est rectum; sed ex vitio alteri, virtuti opposito, potest evenire aliqua circumstantia prava, ratione cuius non rectificatur opus virtutis Iustitiæ: Ergo signum est, quod virtus Iustitiæ dicit oppositionem, saltem materiale, cum vitiis cæterarum virtutum, &c. Dixi (saltem materialiter) quia formaliter opponitur tantum suo privativo, quod esset iniustitia.

Confirmatur hoc clarissimo exemplo, & est probatio ultimæ minoris. Si quis alteri centum deberet, & biscentum redderet (precisa iniuria alterius,) tunc ex prodigalitate committeretur vitium contra liberalitatem; sed hoc vitium est materialiter oppositum virtuti iustitiæ; cum contingat ex circumstantia in ipsa materia Iustitiæ: Ergo opus moraliter bonum in materia Iustitiæ, potest non esse rectum ex circumstantia prava vitii oppositi virtuti Iustitiæ. Dixi (precisa iniuria alterius), quia si quis redderet biscentum, auferendo ab hæredibus, id, quod ad ipsos spectat, tunc reddens biscentum ex nimia prodigalitate, peccaret etiam directè, & formaliter contra Iustitiam propter alterius iniuriam, quæ inde sequeretur. Ex altera parte, quia per defectum (si scilicet deberet centum, & redderet tantum quinquaginta) committitur vitium iniustitiæ, formaliter oppositum virtuti iustitiæ; sequitur evidentissimè, iustitiam inter unum, & alterum vitium, ut extrema opposita mediare.

Advertendum est incidenter, quòd quandoq; per excessum in materia Iustitiæ non peccatur, imò producitur actus virtutis liberalitatis, vel misericordiæ; ut patet in casu posito. Et quandoque peccatur directè contra iustitiam; ut si quis deberet centum, & cogeret debitorem ad reddendum biscentum, & Iudex iniuste vellet, ut biscentum redderet; tunc creditor, & Iudex peccarent contra Iustitiam per excessum ad debitum. Satis ergo est ad medium constituendum in virtute iustitiæ, ut per defectum, & excessum ponantur duo vitia opposi-

ta; quorum unum opponatur formaliter, & aliud materialiter, inter quæ mediaret Iustitia, ad neutrum ex his extremis flexendo, neque ad excessum, neque ad defectum.

14 Probatur secunda pars. Medium, in quo consistit Iustitia constituta inter duo extrema opposita, per defectum scilicet, & per excessum, dicit æqualitatem unius ad alterum, secundum prudentis existimationem: Ergo medium ipsum non est ex natura rei tale, desumptum scilicet ex propriis rationibus, sed est medium rationis. Probatur antecedens, ex definitione virtutis à Phil. tradita 2. Eth. cap. 6. ubi ait: *Virtutem esse habitum electivum in mediocritate, quantum ad nos consistentem, quæ quidem mediocritas ratione prædefinita est, sicut prudens prædefiniert.* Sed illa penultima verba (ratione prædefinita est,) clarè explicant medium taxari à ratione, secundum prudentis existimationem. Ergo &c. Probatur minor, nam *ly prædefiniri à ratione*, idem est, ac à ratione taxari, & determinari, & non solum est idem, ac à ratione proponi, ut prætendunt adversarii, præsertim Vasquez. Ergo &c.

Confirmatur hoc exemplo. Dum quis emit, vel vendit in uno loco, & secundum alias circumstantias potest emere, vel vendere magno, & parvo pretio, ex ipsis circumstantiis, ratione commutativæ Iustitiæ; tunc medium ipsum variaretur per circumstantias loci, & temporis; Sed medium, si esset rei, non posset variari; tum quia natura rei est invariabilis; tum etiam quia, data æqualitate desumpta ex natura Iustitiæ rei ad rem, non potest ipsam rem mutare, neque poterit mutare medium. Ergo &c.

15 Probatur secundo, quando medium actus virtutis potest variari, tunc medium illud non est rei, sed rationis; sed medium virtutis Iustitiæ potest variari. Ergo non est medium rei, sed rationis. Maior certissima supponitur, eum nulla res, secundum quod habet ex natura rei, possit variari. Probatur minor, primò de distributiva iustitia, in qua medium est æqualitas proportionis in honoris distributione. Plus honoris distribuit Princeps uni militi, quam alteri, ad proportionem meritorum inter unum, & alterum, ita ut merenti ut quatuor, dat præmium, ut duo, si hoc esset à recta ratione taxatum; & alteri merenti pariter, ut quatuor dat præmium ut tria. Ergo talis distributio est prædefinita à ratione, iuxta distribuentis arbitrium, non quatenus medium ipsum ita possit ex natura rei.

Secundò de commutativa Iustitia, in qua æqualitas quantitatis est medium. Pretium enim potest esse maius, vel minus ex circumstantiis locorum, & temporum; ut sunt emptiones, venditiones, &c. in contractibus, & commerciis: Ergo si pretium, quod esset medium commutativæ Iustitiæ, potest esse maius, vel minus, & sic variari ex circumstantia, sequi-



quitur evidentissimè , quod non sit medium rei , sed rationis .

Confirmatur hoc ultimum à Scoto in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. l. L. Non daretur locus propugnandi iusticiam commutativam, si medium ejus desumeretur ex natura rei, pro ut valorem dicat in entitate, seù in genere entis ; & non à ratione tantùm in genere moris: Ergo &c. Probatum assumptum: In tali casu, quia in genere entis, plus valet Equus, qui animatus est, quam aurum, quod est inanimatum, non posset iustè Equus vendi. Ratio est, quia in genere entis totum aurum hujus mundi nequit Equo æquivalere: Ergo &c. Concludo igitur, hoc medium Justitiæ esse rationis , & non rei.

Suppono tamen, ut omnis quæstio de nomine tollatur , quòd , si per æqualitatem rei ad rem, præsertim in commutativa Justitia, intelligatur medium ex natura rei , ut contradistinctum ab esse rationis , negantis esse reale , & quod medium ipsum non sit per intellectum , sed à parte rei, tunc certissimum est, quod medium Justitiæ est ex natura rei, & non rationis; quia est ens reale , & non rationis . Si verò ly ex natura rei, contradistinctum ab esse morali, ex dictamine scilicet rationis dictantis, hoc esse æquale illi, tunc quæstio non est de nomine, sed de re contra Thomistas, asserentes, medium Justitiæ esse desumptum ex natura entis.

*Solvuntur Objectiones.*

16 **O**bjicies primò, contra primam partem: Si iustitia filteret in medio poneret æqualitatem inter duo vitia opposita; at hanc æqualitatem, siue sit rei ad rem, siue proportionis ad proportionem ponere non potest: Ergo Justitia nullum habere potest medium . Major supponitur certa in quacumque medii explicatione. Probatum minor: Justitia, quæcumque sit , æqualitatem servat per excessum, & defectum cum oppositione unius vitii, scilicet injustitiæ: Ergo non potest mediare inter plura vitia, ipsi opposita: Ergo &c.

Deinde : si Justitia haberet medium , hoc medium esset indivisibile ; sed medium virtutis nequit esse indivisibile , aliàs non posset attingi , & sic nullus habitus virtuosus acquiri posset : Ergo nequit iustitia medium habere . Probatum major: hoc medium esset duobus vitiis circumscriptum , uni per defectum , alteri per excessum : Ergo esset in indivisibili positum . Consequentia sequitur, quia quod est medium inter duo extrema , nequit in extrema aliqua dividi ; cum de utroque extremo participet.

Respondetur ad primum, negando minorem; ad cuius probationem dico , iusticiam ponere æqualitatem per excessum , & defectum inter plura vitia, cum hoc tamen discrimine , quod formaliter virtuti Justitiæ opponitur injustitia, per injuriam alteri illatam; quæ æquè bene in-

fertur per defectum , ac per excessum ( ut in casibus positis notum est ) : alia vitia possunt ei solùm materialiter opponi , quatenus sunt materia , ratione cuius quis peccare potest contra iusticiam . At hæc oppositio , ut materialis ex parte unius vitii , sufficit ad medium virtutis salvandum . Hoc clarum esse potest de prodigalitate vitio per excessum ad debitum , quod quidem formaliter virtuti liberalitatis opponitur , tamen materialiter virtuti Justitiæ opponi videtur; cum per talem excessum non servetur æqualitas dati , & accepti.

Dices : si quis donaret plus , quàm deberet cum injuria alterius , in tali casu peccaret directè contra Justiciam : Ut si Pater auferret à filiis , & daret plus creditoribus, juxta humanum convictum ; in quo equidem casu Pater injuriam faceret filiis : Ergo in excessu ad debitum non sufficit materialis oppositio vitii cum virtute Justitiæ , sed requiritur necessariò ex utraque parte oppositio formalis.

Respondetur (admissio casu ) negando consequentiam. Quamvis ergo per excessum ad debitum quandoque committatur vitium injustitiæ, per injuriam , quam alteri faceret debitor; tamen per talem excessum non est necesse , ut semper injustitia interveniat : nam excessus directè est prodigalitate vitium , secum ferens quandoque injusticiam . Unde satis est, quod excessus ille sit prodigalitas, materialiter opposita iustitiæ , ut medium hujus virtutis constitutur.

Respondetur ad secundum, negando majorè , & cõcessio antecedente probationis, nego cõsequentiam. Estò ergo medium virtutis iustitiæ circumscribatur duobus vitiis oppositis per excessum nimirum , & per defectum ; tamen quia non participat de utroque extremo , cum virtuti repugnet quævis ratio vitiosa ; hinc sequitur , quod possit esse divisibile; præsertim quia per nos medium est rationis, juxta dictamen prudentiæ distantis , hoc esse illi æquale ; sicut pretium rei , quod esset medium in commutativa iustitia , etiam iuxta dictamen illud, divisibile est in supremum , medium , & infinitum , ut constabit in 3. disp.

17 **O**bjicies secundò, contra secundam partem. Medium iustitiæ consistit in æqualitate rerum, ad alterum secundum datum, & acceptum; sed æqualitas hæc oritur ex natura rerum, quæ appetantur: Ergo mediū iustitiæ est mediū rei, & non tantum rationis, ex prudentum scilicet existimatione . Probatum minor , pretium in emptione agri æquari debet agro , secundum id, quod ager habet ex natura sua in genere entis; ita ut si cessaret prudentum existimatio, adhuc tanti valoris esset ex natura sua: Ergo &c.

Deinde: adhuc stante prudentia dictante, rem aliquam esse tanti valoris, tunc pretium illud æqualitatem rei servaret , secundum intrinsicum rei valorem in genere entis: Ergo semper stat, quod medium iustitiæ attendatur ex natura

B

tura

tura rei ; & non tantum ex prudentum existimatione.

Respondetur ad primum, dicendo, minorem juxta Philosophi definitionem, esse falsam; cum medium virtutis in rebus appetiendis præfinitur à ratione, estò res, quæ appetiuntur valorem habeant intrinsecum ex natura rei ; & quando pretium coincidit cum intrinseco valore, tamen, nisi prudentum existimatio diceret, pretium æquivalere Agro ad æqualitatem dati, & accepti, non servaretur rigorosum iustitiæ medium ; aliàs si ager ille non appetiatur, iuxta valorem intrinsecum, ex natura rei exortum; tunc ex dictamine prudentiæ posset quis contra iustitiam peccare, quod repugnat. Prudentia ergo dicitur hic, & nunc iuxta varias loci, & temporis circumstantias, plus Agrum centum palmorum valere hic Neapoli, quam in Terris exteris, non populatis.

Respondetur ad secundum, dicendo, verum esse assumptum, attenda tamen natura rerum; ut evenit si quis emeret equum, qui plus habet intrinseci valoris, in genere scilicet entis, cum sit animatus, quam quodcumque aurum, & tamen vili pretio venditur; at attenda ratione formali iustitiæ, iuxta moralem valorem appetiatur Equus; undè fit, quod pretium ipsum, in virtute Iustitiæ, dicat tantum medium rationis.

Dices: valor rei extrinsecus, & tantum moralis conformari debet valori intrinseco; aliàs valor iste moralis nõ esset rationi consonus: Ergo stante ratione dictante, rem esse tanti valoris, pretium illud, quod esset medium, suam sumeret medii rationem à valore intrinseco, servato etiam per dictamen rationis. Probatum assumptum: nam illud, quod servat valorem intrinsecum naturæ rerum, est magis rationi conforme: Ergo &c.

Respondetur, dicendo, quod si argumentum valeret, sequeretur, rem debere appetiari, secundum substantiam rei, eiusdemque nobilitatem, includentem intrinsecum valorem; & sic equus, cum sit substantia nobilior quacumque non vivente substantia, valeret, & appetiaretur plus, quam quodcumque aurum hujus mundi; immò redderetur iucapax venditionis; quod experientia videtur esse falsum. Conformatur itaque valor moralis intrinseco valori, secundum exigentiam humani convictus, ubi servari possit perfecta Iustitia. Multoties etiam evenit, rem nullius intrinseci valoris, esse tamen ex prudentium existimatione, & iuxta humanam indigentiam, maximi valoris: ut essent lapides pretiosi, qui in Indiis sunt parvi momenti, & in nostris Regionibus sunt maximi valoris, ex ipsorum caritate, penuria, & indigentia; & quia prudens existimat, eos esse maximi valoris.

18 Obiicies tertio, ad idem: Medium, quod habet commutativa Iustitia, est secundum quantitatis æqualitatem; sed hæc æqualitas, cum

fit rei ad rem, dicitur hoc, quod tantum reddatur, quantum ex natura rei fuit acceptum; & totum hoc non verificatur, si medium non esset à parte rei: Ergo non tantum est medium rationis, sed rei.

Deinde: de ratione Iustitiæ est, alteri reddere quantum debet, vel ad æqualitatem rei ad rem, servata arithmetica proportione: vel ad æqualitatem bonorum, & præmiorum, proportione geometrica cum meritorum æqualitate ad alterum. In prima æqualitate habetur iustitia commutativa: In secunda, distributiva. Sed hoc minimè verificaretur, si mediū utriusque iustitiæ, tum commutativæ, tum distributivæ, esset rationis, & non rei: Ergo &c. Probatum minor: Si medium non esset rei, plus posset quis recipere, quam dedit, & si dedit decem, posset quindecim recipere; & si unus meretur, ut decem, & alius, ut viginti, uni posset dari præmium, ut quatuor, proportionaliter ad alium, cui datur præmium, ut sex; dum proportione servata debet dari præmium, ut octo. Sed in tali casu utraque æqualitas non servaretur, sed apertissime haberetur inæqualitas: Ergo &c.

Respondetur ad primum, dicendo, quod si intelligatur de dato, & accepto ex natura rei, est absolute falsum: ut si quis dedit decem tantum, decem recipere debet, & non plus, ut servetur æqualitas rei ad rem in commutativa iustitia. Hoc quidem apud omnes Canonistas est absolute falsum; cum ratione læsionis, aut lucri cessantis, & damni emergentis, plus creditor recipere debet, quam dedit, præsertim si mercator est, & quidem ex natura rei. At illud plus, quod recipit, licet ex natura rei sit tale, tamen ex prudentum existimatione videtur æquivalere summæ datæ, & quatenus facta fuit iusta, & licita conventio inter eos. Exemplifico hoc clarissime. Si Petrus mercator dederit centum aureos Paulo, ut reddat quinque supra centum, vel octo, vel decem, iuxta licitum pactum factum per contractum, inter sese habitum; tunc si Paulus tantum centum aureos, & non fructus provenientes, ratione damni emergentis, & lucri cessantis, redderet, servaretur utique æqualitas ex natura rei, sed non æqualitas pacti, & contractus; & in tali casu teneretur Paulus ex iustitia reddere ultra ceterum, alios quinque, vel octo &c. aureos, juxta pactum. Si vero Paulus integrè restitueret, juxta pactum, & contractum, tunc haberetur æqualitas dati, & accepti, juxta humanum convictum, & valorem extrinsecum, habitum ex prudentis existimatione. At centum, & quinque aureos in tali contractu æquivalerent centum receptis. In hoc casu vera ratio commutativæ iustitiæ servaretur: adeoque valor rei ex prudentum existimatione, satis est ad medium Iustitiæ constitutum: ac per consequens est rationis, & non rei.

Respondetur ad secundum, dicendo, assumptum majoris esse verum de æqualitate in genere



nere moris, non in genere entis : in quo etiam sensu falsa est minor, cum sua probatione. Potest quis plus dare, quam accepit in genere entis, ut servetur rigorosa justitia; non tamen in genere moris. Nam quantum prudens existimat, hoc esse alteri æquale, concedendum est, juxta prudentis existimationem, non verò illud, quod non est æquale. Et sic casus positi pro utraque justitia valent, dum prudens existimat, unum esse alteri æquale. Hoc satis est, ad ostendendum medium virtutis Justitiæ esse medium rationis, desumptum à dictamine prudentiæ, non verò esse medium rei.

Q V Æ S T I O Q V A R T A.

*An Justitia sit essentialiter Virtus?*

**V**irtus, ut à moralistis, & Theologis omnibus consideratur, habitus est rationalem perficiens substantiam, illamque inclinans ad rectam operationem; hæc autem unicuique virtuti in particulari consentanea est. At quia moralis virtus addit supra qualitatem physicam de genere qualitatis, formalitatem illam moralitatis; hinc eius essentia ab Arist. 2. Eth. cap. 6. supra relato, explanata fuit, ac definita per ordinem ad dictamen rationis. Quare Doctor in primo dist. 17. q. 3. ait, virtutem moralem formaliter, & completivè consistere in conformitate ad prudentiam; unde cessante hac conformitate, cessat moralitas virtutis in habitibus. Hinc.

In præsentī controversia queritur, an ratio virtutis in habitu Justitiæ sit essentialis, an tantum accidentalis, ita ut accidat habitui hoc, quod sit virtus, vel vitium; & inde sequatur, quod Justitia, ut virtus est, possit, præcisa ratione virtutis, quæ est conformitas ad rectam rationem, inclinare in actum aliquem vitiosum, ex aliqua prava circumstantia? Quod enim, ut virtus est reduplicativè, semper habeat potentiam inclinare in actum bonum, rectum, & justum; nulli dubium est; cum virtus, ut talis, ex inclinatione potentiæ influat in actum rectum, ei tribuendo moralitatem illam actui supervenientem.

Verissimum putatur apud quosdam Recentiores Neotericos, posse justitiam ex natura sua influere in actum aliquem vitiosum; negant tamen posse ad talem actum producendum, potentiam inclinare: quod quidem mihi simpliciter videtur; nam, vel influit, ut qualitas est, vel ut virtus est. Si ut qualitas: Ergo non est essentialiter virtus, dum in vitiosum actum influit. Si ut virtus est: Ergo pari ratione potest potentiam inclinare ad actum, ad quem se habet, ut concansa. Contra hos, ut omnis questio de nomine tollatur, procedit præsens concertatio. Quare pro clara questio- nis intelligentia,

Advertendum est, contra quosdam Scotistas, & præsertim contra Vulpium tom. 3. par. 2. habitum moralem esse habitum de genere qualitatis, esseque ens per se unum, non obstante, quod importet absolutum, & relatum; cum unum dicat in recto, & aliud in obliquo. Absolutum ergo importatum in habitu est qualitas; relatum verò est conformitas illa ad dictamen prudentiæ. Quid autem ex his importetur in recto, & quid in obliquo, problematicus fuit Phil. pluribus in locis; quamquam Scotus loc. cit. affirmaverit, moralem virtutem in recto importare conformitatem illam, in obliquo tamen qualitatem. Hoc autem diligenter notato,

*DICO*, Possè virtutem justitiæ inclinare potentiam ad actum aliquem vitiosum, ex circumstantia; unde non est essentialiter virtus. Conclusio hæc est Scoti loc. cit., & alibi, & cum eo ferè omnes Scotistæ; & extra nostram Scholam tenetur ab Arriaga, Vasquez, Salas &c. Est contra omnes Thomistas, & quosdam Recentiores Jesuitas. Et

19 Probatum primò: si habitus Justitiæ non posset potentiam inclinare ad actum aliquem vitiosum ex circumstantia, ex natura sua diceret essentialiter ordinem ad prudentiam; sed hoc est falsum: Ergo poterit habitus justitiæ inclinare potentiam ad actum aliquem vitiosum ex circumstantia; sed ex tali inclinatione non esset essentialiter virtus: Ergo &c. Major patet, cum medium cujuscumque virtutis sit à ratione prædefinitum, ut dictum est in antecedenti questione. Probatum minor: habitus dicens necessariam connexionem cum prudentia, nequit producere actum, nisi ex dictamine prudentiæ; sed ex motivo Justitiæ poterit produci actus imprudens, qui esset contra prudentiam: Ergo &c. Major est certissima, cum de ratione prudentiæ sit, dare rectitudinem actui. Probatum minor: si quis redderet alteri gladium, apud ipsum depositum, & certò sciret, Creditorem hoc gladio velle alium necare; tunc redditio illa gladii proveniret ex motivo Justitiæ; & aliunde redditio illa non esset recta, sed vitiosa: Ergo datur actus, qui provenit ex motivo justitiæ absque dictamine prudentiæ. Probatum assumptum: actus ille redditionis justus esset, cum poneret æqualitatem inter Jus, & debitum: Ergo proveniret ex motivo Justitiæ. Ex alia parte non esset rectus, ex non connexionem habita cum prudentia propter offensam, quæ inde sequeretur ex illa necatione: Ergo &c.

Confirmatur: ut actus Justitiæ sit bonus provenire debet à potentia inclinata per habitum Justitiæ ex dictamine, & conformitate ad prudentiam: Ergo cessante dictamine prudentiæ, actus ille non diceretur bonus; sed datur casus (ut est ille positus) in quo cessat dictamen prudentiæ: Ergo dari potest actus, qui non sit virtuosus, proveniens ex motivo Justitiæ incli-

nantis potentiam ad actum: ac per consequens Iustitiæ non est essentialiter virtus.

Dices, dictamen prudentiæ necessarium esse, ad hoc, ut Iustitia inclinaret ad reddendum cuique, quod suum est; & hoc quidem in actu primo: at cum hoc stare quidem poterit actus secundus vitiosus, cessante dictamine prudentiæ. In quo casu virtus Iustitiæ tantum influeret in actum vitiosum, non verò inclinaret in illum: ac per consequens essentialiter inclinaret in actum bonum.

Contra: tum quia, in primis supponimus ex Doctore in primo cit. quamlibet moralem virtutem esse virtutem pro formali, per relationem, aut ordinem conformitatis ad prudentiam; unde cessante conformitate, ista virtus moralis tantum pro materiali est virtus; quapropter Scotus ipse non ponit rationem formalem virtutis in sola coexistentia ad prudentiam, sed in simultanea inclinatione ad actum virtuosum. Hæc supposita doctrina, sic insurgo: Si potest cessare dictamen prudentiæ coexistentis cum habitu Iustitiæ ad simul inclinandam potentiam in productione actus virtuosus, poterit ne dum in actu secundo, sed etiam in actu primo stare habitus Iustitiæ sine tali conformitate ad prudentiam; sed in hoc casu posset inclinare ad actum vitiosum, ut patet: Ergo &c.

Tum etiam quia: ex hac responsione actus ille vitiosus proveniret saltem ex inclinatione virtutis per accidens; sed hoc videtur esse falsum; quia secundum ingeniosam Scoti Regulam, *Quando alicui convenit aliquid per se, oppositum eius convenire non potest, nec per se, nec per accidens*; & adducit exemplum de rationalitate, & irrationalitate in homine: Ergo &c.

Tum tandem quia, vel cessante dictamine prudentiæ, manet ratio formalis virtutis in habitu Iustitiæ; vel non. Si primum: Ergo non cessaret actio virtutis; & sic semper actus esset virtuosus: quod nos quoque concederemus; sed tantum contendimus, dum cessat dictamen prudentiæ. Si secundum: habetur intentum, quod scilicet Iustitia non sit essentialiter virtus; at dum non est virtus essentialiter, poterit inclinare in actum vitiosum: Ergo &c.

20 Probarur secundò idem: Seclusa ratione formali alicuius obiecti, & remanente sola ratione materiali eiusdem, adhuc potentia, inclinata per habitum moralem Iustitiæ, potest circa tale obiectum versari; sed in hoc casu habitus ille inclinaret potentiam ad actum aliquem vitiosum: Ergo habitus Iustitiæ, qui moralis est, potest ad actum vitiosum inclinare; ac per consequens non est essentialiter virtus. Probatur maior: cessante fine, ac Jure præcipiente redditionem debiti, juxta datum, & acceptum, cessat honestas ex conformitate rationis ad prudentiam; in quo casu remaneret ratio materialis in obiecto; sed stante illa tale ratione materiali absque conformitate ad prudentiam, po-

test, propter aliam circumstantiam, ex hoc obiecto materiali produci actus non conformis ad dictamen prudentiæ: Ergo in tali casu potentia diceretur inclinata per habitum Iustitiæ ad obiectum illud materiale, propter aliam rationem formalem relucens in obiecto.

Confirmatur hoc exemplo; & est probatio assumpti. Si quis esset assuetus ad reddendum alteri, quod suum est, ob finem honestum servandi Jus, in conformitatem legis præcipientis redditionem debiti ad æqualitatem dati, & accepti; & cessaret iste finis honestus dicens conformitatem ad prudentiam; tunc remaneret obiectum materiale, scilicet Jus ad alterum, & remaneret habitus Iustitiæ materialiter virtus: & tamen ex consuetudine, si ob vanam gloriam vellet reddere, ut scilicet existimetur Vir Sanctus, & Justus; tunc Iustitia ipsa inclinaret ad actum non virtuosum, ob finem non honestum; quia redderet ille talis ob vanam gloriam: Ergo posset tunc ad actum non virtuosum inclinare: Ergo &c.

21 Probatur tertio: habitus quicumque moralis, residet in voluntate, ut dictum est in prima questione, qui non necessitat potentiam ad actum; aliàs potentia sic ad actum necessitata non esset libera ad illum actum; sed posito, quod habitus Iustitiæ esset essentialiter virtus, necessitaret voluntatem ad actum virtuosum: Ergo non est essentialiter virtus. Probatur minor: Voluntas inclinata per virtutem essentialiter talem, non posset non producere actum, cui sit essentialiter annexa virtutis ratio; taliter ut, si ipsi proponeretur obiectum in illo instanti sub ratione malitiæ, non posset profequi; Sed quando voluntas non potest non producere, nisi hunc actum, & non alium oppositum, tunc per habitum esset necessitata ad talem actum: Ergo &c. Maior debet esse certa, aliàs virtus moralis ad actum bonum non essentialiter inclinaret, quod concedere non tenentur adversarii, neque nos in sensu reduplicativo. Probatur minor; quia in hoc stat necessitas potentiae ad actum, quando non potest actum oppositum ponere: Ergo &c.

### Solvuntur Objectiones.

22 **O**bjicies primò. Iustitia est virtus essentialiter sequens rationem, & prudentiam: Ergo est essentialiter virtus: Ergo nequit in actum vitiosum inclinare. Antecedens patet, quia virtus moralis dicit necessariam coexistentiam ad dictamen prudentiæ. Probatur consequentia, quia virtus, quæ essentialiter sequitur prudentiam, est essentialiter virtus: Ergo &c.

Deinde: si Virtus Iustitiæ pro formali est habitus de genere qualitatis, est essentialiter virtus, cum sit essentialiter qualitas virtuosa. Sed per Philosophum Iustitia est proformali habitus

tus

tus de genere qualitatis : Ergo est essentialiter virtus . Probatum minor : Phil. 2. eth. dicit, virtutem esse habitum , quod insinuare videtur aliis in locis : Ergo &c.

Respondetur ad primum, dicendo, assumptum adversariorum verum esse in sensu duplicativo, quod scilicet virtus, ut virtus, sequatur essentialiter rationem, & prudentiam; non tamen est verum in sensu specificativo. Iustitia ergo (sicut quælibet moralis virtus) sequitur dictamen prudentiæ essentialiter, non quatenus, ly essentialiter sumatur per se, & in rigore; sed solum quatenus magis connaturale est habitui morali conjungi cum prudentia, quam cum ipsa non conjungi. Hoc totum insinuatur per illud Doct. in 3. dist. 17. q. 2. lit. Z. ubi ait, quod habitus moralis quantum est de se, natus est conformari prudentiæ, si hæc adfit; quare ly essentialiter, tantum appellat connaturalitatem; unde, consequentia ab adversariis deducta non sequitur; cum ly essentialiter in consequenti appellat esse per se; ita ut per se non possit stare oppositum, quod est falsum. Stante ergo dictamine prudentiæ, semper actus eliceretur rectus, iuxta connaturalitatem iustitiæ: cessante dictamine, non esset actus rectus; licet esset iustus per concursum iustitiæ, & quidem solum materialiter.

Dices: habitus infusi residentes in voluntate, ut sunt spes, & charitas, sunt essentialiter cum prudentia connexi; & per hoc sunt essentialiter virtutes: Ergo habitus acquisiti, ut connexi cum prudentia, dicunt cum hac essentialitatem connexionem; quatenus ly essentialiter, connaturalitatem appellat, quæ sufficiens est ad reddendam iustitiam essentialiter virtutem. Pater antecedens, aliis habitus infusus esset indifferens ad eliciendum actum bonum, vel malum, quod est falsum. Probatum consequentia, quia uterque habitus dicit connaturalitatem cum prudentia: Ergo &c.

Respondetur, transacto antecedenti; cum etiam falsum esse possit; quia in his habitibus, ratio formalis est etiam conformitas ad primam regulam rationis, quæ est fides, vel Deus in illa; ut revelans; in quo casu non videretur, habitus illos esse virtutes essentialiter, præcisa conformitate ad regulam rationis; cum Deus in alio ordine, ut causa effectiva, possit habitus illos, in genere qualitatis sumptos, conservare in potentiis cum habitibus vitiis oppositis. At quicquid sit de hoc, tamen pro præsentia materia, nego paritatem. Disparitas est, quia essentialiter habitus infusi sunt connexi cum prima regula, quæ est fides, vel Deus sub illa: hac cessante, non videtur quomodo conservari posset absolutam spei, & Charitatis; cum per actum infidelitatis demeritorie, etiam corruptantur ceteræ virtutes. At virtus acquisita, ut in proposito esset iustitia, solum formaliter dicit conformitatem ad prudentiam; unde cessante prudentia, cessaret ratio formalis vir-

tutis, non verò materialis ratio; & quia in tali casu posset habitus esse cum imprudentia, hinc non est essentialiter virtus. Tota igitur ratio huius esse potest, quia habitus infusi habent Deum pro prima regula, & immediata causa; quod non evenit in acquisitis. Ita insinuat Doctor in 4. dist. 1. qu. 1. ad arg. princ.

Ceterum in nostra scotistarum sententia, assumptum est absolute falsum; cum, quando nos asserimus cum Doctore nostro, gratiam, & peccatum posse simul supernaturaliter esse; consequenter dicamus, Deum in alio ordine non concurrere ad moralitatem illam habitualis gratiæ, quæ formaliter Charitas est, etiam in nostra sententia. In quo casu gratia coexisteret cum peccato, absque illa conformitate ad prudentiam, seu solum secundum esse materiale, quod habet. Unde &c.

Respondetur ad secundum, dicendo, Phil. vocasse Iustitiam, & quemcumque habitum moralem, habitum electivum de genere qualitatis; at habitus est talis solum pro materiali, non pro formali, quomodo dicit solam relationem conformitatis ad prudentiam. Unde definitio illa Phil. non est intelligenda in sensu formali; quomodo neque intelligeretur accidens, dum per subiectum definiretur.

Dices: habitus Iustitiæ ad operationem iustam effective concurrunt cum voluntate: Ergo est essentialiter habitus de genere qualitatis. Probatum consequentia, quia qualitas ipsa est quæ per se insinuat in actum moraliter iustum, cum relationes non sint per se causa actus: Ergo &c.

Respondetur, dicendo, assumptum antecedentis verum esse, supposito dictamine prudentiæ, quo dictamine non supposito, non produceretur rectitudo illa actus. Unde negatur consequentia; & sic argumentor contra adversarios: Vel iustitia præcisa ratione, & prudentia producit rectitudinem illam actus, vel non. Si primum: Ergo etiam sine coniunctione ad prudentiam poterit haberi rectitudo actus; quod etiam per ipsos est falsum. Si secundum: Ergo iustitia influendo in actum, solum producit illam qualitatem actus; sed in tali casu daretur iustitia sine rectitudine: Ergo iustitia non est essentialiter virtus. Ex hoc argumento infero, Iustitiam coniunctam cum prudentia influere in rectitudinem actus; non verò influere, ut à prudentia præcisam. Quare stat, quod iustitia, ut qualitas dat exitum actui, ut virtus rectitudinem; sicque pro materiali dicit qualitatem, pro formali conformitatem ad prudentiam; adeoque &c.

23 Objicies secundò ad idem: Voluntas inclinata per habitum Iustitiæ ad reddendum Jus alteri per se intendit rectitudinem, & honestatem actus diversi ab aliis actibus circa idem obiectum ex alio motivo; sed ex actibus rectis, & honestis replicatis generatur habitus essentialiter rectus, & honestus: Ergo habitus iusti-

justitiæ inclinans voluntatem ad Jus alteri reddendum, est essentialiter virtus.

Confirmatur; quia Virtus est illa, quæ inclinatur potentiam ad amandum objectum formaliter honestum; quod esset falsum, nisi esset essentialiter Virtus: Ergo &c.

Responderetur, dicendo, voluntatem inclinatum per habitum Iustitiæ ad reddendum alteri, quod suum est, per se intendere rectitudinem, & honestatem actus, sumpto habitu Iustitiæ in genere moris, quatenus coexistit dictamini prudentiæ; in quo sensu virtus sumitur reduplicativè; & sic in genere moris actus productus à voluntate inclinatus per habitum Iustitiæ, differt à ceteris actibus circa idem objectum, ex alio motivo: Secus dicendum est, si habitus sumatur in genere naturæ. Minor ergo argumenti est falsa; nam estò ex actibus honestis generetur habitus Iustitiæ, non verò reddunt ipsum essentialiter virtutem; cum id, quod est essentialiter tale, debeat esse tale ex natura sua, præciso quocumque alio; quod essentialiter coniungitur cum illo.

Ad confirmationem, dico, virtutem, ut talem reduplicativè, inclinare potentiam ad amandum objectum formaliter honestum; quomodo dicit coexistentiam ad rectam rationem: unde solum ex consequenti inclinatur ad bonum, stante tali coniunctione in causando; non verò inclinatur in genere qualitatis, seu naturæ ad honestatem actus: adeoque &c.

24 Objicies tertio: habitus Iustitiæ genitus ex pluribus actibus iustis includit prudentiam: Ergo, non potest inclinare potentiam ad actum vitiosum: Ergo est essentialiter virtus. Patet antecedens; cum quælibet virtus moralis prædefiniatur à ratione recta, quæ est prudentia. Probatur consequentia: habitus genitus ex actibus vitiosis non potest potentiam inclinare ad actum virtuosum: Ergo è contra; habitus justitiæ genitus ex actibus iustis non potest potentiam ad actum vitiosum inclinare. Consequentia sequitur, quia oppositorum idem est iudicium.

Deinde: Hoc idem affirmat Phil. primò, 6. eth. cap. 3. ubi habet, *habitum opinionis non esse virtutis intellectiva*; & assignans rationem, ait, *quia opinio potest in falsum inclinare*: Ergo si posset iustitia in malum actum inclinare, non esset virtus. Secundò, 3. eth. cap. 6., ubi ait, *virtutem esse habitum, à quo bonus efficitur homo*: Ergo est essentialiter virtus.

Responderetur, dicendo, ad primùm, assumptum totum esse verum in sensu reduplicativo, quatenus actus, ut virtuosus, generant habitum virtutis includentem prudentiam, & hic habitus, ut virtuosus, nequit inclinare in actum vitiosum. At in sensu specificativo, præcisa scilicet ratione prudentiæ, cum sit habitus de genere qualitatis, potest in actum aliquem vitiosum inclinare, posita prava circumstantia ex

parte eiusdem objecti materialis.

Dices: estò habitus de genere qualitatis genitus ex actibus, cum circumstantia pravis, inclinatur ad actus subsequentes vitiosos; tamen, habitus virtutis genitus ex actibus virtuosis producit habitum justitiæ inclinantem ad solos actus virtuosos: Ergo tales actus constituent habitum essentialiter virtuosum. Probatur assumptum, quia habitus virtutis est distinctus ab habitu vitioso: Ergo si habitus vitiosus inclinatur ad actus vitiosos, ita ut non possit ad virtuosos inclinare, neque habitus justitiæ virtuosus potest ad actus vitiosos inclinare: Ergo &c.

Responderetur, quicquid sit de antecedente, negando consequentiam. Actus ergo virtuosus in genere qualitatis, qui sunt tales tantum materialiter, generant habitum virtuosum materialiter, in genere qualitatis. At si sumantur, ut formaliter virtuosus, generant habitum formaliter virtuosum, per connexionem scilicet ad prudentiam. Hic habitus formaliter sumptus, utique inclinare non potest in actum vitiosum, cum dicat ordinem ad prudentiam; secus verò dicendum de habitu tantum sumpto materialiter; cum ex prava aliqua circumstantia proveniente ex eodem objecto, possit ad actum vitiosum inclinare. Accidit etiam, eundem habitum esse virtuosum, & vitiosum circa idem materiale objectum, variato tamen objecto formali ex circumstantia: & qui est genitus ex actibus vitiosis potest in actum virtuosum inclinare; in quo casu habitus ille evaderet virtuosus accidentaliter moraliter. Patet hoc exemplo: si quis ob vanam gloriam in seculo esset studiis assuetus, generaretur in eo habitus moraliter vitiosus, ratione quidem imprudentiæ: si postea Religionem ingrederetur, & studeret ob finem honestum; tunc idem habitus, qui antea ad actus vitiosos inclinabat, per ingressum in Religionem inclinatur ad actus virtuosos. In hoc casu habitus ille, qui antea fuerat genitus ex actibus pravis, & qui inclinabat ad actus malos ob finem malum, videtur ex alia circumstantia ad actus bonos inclinare. Sic etiam discurrendum est de habitu genito ex actibus iustis; poterit enim ex aliqua circumstantia prava inclinare in actus malos.

Nec poterit esse alius habitus distinctus, de quo requisitus per ingressum Religionis, qui ad actus bonos inclinatur, dum antea ad malos inclinabat; nam sic possem petere, à quibus actibus generaretur? non à virtuosis statim in ingressu Religionis acquisitis; quia isti actus geniti essent ab illo habitu vitioso; & sic recurret nostra ratio: Ergo est ille idem habitus moraliter tantum mutatus, ob finem honestum mutatum: adeoque &c.

Responderetur ad secundum, dicendo, Phil. vocasse habitum moralem virtutem dumtaxat

ex.

ex coexistentia cum prudentia, quatenus ultra qualitatem in esse naturæ, dicit etiam conformitatem ad prudentiam: unde homo efficitur bonus stante illa conformitate, non ex natura habitus. Opinio verò excluditur à ratione virtutis, quia etiam stante ratione, imperfectè inclinatur ad verum: ceterū dum virtus moralis inclinatur ad bonum, inclinatur perfectè ad illud; & sic per talem inclinationem est virtus; nec inde sequitur esse essentialiter virtutem. Concludendum est igitur, posse iustitiam, etiam ex aliqua circumstantia ad actus malos inclinare.

QVÆSTIO QVINTA.

*De Divisione Iustitiæ in commutativam, & distributivam: & an hæc sit generis in suas species?*

**T**radita sufficienti noticia virtutis Iustitiæ, in rigore acceptæ, pro ut in Eth. lib. à Phil. definita fuit, in præsentī de ejusdē Iustitiæ divisione peragemus. Hinc Doctor noster in 4. dist. 46. q. 1. ex eodem Phil. 5. Eth. cap. 2. dividente Iustitiā in commutativam, & distributivam, deducit, distributivam positam esse in distribuendis honoribus, præmiis, pœnis &c. Et hæc ratione distributiva dicitur: Commutativa verò est penes commutationes, contractus, pacta &c. Quapropter notandum est, commutativam Iustitiā ponere proportionem arithmeticā, scilicet æqualitatis inter rem, & rem juxta datum, & acceptum; ubi res accepta comparatur cum re data; ut si dedisti centum, debeas centum: distributiva verò dicit æqualitatem geometricā, juxta meritum, & dignitatem personarum; ut magis digno, proportionaliter ad minus dignum, debeat præmium majus.

Suppono insuper cum communi Doctorum sensu, iustitiā distributivam dicere habitudinem totius ad partem; quatenus unicuique ex civibus totius communitatis, juxta merita distribuantur præmia: & hæc in Superiore residet respectu subditorum. Iustitia verò commutativa habitudinem dicit partis ad partem, quatenus æqualitatem in commutationibus, inter Cives ipsos respectivè, ponit. Hoc itaque supposito queritur in præsentī, an iustitia, rigorosè accepta, benè dividatur in commutativam, & distributivam, tanquam genus in suas species essentialiter distinctas? Pro resolutione

*DICO*, Iustitiā ut sic, adæquatè dividi in commutativam, & distributivam tanquam genus in suas species. Conclusio est Phil. cit., & Scoti loc. cit., & tenetur ab omnibus Scottis, contra quosdā Canonistas, & Jurist. contra Amicum, & alios: tenetur à Soto lib. de

de Just. & Jure q. 1. art. 1. à Lessio, & aliis contra Burid.

25 Probatur primò, Commutativa Iustitia dicit essentialē ordinem ad objectum diversum à distributiva: Ergo est specie diversa ab illa. Consequentia sequitur, quia habitus per actus, & hi per objecta secernuntur, Probatur antecedens: objectum commutativæ Iustitiæ est Jus perfectum, & strictè sumptum, obligans ad restitutionem: objectum verò distributivæ Iustitiæ est Jus largè sumptum, non ex se obligans ad restitutionem: Ergo ordo ad unum, vel alterum objectum, est essentialiter diversus: Ergo etiam ipsæ virtutes sunt essentialiter diversæ.

Confirmari potest hoc exemplo: Si quis reciperet mutuò decem, teneretur ex Jure perfectō, & ex debito restituere decem; & quidem ex commutativa Iustitia. Si quis esset dignus, & ei non distribueretur præmium; sed alteri personæ, vel æquè dignæ, vel digniori, distributor non teneretur ad restitutionem; cum illi negaret præmium, ex majori merito, vel æquali existente in altera persona; & hoc ex distributiva iustitia: Ergo objectum unius iustitiæ, cum dicat Jus perfectum, obligans ad restitutionem, & alterum non obligans ad restitutionem; unum ab altero debet essentialiter distingui: Ergo &c.

Neque valet, si dicas, quandoque in iustitia distributiva reperiri debitum obligans ad restitutionem ex stricto Jure; ac per consequens idem esse essentialiter utriusque Iustitiæ objectum; ac per hoc non benè distingui V. G. Si Dominus distributionem faceret pecuniæ militibus, aut operariis, & daret plus præmii, & mercedis minus digno, quàm magis digno, tunc haberetur Jus strictum ex parte magis digni, in petendo à distributore; & daretur debitum restitutionis ex parte distributoris.

Hæc responsio non valet, aliàs eadem esset formalissimè iustitia distributiva, & commutativa, & ex nullo capite distinguerentur; neque accidentaliter, ut adversarii prætendunt. In casu ergo posito utiq; habetur jus strictum, cum distributor servare debeat æqualitatem, ne dum inter personas, sed etiam inter merita, & labores personarum; unde fit, quod distributor in tali casu peccaret contra utramque iustitiā: contra distributivam, non attendendo ad personarum æqualitatem; & contra commutativam, non attendendo ad res, ac operationes præstitas à personis; quapropter in illo casu ex iustitia tantum commutativa resularet Jus strictum, & non ex distributiva. Ratio est, quia tunc fieret comparatio partis ad partem, non autem totius ad partem.

26 Probatur secundò, alia ratione: De formali conceptu Iustitiæ est, reddere alteri, quod sum est: & hoc, juxta diversum essentialē ordinem utriusque iustitiæ convenit: Ergo essentialiter unā differt ab alia. Probatur minor de formali conceptu

ceptu Justitiæ distributiæ est reddere Jus alteri, quod non erat suum, quæ suum; sed suum, quæ pars totius: De conceptu commutatiæ est reddere Jus alteri, quod erat suum, quæ suum præcisè. At Jus esse suum, ut suum differt essentialiter à Jure suo, ut non suo, sed quia est pars totius; cum primum sit Jus legale, & simul morale, quod strictum inducit debitum; & secundum sit Jus communitatis, legale solum, & non inducens strictum debitum: Ergo &c.

Confirmatur: reddere Jus alteri in justitia distributiva servat æqualitatem inter personam, & personam: ut si uni merenti ut decem detur præmium ut quinque; alteri merenti ut sex debeat præmium, ut tria: In commutativa Justitia servat æqualitatem quantitatis, juxta datum, & acceptum: ut accepit quis centum, centum restituere debet; sed istæ duæ æqualitates specie diversificant Jus reddendum: Ergo etiam justitiam diversificant, Probatur minor, aliàs in mala distributione, & commutatione semper inferretur injuria ex utraque inæqualitate, opposita utrique æqualitati; & sic dum quis peccaret contra Justitiam distributivam, semper etiam peccaret contra commutativam, & è contra, quod est falsum: Ergo &c. Eò vel maximè, quia injuria proveniens ex sola Justitia distributiva non obligat ad restitutionem; quæ verò provenit ex commutativa obligat ad restitutionem: Ergo &c.

### Solvuntur Objectiones.

27 **O**bjicies primò. Tunc justitia divideretur tanquam genus in suas species in commutativam, & distributivam, quando utraque justitia in particulari diceret univocam convenientiam in ratione formali justitiæ ut sic; sed hanc convenientiam utraque dicere non potest: Ergo non dividitur justitia in hanc, & illam, tanquam genus in suas species. Major liquet ex ratione formali generis. Probatur minor; Justitia ut sic, rigorosè accepta est habitus inclinans voluntatem ad reddendum alteri, quod suum est; sed hoc tantum commutativæ, & non distributiæ justitiæ convenit; cum illa sola obliget ad restitutionem: Ergo &c.

Respondetur, negando minorem, & ad probationem dico, in justitia rigorosè sumpta (ly justum) non esse accipiendum absolute pro debito obligante ad restitutionem; sed quatenus supponit Jus actiuum exigendi, & petendi in Creditore, & Jus passivum in debitore justè reddendi; & quia hoc jus æquè stare potest, ac inducit debitum obligans ad restitutionem, ut esset in justitia commutativa, ac inducat debitum non obligans ad restitutionem, scilicet ex solo titulo, quatenus fieri potest Jus proprium,

ut pars totius; hinc est, quod Jus actiuum exigendi stat univocè cum utraque justitia; cum hoc tamen discrimine, quod, in commutativa Jus illud actiuum supponit debitum obligans ad restitutionem; in distributiva verò minimè.

Dices: Debitum supponens Jus actiuum exigendi in creditore, formaliter supponit debitum obligans ad restitutionem: Ergo tale Jus soli commutativæ competit: Ergo hæc non posset specie differre à distributiva. Probatur assumptum: quando in uno datur Jus actiuum exigendi, debitum in altero semper obligat ad restitutionem; cum non reddendo, injuriam inferret in petentem ex Jure acquisito: Ergo semper debitum supponens Jus actiuum exigendi in Creditore obligat ad restitutionem. Antecedens patet, quia Jus, & debitum sunt correlativa.

Respondetur, dicendo, assumptum esse absolute falsum, cum sua probatione; Tunc enim debitum supponens Jus actiuum petendi, obligat ad restitutionem, quando supponit Jus in re, & perfectum, quod est in mutuo contractu inter privatas personas; quarum una Jus in aliam habet, quod quidem provenit ex contractu inter utramque. At quando Jus petendi non est in re, & perfectum, sed ad rem, & imperfectum, quod Jus habent Cives, non inter ipsos, sed respectu communitatis; tunc debitum ex parte communitatis, non obligat ad restitutionem.

Dices: non potest assignari ratio, quare debitum ortum ex jure in re obliget ad restitutionem, non verò ex jure ad rem: Ergo utrumque debitum obligat ad restitutionem. Probatur assumptum: nam ad utrumque servandum jus reddi debet, quod alterius est; aliàs non reddendo, injuriam inferret petenti: Ergo &c.

Respondetur, rationem esse, quia debitum ortum ex jure perfecto, & in re, ita est unius personæ, ut non sit alterius, & ita correspondet jus in una, ut non sit in altera personæ; cum jus perfectum sit bonum privatum, spectans ad unam personam, & non ad aliam: & hinc est, quod debitum correspondens huic juri obligat ad restitutionem: Ceterum jus ad rem, cum sit bonum commune, ita convenit uni personæ in tota universitate, ut possit quoque alteri personæ convenire: & hinc debitum ortum ex hoc jure, non obligat ad restitutionem.

Dices: Ergo dum quis deberet ex jure ad rem, & imperfecto, nullam inferret injuriam creditori, aut jus petenti, etiam si jus illud sit bonum commune. Probatur hæc consequentia, quia quando non habetur debitum obligans ad restitutionem, non videtur, cur possit inferri injuria creditori: Ergo, &c.

Respondetur, dicendo, quod si deberet ex puro Jure imperfecto, non adjuncto cū jure perfecto, tunc nullam inferret injuriam creditori; quia etiam aliæ personæ ejusdem universitatis, idem retinerent jus. Unde cum quis daret Petro centum, hoc auferendo à Paulo æquè merente,

vel



vel minus merente , nullam Paulo inferret injuriam , quia uterq; ad id habet jus . Si verò deberet ex jure imperfecto , adiuncto cum perfecto , tunc creditori inferret injuriam ; ut si daret Petro centum , id auferendo à Paulo plus merente . At hoc non eveniret ratione juris imperfecti , sed juris perfecti ; quatenus compensatio fieri debeat inter merita , & labores unius , & alterius ; & in hoc casu in distributore debitum obligaret ad restitutionem .

Objicies secundò : in tantum commutativa justitia à distributiva distingueretur , in quantum hæc servaret æqualitatem tantum proportionis secundum personarum conditiones , illa verò arithmetica proportionem inter res ; sed hæc ratio non probat , cum aliquando commutativa servet eandem proportionis æqualitatem , inter personas : Ergo una ab altera specie non distinguitur . Probatur minor : si quis distribuere centum aureos , ad mentem donantis , aliquibus personis , juxta personarum merita , & labores , tunc hoc faceret ex commutativa justitia ; & tamen servaret æqualitatem proportionis secundum personarum conditiones : Ergo justitia commutativa servat æqualitatem proportionis inter personas . Ergo accidit hoc distributivæ justitiæ .

Confirmatur hoc , quia si ille talis , distribuendo , aliquid defraudaret contra conditionem personæ , tunc injuriam illi inferret : Ergo signum est , quod talis distributio ex æqualitate proportionis oritur à justitia commutativa .

Respondetur primò , negando assumptum ; nõ enim præcisè una ab altera distinguitur Justitia , quod una servat proportionis æqualitatem inter personarum conditiones , altera verò non , sed tantum inter res ; cum contingere possit , Justitiam commutativam aliquando etiam geometricam , seu proportionis servare æqualitatem : ut si quis pluribus esset debitor , sed uni centum , alteri quinquaginta ; & non posset utriusque integrè satisfacere ; tunc ex commutativa Justitia deberet reddere unicuique proportionaliter ad debitum majus , vel minus : Si daret V.G. decem illi , cui debet quinquaginta , debet viginti reddere illi , cui debet centum . Nec in tali casu obligatio illa oritur ex utraque Justitia , sed tantum ex commutativa ; quia , quod debetur creditoribus , debetur ex debito obligante ad restitutionem . Ad distinguendas ergo has Justitias , satis est , quod in una habeatur Jus in re , & perfectum , cui correspondeat debitum obligans ad restitutionem , in altera verò , nempe distributiva , habeatur Jus ad rem , & imperfectum , cui correspondeat debitum non obligans ad restitutionem ; & quia ista Jura specie distinguuntur , etiam virtutes ipsæ specie distinguuntur .

Hinc , quia una ex rationibus positis pro conclusione erat hæc , quod distributiva servat æqualitatem geometricam , aut proportionis , & commutativa arithmetica , seu quantitati-

vam , dicendum est coherere ad eandem rationem , vel quod bene per hoc distinguantur hæc virtutes , ut distributiva tantum proportionis , seu geometricam servet æqualitatem ; & commutativa non solum arithmetica , sed quandoque etiam geometrica ; & sic ratio pro confirmatione secundæ probationis vim haberet . Vel afferendum est , illam rationem vim non habere ; quod quidem concedere non debemus , cum hanc quoque differentiam ponat Scotus in quarto cit. inter unam , & alteram Justitiam , quod scilicet distributiva ponat tantum proportionis æqualitatem , commutativa verò utramque . At dato quod uni conveniat æqualitas geometrica , & alteri , nempe commutativæ , arithmetica ,

Respondetur secundò , negando minorem , ad cujus probationem dico , in tali casu , distributionem illam æquè provenire ex justitia commutativa , ac distributiva , & non tantum à commutativa . Cum ergo distributio illa aureorum est debita ex stricto Jure , tunc utraque concurrat Justitiæ distributivæ , ut cuique detur proportionaliter ad suam dignitatem ; ut si detur quatuor merenti ut sex , dentur duo merenti ut tria : Commutativa concurrat , ut cuique detur æquale juri , quod habet in rem illam , ut suam , circa quam dominium habet ; quod Jus ortum esset in casu , ex dispositione donantis , & ille talis esset verè donatarius ; & sic fieret proportio dignitatis unius ad dignitatem alterius . Et casus positus eveniret ex utraque Justitia .

Dices : illa distributio à distributore fieret ad mentem donantis , ita ut non adimpletamente donantis , cuique distributor faceret injuriam , ut si minus daret , quàm quis meretur ; sed ex mente donantis tantum Jus strictum resultat , & in re , non Jus ad rem : Ergo in tali distributione tantum habetur Jus in re , & strictum , & non Jus ad rem ; sed Jus ad rem constituit distributivam Justitiam : Ergo in tali distributione non haberetur Justitia distributiva , sed tantum commutativa : Ergo hæc utramque servaret æqualitatem .

Respondetur , negando minorem . Ex mente ergo donantis utrumque resultat Jus in personis , Jus strictum , & in re , & Jus imperfectum , & ad rem . Primum oritur ex hoc , quod quis ex meritis , & laboribus æquavit intentionem donantis , acquirendo Jus in rem illam , iuxta mentem donantis : aliud est ortum ex comparatione ad alias personas . Unde in tali donationis actu utraque intervenit Justitia , commutativa scilicet ex stricto Jure acquisito ex mente donantis ; & distributiva ex proportionem ad alias personas , quibus fit comparatio : quare evenit , quod si distributor , non bene distribueret , tunc peccaret contra commutativam Justitiam , interendo injuriam personæ digniori ; & simul contra distributivam , non servando personarum æqualitatem ;

C

estò

estò ex hac Iustitia illi non inferret iniuriam.

Dices: dum quis adimplet conditiones juxta mentem donantis, acquirit Ius strictum resultatum ex ipsa donatione; Ergo cessat Ius imperfectum; Ergo ex solo Iure stricto fieri debet distributio; sed in tali casu etiam servaretur æqualitas geometrica: Ergo Iustitia commutativa orta ex Iure stricto servat etiam geometricam æqualitatem.

Respondetur negando consequentiam. In casu ergo posito, adhuc manente Iure stricto acquisito ad mentem donantis, staret Ius imperfectum, & ad rem. Ratio est, quia nedum staret æqualitas rei ad rem, scilicet laboris, & meriti ad rem sibi donatam, inducens Ius strictum in rem ipsam donatam, juxta donantis mentem; sed etiam staret æqualitas laboris ad laborem; ita ut illi, qui plus meretur, plus debeatur, quam minus merenti. Et hinc est, quod cum prima æqualitas stet cum stricto Iure, secunda verò cum Iure imperfecto; ideo non cessat Ius imperfectum. Secundò dicendum est, quod etiam si in administratione Iustitiæ distributiæ, ortæ ex stricto Iure, ut eveniret in casu donationis, non haberetur Ius imperfectum, sed tantum Ius strictum; adhuc servaretur distributiva Iustitia; quia ad salvandam rationem Iustitiæ distributiæ, dum cum commutativa coniungitur, satis est, ut æqualitatem proportionis inter personas servet: quod eveniret in casu.

Respondetur ad confirmationem, dicendo, in tali casu injuriam non inferri ex Iustitia distributiva, sed ex commutativa; quatenus male distribuens, non solum peccaret contra distributivam, non servando æqualitatem proportionis inter personas; sed etiam peccaret contra commutativam, non servando æqualitatem, juxta meritum, & laborem, ratione cujus acquiritur Ius strictum, ex quo resultat debitum obligans ad restitutionem; unde in casu contratio inferret alteri injuriam: adeoque &c.

29. Objicies tertio. Potest idem esse subiectum utriusque Iustitiæ; Ergo una nequit ab altera specie diversificari. Antecedens patet, quia tam in Principe potest residere distributiva respectu plurium Civium, quam in uno Cive respectu aliorum, in quibus etiam commutativa potest esse, & est de facto unius ad aliud. Probatur consequentia: quando subiecta habituum non sunt distincta, neque habitus debent specie distingui: Ergo si idem esse potest subiectum utriusque Iustitiæ, una non poterit ab altera specie distingui.

Deinde: Ultra Iustitiam distributivam, & commutativam, datur etiam vindicativa, & præmiativa, & quidem specie diversæ ab assignatis: Ergo divisio Iustitiæ ut sic, in commutativam, & distributivam non est adæquata. Probatur antecedens: commutativa

est inter privatas personas appellantes debitum ex stricto Iure; distributiva verò est inter totum, & partes, quibus fieri debet distributio; Atqui Iustitia vindicativa, nec unam, nec alteram dicitur habitudinem: Ergo est quædam species condistincta à ceteris.

Respondetur ad primum, negando consequentiam cum antecedente probationis. Estò idem possit esse utrisque Iustitiæ subiectum, cum utraque; tam in Principe, quam in subditis esse possit, tamen est falsum, unam ab altera debere ex diversitate subiecti distingui. Nullus enim habitus ratione subiecti differt ab altero; ut patet de habitibus scientiarum, & opinionis in eodem intellectu. Satis est ergo, unam Iustitiam ab altera distingui per hoc, quod commutativa dicat diversam habitudinem ad obiectum, ab illa, quam dicit distributiva; & etiam ratione diversi debiti, cum una dicat debitum obligans ad restitutionem, & altera non, putà distributiva; quæ habitudo utique essentialis est.

Respondetur ad secundum, dicendo, Iustitiam vindicativam, & præmiativam quandoque coincidere cum distributiva; ut quando Civibus distribuuntur honores, & dignitates ad æqualitatem meritorum, & sic dicitur præmiativa: vel quædo Cives criminosi afficiuntur suppliciis, & sic dicitur punitiva. Quandoque videtur coincidere cum commutativa, quando scilicet merita commutantur in præmia, per Jus acquisitum ex meritis; & sic est præmiativa: vel quando peccata commutantur in supplicia. Unde non sunt habendæ pro distinctis speciebus Iustitiæ ut sic: adeoque &c.

30. Ex his infero, ad salvandam adæquatam distinctionem specificam inter utramque Iustitiam, attendi debere formales rationes constitutivas utriusque. Ratio ergo formalis constitutiva distributiæ Iustitiæ est habitudo conformitatis ad Ius, cui nõ correspondet debitum obligans ad restitutionem; cum Ius illud sit ad rem habendam, non in re, & perfectum ortum à Jure, sed tantum à personis iuxta merita, & demerita. Formalis verò ratio commutativæ Iustitiæ est conformitatis habitudo ad Ius in re, & perfectum, cui correspondet debitum obligans ad restitutionem; cum hoc Ius sit ortum à Jure dicente æqualitatem inter res, juxta datum, & acceptum. Et estò una aliam comitetur in eodem actu, tamen una debet ab altera distingui specie: hoc eveniret, si quis donaret centum aureos annuatim studentibus alicujus Collegij servando proportionem meritorum, & laborum eorundem; tunc enim distributor in tali distributione utramque servaret Iustitiam: commutativam, quia adimpleret mentem Donantis, ut scilicet cuique detur æquale Juri acquisito supra rem illam donatam, quali fuisset sibi relicta: Servaret etiam distributivam, quatenus distributor daret cuique ad proportionem suæ dignitatis; ut si unus haberet meri-

tum,



tum ut decem ; & alius ut sex ; si merenti ut sex , detur præmium ut tria ; tunc merenti ut decem , debetur præmium ut quinque . Si verò distributio aliter fieret , tunc distributor contra utramque Iustitiam peccaret : contra distributivam , non servando proportionem coadæquantem merita unius meritis alterius ; & contra commutativam , quia non datur æquale Iuri acquisito per donationem , sicut sibi fuisset res illa donata . Per Iustitiam commutativam in tali casu distributor inferret illi injuriam , cum ex stricto Iure teneatur ad restitutionem : per distributivam non inferret injuriam , cum hæc non inducat debitum obligans ad restitutionem : ut eveniret si Pontifex Episcopatus per Orbem distribueret ; si enim mihi conferret hanc dignitatem , & alteri non , tunc illi nullam faceret injuriam ; cum ille talis Ius perfectum non haberet ad Episcopatum , obligans Pontificem ad talem dignitatem conferendam .

Ex hac ergo doctrina possunt facile resolvi quicumque casus adducti , & adducendi in hac materia .

Q U Æ R E S P R I M O ' .

*An commutativa Iustitia sit una specie athoma , vel potius subalterna ?*

**S**uppono ex logicis , speciem subalternam dividi in plures species athomas ; has verò in plura numerò tantum dividi . Hoc supposito

31 Respondetur ad quæstionem cum communi opinione , dicendo , commutativam Iustitiam non esse unam specie athoma , sed subalterna . Et

32 Probatur . In unaquaque commutativa Iustitia habetur diversum Ius , & diversum debitum , ut Iuri correlativum : Ergo etiam diversa arithmetica æqualitas resultans ex Iure , & debito ; Ergo diversa specie athoma esse debet commutativa Iustitia . Utraque consequentia sequitur , quia Iustitia ponens æqualitatem inter Ius , & debitum , specificatur à Iusto orto à Iure , & debito . Probatur nunc assumptum : diversum specie est Ius , quod quis habet in bonis fortunæ , ab illo , quod habet in bonis famæ , & vitæ ; & diversum oritur debitum ex tali Iure : At hæc Iura , & debita servant æqualitatem arithmeticam Iustitiæ commutativæ : Ergo &c . Probatur maior : lædens aliquem in bonis fortunæ committit diversum specie peccatum , ab illo , quod resultaret ex debito , si aliquis læderetur in bonis vitæ , vel famæ : cum illud dicatur furtum ; istud infamia , vel homicidium : Ergo Ius correspondens huic debito , etiam est specie diversum ab alio : Ergo &c .

33 Dices pro Cajetano , & quibusdam aliis Thomistis , Iustum commutativum formaliter consistit in æqualitate rei ad rem , iuxta datum , & acceptum : Ergo esse variari possit materia

in contractibus , sive liberis , sive coactis ; solum materialiter diceretur variata Iustitia commutativa , & non formaliter : Ergo semper una esset commutativa Iustitia specie athoma .

Respondetur , negando consequentiam . Unde dico , quod esse in commerciis , & contractibus , sive liberis , sive coactis non semper ex variatione materiæ varietur formaliter Iustitia ; tamen variari potest Iustitia commutativa ex variatione debiti adæquandi diversa Iura , quæ inde orientur ex bono Iusto ; quapropter quia varietas Iuris , & debiti est formalis , & non tantum materialis , quia Ius , & debitum constituunt formaliter Iustitiam , ideo formaliter quoque variari debet Iustitia commutativa . Hoc etiam confirmari posset à pari : Quia Deus habet diversum Ius erga Creaturas , ut Creator scilicet , ut gubernator , & ut Pater , ideo diversum formaliter oritur debitum ex parte Creaturæ ; nam Ius , & debitum , prout Deum Creatorem respiciunt , fundant Religionis virtutem : Prout respiciunt Deum gubernatorem fundant virtutem Observantiæ : Prout Deum ut Parentem respiciunt , fundant virtutem Pietatis . Et hoc non alia ratione , nisi , quia diversum formaliter est Ius ex parte Dei , & debitum ex parte Creaturæ . Sic in proposito est discurrendum ; quia diversum esse potest Ius , & debitum in eadem commutativa Iustitia , ideo est una specie subalterna , & multiplex specie infima .

Q U Æ R E S S E C U N D O ' .

*An necessarium Iustitia distributiva in quolibet actu debeat plura respicere ?*

**S**uppono ante dubii resolutionem Iustitiam distributivam , ad differentiam commutativæ , ponere æqualitatem inter personas , iuxta merita cujuscumque personæ : unde dicit ordinem totius ad partem .

Respondetur itaque , dicendo , non necessario in quolibet actu Iustitiam distributivam respicere plures personas . Hæc conclusio probabilis est inter Doctores cum Suario , Ponticio nostro , & aliis , contra Cardinalem de Lugo , & alios . Et

34 Probatur . Potest contingere casus , quod vacaverit Episcopatus aliquis in aliqua Ecclesia , & Pontifex velit illum conferre alicui personæ merenti talem dignitatem , ad quem Episcopatum alia personæ non concurrerent , nec illam dignitatem peteret , etiam si essent æquæ dignæ vel digniores eo , cui collata fuit dignitas Episcopalis ; sed in hoc casu staret distributiva Iustitia , quam Pontifex exerceret , sine respectu ad plures personas : Ergo non semper Iustitia distributiva , & in quolibet actu , respicit personarum pluralitatem . Probatur assumptum , quia contingere potest in tali casu , Pontificem non cogitare de aliis personis : Ergo in illo

actu iudice tantum respiceretur persona.

35. Dices: *Justitia distributiva servat proportionem geometricam; sed hæc proportio respicit plures personas, juxta earum merita; Ergo in quolibet actu distributiva Justitia respicit plures personas.*

Est vel maxime, quia distributio, aut exercitium *Justitiæ distributiæ*, nequit fieri, nisi per partitionem rei collatæ, in plures, tanquam partes totius: Ergo semper respicit pluralitatem personarum.

Respondetur ad primum, dicendo, quod ad salvandam proportionem geometricam in distributiva *Justitia*, satis est, ut *Justitia* ipsa inclinet, quantum est de se, ad distribuenda bona inter plures personas, quando inter ipsos fieri potest partitio; non autem est necesse, quod in exercitio ipsius *Justitiæ* habeatur semper ista proportio, est quantum est de se inclinet ad plura, ut membra ejusdem communitatis; & quia in casu posito in probatione, ille, cui confertur dignitas, est membrum communitatis, ideo Pontifex in tali distributione servat proportionem geometricam, ex inclinatione *Justitiæ distributiæ*.

Respondetur ad secundum, dicendo, *Justitiam distributivam* servare proportionem rei distribuendæ, quando potest fieri partitio, non verò quando fieri non potest, ut eveniret in casu posito. Ut etiam evenit, dum plures dignitates, & beneficia simul uni personæ conferuntur.

## QVÆSTIO SEXTA.

*An Justitia legalis rectè dicatur generalis, vel potius specialis virtus à ceteris condistincta virtutibus?*

**P**hilosophus 5. eth. per plura capita locutus fuit de legali *Justitia*, eam vocando generalem virtutem; quapropter ex hoc Philosophi dicto, quamplures eam generalem virtutem appellarunt, & quidem à commutativa, & distributiva *Justitia* indistinctam, sed tanquam in aliqua communi ratione *Justitiæ* eam collocarunt; vel in aliquo aggregato omnium *Justitiæ* virtutum, quatenus unaquæque ad bonum commune ordinatur, cui leges præscribuntur. Hoc, præ ceteris, tenet Buridanus, dicens, hunc fuisse Aristotelis sensum, adducendo eam illud ex Agathone deductum, scilicet (*Justitia una simul virtutes continet omnes.*) Alii verò hunc Philosophi locum explicantes asserunt, *Justitiam* legalem esse specialem virtutem à ceteris condistinctam, & solum generalis dicitur virtute, & imperio, quatenus bonum pluribus commune per se primò aspicit; non verò prædicatione, aut ex coadunatione aliarum virtutum. Quare, tam à commutativa

va, quam à distributiva *Justitia* secernitur. Sic pariter affirmant alii, esse quoque à Pietatis virtute, & ab Obedientia condistinctam. Cum hac sententia

*DICO*, *Justitiam* legalem non esse ita generalem, quin revera non sit specialis Virtus à commutativa *Justitia*, & distributiva condistincta, sicut à Pietate, & Obedientia. Subindeque esse tantum generalem imperio, & virtute, non verò prædicatione. Conclusio hæc colligitur ex Doctore in 4. dist. 46. q. 2. est ferè communis inter Scotistas contra Buridanum, Vegam, &c. Existimatur probabilis à D. Thoma de *Justitia*, & Jure artic. 6., à Soto, Lessio, & aliis. Et

36. Probatur primò, generatim. *Justitia* legalis habet specialem objecti formalis honestatem; Ergo est specialis Virtus, à ceteris condistincta. Consequentia sequitur, nam specialis honestas constituit specialem Virtutem; cum Virtus ab honestate objecti specificetur. Probatur antecedens: objectum formale legalis *Justitiæ* est bonum commune, ut condistinctum à quocumque bono particulari; sed hoc bonum commune, secum fert specialem honestatem distinctam ab honestate ceterorum objectorum: Ergo &c. Probatur minor: Hoc bonum commune habet peculiarem cum recta ratione conformitatem; nam ex difformitate cum recta ratione, peculiaris haberetur malitia contra bonum commune; si quis enim hoc in aliquo casu postponeret bono particulari contra legalem *Justitiam* peccaret. At ex conformitate cum recta ratione consurgit specialis honestas objecti formalis: Ergo &c.

Confirmatur hoc, ex Philosopho dividente *Justitiam* in commutativam, distributivam, & legalem ex 5. eth. Motus *Justitiæ* rigorosè est unum ad aliud ordinare; sed in *Justitia* legali habetur diversus ordo ad aliud, qui ordo est essentialiter diversus à ceteris ordinibus ad alios; Ergo etiam *Justitia* legalis debet esse specialis, condistincta à ceteris virtutibus. Probatur minor: Commutativa *Justitia* ordinat unam personam privatam ad aliam privatam in mutuis commerciis, & contractibus: *Justitia* distributiva ordinat totum ad partes, in distribuendis bonis communibus, partibus pro ut in toto contentis: *Justitia* verò legalis ordinat partes ad totum, id est ab bonum totius communitatis servandam; sed hic ordo partium ad totum est essentialis, diversus à primo, & secundo: Ergo &c.

37. Dices: ordinare partes ad totum, id est civis ad totam communitatem, non est ordo diversus ab ordine, quo totum ordinatur ad partes; quod est munus distributiæ *Justitiæ*; cum bonum particulare Civium, per se intentum à distributiva *Justitia*, redundet in bonum commune Republicæ, quod bonum commune est intentum à legali *Justitia*.

Contra, tum quia: ordinare partes ad totum fundat diversum Jus, ex quo diversum oritur debitum,

debitum, à Iure, quod fundat ordo totius ad partes: Ergo cum unius Iustitiæ sit ordinare partes ad totum, & alterius Iustitiæ sit ordinare totum ad partes; una Iustitia, distributiva scilicet, ab altera, scilicet legali, debet esse specie distincta. Consequentia sequitur, cum ex diversitate Iuris, & debiti oriatur diversitas Iustitiæ. Probatur antecedens; Ius, quod fundat legalis Iustitia, est Ius totius communis, ex quo resultat debitum in partibus; Ius verò distributivæ justitiæ est Ius partium, ex quo resultat debitum in toto: Ergo unum Ius ab altero est essentialiter diversum. Probatur illa consequentia, quia Ius, quod habet totum supra partes pro Reipublicæ conservatione, est altius, & magis obligans, cui rigorosius correspondet debitum, quam sit Ius partium, erga totum, pro conservatione partium: Ergo &c.

Tum etiam quia: licet Iustitia distributiva respiciat bonum, quod redundat in bonum commune tamen hoc bonum commune; non est per se, & directè intentum à distributiva ipsa Iustitia: Ergo &c. Probatur antecedens; bonum commune ab illa Iustitia est per se intentum directè, quâ pro tali communi bono quis se periculo vitæ, & famæ exponeret, pro bono illo communi Reipublicæ tuendo; sed hoc non eveniret per Iustitiam distributivam; quæ per Ius, quod erga totum habet, non se periculis exponit ad Ius tuendum: Ergo dicendum est, quod bonum commune tantum est per se, & directè intentum à legali Iustitia, juxta quam tempore necessitatis rigorosius debitum, etiam cum periculo vitæ, correspondet in Civibus.

33 Probatur secundò, speciatim. Primò, quod sit à virtute Pietatis distincta. Quando ex aliquo jure communi oritur diversum, & intentus debitus, tunc virtutes mediantes inter unum, & alterum extremum, sunt specie diversæ; sed ex jure communi diversum oritur debitum, ratione justitiæ legalis, ac ratione Pietatis: Ergo legalis virtus à virtute Pietatis est specie diversa. Probatur minor: major est obligatio, & rigorosius est debitum, quod habet Civis erga Patriam, ut pars totius, quam sit debitum, quod habet erga illam, ratione oris, & natalium; Sed primum est debitum proveniens à legali justitia; & secundum à Pietate, qua quis Patriam amare debet, & parentes: Ergo &c.

Confirmatur hoc: quisque tenetur præferre bonum Reipublicæ, quod est communius, bono parentum; nam si aliquis inveheretur contra Rempublicam, procurando malum, & ipsius destructionem, tunc etiam parentes Proditoris possent rationabiliter illum occidere: Sicut fecit Cassius Romanus occidendo proprii filium, malum inferentem in Rempublicam (ut quidem valent.) Sed hoc non aliunde provenit, nisi quia bonum Reipublicæ inducit, & infert majus, & altius debitum, ex legali justitia ortum, quam sit debitum

ortum ex Pietate: Ergo &c.

Deinde probatur, quod legalis justitia sit distincta ab Obedientia; justitia legalis diversum respicit objectum formalem ab obedientia, diversumque subjectum; Ergo est distincta virtus ab Obedientia. Probatur antecedens; objectum formale Obedientiæ est opus bonum sub ratione præcepti, cui correspondet debitum sub præcepti ratione; objectum verò legalis justitiæ est opus bonum, sub ratione conservationis boni communis, & non includit rationem præcepti: Subjectum Obedientiæ est subditus, cui incumbit obedire præcepto; ac subjectum legalis justitiæ est tam subditus, quam superior, in quo primario, & quasi architectonicè residet: Ergo diversum est utriusque virtutis objectum, & subjectum: Ergo &c.

Ex his ergo patet, legalem justitiam in re, esse specialem virtutem, condistinctam à ceteris, cum habeat objectum formale, quod est jus commune, legali debito obstrictum, ipsam specificans, & distinguens à ceteris. Hæc verò maxima omnium virtutum est, & ideo generalis nuncupatur, quatenus alias præcellit imperio, & virtute; ut ex solutione objectionum clarius constabit.

### Solvuntur Objectiones.

**O**bjicies primò auth. Phil. Primò eth. cap. 1. & 2. aientis, *Legalem justitiam, non esse partem virtutis, sed universam; sicut injustitia legalis, non est pars malitia, sed universa; Sed justitia generalis nequit esse specialis, distincta à ceteris, sed in ceteris inclusa, sicut superius in suo inferiori: Ergo legalis justitia est ita generalis virtus, ut nequeat esse in aliquo sensu specialis. Deinde: omnes aliæ virtutes habent rationem virtutis, quia propter bonum commune inclinant potentiam, ad rectè operandum; Ergo in qualibet virtute reperitur legalis justitia. Probatur primò, antecedens; si quis moveretur ex temperantia ad se abstinendum à magno cibo, ad procurandam sanitatem, tunc quatenus abstinet se ab illo cibo, ob sanitatem, dicitur temperantia; sed talis inclinatio æquè potest esse ad bonum commune, intentum à justitia legali: Ergo possunt particulares virtutes ad bonum commune inclinare. Probatur minor: si quis se abstineret à cibo, ob sanitatem, posset legi obedire, intentæ à justitia legali, quod facere non posset, dum est infirmus: Ergo simul inclinaret ad sanitatem, ut particularem honestatem, & ad legi obediendum, ut commune bonum; Ergo &c.*

Probatur nunc prima consequentia: justitia legalis per se primò intendit bonum commune curandum: Ergo si qualibet virtus intendit bonum commune, qualibet erit legalis justitia: Ergo hæc à ceteris non est distincta.

Respondetur ad primum, dicendo, Philosophum



phum utiq; affirmasse legalem justitiam esse generalem, & non partem virtutis: at sensus ejus fuit excludere ipsam à ratione particulari honestatis. Est itaque generalis virtus, non prout dicit complexionem ceterarum virtutum, de quarum singulis, ut genus aliquod prædicetur; sed solum est generalis virtute, & imperio, quatenus, cum sit omnium maxima, & bonum commune procuret, habet ordinare, quælibet particularia bona ad bonum commune, ceteras movendo virtutes ipsiq; imperando, ut bonum ipsum commune procurent. Et quia ad hoc munus exercendum specialem dicit honestatem, hinc est, quod sit specialis virtus à ceteris condistincta virtutibus. Confirmari potest hoc à pari: inter ceteras Theologicas virtutes D. Paulus collocat, ut maximam Charitatis virtutem, dicendo, *Horum omnium major est Charitas*; & non alia quidem ratione, nisi quia Charitas ordinat, & dirigit opus ceterarum Theologicarum virtutum ad ultimum finem, scilicet Deum, qui bonum commune est cuicumq; Creaturæ; & tamen ob hanc specialem honestatem Charitas est specialis virtus, à ceteris condistincta virtutibus. Sic discurrendum in proposito nostro. Neq; per hoc, quod Philos. insinuaverit, malitiam oppositam legali justitiæ, non esse partem malitiæ, sed totam, sequitur adversariorum intentum, cum tantum dicatur tota malitia, quatenus omnia opera mala elicit, hinc imperio legalis justitiæ, redundant, saltem indirectè, in contemptum boni communis. Et hanc esse Philosophi mentem, explanant eruditissimè Mästius noster, & ex Thomistis Doctissimus Sotus lib. 3. de Just. & Jur. q. 2. art. 5.

Dices: Sensus Philosophi non potuit esse hic explicatus, quod tantum justitia legalis sit generalis virtute, & imperio, pro ut ordinat opus ceterarum virtutū ad bonum commune: Ergo absolute dicendum est, quod ejus intentum fuit, legalem justitiam esse generalem indistinctam à ceteris virtutibus. Probatur antecedens Idem Philosophus loc. cit. subdit, *Virtutē in genere, & legalem justitiam esse idem in re, sed solum differre notione, & ratione*; sed virtus generalis, aut in genere à ceteris virtutibus est indistincta, cum sit genus respectu specierum: Ergo &c.

Respondetur, Philosophum hic non sumere virtutem in genere, prout virtus prædicatur de ceteris virtutibus, & dicit honestatem objectivam ceterarum virtutum; sed solum accipere virtutem in genere, quatenus respicit honestatem boni communis, ut condistinctam ab honestate ceterarum virtutum; in quo casu idem esset in re virtus justitiæ legalis, cum virtute in genere. Vel rectius dicendum est, virtutem in genere esse idem in re cum legali justitiæ, quatenus virtus in genere, ut genus includitur in sua specie; quomodo à ceteris virtutibus virtus in genere est indistincta: at per hoc non sequitur, legalem justitiam, non habere formali-

tatem aliquam specificam condistinctam, saltem formaliter à ratione virtutis in genere, quæ esset honestas specialis, resultans ex bono cōmuni. In hoc sensu est Philosophus intelligendus in citato cap. Eth. dum vocat legalem Justitiam generalem. Quod autem hæc sit expressa Philosophi mens, patet ex eodem 5. eth. ubi distinguens virtutes justitiæ, ait, aliam esse legalem, inclinantem in bonum commune, ut justum legitimum, & legales; & aliam distributivam; aliam verò cōmutativam ad particularia bona inclinatā. Hinc ipse Phil. 3. Polit. 3. ait, non esse eandem virtutem viri boni, & boni Civis. Atqui bonus Civis inclinatur ad bonum commune; ergo justitia legalis inclinans ad bonum commune, est specialis virtus.

Respondetur ad secundum, dist. antecedens, quia inclinatur potentiam ad bonum commune directè, & per se primò, nego antecedens: indirectè, cōcedo antecedens, & nego consequentiam, ad cujus probationem, dico, quod, qui movetur ex temperantia ad parvitatem cibi directè inclinatur ad sanitatem, aut ad alium particularem finem; indirectè verò movetur, & inclinatur ad bonum commune servandum: unde talis inclinatio directè provenit à temperantia, ut specialis virtus inclinans ad specialem honestatem; & indirectè à legali Justitiæ dirigente virtutem temperantiæ, ut, ex sanitate præhabita, quis legi obediat: hæc tamen directio, à voluntate proveniens, arguit solum influxum quendam virtutem in opus virtutis temperantiæ; sicut est influxus virtualis solis respectu ignis. Unde respectu ceterarum virtutum dicitur solum generalis, dirigendo, & influendo in effectus ipsarum.

Dices: si quis temperatè viveret procurando sibi sanitatem, ut possit legi obedire, & jura communia servare, tunc directè bonum particulare intenderet, & bonum commune; sed pro ut intenderet bonum particulare dirigeretur à temperantia, & prout intenderet bonum commune dirigeretur à legali Justitiæ: Ergo in tali cibo temperato, ob curandam sanitatem, directè haberetur inclinatio utriusque virtutis, ut indistincta. Probatur minor, quia virtutis temperantiæ est procurare sibi sanitatem, ut bonum proprium; Justitiæ verò legalis est eandem sibi procurare, ut bonum commune, ad legi obtemperandum: Ergo &c.

Respondetur, dicendo, quod si argumentum bene ponderetur, vis ejus potius fiat pro nobis, quam pro adversariis. Nam dum dicitur, quod quis, dum temperatè vivit, procurat sibi sanitatem, ut bonum proprium, & particulare, & eandem procurat sanitatem, ut possit legi obedire, & sic est bonum commune; ex quibus bonis, primum, quod est particulare, dirigitur à temperantia, & secundum, quod est commune, dirigitur à legali justitiæ, non obinde sequitur, temperantiam utrumque bonum dirigere, aut ad utrumque per se directè incli-

inclinare ; sed potius sequitur ad sanitatem , ut bonum proprium directè inclinare , & ad eandem , ut ordinatam ad legem servandam , aut legi obediendum , ut bonum commune , inclinare indirectè . Ratio est , quia si ad sanitatem , ut bonum particulare , inclinatur temperantia ; & ad eandem ; ut bonum commune , legi obediendi inclinatur legalis Justitia ; tunc rectè inferitur , unam esse ab altera distinctam , cum hac ratione legalis Justitia à ceteris sit distincta virtutibus , quia hæc ad bonum commune directè , & sub speciali honestate , potentiam inclinatur .

Confirmari potest hic discursus , quia multoties quis procurat sibi sanitatem præscindendo ab observantia legis , quod est bonum commune ; immò pluries evenit , ut quis sibi sanitatem procuret ad inhonestè vivendum , ad invehendum contra proprium Prælatum , vel Principem &c : quod evenire non posset , si temperantia directè etiam inclinaret ad bonum commune pro observantia legis .

40 Objicies secundò , probando , Justitiam legalem non esse speciem distinctam à distributiva ; in tantum legalis Justitia distingueretur à distributiva , in quantum legalis diceret ordinem ad bonum commune Reipublicæ sub speciali honestate ; sed hunc ipsum ordinem dicit Justitia distributiva : Ergo à distributiva Justitia saltem non distinguitur Justitia legalis . Probatur minor : munus Justitiæ distributivæ est bonum civium ordinare ; sed bonum civium potest in bonum commune Reipublicæ redundare ; in quo casu bona Civium essent bona totius communitatis : Ergo potest distributiva Justitia hunc ordinem dicere ad bonum commune Universitatis : Ergo &c .

Respondetur , negando minorem , ad cuius probationem , dico , Justitiam distributivam dicere ordinem ad bonum commune solum indirectè , non autem directè ; è contra verò Justitiã legalem . Ratio est , quia strictius est debitum in Civibus procurandi bonum Reipublicæ , quod est etiam famæ , & vitæ præferendum ; quam sit debitum in tota communitate respectu partium , seu Civium . Unde bona Civium , quamvis essent à Republica distributa ; tamen directè essent bona partium , indirectè verò essent bona totius ; & sic cum Jus sit strictius in legali Justitia , quam in distributiva , cui strictius correspondet debitum ; hinc sequitur , quod illa ab hac sit species distincta .

Dices primò . Bona civibus distributa per distributivam Justitiam , estè sint bona particularia Civium , tamen tempore necessitatis sunt bona totius Communitatis ; sed hæc bona supponunt Jus strictius , & aliud ex parte Communitatis , cui Juri strictius debitum correspondet ex parte Civium ; Ergo bona illa , quæ erant Civium particularia , in tali casu essent bona communia totius Universitatis .

Respondetur , dicendo , in hoc argumento

fieri transitum ab uno Jure ad aliud , ac ab una Justitia ad aliam ; & per consequens argumentum non concludere . Quando ergo tempore necessitatis bona Civium à Republica distributa ( vel etiam ea , quæ sunt propria per Justitiam commutativam ) transeunt ad bonum totius Reipublicæ ; tunc non sunt bona spectantia ad aliam Justitiam , quam ad legalem ; Cum lex obliget , quod tempore necessitatis per Civium subsidia tuenda sit Respublica , ne periculum patiatur . Quare Jus illud strictius , & aliud , cui debitum correspondet in Civibus esset solius legalis Justitiæ , non verò distributivæ ; nam Jus hujus est in Civibus respectu Reipublicæ , cui correspondet debitum ; & Jus legalis Justitiæ est in Republica respectu Civium , quibus correspondet debitum . Et hoc eveniret in casu posito , nulla interveniente directè Justitia , præter legalem .

Dices secundò : bonum , quod est partium , est etiam bonum totius ; sed bonum totius est bonum commune , ad quod legalis Justitia inclinatur : Ergo etiam bonum partium est commune bonum ; sed ad bonum partium inclinatur distributiva Justitia : Ergo hæc non erit distincta ab illa . Assumptum consequentiæ , probatur , quia si utraque ab bonum commune sub speciali honestate inclinatur , una non debet esse ab alia distincta : Ergo &c .

Respondetur , dicendo , bonum partium directè esse bonum particulare proprium , ut partes sunt à toto distinctæ ; indirectè verò est bonum totius , quatenus partes includuntur in toto : unde directè bonum partium est particulare , indirectè tamen est bonum commune . Quoniam verò bonum partium ponit debitum in toto , sicut bonum totius ponit debitum in partibus ; ideo , cum Justitia legalis respiciat Jus , quod est in toto respectu partium , & distributiva contra respiciat Jus , quod est in partibus respectu totius , debent esse duæ virtutes specie distinctæ .

41 Objicies tertio , probando , legalem Justitiam non esse distinctam , neque à Pietate , neque ab Obedientia ; & primò , quod non sit à Pietate distincta . Idem bonum commune , ad quod inclinatur Justitia legalis , inclinatur etiam Pietas : Ergo , si ratione honestatis repertæ in bono communi distinguitur legalis Justitia ab aliis , non debet à virtute Pietatis distingui . Probatur antecedens : procurare bonum commune Reipublicæ , ipsam tuendo ab hostibus , subsidiis succurrendo , &c . munus est Justitiæ legalis : hoc ipsum munus præstat à Pietate , qua virtute quis tenetur Patriam amare , eamque defendere , & subsidiis subvenire ; Ergo &c .

Deinde , quod non sit ab Obedientia legalis justitia distincta . Obedientia non habet aliam formalem rationem , quam Jus commune lege sancitum , ac ceteris imperare virtutibus , ad bonum commune procurandum ; sed hoc idem præstat à Justitia legali ; Ergo hæc à virtute Obe-

Obedientiæ non est distinctum.

Respondetur ad primum, dicendo, utique esse idem bonum commune inspectum ab utraque virtute, à Pietate scilicet, & legali Justitia, tamen respicitur sub diversa ratione formali honestatis, Pietate ergo tenemur bonum Patriæ, & Reipublicæ procurare, eique subvenire ratione beneficii, quatenus ortum duximus à Patria; at legali Justitia tenemur Patriam tueri, bonumque ei procurare ratione vinculi, & nexus, quatenus sumus membra totius; & quia major est obligatio, quam quis habet erga Patriam ratione vinculi, & nexus, quatenus est membrum totius (cùm ex tali bono Patriæ resultet debitum strictius se exponendi etiam periculo famæ, & vitæ pro Patria tuenda) quam sit obligatio, quam quis habet erga Patriam ratione beneficii, ex qua beneficii ratione non resultat debitum exponendi se periculo vitæ, & famæ; ideo sub diversa honestatis formalitate respicitur bonum commune ab utraque virtute. Quod autem sit strictius debitum, & obligatio, adeoque strictius Jus, ratione vinculi orti ex legali Justitia, patet; nam ratione vinculi quis tenetur se exponere periculo vitæ, ad quod non teneretur ratione solius Pietatis: quod est clarum de Pietate erga parentes, pro quibus nemo tenetur se exponere periculo vitæ, ut lex omnis suadet, & tamen est majus beneficium, quod quis recipit à parentibus, quam à Patria: adeoque &c.

Respondetur ad secundum, dicendo, Obedientiam habere pro objecto Jus commune à lege sancitum, &c. sub diversa ratione forma-

ri honestatis, sub ratione scilicet præcepti; unde quoties potentia inclinatur ad bonum commune sub ratione præcepti, virtus illa inclinans potentiam ad tale bonum habet diversam honestatem objecti, & sic est diversa virtus. Quare hac eadem ratione opus debitum ratione præcepti est objectum *Quod*, & superior præcipiens est objectum *Cui*. At legalis justitiæ objectum, non est opus bonum commune, sub ratione præcepti, sed tantum bonum sub conservatione boni præscindentis à ratione præcepti & hinc est, quod una virtus est ab altera distincta. Ex his infero, legalem justitiam esse generalem virtute tantum, & imperio, modo supra explicato, non autem prædicatione; & sic est virtus specialis à ceteris distincta, ut dictum est.

42 Advertendum est pro complemento hujus questionis, residere, tam in superiore, quam in subditis legalem justitiam, & quidem esse in utrisque ejusdem prorsus rationis; & quamvis Philosophus dixerit, in Principe esse architectionicè, qua omnium virtutum sit cumulus, sicut in architecto est lapidum coadunatio in domibus edificandis; tamen hic modus residendi tantum de materiali, & non de formali se habet; cùm, spectata ratione formali, quæ est bonum commune servandum, ut tale, tam subditis, quam superiori incumbat. Eadem itaque formalis ratio objecti ex parte utriusque correspondet: ac per consequens ejusdem est rationis, tam in superiore, quam in subditis. Hæc satis pro hac prima disputatione. Ad laudem. Omnipotentis Dei Beatæ Virginis Mariæ, Sanctique Patris nostri Francisci, ac omnium Sanctorum, qui in cælis regnant, Amen.





# DISPUTATIO SECUNDA

## De Iure, ejusque Speciebus.

### QVÆSTIO PRIMA.

*De multiplicitate Juris, & an hoc sit Iustitiæ objectum?*



Ratiavimus in præterita disputatione de Virtute Iustitiæ, quæ cum sit re- ctitudinis habitus, juxta prudentiæ regulam; non immeritò in præsentis de jure, quod in alia usurpatione, ut à Jussu, Supino, derivante à verbo

*Jubeo*, accipit legis nomen, & in alia, à Iustitia desumptum, quando Iusti nomen involuit. Hinc per hanc totam disputationem, non de primo jure, seu lege quæ est regula externa humanorum actuum, discurremus, cum de hoc sit alibi sermo; sed dumtaxat de jure sumpto pro Iusto. Et quidem, juxta multiplicem sensum.

Primò, in ampla sui acceptione, dividitur in jus alteri debitum; & in jus legis. Primum est justa ratio, aut æqualitas inter distinctas personas, virtutem specificans Iustitiæ. Et hoc, aliud est per æqualitatem arithmeticiæ proportionis, idest rei ad rem, ut in Iustitia commutativa; & aliud per æqualitatem geometricam, & hoc est in distributiva Iustitia. Hoc jus, utrique Iustitiæ conveniens, est legitima potestas utendi aliqua re; quare deducitur, aliam esse potestatem ad rem, aliam in re. Potestas ad rem est jus ad rem, quam quis non actu possidet, sed possidere debet ratione contractus, stipulationis, donationis, &c. Potestas verò in re est jus in re acquisitum per ipsam rei traditionem, ac actualem possessionem. Quare fit, quod si Petrus aliquam alicui donaret hæreditatem; tunc hæres, aut donatarius diceretur habere jus ad rem illam, seu ad illam hæreditatē; quādo tamen illam actu possidet, & est in ipsa actuali possessione; tunc donatarius de illa re habet jus in re. Unde ex hac divisione juris stat, quod Jus in re ponit actuale dominium, obligans ad restitutionem; Jus verò ad rem ponit tantum titulum conducens ad habendum illius rei dominium.

Jus autem à Jussu, scilicet pro lege sumptum, va-

rias usurpat acceptiones; & quidem dividitur in naturale, quod ex ipsis rerum naturis ortum ducit; & positivum, quod à libera Dei, vel hominum voluntate pendet. Quare primum dicit immutabilitatem, sicut immutabilis est natura; Secundum verò potest mutari. Hoc positivum jus, aliud est Divinum, sive Veteris legis, sive novæ, ab ipso Deo traditæ; & aliud humanum ab homine præfinitum: quod erit, vel canonicum, vel civile; de quibus tamen Juribus in secundo tomo de legibus erit sermo.

Quantum attinet ad præsentem concertationem, quaritur de Jure à Iusto, An hoc Jus specialiter sumptum sit adæquatum, & formale Iustitiæ objectum? Pro dubii resolutione

*DICO*, Jus sumptum pro Iusto esse adæquatum, & formale Iustitiæ objectum. Hæc est communissima omnium Doctorem Sententia. Et

1. Probatur primò. Illud est Iustitiæ formale, & adæquatum objectum, quod specificat, & distinguit Iustitiam à ceteris virtutibus; at Jus hoc modo sumptum habet id præstare: Ergo erit adæquatum, & formale Iustitiæ objectum. Probatur minor: Iustitia distinguitur à ceteris virtutibus per hoc, quod ceteræ virtutes æqualitatem non servant unius ad alterum, ex personarum distinctione; Iustitia servat hanc æqualitatem: sed hanc servat Iustitia æqualitatem ex Jure à Iusto, quod respicit; Ergo &c. Major patet, quia si est commutativa, servat æqualitatem arithmeticam, juxta numerum, & quantitatem: si distributiva æqualitatem geometricam, juxta proportionem ad proportionem. Probatur minor: æqualitas servata à Iustitia, supponit debitum ex parte unius personæ, & Jus, aut dominium ex parte alterius; cum Jus, & debitum sint correlativa: Ergo æqualitas unius ad alterum, ut ad distinctam personam, servata à Iustitia, provenit ex Jure à Iusto; ac per consequens hoc Jus habet distinguere Iustitiam à ceteris virtutibus.

2. Confirmatur: de ratione formali Iustitiæ est redde-



reddere Jus alteri, quod suum est : Ergo de ratione sua respicit Jus alteri reddendum ; sed illud est adæquatum, & formale alicujus virtutis objectum, quod respicitur formaliter ab ipsa virtute directè, ac immediatè: Ergo Jus à justo erit objectum adæquatum, & formale virtutis Justitiæ.

- 3 Probatur secundò . Id, quod per se intenditur à virtute Justitiæ, & non à ceteris, est adæquatum Justitiæ objectum, & non ceterarum virtutum ; sed Jus Justum per se directè intenditur à Justitia, & non à ceteris virtutibus: Ergo est virtutis Justitiæ adæquatum objectum. Probatur minor: Jus alteri reddendum habet legem, sive naturalem, sive positivam, &c. pro regula dictante, esse alteri reddendum, quod suum est : Ergo ex hac lege dirigente Justitia intendit Justum. Sed ceteræ virtutes non habent legem dictantem reddendum, esse alteri, quod suum est: Ergo &c.

Confirmatur ex doctrina à D. Thoma desumpta : ceteræ virtutes faciunt actum rectum ex sola intentione agentis, ita ut si Avarus vult parcè vivere, ex motivo non destruendi pecuniam, tunc actio ista non esset recta, cum non proveniret ex recta intentione agentis; Justitia verò producit actum rectum, etiam ex nulla intentione recta agentis; ita ut si debitor solvat creditori quantum debet, etiam sinistra intentione, ut illum dilapidet : vel gladium, quis restituat, etiam si sciat, creditorem illo gladio usurum ad aliquem necandum ; tunc actus ille diceretur Justus, cum æquivaleret debito: Ergo si in tendentia ad objectum ceteræ virtutes procedunt cum sola agentis intentione, ex qua intentione non necessariò procedit Justitia ; signum est, quod hæc respicit objectum adæquatum, à ceteris distinctum: hoc, ut dictum est, nequit esse, nisi Jus Justum; Ergo Jus Justum erit adæquatum Justitiæ objectum.

Confirmatur . Etsi ab agente quandoque intendatur Jus alteri reddendum, & actus Justus productio, tamen hæc intentio provenit, quia lex suadet, ex Justitia deberi redditionem alteri: Ergo semper Justitia, quæ talis virtus specialis, respicit pro sui specificativo adæquatum Jus justum alteri debitum : Ergo hoc dumtaxat erit adæquatum Justitiæ objectum.

### Solvuntur Objectiones.

- 4 **O**bjicies primò . Objectum adæquatum specialis facultatis nequit facultati specie distinctæ convenire ; sed Jus derivatum à Justo convenit aliis virtutibus à Justitia speciali specie distinctis : Ergo nequit esse adæquatum Justitiæ objectum. Major patet, aliàs non esset adæquatum unius virtutis, si esset adæquatum alterius; cum non debeat adæquatum objectum excedere, neque excedi à facultate. Probatur minor: Justum convenit, & specifi-

cat omnem facultatem cooperantem cum prudentia, & juxta ejusdem prudentiæ dictamen, cum idē sit actum justum producere, ac actum producere juxta dictamen prudentiæ: Ergo &c. Deinde Jus à justo dictū cōvenit, tam commutativæ, quàm distributivæ justitiæ; sed istæ sunt specie distinctæ : Ergo idem objectum convenit virtutibus specie distinctis : sed hoc est falsum, secundum regulam objecti adæquati : Ergo non potest Jus à Justo dictum esse objectum Justitiæ specialis, de qua est sermo in præsentī. Probatur minor, quia objectum adæquatum unius virtutis non potest esse adæquatum alterius virtutis distinctæ: Ergo &c.

Respondetur ad primum, negando minorem, & antecedens probationis. Jus ergo, à justo dictum, solum habet ex natura sua specificare virtutem Justitiæ ; nam ceteris aliis, etiam cum dictamine prudentiæ cooperantibus, speciale assignatur objectum, sub diversa honestatis ratione, ut patet in materia de virtutibus Theologicis, & moralibus cum quælibet virtus habeat diversimodè inclinare potentiam ad actum eliciendum. Hoc itaque argumentum plus, meo videri, probat, quàm intendat probare. Probat enim, nullam esse essentialē, & specificam distinctionem inter virtutes morales, quod neque adversarii concedunt. Unde dicendum est, ex quo justitia inclinat potentiam ad reddendum alteri æquale debito, quæ redditio justa est, & talis inclinatio ab alia virtute, præter justitiam, provenire non potest hinc deduci, justum à sola justitia respici.

Dices: Justitia respicit justum pro objecto, quia inclinat ad actum justum, qui esset redditio rei æqualis debito; sed quæcumque moralis virtus inclinat ad actum justum: Ergo quælibet respicit pro objecto Justum; Ergo &c. Probatur minor; actus justus est actus rectus, & actus rectus habetur ex inclinatione cujuscumque moralis virtutis, per connexionem ad prudentiam: Ergo &c.

Respondetur, dicendo, justitiam inclinare ad actum justum sub speciali honestate, quæ justus est in jure; & actus justus, ita sumptus, est redditio rei debito æqualis; unde æqualitas ipsa inter Jus, & debitum, est medium specificans virtutem justitiæ sub ratione justī: & cum ceteræ virtutes non habeant inclinare potentiam ad hanc redditionem, hinc est, quod non respiciunt justum sub ratione justī. Unde ad probationem, dico, verum esse, idem sonare, grammaticaliter, *Actus justus*, & *Actus rectus*; non tamen philosophicè, & Theologicè; nam in secundo sensu omnis actus dicitur rectus, dum regulatur à prudentia; dicitur autem justus dum regulatur à Jure legali, quæcumque sit lex dictans, & suadens, ac præcipiens esse alteri reddendum, quod suum est: adeoque &c.

Dices: si non esset idem actus rectus, ac justus

stus, posset aliquando actus esse rectus, & non justus, & quandoque justus, & non rectus; sed hoc implicat; aliàs actus esset, & non esset virtuosus: Ergo &c. Probatur sequela, quia quando rationes formales sunt distinctæ, potest haberi materialitas actus, sine aliqua ex illis formalitatibus; Ergo sic posset haberi actus rectus, & non justus; vel actus justus, & non rectus: Ergo &c.

Respondetur primò, negando majorem, ad cujus probationem, dico, quod quando rationes formales sunt distinctæ, poterit haberi materialitas actus cum una ratione formali specificante, ac distinguente actum illum ab omni alio actu alterius virtutis, & non cum alia ratione formali; præsertim quia virtutes per actus specificantur. Quando verò sunt duæ rationes formales, quarum una dicit connexionem cum alia, & una tantum specificat virtutem, & altera tantum connotat connexionem ad aliam virtutem in simul inclinando; tunc in actu, una formalitas non esset sine alia. In casu ergo hæ duæ formalitates in actu, rectitudo scilicet, & Justitia, mutuò connectuntur; cum omnes virtutes dicant connexionem cum prudentia. Prudentia ergo influat in actum, ut rectum; Justitia verò in actum ut justum; cum utraque simul potentiam inclinet ad actum honestum; unde actus, qui justus est, dicitur etiam rectus per inclinationem prudentiæ. Actus verò, qui est rectus, non semper est justus; nam si prudentia esset cum temperantia connexa, aliam daret temperantia honestatem actui.

Neque valet inferre, quod si actus esset rectus, & non esset justus, posset dici injustus. Non valet, inquam; quia injustitia, cum sit vitium, dicit malitiam cuicumque virtuti oppositam materialiter; cum malum habeatur ex quocumque defectu. Deduco ex hac doctrina, justum, non in ampla acceptione, quatenus quamcumque importat actionem rectam, esse objectum justitiæ; sed tantum quatenus ab ipso derivatur Jus, quod justitia intendit servare in reddendo alteri, quod suum est.

Respondetur secundò ad idem, concessa majori, negando minorem. Non ergo implicat, actum esse rectum, & non esse justum; cum prudentia possit ab aliis virtutibus separari, & sic possit inclinare in actum rectum absque elicitione voluntatis, & absque connexionem justitiæ. In quo casu sola prudentia influeret, & non justitia. Poterit dari actus, qui sit justus, & non rectus: ut eveniret, si redderem gladium Petro, quem deberem ei, & cum hoc certo scirem, Petrum velle suum occidere inimicum: tunc redditio illa esset justa, quatenus lex obligat, esse reddendum alteri, quod suum est; & tamen talis redditio non esset recta, quia proveniret absque dictamine prudentiæ; immò actus ille non esset virtuosus, sed vitiosus: adeoque poterit actus aliquis esse justus, quin sit rectus.

Dices, in tali casu redditionem illam gladii nec etiam esse justam: cum lex non obliget ad id, ex quo scienter oritur malum: Ergo nulla est responsio.

Respondetur, negando assumptum. Lex ergo obligat pro quocumque instanti; præsertim quando petitur à Creditore; & hæc constat ex explicatione facta in prima quæstione præteritæ disputationis, ubi diximus, Justitiam esse perpetuam voluntatem, idest propositum reddendi alteri pro quacumque vice, in qua manet Jus, id quod alterius est. Et sic actio illa, cum esset ex motivo Justitiæ, diceretur justa; non autem diceretur recta, quia non esset ex motivo prudentiæ. Resolutio hujus objectionis, aut instantiæ, dependet ab illa quæstione præteritæ disputationis, an justitia sit essentialiter virtus?

Respondetur ad secundum, dicendo utique verum esse, Jus à Justo utrique justitiæ, tum commutativæ, tum distributivæ, convenire; cum hoc tamen discrimine, quod Jus commutativum convenit commutativæ, & non distributivæ: Jus distributivum est distributivæ, & non commutativæ objectum. Cum ergo ambæ justitiæ conveniant in una ratione generica, in inclinando scilicet voluntatem ad alteri reddendum, quod suum est; conveniunt pariter in una ratione generica objecti, quod est jus alteri reddendum. Diversitas ista specifica arguit pariter diversitatem specificam objecti supra idem genericum objectum; hæc autem ratio esset formalis commutativi, & distributivi.

Objicies secundò. In tantum objectum adæquatum Justitiæ esset Jus à Justo dictum, in quantum Justitia pro primaria sua intentione intenderet Jus alteri reddendum; sed hoc est falsum: Ergo & id, unde sequitur. Probat minor: Justitia, pro primaria sua intentione, intendit servare legem, juxta regulas rationis, & præcepta; unde dicitur Justitia, quia ex lege est: Ergo pro sua primaria intentione, non intendit jus alteri reddendum, sed jus à lege servandum: Ergo &c.

Deinde: objectum adæquatum Justitiæ est objectum virtutis; sed Jus à Justo, non est objectum virtutis: Ergo neque Justitiæ. Probat minor, ex Celso Jureconf. lib. 2. de Justitia, & Jure: Jus est ars boni, & æqui; sed ars nequit esse virtutis objectum, præsertim si virtus involuntate residet, ut in proposito esset Justitia; Ergo &c.

Præterea: D, Augustinus in lib. de moribus, ait: Justitia est amor tantum Deo serviens; sed Jus non est ad Deum, sed ad homines: Ergo Justitia per se non potest Jus respicere: Ergo &c.

Respondetur ad primum, negando minorem, ad cujus probandum dico, Justitiam intendere legem servandam, non ut sui specificativam, sed ut regulam Juris, & Justitiam; quare pro primaria sua intentione intendit Jus alteri reddendum,

D 2 quia

quia iustum est, & in conformitatem legis. Lex ergo, in materia Iustitiæ, solum intervenit, ut regula regulans virtutem, ad actum sibi conformem producendum; sicut etiam intervenit prudentia, ad rectitudinem tribuendam actui. Unde primaria intentio virtutis est actum iustum producere ex iusto: hic actus est reddere Jus alteri; atque ideo reddere Jus alteri est primò Iustitia intentum. Hoc potest esse clarum de ceteris virtutibus à prudētia regulatis, quæ quidem non prius intendunt prudentiam servare, quam proprium objectum specificatum, à quo sumunt denominationem propriæ virtutis, & specialis: nam Temperantia primò intendit bonum concupiscibile, & non regulam prudentiæ; Fortitudo primò respicit sufferentiam, & propulsationem malorum, quatenus sufferre, & propulsare mala bonum honestum est. Unde fit, quod regula præsupponitur in intellectu dicente, & iudicante, tale objectum esse prosequendum, ratione honestatis in ipso reperiæ; & sic, quod primò intenditur, est objectum. Hoc modo discurrendum est de Iustitia.

Respondetur ad 2. negando minorem, ad cuius probationem dico, doctrinam illam Jurisconsulti non esse recipiendam de Jure à Iusto, sed de Jure à lege. Lex itaque, quæ regula est intellectus practici per prudentiam constituta, dicitur ars iudicandi bonum, & æquum; quare lex sortitur nomen iudicii practici intellectus moventis, & dirigentis voluntatem ad actum bonum, & æquum. Hæc autem, cum in intellectu resideat, est ars directiva boni, & æqui; nam quælibet ars in intellectu residet. Jure ergo meritò Celsus ita locutus est, cum ipse affirmaverit, in iudiciis non posse iudices iudicare rectè, sine legis directione, aliàs iniquum esset iudicium; & ideo dixit, legem esse artem æqui, & boni. Jus autem à Iusto, de quo hic est sermo, derivatur à iustitia, cuius est in actum iustum inclinare, ipsumque constituere: quapropter ars dici nequit Jus hoc modo sumptum, cum iustitia ad voluntatem pertineat, ipsam inclinando ad reddendum alteri, quod suum est; & ita non est ars æqui, & boni: solum ergo dici poterit Jus directum per regulam artis, quæ est lex, aut Jus à lege.

Respondetur ad tertium, dicendo, quod dum D. Augustinus accepit Iustitiam pro amore Deo serviendi, non accepit substantiam Iustitiæ, sed iustitiam in rigore, quæ ponit debitum æquale credito: nam nemo potest ad æqualitatem reddere Deo, quod debet: unde non est inter nos, & Deum vera ratio iustitiæ; nisi quatenus ex acceptance sua, & ex pacto, opera iustorum acceptat, illaque præmiat. Solum ergo vocat Augustinus iustitiam, amorem Deo servantem, quatenus ex amore Deo serviendi oritur iustitia inclinans ad Deum iustum.

Potest etiam dici, quod in meritis (præsertim de condigno) ex pacto facto, Creatura ha-

beat Jus ex iustitia adversus Deum, & ad suam hæreditatem, quatenus merita ipsa, ex lege condita, tenetur acceptare; in quo casu corresponderet legale debitum ex parte Dei, sibi ipsi impositum ex sua libertate; unde in tali casu daretur Jus ad Deum, cum amore serviendi Deo. Et sic admissa veritate doctrinæ Divi Augustini, neganda est minor. Concludo itaque Jus à Iusto esse adæquatam Iustitiæ objectum.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*An dominium à ceteris actibus, ad Ius spectantibus, rectè distinguatur?*

**U**Nanimitè sentiunt Doctores, dominium præcipuam esse Juris in communi speciem, quatenus est facultas utendi rebus, & de eis disponendi: quod quidem Juri consonum esse videtur. Hic itaque operæ pretium est, incidenter omnes assignare Juris species, ut exactius naturam domini investigemus; quare

6 Notandum est, quòd intra species Juris, de quo locutus sum in superiori quæstione, ultra dominium, assignari solent Usus, Ususfructus, & Titulus.

Usus est jus utendi re aliena, salva ejus substantia: qui duplex est, Usus Juris, & Usus facti. Primus est facultas ipsa utendi re aliena; Secundus verò est actus ipse utendi re aliena.

Ususfructus est jus utendi, fruendique re aliena, salva ejus substantia.

Titulus est Jus, in quo dominium fundatur; unde in donatione, ut dominium acquiratur in rem donatam, donatio ipsa est titulus, supra quem fundatur dominium in rem illam: sic etiam patet de emptione, venditione, electione, beneficio, &c.

Dominium tandem est facultas disponendi de re aliqua, tanquam sibi subjecta; unde fit ut Deo insit vera domini ratio orta ex rerum creatione, gubernatione &c. Quare Bartoli definitio in L. si quis vi. §. diff. ff. de acquirenda possessione, non est consona, dum dixit, dominium esse facultatem utendi re aliqua corporali, nisi lege prohibeatur; cum ex hac ratione videatur, Deo neganda ratio domini; quod implicat. Dominium itaque multipliciter sumitur; & primò dividitur in dominium Jurisdictionis, & proprietatis: primum est potestas gubernandi subditos, illos iudicandi, puniendi, &c. & aliquid illis præcipiendi; & hoc aliud est seculare, ut est in Imperatore, Regibus, Ducibus, &c. aliud ecclesiasticum, ut est in Pontifice, Episcopis, & aliis Prælatibus, subditos habentibus. Dominium verò proprietatis est Jus, aut potestas possidendi rem aliquam, & de illa ut sua disponendi. Et hoc duplex est aliud perfectum, & directum, ac plenum cadens supra substantiam rei, & ejus commodum, ut possit rem illam vendere, alienare, &c. Imperfectum

etiam aliud, & non plenum: quod cadit utiq; supra rei substantiam, non verò supra commodum, & emolumenta, &c.

Dominium tandem proprietatis, quod proprium est, aliud dicitur naturale, ortum ex natura, quatenus inclinamur, & potestatem habemus conservandi propriam vitam, famam, &c. Positivum verò aliud, & hoc pendet à lege, & voluntate legislatoris. Et hoc aliud est divinum, quod dependet à lege divina: aliud Gentium, & dici solet Jus gentium; & est illud, quod possidemus jure omnium populorum: aliud tandem est Civile, & est illud, quod speciali jure hereditatis, donationis, & quocumque alio contractu acquiritur. His itaq; notatis,

Quæritur in præfenti, an dominium sit formaliter ipsum Jus? & insuper an à ceteris speciebus Juris distinguatur? Ubi ante quæstionis resolutionem, suppono locutionem in hac quæstione esse de dominio proprietatis. Unde

*DICO*, Dominium non esse idem, ac jus; immò est specie distinctum à ceteris speciebus Juris. Conclusio hæc est communis inter omnes Jurisperitos, & Theologos. Hanc tenet Martius noster in sua morali, estque Scoti in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. & tenetur à Soto lib. 4. de Just. & Jur. q. 1. art. 1. à Lessio, & aliis. Et

7 Probatur prima pars: nulla species est formaliter genus; sed dominium est Juris species; Ergo non est formaliter Jus; subindeque dari poterit Jus absque dominio. Minor patet, quia Jus aliud est dominium, aliud titulus, aliud Usus, & aliud ususfructus, ut supra dictum est, & in secunda parte probabitur. Probatur major: Si species esset formaliter genus, ubi reperiretur genus, deberet reperiri species; & sic si in ceteris Juris speciebus reperitur Jus, deberet etiam reperiri dominium, sibi formaliter identificans Jus: sed hoc est falsum, aliàs potius daretur confusio, quam distinctio specierum; Ergo &c. Probatur major, nam hoc petit identitas formalis, ut in illo subjecto, in quo reperitur, & identificatur unum, debet reperiri, & identificari aliud: quod patet de prædicatis constitutivis Dei, & de quibusdam aliis creatis cum suo constituto: Ergo &c.

8 Probatur secundò idem: Jus non est formaliter dominium, cum dominium dicat aliquid supra Jus; Ergo dominium est saltem formaliter à Jure distinctum. Probatur antecedens: Si Jus esset formaliter dominium, cuiusque competeret ratio juris, competeret etiam ratio domini; sed hoc est falsum, cum ceteræ Juris species habeant rationem Juris, & careant ratione formali domini: Ergo &c. Probatur major: quia idem formalissimè est animal rationale, & homo; cui competit esse animal rationale, competit etiam esse hominem: Ergo si Jus esset formaliter dominium, cui competeret ratio Juris formaliter, competeret etiam ratio domini; quod, ut in sequentibus probationibus patebit, est falsum: Ergo, &c.

Confirmatur, quia dominium, ultra facultatem illam, & potestatem disponendi de aliqua re, dicit etiam ratione substantiæ rei, quæ ratio formaliter excluditur à ratione Juris, sicut etiã à ceteris speciebus Juris: Ergo dominium, secundum hanc formalitatem, nequit esse idem cum Jure: Ergo &c.

Probatur secunda pars, quod scilicet dominium distinguatur à ceteris speciebus Juris. Ceteræ species Juris includunt diversam rationem formalem constitutivam à constitutivo domini; Ergo dominium est distinctum ab omnibus Juris speciebus. Probatur antecedens: dominium, supra definitum, est facultas disponendi de aliqua re, tanquam sibi subjecta; sed ceteræ Juris species hoc carent constitutivo: Ergo &c. Probatur primò de Titulo: Titulus est basis, seu radix, in qua dominium fundatur sub aliqua ratione rem aliquam possidendi, & de ea disponendi; Sed id, in quo fundatur dominium, non est formaliter dominium, sed à constitutivo domini distinctum; cum fundamentum non sit idem cum re fundata: Ergo &c. Probatur assumptum: non habet quis dominium in rem aliquam sibi donatam à Donatore, nisi donatio ipsa sit titulus, in quo fundetur dominium illius rei: Ergo Titulus est tantum ratio fundandi dominium; & non est ipsum dominium.

Probatur eadem minor secundò de Usu. Usus est Jus utendi re aliena, salva ejus substantia; ita ut habens usum rei alienæ, sive usum juris, sive facti, nullum dominium habeat supra rem illam: Ergo usus à dominio distinguitur, cum dominium habeat facultatem supra rem alienam, ut suam, vel per donationem, vel per emptionem, vel per aliquem alium titulum. Probatur assumptum, nam qui habet nudum rei alienæ usum, non habet Jus in substantiam rerum, sed solum in accidentia; ut qui habet usum domus, vel equi alterius, potestatem non habet, nec domum, nec Equum alienandi; quia non habet illa, ut sua: Ergo &c.

Probatur eadem minor tertio de Usufructu. Usufructus est jus utendi, & fruendi rebus alienis, salva earum substantia; ut habetur in ff. de Usufr. & inst. eod. tit. Sed dominium dicit Jus supra rei substantiam, & non tantum supra accidentia: Ergo Usufructus habet diversum constitutivum à dominio. Probatur assumptum: habens usufructum utendi, & fruendi aliqua re, non potest rem illam alienare; ut si quis teneret pecudes Titii, posset de illis usufructum habere, ut de lacte, lana, partu, quæ sunt fructus rei, & non haberet Jus in substantiam ipsarum, cum Jus in ipsarum substantiam spectaret ad proprium dominium: Ergo &c.

Ex his ergo colligitur quanta sit disparitas inter dominium, & ceteras Juris species; adeoque concludendum est; quod si diversa est ratio constitutiva domini à ceteris Juris speciebus, erit etiam dominium ipsum à ceteris speciebus

ciebus distinctum. Hæc mihi videtur potissima, ac methaphysica ratio probandi hanc secundam partem conclusionis; quapropter aliã affignare nequeo, nisi argumentorum solutionẽ.

### Solvuntur Objectiones.

10 **O**bjicies primò contra primam partem: Jus idem est, ac facultas disponendi de re aliqua, eaque utendi ut sua; sed dominium idem prorsus formaliter dicit: Ergo à Jure nullo pacto est distinctum. Major patet. Probatur minor: Dominium formaliter sumptum, est facultas disponendi de aliqua re sibi subjecta, & quidem facultas cadens supra substantiam rei; sed facultas constituens Jus, etiam cadit supra rei substantiam; Ergo Jus idem formaliter dicit, ac dominium; Ergo &c.

Deinde: habens Jus in rem aliquam, sive consumptibilem, sive non consumptibilem, dicitur dominium habere de illa: Ergo semper Jus est à dominio indistinctum. Probatur antecedens: qui utitur re aliqua ut sua, sive sit consumptibilis, ut sunt res comestibiles, sive inconsumptibilis, ut sunt utensilia, &c. habet Jus dominium super tali re: Ergo &c. Probatur antecedens: si dominium quis non haberet in rem illam, qua utitur ex Jure ut sua, tunc qui rem illam furaretur, non diceretur fur; nec furtum committeret, cum res illa non esset sub utentis dominio; sed hoc est falsum: Ergo &c.

Respondetur ad primum, negando minorem, & minorem probationis (loquendo de Jure ut sic, pro ut à suis præscindit speciebus) Dico igitur, dominium quodcumque sit, ultra facultatem illam disponendi de aliqua re, dicere etiam potestatem supra rei substantiam, eam alienandi, vendendi, donandi &c. quod explicatur per ly (sibi subjecta) positum in definitione domini. Ab hac ergo facultate supra rei substantiam Jus in communi præscindit; & ideo latius patet Jus, ac dominium; & hinc est, quod dominium tanquam species à suo genere, differt à Jure; & sic non est idem formaliter, ac Jus; sed tanquam inferius, & superius distinguuntur: adeoque &c.

Dices: Jus in rebus disponendis dicit etiam potestatem supra res illas, quò ad rerum substantiam; Ergo si dominium hanc habet potestatem supra res illas, quò ad rerum substantiam, videtur dominium Juri æquipollere; ergo nulla videtur inter Jus, & dominium distinctio. Probatur antecedens: si quis non haberet potestatem in rebus, non haberet Jus in illis; Ergo Jus de sua formali ratione dicit potestatem illam: Ergo &c.

Respondetur, negando antecedens. Jus ergo ex sua formali ratione præscindit à potestate illa legitima in rebus, sicut genus à suis differentiis contrahentibus. Nec verum est, Jus quã tale constitui per illam potestatem legitimam; cū enim Jus in hac materia accipiatur pro obje-

cto formali, & ad æquato Justitiæ, tãtum justum importare videtur pro formali, quod idem est ac æquale alteri: quam æqualitatem inter res, vel personas Justitia habet constituere; unde præscindere videtur ab hoc, quod potestatem dicat supra rei substantiam, vel supra accidentia. Hac itaque responsione poterit responderi ad principalem objectionem, negando majorem, quod scilicet Jus facultatem dicat disponendi de re aliqua ut sua, quia hoc tantum competit Juri particulari, quod est dominium. In suo ergo conceptu formali tantum dicit æqualitatem à Justo provenientem.

Respondetur ad secundum, dist. antecedens: si habet Jus potestatis legitimæ, de re illa, ut sibi subjecta disponendi pro libito suo, habet dominium super illam, concedo: si hanc non habet potestatem, nego antecedens, & consequentiam, & concessio antecedente probationis, ad ejus ultimam probationem dico, quòd si quis uteretur re aliqua, nullam habendo potestatem super illam, tanquam supra ejus substantiam, & aliquis rem illam furaretur, non committeret furtum, sed aliam injuriæ speciem; cum furtum committatur, ut dicemus infra suo loco, invito domino; & quia nemo potest esse Dominus rei, nisi supra illius substantiam dominiũ habeat, hinc est quis quod dum talem rem furaretur, non committeret furtum. Nec est verum, quod qui Jus habet in rem aliquam, habeat in illam dominium; quia potest quis uti re aliena, etiam in extrema necessitate, in qua necessitate dominium non haberet supra rem illam; cum illam non posset vendere, alienare &c. Quod etiam patet de rebus usufructu consumptilibus Mendicantium, de quibus habetur Jus utendi, & non dominium; cum sit directè apud proprium Dominum, rem illam mendicantibus donantem: quòd si donando dominium abdicaret, transferretur illius rei dominium ad Sedem Apostolicam, ut infra dicemus.

Dices. Si quis raperet uxorem alicui marito, vel filium Patri, committeret furtum; sed furtum non committitur, nisi invito domino: Ergo Maritus est dominus suæ uxoris, & Pater filii sui; sed ex alia parte Maritus haberet Jus in suam uxorem, & Pater in filium: Ergo signum est, quod dominium, & Jus idem sunt. Probatur assumptum; quia cum furtum committatur rapiendo rem alienam, invito domino, tunc rapiens uxorem marito, hoc faceret, marito invito; & filium Patri, invito Patre: Ergo iste talis furtum committeret.

Respondetur, negando majorem, & ad probationem dico, quod estò rapiens uxorem marito, hoc faceret, invito marito; & filium Patri, invito Patre; tamen hoc non esset, his invitis tãquam dominis utriusque respectivè, sed tanquã Jus habentibus in utrumque, non stricto modo sumptum; nam ut diximus ad rationem formalem Justitiæ requiritur respectus ad alterum,

ut

ut personam distinctam ; debitum ex parte unius , & creditum , aut Jus ex parte alterius ; & insuper , quòd æqualitatem ponat. Inter Patrem , & filium non datur Jus ad alterum , cùm filius sit pars Patris ratione Ortus , præsertim si vivit de bonis Patris ; nec poterit inter eos dari æqualitas , licet rigorosius sit debitum filii erga Patrem . Uxor tamen , & maritus sunt duo in carne una , ut testatur Apost. ad Eph. 5. & in utroque debitum obedientiæ correspondet , cùm tam uxor marito parere debeat , quàm è contra , licet æqualitas sit inter utrumque . Ex hac ergo doctrina colligitur , quod cùm in calibus positis non adsit verum , & strictum Jus , sed solum quædam ratio Justitiae ; ideo nequit adesse dominium unius ad aliud ; aliàs si dominium daretur , posset Maritus de uxore disponere sic , ut ei placuerit , & Pater de filio disponere citra injuriam , quod est falsum . Quare sequitur , quòd cùm unus dominium non habeat in alterum , ideo si raperetur uxor , aut filius , raptor non committeret furtum , sed aliam injuriam , puta captivitatem , vel aliam &c.

Addo , quod etsi gratis concederetur , raptor è in tali casu furtum committere : nego tamen absolute , furtum committi semper , invito domino : committitur tamen invito aliquo Jus habente in rem illam raptam . Satis ergo est ad furtum patrandum , quod res rapta aliena sit , & non sua , & sit rapta nesciente , aut non consentiente eo , cui fit injuria ; & quia totum hoc eveniret in casu ; ideo non obstante , quod maritus non sit uxoris dominus , nec Pater dominus filii , tamen rapiens uxorem marito , & filium Patri furtum committeret , absque eo , quod Maritus dominium habeat supra uxorem , & Pater supra filium .

Dices : saltem maritus dominium habet in uxorem , ut testatur illud Genes. 3. *Sub potestate Viri eris , & ipse dominabitur tui* : Ergo Jus , & dominium saltem in hoc non distinguuntur : Ergo rapiens uxorem semper ageret , invito domino , & furtum committeret .

Respondetur , ex hac autoritate nõ sequi Civile dominium , & rigorosum , de quo loquimur , sed tantum , quatenus ex natura corrupta per peccatum , quia mulier paritura est in dolore , ideo Jus , quod habet maritus in uxorem , est tantum dominium ad illam conjugalem copulam maritalem : at hoc dominium non habet veram dominii rationem ; sed potius dicitur Jus ad usum , quod Jus à dominio distinguitur .

Ex his colligitur , quod qui habet dominium in aliud , habet Jus in illud , cùm non habere possit dominium sine Jure , ut species Juris ; qui tamen Jus habet in aliud , non semper dicitur habere dominium , cùm aliquando esse possit altera Juris species , vel titulus , vel usus , vel usufructus ; hinc sanè deducimus , non valere ad convertentiam Jus , & dominium ; adeoque &c.

Objicies secundo contra secundam partem , probando , dominium non esse à ceteris speciebus Juris distinctum ; & quidè quod non sit distinctum à titulo . Titulus est id , per quod aliquis fit possessor rei alienæ , disponens de ea ad suum beneplacitum : sed hoc ipsum importat formaliter dominium : Ergo hoc ab illo non distinguitur . Major patet , in re enim donata quis fit possessor ejusdem rei ratione donationis , & donatio ipsa est titulus possidendi . Probatur minor : ratione dominii possessor alicujus rei potest de ea ad suum beneplacitum disponere ; Ergo si ratione tituli quis etiam potest de re aliqua disponere , signum est , quod dominium idem prorsus importat , ac titulus : Ergo &c.

Respondetur , dicendo , majorem illam non esse legitimam , cùm aliter in re accipiatur titulus , aliter possessor , & aliter dominium . Ratione tituli , quis censetur dominus alicujus rei , de ea ad suum beneplacitum disponens : ut naturalis vita est titulus , in quo fundatur dominium naturale supra nascentia in Terra pro vitæ sustentatione : titulus alicujus dignitatis est electio : titulus verò , quo quis possidet rem aliquam , est , vel hæreditas , vel donatio , vel emptio , vel præscriptio &c. quorum titulorum nomine quis directum habet dominium in rem illam . Possessor dicitur persona illa , quæ apud se retinet rem aliquam possessam ratione alicujus tituli . Dominium verò est facultas utendi , & fruendi re illa , de ea disponendi ad suum beneplacitum , sive res illa sit apud se , sive apud alios ; ( dummodò tamen semper sit sua . )

Exemplum hujus dicti . Petrus agrum emit : emptio agri est titulus , in quo fundatur dominium Petri . Si ager ille esset apud Petrum , Petrus esset possessor agri ; non ratione tituli dominii , sed ratione tituli possessionis , sive facti , ut est actus possidendi , sive Juris , ut est Jus possidendi . Si verò ager ille detineretur apud aliam personam , tunc illa persona diceretur possessor , quia apud se detineret licite agrum ; sed non diceretur dominus agri , sed vel usufructuarius , si tantum usum haberet , vel usufructuarius , si posset de fructibus disponere &c. Ex hac ergo doctrina facile ad argumentum

In forma respondetur dist. majorem : Si possessor est etiam illius rei absolutus , & directus dominus , potest de re illa disponere &c. concedo majorem : Si est tantum possessor , & non dominus , sed esset possessor usufructuarius , vel usufructuarius , nego majorem , & minorem ; ad cujus probationem dist. iterum antecedens : si possessor alicujus rei est etiam directus dominus , tunc ratione dominii potest de illa disponere , &c. concedo : si non est directus dominus , nego antecedens : quia sicut in tali casu non esset directus dominus , sed tantum possessor fructus , vel usufructus , & non dominii ; ita nullam haberet rationem dominii de ea re disponendi ad suum beneplacitum . Dico igitur , quod licet possessor alicujus rei possit de illa di-



disponere, quando est dominus rei directus, & tunc motivo sui dominii inclinantis ad disponendum de substantia rei; tamen quando est possessor, & non Dominus, de rei substantia disponere non potest: nam si possessor est tantum usufructuarius de fructibus. Quare stat, aliam esse tituli, & aliam dominii rationem: Ratio tituli est ratio fundandi dominium rei; ratio vero dominii est ratio disponendi de re illa acquisita, sub tituli ratione.

Dices: ex hac doctrina saltem sequitur, quod quando possessor est dominus rei, tunc in eo dominium non est à titulo distinctum: Ergo nulla solutio. Probatur assumptum: quando possessor est dominus rei, tunc de illa disponit ratione dominii, seu quia dominus est; sed tunc etiam de illa disponit ratione tituli; quia res empta ratione emptionis disponitur ad domini beneplacitum: Ergo &c.

Respondetur, negando assumptum; ad cujus probationem dico, quod quando possessor est dominus rei, tunc disponit de illa ad suum beneplacitum ratione dominii, quod est ratio formalis disponendi, nam si non esset dominus, non posset licite, ac juridice de illa disponere: titulus autem, in illa rei dispositione, est tantum ratio fundamentalis; quatenus cum sit dominii fundamentum, supra quod ratio dominii fundatur, ideo quis tantum remote, & fundamentaliter disponit de re aliqua ratione tituli; & formaliter, ac proxime ratione dominii: unde fit quod dominium sit Ius à Titulo distinctum.

- 12 Objicies tertio, probando, dominium, nec ab usu, nec ab usufructu esse distinctum. Primo, quod non sit distinctum ab usu. Habens usum rei, habet rei dominium; Ergo dominium ab usu non distinguitur. Probatur antecedens: habens usum rei potest de illa, quò ad usum disponere; Ergo de illa verum habet dominium. Probatur consequentia: potens disponere de usu rei, potestatem habet de illo usu, ut Ius; sed hoc est habere verum dominium: Ergo &c. Probatur minor, quia dominium est potestas disponendi de re, quò ad usum: Ergo &c.

Deinde secundo, quod non sit distinctum ab usufructu. Usufructus est facultas disponendi de re, & quò ad usum, & quò ad fructum eisque utendi, & fruendi; sed hoc ipsum importat dominium: Ergo &c. Probatur minor: qui possidet agrum alterius, potest de omnibus fructibus agri pro suo libito disponere, vendere scilicet, & alienare, donare &c. Ergo dominium habet supra illos fructus, alias non posset de illis disponere: Ergo idem importat dominium, ac usufructus: Ergo &c.

Respondetur ad primum, negando antecedens, & consequentiam probationis. Ad cujus probationem dico, quod qui potest de usu disponere, habet potestatem de illo usu, non de

omni usu; & estò dominium dicat etiam potestatem ad usum, tamen dicit potestatem, quò ad omnem usum, ita ut rem, quò ad ejus substantiam alienare, & donare possit ad suum beneplacitum. Dispositio autem de usu tantum non est dominium, quia hoc ultra omnem usum, dicit etiam dispositionem ad rei substantiam. Ex quo fit, quò estò dominium, ultra rei substantiam dicat etiam usum, & quidem omnem usum; tamen usus præscindit à rerum substantia.

Dices: mendicantes habent usum rei ipsi elemosynaliter datæ, cujus rei habent etiam dominium: Ergo usus à domino non est distinctus. Probatur antecedens: si mendicantes non haberent illius rei dominium, neque possent de illis disponere; neque posset assignari dominus directus illarum rerum, quibus utuntur. Nec dicas, illum dominum esse, qui rem illam per modum elemosynæ donavit; cum jam sit per donationem translatum dominium: Ergo dicendum est, quod non tantum usum, sed & dominium habent de usu: Ergo &c.

Respondetur, dicendo, mendicantes tantum usum habere, & dispositionem de usu, & non de substantia rei donatæ elemosynaliter. Nec res illa dicitur carere domino, quia etsi, ut dixi, Usuarii mendicantes non sint domini, tamen dominus substantiæ rei esset donator illius rei, ut in sequenti quæstione dicemus, ex determinatione Nicolai Quarti, & Clementis Quinti: adeoque dominium non est translatum, sed remanet in donante, vel transfertur ad Sedem Apostolicam.

Respondetur ad secundum, dicendo, utique usufructum esse facultatem disponendi de usu, & fructu; cum, ut in initio quæstionis dixi, sit Jus utendi, & fruendi; tamen præcisa, & salva rei substantia, cum hæc ad dominium spectet: unde minor est falsa. Ad probationem, dico, dominium usufructuarii non esse dominium directum, & proprietatis: quod est simpliciter dominium; sed esse dominium utile, quia pro suo utili vendit, & alienat fructus, salvo tamen agro, qui spectat ad rei substantiam. Quare Dominus agri dicitur habere dominium in re: usufructuarius dicitur habere usufructum eorum, quæ ex Agroveniunt; & ideo distinctum est Ius in utroque; & sic distincta facultas. Hoc etiam patebit in his, qui dant rem in Emphyteusim, ubi Emphyteuta usque ad præfinitum tempus usufructum habet, absque directo dominio, ut suo loco patebit.

Ex his infero, Jus esse distinctum à dominio, & hoc à ceteris Juris speciebus, & quidem propter rationes supra assignatas. Plura ergo ex his inferuntur, ut quæstio magis eluceat.

Inferitur primo, pro resolutione ad casus conscientiæ. Ut quis possit dici dominus alius rei, duo requiruntur: Titulus, in quo scilicet radicetur formaliter dominium; & rei ejusdem traditio, ut conditio prærequisita; alias



ex solo titulo, quis tantum dominium in personam, & non in rem haberet. Hoc colligitur ex Covar. lib. 2. var. cap. 19. Et aperte *L. traditionibus* 92. ubi C. de pactis, ait. *Traditionibus dominia rerum, non pactis nudis transferuntur*, & hoc ab omnibus ferè Doctoribus affirmatur; unde ad dominium in rem necessaria est traditio, ut conditio prærequisita. Quare valet: sum dominus hujus libri, quia mihi traditus fuit; ergo emptio, aut donatio libri est titulus, ubi dominium fundatur. Hoc quidem valet in quocumque Jure communi, licet in aliquibus casibus non sit necessaria traditio, ut si quis donaret, vel venderet bona sua Ecclesiis, Civitatibus, &c. in quo casu Ecclesia, Civitates &c. acquirunt dominium, sine ulla traditione; quibus casibus exceptis, ordinariè requiritur traditio.

14 Infertur secundò, quod *Usumfructuarius*, qui habet Jus utendi, & fruendi re aliqua, salva ejus substantia, ultra usum nudum rei, habet etiam fructus rei; ut si quis teneret gregem pecudum, usus, & fructus illarum pertinerent ad usumfructuarium, scilicet lana, lac, fœtus &c. pecudes verò pertinerent ad proprium Dominum, ita ut teneretur proprio domino restituere substantiam rei, de qua usumfructum habet. Unde *Usumfructuarius* diceretur dominus utilis fructus illius rei.

*PETES ex hoc: si Usumfructuarius moriatur ante perceptionem rei, ad quem spectarent fructus percipiendi à rebus?*

Respondetur, ex *inst. de rerum divisione* §. *Is verò*, spectare non ad hæredes *Usumfructuarii*, cum hic non habuerit directum dominium, sed tantum utile; sed spectare ad dominum directum rei; cujus est disponere de rebus, & fructibus rei, redeuntibus ad directum dominum ejusdem rei.

Q V Æ S T I O T E R T I A .

*An saltem in iis, quæ unico actu consumuntur, usus à domino sit distinctus?*

**P**ro nostræ Religionis altissima Paupertate tuenda, maxima fuit inter quosdã Pontifices controversia; num scilicet Fratres degentes sub regula Sancti Patris nostri Francisci, ita in strictissima vivant paupertate, ut nullatenus possint dominium habere, & quidem proprietatis, illarum rerum, quæ unico actu consumuntur, aut alienantur; ut sunt poculenta, esculenta, &c. De rebus verò, quæ non unico actu consumuntur, difficultas non est inter Doctores; cum unanimiter affirmant, in his usum esse à dominio distinctum, & quidem usus est apud Fratres (sic etiam est certum de ceteris Mendicantium Religionibus) dominium verò apud

concedentes usum, vel rei usum donantes, vel apud Sanctam Apostolicam Sedem. Quare ob nostri instituti majorem gloriam, & ut nostræ altissima elucescat paupertas, hanc efformare præsumpsi quæstionem, cum de usu non consumptibilium satis constet in præterita quæstione.

Notandum est, ut vera à falsis secernantur, dominium, de quo est sermo, esse proprietatis (cum dubium non sit de Jurisdictionis dominio vertente inter superiorem, & subditos, cum superior sit verè Prælatus) Proprietas autem est actus paupertati oppositus. Insuper pro quæstionis intelligentia est notandum, alium esse usum Juris, sumptum pro facultate illa utendi aliqua re, ex legis concessione; & alium esse usum facti, sumptum pro actu ipso utendi rebus ipsis, circa quas usus reperitur. *Usum Juris*, à lege concessus, communiter irrevocabilis est, taliter ut à concedente impediri minimè possit. *Usum facti*, est à aliquo pacto sic Juris, quatenus est justè concessus, tamen ad nutum concedentis est revocabilis. His itaq; notatis, ad decisionem quæstionis

*DICO*, In illis rebus, quæ unico usu consumuntur, usum esse prorsus à dominio distinctum. Conclusio est Scoti in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. est juxta plurium Summorum Pontificum, determinationem, præsertim Nicolai Quarti ex nostro Ordine, & Clementis Quinti, loquentium pariter in favorem decretorum Innocentii Quarti, Nicolai Quarti, & Gregorii Noni. Nicolaus Quartus hoc asserit in Extr. *Exiit qui seminat*. Et Clemens V. in Clement. *Exivi de Paradiso*. Hanc sequuntur Recentiores omnes, præsertim extra Scotistas, Sotus, Lessius, Belar. Molina, Layman, &c.

15 Probatur primò. Fratres Mendicantes, & præsertim illi, qui viuunt sub regula Sancti Patris Nostri Francisci, in rebus, quæ unico actu consumuntur, ut sunt esculenta, poculenta, &c. habent usum illarum distinctum ab omni dominio: Ergo in illis rebus, quæ unico actu consumuntur, usus est ab omni dominio distinctus. Probatur antecedens: si usus rerum, quæ unico actu consumuntur, non esset ab omni dominio distinctus; tunc usus illarum rerum esset à proprietate indistinctus; sed usus rerum ipsarum apud Fratres Minores est ab omni proprietate distinctus: Ergo &c. Major patet, quia hic dominium sumitur pro proprietatis dominio. Probatur minor: si talis usus non esset ab omni proprietate distinctus, tunc habentes usum rerum consumptibilium dicerentur proprietarii; sed hoc videtur omninò repugnans, ac Evangelicæ, & altissimæ Paupertati prorsus dissonum: Ergo &c. Probatur minor, quia proprietatis est directè repugnans, & opposita Paupertati: Ergo &c.

Confirmatur. Si Nobis Minoritis esset rerum consumptibilium dominium concessum, esset concessa saltem illarum rerum proprietatis; sed

E hoc

hoc, ex nostræ regulæ professione est omnino implicatorium: Ergo &c. Probatur minor: implicat ex nostræ regulæ professione, usum rerum, quæ Nobis ex eadem regula conceduntur, stare posse cum peccato mortali adversus eandem regulam in Paupertate fudatam, quam professi sumus; sed si Nobis Minoritis esset concessa illarum rerum proprietas, posset in nostræ regulæ professione stare concessio rerum cum peccato mortali; quia staret concessio usus rerum cum proprietate; quæ proprietas ex vi nostri instituti peccatum mortale in proprietarios inducit: Ergo &c.

Eò vel maximè, quod posito rerum comestibilium, & potabilium dominio, aut proprietate; cum proprietas ex vi instituti nostræ regulæ, peccatum inferat mortale, tunc quoties edimus, & bibimus pro nostro conservando individuo, toties peccatum committeremus mortale, quod videtur esse contra omnem legem, & rationem: Ergo &c.

16 Probatur secundò: quando rerum aliquarum usus impediri, vel retardari potest à voluntate concedentis, vel donantis, tunc usus est ab omni dominio distinctus; sed usus rerum, quæ unico actu consumuntur apud Fratres Minores, potest impediri, vel retardari à voluntate superioris concedentis, vel benefactoris donantis, illis præcipiendo, ne amplius utantur: Ergo talis usus est ab omni dominio distinctus. Probatur major: ille dicitur usus cum dominio, aut à dominio proveniens, qui irrevocabilis est, & inimpedibilis à voluntate concedentis, vel donantis; cum in hoc consistat vera ratio domini, in independentia scilicet à voluntate alterius, quò ad omnem usum, usque ad rei consumptionem: Ergo usus ille, qui impediri, vel retardari potest à voluntate concedentis, vel donantis, est prorsus ab omni distinctus dominio: Ergo &c.

Confirmatur: si quis plures ad prandium in domo sua invitaverit, illi tales tantum usum haberent in cibos appositos, comedendi scilicet, & bibendi, quantum ipsis placuerit, absque ullo dominio; cum dominium illius prandii esset apud Dominum invitantem; & hoc non alia ratione, nisi quia sicuti liberè concedit invitatis usum, ita etiam potest usum ipsum impedire, & retardare ad suum beneplacitum, mutata voluntate: Ergo si apud Fratres Minores usus rerum, quæ consumuntur unico actu impediri, & retardari potest, usus illarum rerum est ab omni dominio distinctus. Consequentia sequitur, quia sicut invitati non habent Jus irrevocabile erga illos cibos, ita neque Jus irrevocabile habent Fratres Minores ad rerum usum: Ergo &c.

Dices: tunc usus alicujus rei impediri, vel retardari potest, quando non est usus Juris, aut Jus ad usum, ex legis concessione, quomodo est absque omni dominio; at usus ille rerum, quæ unico actu consumuntur, apud Fratres

Minores est usus Juris ex legis concessione; unde fit, quod non potest talis usus impediri, vel retardari, & sic non est ab omni dominio distinctus.

Contra, tum quia: vel per usum Juris, aut Jus ad usum, intelligunt adversarii Jus illud, quo quis habet solam potestatem à Superiore, vel à donante legitimè concessam, excludendo independentiam à voluntate eorundem; vel intelligunt, ne dum potestatem illam legitimè concessam, sed etiam independentiam à voluntate concedentis. Si primum: Ergo talis usus rerum, quæ consumuntur unico actu, est prorsus ab omni dominio distinctus. Probatur hæc consequentia, quia dominium, ultra legitimam potestatem utendi, dicit etiam potestatem liberam utendi independentem à voluntate concedentis: Ergo si usus ille Juris, aut Jus ad usum, tantum dicit legitimam illam, & juridicam potestatem, jam est ab omni dominio distinctus; & sic poterit à voluntate concedentis impediri, aut retardari. Si dicatur secundum: Ergo ne dum Fratres Minores habent Jus ad simplicem usum, sed etiam ad rem, de qua facere possent quicquid voluerint; sed hoc est absurdum, aliàs essent absolutè proprietarii: Ergo &c. Probatur ista consequentia, quia Jus ad usum omnino independentem à voluntate alterius, est potestas cadens supra usum, & rem, ita ut habens talem potestatem independentem, possit de usu, & re facere quicquid voluerit: Ergo &c.

Eò vel maximè; quia si talis est potestas apud Fratres Minores, tunc sine licentia Superioris, & independentem ab ejus voluntate, possent res illas, quibus utuntur, vendere, donare, alienare &c. quod est falsum: immò in nostro instituto expressè præcipitur Fratribus, non posse munus aliquod, ob gratitudinis signum, aliis, etiam benefactoribus, & parentibus donare, sine Superioris licentia. Ita Pater Sanctiorum de de leg. statut. S. de casib. reserv. Ergo &c.

Tum etiam quia: Jus illud ad usum est à lege concessum cum dependentia à voluntate alterius; unde tantum est Jus sumptum pro potestate juridica, & legitima, & non Jus absolutum; sed hoc Jus, cum sit generale, potest impediri, & retardari: Ergo usus ille rerum, consumptibilium, quomocumque sumatur, & explicetur, dum non est absolutum, potest impediri, vel retardari: Ergo &c.

17 Probatur tandem tertio: si Fratres Minores dominium haberent in iis, quæ unico actu consumuntur, tunc si ab iis auferretur res aliqua, qua utuntur, fieret illis injuria; sed hoc est falsum, & contra quotidianam experientiam in nostro Ordine: Ergo verè dominium non habent Fratres Minores in iis, quæ unico actu consumuntur. Major patet, quia auferens rem ab habente dominium, ei facit injuriam, & quidem multoties obligantem ad restitutionem. Probatur minor: nullam injuriam facit

supra-

superior, quando à subdito per injunctam pœnitentiam ei impositam, cibum aufert; vel ejusdem visitando cellam, auferret ab eo, nedum, non permissum à regula, sed etiam ab ea concessum; Ergo falsum est, quod fieret injuria Fratribus Minoribus, ab eis auferendo usum rerum, quæ unico actu consumuntur: Ergo &c.

Confirmari potest conclusio, & simul probari auth. illa Deuteron. 23: ubi legitur, *Inredientibus vineam proximi permissum fuisse vuarum usum, absque dominio.* Ex hac sic argumentor: Ufus rerum, quæ unico actu consumuntur, in nostra Religione non est major, quam usus ingredientium vineam proximi. Ergo si ille est absque dominio, etiam usus rerum in nostra religione erit sine dominio. Probatum antecedens: usus rerum in nostra Religione est fundatus in altissima paupertate, quæ supponitur in ingredientibus vineam proximi: Ergo &c.

Verba legalia Dueteron. cit. sunt hæc: *Ingressus vineam proximi tuicome de vvas, quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum.* Ex hac ergo lege, sicut etiam ex eo, quod citati Pontifices, Nicolaus IV. Clem. V. & alii decernunt, concludendum est in nostro Instituto, usum rerum consumptibilium esse prorsus ab omni dominio absoluto distinctum.

*Solvuntur Objectiones.*

18 **O**bjicies primò, Jus ad utendum re aliqua, salva rei substantia, est usus à dominio distinctus: Ergo Jus ad utendum re, non salva ejusdem substantia, non debet esse Jus distinctum à dominio; sed in iis, quæ unico actu consumuntur, usus non salvat rei substantiam; quia est usque ad substantiæ consumptionem: Ergo in iis, quæ unico actu consumuntur, usus non est à dominio distinctus. Ant. patet, quia dominium est supra ipsam rei substantiam, & nudus usus non est supra substantiam. Probatum consequentia: in tantum Jus ad utendum re, salva ejus substantia, est à dominio distinctum, quia ad dominium spectat Jus ad rei substantiam; Ergo si Jus ad utendum re aliqua usque ad consumptionem substantiæ, non salvat rei substantiam, est Jus etiam ad substantiam; sed Jus ad substantiam est formaliter dominium: Ergo Jus ad utendum re aliqua usque ad consumptionem ejusdem rei non est à dominio distinctum.

Respondetur, dist. consequens: Si Jus ad utendum non salvans ejusdem rei substantiam, sit Jus omninò irrevocabile, & independens à voluntate alterius, non debet esse Jus à dominio distinctum, concedo: si est Jus revocabile, & omninò impedibile à voluntate alterius, antequam res illa consumatur, est Jus indistinctum à dominio, nego consequentiam. Ad pro-

bationem dico, Jus cadens supra rei substantiã, sive ad illam consumendam, sive alienandam, tunc esse indistinctum ab omni dominio, quando tale Jus est omninò irrevocabile, & independens a voluntate alterius; unde non præcisè spectat ad dominium non salvare rei substantiam; immò esse Jus ad substantiam absolutè; sed ulterius ad verum dominium requiritur, quod Jus illud sit irrevocabile, & independens à voluntate alterius. Quia ergo Jus illud utendi rebus, quæ unico actu consumuntur, est Jus impedibile, revocabile, & dependens à voluntate alterius, vel scilicet concedentis, vel donantis; ideo, estò sit etiam ad consumendam rei substantiam, vel ad ipsam alienandam, non per hoc sequitur esse Jus indistinctum ab omni dominio; adeoque &c.

Dices: Ufus in iis, quæ unico actu consumuntur, ita fit, ut cadat in rei substantiam, consumendam: Ergo talis usus est omninò à dominio indistinctus. Probatum consequentia. Cui conceditur talis usus, conceditur cum potestate consumendi totam rei substantiam; sed hæc potestas est omninò à dominio indistincta: Ergo &c. Probatum minor: si hæc potestas esset à dominio distincta, posset quis perpetuò uti re aliqua usque ad substantiæ consumptionem, sine dominio ejusdem rei; sed hoc repugnare videtur; cum usus à dominio distinctus, dicens perpetuitatem usus, sit à lege prohibitus; aliàs dominus rei nunquam posset re illa uti, cujus est dominus. Nam hoc prohibetur leg. *Senatusconsult. ff. de V usufruct. & alibi:* Ergo &c.

Eo vel maximè, quod quando quis donavit Fratribus Minoribus elemosynaliter res, quæ unico actu consumuntur, tunc à donatore, dominium illarum rerum fuit translatum ad ipsos Fratres Minores: Ergo legitimam habent potestatem, absolutumque dominium in rebus, quæ unico actu consumuntur.

Respondetur, eadem distinctione distinguendas esse singulas propositiones assumptas. Tunc ergo usus dicitur ab omni dominio indistinctus, quando eui conceditur usus, conceditur potestas consumendi rerum substantiam, ita ut dominium concedentis, & donantis sit translatum in donarium, seu in usum habentem consumendi. Et de hoc usu consumendi, sentiunt Jurisperiti, affirmantes, Vsum, & Vsumfructum non esse perpetuos, cum tunc nunquam dominus haberet dominium utendi; cum dominium esse non possit sine usu consumendi substantiam rei, sub ejus dominio cadentis. Ceterum, quia Vsum, de quo loquimur, qui dicitur usus facti, ita tendit ad substantiam consumendam, ut cui conceditur usus, non sit translatum dominium, sed semper usus illarum rerum sit revocabilis, cum à voluntate donatoris dependeat; hinc est, quod sit ab omni dominio distinctus; & quia est revocabilis à proprio dominio, idè non esset dominus omni usu spoliatus; cum per revocationem donati-

tionis posset Dominus illa eadem re uti: ac per consequens non esset perpetua potestas utendi, usque ad consumptionem independentem à voluntate concedentis usum, vel donantis; adeoque &c.

Ad additum dico, quod si dominus rei intendat se spoliare omni dominio in rem illam, ad quam usum habent Fratres Minores, tunc dominium ipsum, non est ad Fratres translatum, sed ad Sanctam Sedem Apostolicam; adeoque nullum illius rei habent Fratres dominium.

Dices: In tantum usus rerum, quæ unico actu consumuntur, esset à dominio distinctus, inquantum talis usus esset dependens à voluntate alterius; sed hæc ratio non probat: Ergo &c. Probatur minor: potest dari rerum usus dependens à voluntate alterius, qui tamen non sit à dominio distinctus: ut patet de pupillis, qui sunt domini rerum, quæ consumuntur, & tamen talis usus est dependens à voluntate Tutoris: Ergo idem dicendum est à pari &c.

Respondetur, dicendo, non solum, quia usus rerum, quæ unico actu consumuntur est à voluntate alterius dependens, sequi debere, quod sit à dominio distinctus; sed quia usus ipse ita dependet à voluntate concedentis, ut possit pro libito suo usum ipsum revocare, & retardare. Et per hoc patet disparitas de pupillis, qui rerum usum usque ad rei consumptionem, habent dependentem à voluntate Tutoris, non potentis talem usum revocare, sed tantum potentis impedire, ne exeat in actum secundum; dum sub ejus tutela manet, ne ejusdem pupilli substantia dissipetur. At in casu nostro, ita usus rerum consumptibilium apud Fratres Minores dependet à voluntate alterius, sive concedentis, sive donantis, ut non solum impediri, sed etiam retardari possit, & revocari, ne amplius illis rebus utantur; & ideo est ab omni dominio distinctus.

Objicies secundò: Tunc aliquis dicitur dominium habere in rebus, quæ unico actu consumuntur, quando ablati illis rebus, ei fieret injuria; sed si à Fratribus nostri Ordinis auferretur res illa, quæ unico actu consumuntur, eis fieret injuria: Ergo verè Fratres nostri Ordinis dominium habent in iis, quæ unico actu consumuntur. Probatur minor: non potest quis rem auferre ab aliquo, sine injuria illius; Ergo si à Fratribus Minoribus auferretur res aliqua, qua utuntur usque ad ejusdem rei substantiam consumendam, eis fieret injuria: Ergo &c.

Deinde: saltem usus illarum rerum, quæ unico actu consumuntur in communi, non est à dominio distinctus; cum possint ferè omnes Mendicantes in communi proprium habere. Nec est non in particulari: Ergo saltem usus communis utendi rebus illis, quæ unico actu consumuntur, non est ab omni dominio distinctus: Ergo &c.

Respondetur ad primum, negando minorem; ad cujus probationem dico, quod quando alicui auferatur res, qua utitur, tunc ei fit injuria, quando ad illam rem habet Jus independens, & irrevocabile à voluntate alterius; secus verò quando Jus est dependens, & à voluntate alterius revocabile, sicut est Jus; quod habent Fratres nostri Ordinis ad res, quæ unico actu consumuntur.

Dices: Ergo si à Fratribus auferretur res illa, qua utuntur, nulli fieret injuria; sed hoc est falsum; cum per surreptionem rei inferatur alteri injuria: Ergo &c. Probatur consequentia, quia si Donator absolute rem illam Fratribus donaret, ut ita intendat se spoliare quocumque dominio; tunc non esset assignandum, cui fieret injuria: Ergo, vel Fratribus ipsis, vel toti Ordini, vel nulli prorsus; adeoque posset quis furtum committere, sine injuria alterius.

Respondetur, negando consequentiam, ad cujus probationem dico, quod in illo casu, in quo donator se spoliaret omni dominio, tunc dominium ejus esset ad Sanctam Sedem Apostolicam translatum; & sic eidem Sanctæ Sedi Apostolicæ fieret injuria; & hoc quidem per renunciationem à nostro Ordine (ex privilegio eidem ordini concessio) factam apud præfatam Sanctam Sedem Apostolicam.

Dices; hæc responsio est contra assertum Joan. 22. Pontif. Max. Extr. ad Conditorem, ubi dicit, *Abdicare à se, & à Sancta Sede Apostolica, omne dominium harum rerum, ne Fratres Minores prætendant, illud esse apud Sedem Apostolicam*: Ergo non fieret Sedi Apostolicæ injuria, si à Fratribus auferretur res aliqua, qua utuntur, & quæ unico actu sit consumptibilis: Ergo injuria, per abdicationem Donatoris, fieret fratribus ipsis; adeoque ipsi Fratres de rebus illis habent usum indistinctum à dominio.

Respondetur, dicendo, quod estò assertum illud sit juxta citatum Pontificem; non tamen responsio, contra tale assertum censetur esse contra fidem; cum Pontifex id non asseruerit ut de fide, sed tantum ad suum ostendendum ingenium, ut Doctor scilicet privatus. Vel dicendum est (ut refert Sotus) id esse dictum in odium Patris Gulielmi Ocham Illustrissimi Doctoris ex nostra Religione; quia Doctores nostri, tunc temporis, erant suprascripto Pontifici infestissimi pro altissima tuenda paupertate; qua re illegitimè hoc dixit; & ut advertit Mastrius disp. 2. de Just. & Ju. art. primò, in extremo vitæ suæ, se à tali opinione retractavit. Ejus verò successores per speciale privilegium, & decretum, juxta mentem Alexandri, & Gregorii cit. renunciationem illam Fratrum minorum benignè acceptarunt.

Respondetur ad secundum; quod estò Patribus Conventualibus per speciale indulgentiam, à Summis Pontificibus concessam, conveniat, ratio dominij in communi (quod obser-

observantibus, Reformatis, & Capuccinis est denegatum) tamen tale dominium non est censendum rigorosum, irrevocabile scilicet, & inimpedibile. Nam sicut ex voto solemnium paupertatis à mendicantibus omnibus emissio, nil proprii habere possunt Mendicantes; sic, si aliquid commune à Pontificibus conceditur, hoc, sicuti non repugnat paupertati, ita non infert rigorosum proprietatis dominium; sed tantum dominium ex privilegio, quod rigorosam dominii rationem habere non potest; sed solum est dicendum Jus ad usum in communi. Ratio hujus esse potest, & quidem potissima, quam adducit Sotus; nam si particularis Frater vesceretur cibus communibus Conventus, non esset proprietarius; pari ratione neque proprietarius esset totus Conventus, si iisdem vesceretur cibus; adeoque &c. Multa ergo privilegia fuerunt mendicantibus concessa, quæ tamen fuerunt revocata per Concilia. Sic in casu &c.

20 Objicies tertio ex doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 18. art. 1. ubi ait, in illis rebus, quæ usu consumuntur, cui competit usus, eidem competit dominium; sed in his rebus, Fratribus Minoribus competit usus: Ergo eisdem proprium competere debet dominium; Ergo in rebus, quæ unico actu consumuntur, usus non est à dominio distinctus. Probat major: si cui competit usus rerum consumptibilium, non competeret earundem dominium, tunc posset vendi usus, pretio distincto, à pretio, quo res æstimantur; cum ex una parte venderetur usus rei consumenda, & ex alia parte res ipsa, secundum propriam æstimationem; sed hoc est falsum: Ergo &c.

Respondetur, dicendo, Dium Thomam loqui de usu rerum consumptibilium, independentem, & irrevocabilem à voluntate alterius, concedentis scilicet, vel donantis: in quo casu Jus utendi est indistinctum à dominio; cum talis usus sit apud Dominum rei. Ceterum usus rei, de quo nos loquimur, est usus rei omnino dependens, & revocabilis à voluntate alterius; & sic dominium esset apud Dominum; vel apud S. Sedem Apostolicam: apud Dñm, si à se non abdicavit dominium; apud Sedem Apostolicam, si donator à se abdicavit dominium. Neque sequitur in venditione illius rei, debere usum vendi pretio distincto à pretio rei; quia sicuti Fratres Minores non sunt veri domini rei, ita nequeunt usum vendere distincto pretio à pretio rei. Et dum vendunt, hoc faciunt licentia, ex vel præsumpta, vel expressa, sive donatoris, si apud ipsum est dominium, sive Sedis Apostolicæ, si est ad eandem translatum dominium; adeoque &c.

Quanam subjecta dicantur veri dominij capacia?

21 **T**Anquam de fide certum, ex Scripturis suppono, Deum, & homines, sicut ceteras rationales Creaturas, esse veri dominij capaces. De Deo insinuat in Psal. 23. per illa verba: *Domini est terra, & plenitudo ejus*; & quidem ratione creationis, & titulo gubernationis; necnon redemptionis, & cuiuscumque alterius beneficii nobis collati: quare perfectum, absolutumque dominium, & certè per essentiam, est Deo tribuendum, ad differentiam dominij Creaturarum, quod solum est tale per participationem. De Dominio hominum constat ex verbis illis Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, volatilibus cali, & bestiis Terra*. Unde fit, creaturas omnes usum habentes rationis, situm in intellectu, & voluntate, verum habere rerum dominium; quare Angeli quoque suarum saltem operationum verum habent Dominium. Hoc inquam ex Doctore nostro in 3. dist. 17. aperte colligitur, ut consonum citatis, & aliis scripturis. Per hoc ergo patet, creaturas irracionales, ut sunt Bruta, & cetera animantia, vera ratione dominij carere.

Insuper est supponendum, sicut in prima questione hujus disputationis locuti sumus de Jure, dominium aliud esse divinum, ex lege divina habitum, quod est in creaturis ad actus supernaturales: aliud naturale, inditum ex ipsa natura; & aliud humanum, & hoc vel est Jure Gentium, scilicet omnium populorum; vel Jure civili, quod scilicet speciali Jure hereditatis, vel donationis &c. acquiritur. De utroque dominio procedit præsens controversia. Et questio exagitur de parvulis; Ametibus, etiam perpetuis; De filiis manentibus sub patria potestate, & de servis. Pluribus itaque partibus unica efformatur conclusio; unde

*DICO*, esse Dominij capaces circa res aliquas, tam parvulos, & Amentes, etiam perpetuo; quam filios familias, etiam constitutos sub patria potestate, & servos sub dominio domini manentes. Hæc conclusio, quò ad omnes partes, est juxta communem Doctorum sententiam. Est Doctoris nostri loc. cit. cum omnibus Scriptoribus, cum D. Thoma, & D. Bonaventura, eorumque sequacibus, sit

22 Probat prima pars de parvulis, & Ametibus. Ad veri, & perfecti dominij rationem, requiritur libera potestas disponendi de re, quò ad ejus substantiam; sed hanc liberam potestatem habent, tam parvuli, quam amentes: Ergo parvulis, & amentibus datur capacitas veri dominij. Major est certa ex dictis.

Pro-

Probatur minor primò: potestas disponendi de re, quò ad ejus substantiam stat in libera potestate creaturæ rationalis habentis facultatem, quò ad actum primum de re disponendi; sed parvuli, & sementes, estò usum actualem, non habeant rationis, tamen sunt rationales creaturæ, & principium habent liberum, licèt actualiter impeditum, disponendi de re: Ergo eis non est neganda potestas disponendi de re, quò ad ejus substantiam. Probatur secundò eadem minor, præsertim de parvulis, ex illo Apost. ad Gal. 4. ubi habetur: *Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit Dominus omnium*. Et hoc ipsum confirmant omnia Jura civilia: Ergo &c. Eò vel maximè, quod parvuli habent usum rerum consumptibilium irrevocabilem à Tutore; sed hic usus, ut dictum est in præterita quæstione est, indistinctus à dominio, immò est ipsum formaliter dominium: Ergo dicendum, est parvulos ipsos, sicut pari ratione amentes, esse veri domini capaces.

- 23 Probatur secundò, de perpetuò amentibus. Retum dominia, ut infra dicemus, sunt divisa: Ergo quæ possidentur à perpetuò amentibus, vel nullius domini sunt, vel alterius ab ipsis. Primum non est dicendum; Secundum est falsum: Ergo verè perpetuò amentes sunt domini capaces. Probatur prima consequentia: Jure gentium in tantum rerum dominia sunt divisa, in quantum bona dominorum nequeunt esse incerta; sed dum essent nullius domini, dicerentur incerta amentibus; vel si essent alterius ab ipsis amentibus, tunc quia ipsi nullius rei essent domini, dominia rerum non essent divisa: Ergo dicendum est, quòd quæ possidentur à perpetuò amentibus, non sunt alterius ab ipsis, sed verè sunt ipsorum possidentium: Ergo &c.

Confirmatur: perpetuò amentes Jure hæreditario parentibus succedunt; Ergo verum habent suarum rerum dominium. Antecedens est certum apud omnes, aliàs incongruè quis sumeret amentis hæreditatem. Probatur consequentia: in tantum hæreditario Jure parentibus succedunt, in quantum Jus habent ad legitimam hæreditatem; sed hoc Jus non est aliud, nisi domini: Ergo si succedunt parentibus in hæreditate, verum habent suarum rerum dominium.

Eò vel maximè, quia ad rationem domini fati est facultas radicalis principii liberi disponendi; quod non est perpetuò amentibus negatum: immò si Deus miraculosè aliquem ab amentia liberaret; tunc in actum quoque secundum exiret, disponendo de rebus sub ejus dominio manentibus: Ergo &c.

- 24 Probatur tertio de filiifamilias sub patria potestate constitutis: Filiifamilias sub patria potestate constituti possunt sibi ipsis aliquid acquirere, & multoties de eo pro libito disponere: Ergo illius rei verum habent dominium. Consequentia sequitur. Probatur antecedens: Filiifamilias manentes sub patria potestate

possunt ex militia, vel occasione militiae justè stipendia, donativa, ac etiam bona mobilia, vel immobilia possidere, quæ dicuntur bona Castrensia. Possunt insuper ex studio; & alterius liberalis artis exercitio aliquid aliud acquirere, ut judicatum, Advocat ionem, libros & similia, quæ bona quasi castrensia dicuntur; sed de his omnibus rebus potest filius, etiam manens sub patria potestate, disponere ad suum beneplacitum: Ergo &c. Probatur minor: quod filius proprio, & justo labore acquirit, ita filii est, ut si Pater de eo quicquam usurpaverit, excepto alimento proprii filii, ad restitutionem teneatur, & filius eam rem possit, mortuo Patre, à Cohæredibus repetere: Ergo potest de illis rebus, sive castrensibus, sive quasi castrensibus ad suum beneplacitum disponere.

Confirmatur: quod justè à parentibus conceditur filiis manentibus sub patria potestate, ita sit ipsorum, ut possint eo uti ad suum beneplacitum, usque ad rei consumptionem; sed id, quo potest filius uti usque ad rei consumptionem pro suo libito, cadit sub ejusdem filii dominio: Ergo aliquarum rerum Filiifamilias habent verum dominium. Probatur major hoc exemplo: Si Petrus Paterfamilias teneat hic Neapoli Titium filium suum ratione studii, & ei concederet centum aureos annuatim usque ad eorum consumptionem, tunc Titius posset de illis nummis disponere ad suum beneplacitum; sed non posset hoc modo uti, & disponere, nisi verus esset dominus illorum nummorum: Ergo id, quod justè conceditur filiis à parentibus, ita sit ipsorum, ut sint ejusdem veri domini.

- 25 Probatur quarto de servis. Primò: servi verum, directumque dominium habent propriæ vitæ, & membrorum integritatis: Ergo verè sunt domini capaces. Antecedens probatur: si quis membrum aliquod mutilaret à servis, injuriam eis faceret; sed injuria resultat ratione domini circa rem, ex cujus violatione sequitur injuria: Ergo &c.

Eò vel maximè, quia nullo Jure concedi potest potestas, & dominium in membra, aut famam servi: Ergo signum est, quod potestas ipsa disponendi, & dominandi est apud eisdem servos.

Secundò: servus manens sub potestate domini, potest ab eodem integram recipere libertatem; ut eveniret si Dominus servum dimitteret: Ergo etiam manens sub eadem potestate, potest partem libertatis accipere; sed in hoc casu dominium aliquarum rerum haberet, putà illarum, quæ ei essent à Domino donatæ, & in ejusdem translata dominium, utendi nimirum, & usumfructum, ratione lucri capiendi: Ergo &c.

Tertio ex hoc, quod servus esse possit Dominus suæ famæ, potest esse capax bonorum fortunæ; Ergo &c. Probatur assumptum: si ob compensationem injuriæ illatæ Dominus dona-



donaret servo pecuniam aliquam , vel possessionem , tunc Servus illorum bonorum fortunæ ex tali compensatione provenientium , esset verè Dominus : Ergo &c. Probatur antecedens , quia sicut injuria facta est Servo directè , quatenus ipse immediatè recipit damnum ; ita bonum proveniens ex compensatione illius injuriæ debet esse sub ejusdem Servi dominio : Ergo &c.

*Solvuntur Objectiones.*

26 **O**bjicies primò , probando , parvulos , & amentes , non esse domini capaces . Tunc aliquod subjectum redditur capax domini , quando potest de re cadente sub ejus dominio pro suo libito disponere ; sed nec pueri , nec amentes possunt pro suo libito , quicquid disponere : Ergo non sunt domini capaces . Major supponitur cetta . Probatur minor : potens disponere ad libitum de re , est quoque potens acceptare liberè rem illam , de qua disponit , vel per donationem , vel Jure hæreditario , vel per emptionem &c : sed parvuli , & amentes , non possunt liberè acceptare rem illam , de qua ad libitum disponere debent : Ergo &c. Major patet infra , ubi dicemus , ad dominium rei requiri acceptationem . Probatur minor : nequit quis rem aliquam acceptare liberè , nisi usum ætalem rationis habeat ; hoc tamen actualiter carent pueri , & amentes : Ergo &c.

Respondetur , dist. majorem : est capax domini sumpti pro administratione rei , quando potest &c. pro suo libito disponere , concedo : sumpti pro facultate disponendi , & non pro actuali administratione , nego majorem ; & eodem modo distincta minori , nego consequentiam . Ad probationem , dico , quod ad disponendum de re aliqua , scilicet ad illam administrandam , utique requiritur libera acceptatio ex parte donatarii , vel hæreditarii , vel emptoris &c. ut communiter tenent Doctores : nam quando quis usum habet rationis fit hæres , & dominus rei , dum rem illam quomodolibet venientem sub ejus potestate , recipit : quare regulariter non est verum , ad facultatem disponendi , in quo consistit ratio formalis domini , requiri liberam acceptationem , secundum quam possit actualiter pro libito suo disponere . Unde restat , quod licet parvuli , & amentes per usus rationis carentiam , habere non possint rationem actualiter disponendi , neque esse liberæ acceptationis capaces ; possunt esse tamen capaces domini illarum rerum .

Dices : si sola facultas disponendi de re , absque actuali administratione , sufficeret ad rationem domini in parvulis , & amentibus , posset Pater transferre dominium bonorum suorum in filios parvulos , & amentes , absque eorum acceptatione libera ; sed hoc est falsum , cum communiter Doctores affirmant , ad domini trans-

lationem requiri liberam acceptationem ex parte ejus , ad quem transfertur dominium . Ergo nullatenus amentes , & parvuli habere possunt dominium : Ergo &c.

Respondetur , neg. minorem . Dico , acceptationem liberam ex parte ejus , ad quem trãsfertur dominium , non esse absolutè necessariam , sed tantum in casu , quo hæreditarius , vel donatarius usum habeat rationis ; & hoc modo Doctores sentiunt , necessariam esse acceptationem liberam , ut dominium unius ad alium transferatur . Et sanè , si in omnibus esset necessaria acceptatio libera , tunc filius parvulus , & amens non esset hæres Patris , nec posset in bonis Patris succedere , quod est contra omnem legem . Succedit itaq ; in hæreditatem paternam filius , est parvulus , & amens ; non tamen potest hæreditatem illam administrare , ob carentiam usus rationis . Quod autem filius parvulus , vel amens sic ad hæreditatem Patris succedat , patet , quia si hæreditas ab ipsis auferatur , tunc eis fieret injuria , & auferentes tenerentur ad restitutionem . Patet etiam , quia nullus alius potest esse illorù bonorù dominus : neque sub nullius potestate relinqui , cum rerù omnium bona sint divisa : Ergo simpliciter , & absolutè dicendum est , bona illa paterna per hæreditatem provenientia , etsi non adsit acceptatio libera , quæ est necessaria ad liberam administrationem , quia tamen adsit legitima successio manere sub dominio filii , licet parvuli , vel amentis : adeoque &c.

27 **O**bjicies secundò , probando , perpetuò amentes , non esse domini capaces . Perpetuò amentes , nec habent , nec habere possunt actum secundum disponendi de re , quam habent ; Ergo non possunt esse domini capaces . Antecedens patet ex ipsa perpetuitate amentis . Probatur consequentia : dominium constituitur in re propter actum secundum ; Ergo si perpetuò amentes nec habent , nec habere possunt actum secundum , non possunt esse domini capaces .

Deinde : si Pontifex incideret in amentiam , esset à Pontificatu deponendus , nullumque erga subditos haberet dominium : Ergo à fortiori dicendum , quod si quis esset perpetuò amens , nullum Dominium rerum haberet . Antecedens est certum , cum amentia sit una ex causis depositionis Pontificis . Probatur consequentia : intantum deponitur à Pontificatu Pontifex incidens in amentiam , in quantum amentia impedit dominium erga subditos , seu actum secundum dominium exercendi ; sed hoc ipsum facit in perpetuò amentibus : Ergo &c.

Respondetur ad primum , dist. antecedens : non possunt habere actum secundum , tam per se , quam per alium , nego antecedens : per se tantum concedo antecedens , & nego consequentiam ; & eodem modo dist. probationem . Dico igitur , perpetuò amentes , est per se non possint exire in actum secundum disponendi de re , quam habent , quia tamen possunt in actum secundum



secundum exire per Procuratorem, qui nomine ipsorum amentium disponat de re illa: verum de re illa habere dominium. Satis est ergo ad capacitatem dominii, ut usum rei omnino irrevocabilem habeant, uti esset in casu; & quod dominium exeat in actum secundum disponendi de re; sive per se, si capax est liberi usus; sive per alium, nomine tamen ipsius domini, si est incapax liberi usus. Hoc patet etiam à pari de pupillis, qui dum manent sub Tutoris tutela, non possunt per se disporre de re, cujus sunt domini; quia tamen ex una parte habent usum irrevocabilem; & ex alia parte res disponitur per ipsum Tutorem, nomine ipsorum pupillorum; hinc fit, pupillos ipsos esse veri dominii capaces. Ita in casu nostro dicendum est.

Dices: perpetuo amentes, cum careant usu rationis, non possunt constituere procuratorem, qui disponat de rebus, nomine ipsorum: Ergo carentia usus rationis tollit dominium; Ergo &c.

Respondetur in primis, retorquendo argumentum: pupilli, dum parvuli sunt, carent etiam usu rationis, neque possunt constituere procuratorem, seu Tutorem; & tamen sunt veri dominii capaces: Ergo à pari dicendum est de perpetuo amentibus. Vnde in forma nego consequentiam. Estò ergo perpetuo amentes non valeant, propter carentiam usus rationis, constituere procuratorem; tamen procurator ipse, vel constituitur à parentibus ex hac vita decedentibus, vel à Judice, ad quem spectat justè disponere: cum tam parentes, quam Judex vim habeant constituendi Procuratorem justè, & rectè rem alienam administraturum, faciendo, ac disponendo de re nomine amentis, sicut ipse amentis, si talis non esset, posset per se ipsum facere. Pupilli per se ipsos non constituunt Tutorem, sed parentes; qui tamen administrant rem pupillorum, sicut ipsi pupilli possent facere, & faciunt, cum exeunt à Tutela. Sic discurrendum est in proposito.

Respondetur ad secundum, negando paritatem. Disparitas est, quia cum dominium Pontificis sit dominium Jurisdictionis erga subditos, supponit facultatem administrandi, & actum disponendi res ecclesiasticas, ad quas disponendas incongrua esset procuratio facta alicui personæ, ut nomine ipsius Pontificis valeat hanc supremam dignitatem administrare. Ratio est, quia cuilibet dignitati Ecclesiasticæ usus est additus personæ, non minus ac Jus, per ordinem quidem, quem dignitas dicit ad aliorum regimen. Ceterum dominium proprietatis, cum non dicat talem ordinem ad aliorum regimen, potest esse facultas disponendi, in qua consistit ratio dominii, sine usu, seu actuali administratione; & ideo potest per procuratorem usus ipse suppleri.

Ubi advertendum est, quod estò lex suadeat aliquando, multos reddi dominii incapaces,

propter carentiam actualis usus administrandi; non tamen per hoc sequitur naturalis incapacitas. Capacitas orta ex lege debet supponere capacitatem à natura, tanquam legis fundamentum; at incapacitas à lege non necessario supponit incapacitatem à natura: quod patet de servis captis in bello Justo, & de hæreticis, qui sunt incapaces dominii à lege, non tamen sunt incapaces dominii à natura. Hac notata doctrina, poterit benè accommodari in re nostra.

28 Objicies tertio, probando, Filiosfamilias, non esse dominii capaces. Non possunt ejusdem rei plures esse domini simul, excepto contractu societatis; sed dum filius manet sub patria potestate, res, qua utitur, cadit sub Patris dominium: Ergo non potest simul cadere sub dominium filii manentis sub patria potestate: Ergo Filiusfamilias, non est veri dominii capax. Probat minor: quicquid acquirit filius manens sub potestate Patris, Patri acquirit; Ergo res, quibus filius utitur, cadunt sub patriam potestatem.

Deinde: Potest Pater impedire filios ab usu rerum, quas acquisierunt; Ergo filii verum non habent dominium in illas res. Probat antecedens, nam si filius esset vitiosus, posset propter dominium, quod habet in illum impedire omnem substantiam filii, ne substantia ejus consumetur: Ergo potest Pater filios ad usu rerum impedire: Ergo &c.

Respondetur ad primum, transacta majori dist. minorem: si res, quibus utitur, non sunt, neque bona castrensia, vel quasi castrensia, aut adventitia, nego minorem; si sumantur in alio sensu, vel sunt merè profectitia, concedo minorem, & nego consequentiam. Ad minoris probationem, dico, non esse absolute verum, quod quicquid filius acquirit, Patri acquirit; sed est propositio limitata. Valet tantum, quando res acquisita est merè profectitia, quia res talis acquiritur ex facultate Patris concedentis filio, ut rem illam administret: in quo casu, si filius aliquid acquirit ex tali administratione, Patri acquirit. Vel dicendum, etiam in rebus adventitiis provenientes, vel ex donatione, vel ex negotiatione; filium, quicquid acquirit, acquirere Patri, tantum quò ad utilitatem, & usumfructum, quatenus ad Patrem spectat, res illas administrare, posito quod Pater legitimum Jus haberet in filium; & in his adventitiis rebus dominium semper est apud filium, licet impeditum, donec exeat à potestate Patris. In rebus verò castrensibus, vel quasi castrensibus filius est absolutus dominus, nedum in actu primo, verum etiam in actu secundo; cum ad filium spectet directum, & utile dominium, scilicet administrandi, disponendi, & quomodolibet alienandi, absq; Patris consensu, non minus, ac si non esset sub Patria potestate: quia sunt bona proprio acquisita labore independentem à Patre. Unde sequitur, aliquid sibi

sibi filium acquirere, cuius rei est directus Dominus. Dixi in prima majori, transeat; quia poterit etiam absolute negari: nam ejusdem facultatis, & rei paternæ, proportionaliter loquendo, plures filii possunt esse domini: adeoque &c.

Respondetur ad secundum, dicendo, posse Patrem filios impedire ab usu rerum, quas acquirerunt, si res illæ acquisite, sint bona adventitia, vel profectitia; secus verò si sint bona castrensia, vel quasi castrensia: quæ si à Patre imdirentur, essent injustè impedita; immò Pater si impediret, usurpando aliquid ex his bonis, teneretur ad restitutionem ( excepto tamen proprio alimento; quia in necessitate filius teneretur alere, & nutrire Patrem. ) Ratio est, quia in his bonis, etiam utilitas est apud filium. Et si sit vitiosus, sicut Pater, etiam Judex potest filium impedire ab usufructu: non quatenus Pater, & Judex dominium habeant in rem illam; sed quatenus lex suadet, rem esse custodiendam quantum custodiri poterit. Nec regulariter valet: Pater potest filium impedire ab usu, vel usufructu rerum: Ergo Pater est dominus illarum rerum? Non inquam, valet; quia usufructus, & usus sunt à dominio distincti; quare solus usus, & usufructus apud Patrem esset, & dominium apud filium; adeoque &c.

39 Objicies quartò pro Navarro, probando, servos non esse domini capaces. Ex pluribus legibus hoc statutum est: Ergo sunt omninò domini incapaces. Probatur assumptum primò ex Innoc. 4. cap. cum olim 2. de privil. habetur, *Servum, & Monachum in eo esse pares, quod neuter alicujus rei dominium habeat.*

Secundò *L. Id vestimentum 25. 7. de peculio: ubi habetur. Servum nec esse dominum vestimenti quotidiani; quia qui ab alio possidetur, nihil possidere potest.*

Tertiò *ex insti. per quas personas nobis acqui. §. Item nobis: ubi habetur. Servos, quicquid acquiritur quavis causa, vel occasione dominis acquirere.* Ex his ergo determinationibus satis constat, servos omninò incapaces esse domini: Ergo &c.

Respondetur breviter ad singulas doctrinas deductas ex legibus, dicendo, has auctoritates loqui duntaxat de rerum dominio perfecto, & omninò independenti, & inimpedibili à voluntate alterius; in quo sensu sicut Monachus à voluntate alterius dependet in usu rerum, quas possidet, sic etiam servus, qui vestimentis domini utitur dependenter ab ejusdem domini voluntate; & quod acquirit, domino acquirit, quando sic dominus voluerit, ut solùm ad ejusdem maneat nutum. At videtur esse quoq; domini, saltem imperfecti, capax servus omninò irrevocabilis à domino: in quo casu non acquireret domino, sed sibi ipsi. Quare auctoritates illæ intelliguntur quidem regulariter, non absolute; cum in casibus assignatis præsertim de fama, honore, ac libertate sint veri do-

mini, & circa ea dico, habere quoque perfectum dominium; cum ipsa bona usurpantes, etiam si sit dominus, ad restitutionem teneantur; adeoque &c. Hæc responsio tenetur à multis Doctoribus, & est nostri Fabri, Maltii, & aliorum &c.

Q V Æ S T I O Q V I N T A :

*An Beneficarii sint veri domini capaces?*

30 **I**N hac materia de Beneficariis, quò ad obligationem recitationis officii, & quò ad restitutionem faciendam ab omittentibus recitationem, sunt quædam damnatæ propositiones ab Alex. VII. sub num. 20. & 33. De quibus specialis erit sermo in 7. disp. hujus libri, de obligatione scil. Beneficiorum, quò ad divini officii recitationem. Notandum est pro intelligentia præsentis quæstionis, triplicis generis esse bona, quæ beneficarii possidere possunt, scilicet patrimonialia, quasi patrimonialia, & merè Ecclesiastica. Patrimonialia sunt illa, quæ beneficarii sibi ipsis acquirunt titulo donationis, hæreditatis, industria, vel aliquo alio modo. Quasi patrimonialia sunt illa, quæ beneficariis accidunt ratione ministerii ecclesiastici; ut esset id, quod acquiritur ex celebratione Missæ, ex Concionibus, ex cantu, & simili functione. Ecclesiastica verò sunt illa, quæ proveniunt ratione alicujus Ecclesiastici muneris: ut esset Episcopatus, Canonicatus, & similia.

Est insuper advertendum, quòd de his rebus Ecclesiasticis possessis à Beneficariis, aliæ sunt, quæ attinent ad congruam Beneficiorum sustentationem, & aliæ sunt, quæ supersunt, & non sunt necessariae sustentationi honestæ. Quæstio itaque non procedit de bonis patrimonialibus; quia nulli dubium est, hæc cadere sub beneficarii dominium. Ratio est, quia de his bonis liberè possunt disponere, nec per clericatum Beneficarii redduntur incapaces. Neq; procedit de bonis quasi patrimonialibus; cum etiam de his possint Clerici ad suum beneplacitum disponere; quia sunt justa stipendia propriorum laborum. Sola difficultas remanet de bonis Ecclesiasticis; nec sanè de iis, quæ necessaria sunt congruæ sustentationi Beneficiorum; cum de his etiam doceat comunis opinio, Beneficarios dominium habere. Sed sola difficultas est de Ecclesiasticis bonis excedentibus sustentationem congruam Beneficiorum. His itaque notatis, pro quæstionis resolutione

*DICO*, Beneficarios esse absolute dominos omnium proventuum beneficiorum suorum, estò peccent mortaliter, si superfluum partem in profanos usus expendant; subindeque ad restitutionem nõ teneri. Conclusio est ferè communis inter principales Doctores, quam sequuntur Amicus, Molina, Sotus, Lessius, & D.

F Tho-

Thomas qu. 185. art. 7. Adrianus, & ex nostris Faber, Poncius, Mastrius, & alii: Et est contra Alensem, Riccardum, Paludanum, Navarum, & alios, contrariam opinionem tenentes.

31 Probatur primò. Ad perfectum, integrumque dominium rei requiritur iusta dispositio rei ad beneplacitum domini, sine alterius injuria; sed beneficiarii possunt ad eorum beneplacitum disponere de proventibus ex beneficio ultra congruam sustentationem, sine injuria alterius: Ergo Beneficarii sunt veri domini omnium proventuum suorum beneficiorum. Major est certa ex ratione formali domini. Probatur minor: citrà injuriam alterius, possunt beneficiarii (ex communi omnium sensu) facere justos contractus de omnibus redditibus provenientibus ex beneficio, & quidē inter vivos (solum enim eis denegatur, de ejusmodi fructibus ultima voluntate testari) Ergo possunt ad eorum beneplacitum beneficiarii alienare, donare, vendere, & quomodolibet disponere de illis proventibus, absq; injuria alterius. Antecedens est certum, aliàs Ecclesia prohiberet, & declararet contra illos nullos esse, & irritos. Probatur consequentia: quando habetur justus, & legitimus rerum aliquarum contractus, persona faciens contractum, nullam facit alteri injuriam, & est verè dominus rerum, quæ contrahuntur: Ergo si justus est contractus de redditibus provenientibus ex beneficio, possunt beneficiarii, sine alterius injuria de illis ad eorum beneplacitum disponere.

Confirmatur hoc est Conc. Trid. sess. 24. de Reformat. cap. 12. ubi habentur hæc verba: *Si Beneficiarius animarum curam habens, ut esset Episcopus, à die adeptæ possessionis intra duos menses professionem fidei non fecerit, non faciat fructus suos, & si absuerit ultra tres menses in anno, dimidia parte fructuum pro prima vice privetur: & pro secunda vice omnibus fructibus, quos lucratus fuerit, privetur.* Sed hæc doctrina per Conc. statuta, non esset vera, si Beneficarii non essent omnium proventuum absoluti, & directi domini: Ergo &c. Probatur minor: privatio alicujus fructus provenientis, tum ex bono temporalis, aut secularis, tum ex bono Ecclesiastico, orta ex aliquo defectu, supponit dominium talis fructus, quo ob defectum privatur: Ergo &c. Probatur antecedens, quia si non adesset defectus, jam essent beneficiarii domini illorum fructuum: Ergo &c.

Confirmari potest ista ratio à pari: Si Judex ob defectum, aut delictum à Petro commissum, ipsum privaret bonis temporalibus, quæ possidentur à Petro (ut evenit in confiscatione rerum mobilium, & immobilium, & in executione pecuniarum, per pronunciatam sententiam) tunc privatio talium bonorum, supponit Petrum dominum illorum bonorum: Ergo à pari, si per Concilium Episcopi, & alii beneficiarii per defectus illos assignatos declarantur privati bonis provenientibus ex beneficio, signum est,

quod verum habent dominium illorum proventuum: Ergo &c.

32. Neque valet dicere cum Navarro, ex hac doctrina solum sequi, Beneficiarios esse tantum administratores fideles proventuum excedentium honestam, & congruam sustentationem, non verò absolutos dominos. Non valet, inquam, ex ratione assignata; & ex eo, quod Conc. habet in sess. 23. c. 1. de ead. refor. ubi ait, quod Episcopi, qui ultra tres menses (nisi ex urgente necessitate) absunt à suis Ecclesiis, fructus non faciant suos pro rata temporis absentia: sed teneantur fabricæ, vel pauperibus erogare. Hæc autoritas supponit, quod si non absint, fructus faciant suos: Ergo verè dominium habent de illis fructibus.

Deinde: si Concilium assereret, Episcopos esse tantum administratores, & non dominos illorum proventuum; hoc ideo esset, quia una pars reddituum pauperibus est distribuenda; sed ex hoc non probatur, Episcopos non esse veros dominos, etiam illius partis distribuendæ: Ergo &c. Probatur minor: supponamus partem spectantem ad congruam sustentationem Archiepiscopi Salernitani esse quatuor millia aureorum, & de aliis partibus facere debere distributionem fabricæ Ecclesiæ, & pauperibus; tunc sic argumentor: vel est absolutus dominus illorum aureorum, vel non. Si primum: Ergo etiam est Dominus istorum aureorum, qui supersunt, & de quibus facere debet distributionem. Probatur hoc assumptum; quia de illa parte sibi spectante, adhuc possunt superesse tria millia, cum ad suam congruam sustentationem possunt sufficere mille aurei, & tamen illorum aureorum est verè dominus, cum sit pars sibi cõpetens: Ergo etiam erit dominus omnium proventuum pauperibus distribuendorum. Si dicatur secundum: Ergo neque erit dominus illorum trium millium aureorum, quæ supersunt ex parte spectante ad ipsum Archiepiscopum; quod est falsum, etiam per adversarios: Ergo &c.

32. Probatur secundò: si beneficiarii non essent absoluti domini omnium proventuum ex beneficio, sequeretur, quod non distribuendo partem excedentem honestam, & decentem earum sustentationem, tenerentur ad restitutionem; sed hoc est falsum: Ergo verè beneficiarii sunt domini illorum proventuum. Probatur minor primò: quia si tenerentur ad restitutionem, hoc, vel proveniret ex vinculo Ecclesiæ præcipientis, & determinantis, superfluum esse distribuendum pauperibus, & sic isti Jus haberent in fructus illos ab Episcopo, vel ab alio beneficiario possessos; vel proveniret ex lege Justitiæ. Sed ex neutro capite oriri potest obligatio ad restitutionem: Ergo &c. Probatur prima pars minoris: Non oritur ex vinculo Ecclesiæ; cum nullum extet præceptum, neque in Sacris Canonibus id expressum sit, sicut est expressa obligatio illorum, qui non

acce-

accedunt ad divinum officium : & hoc per Sacros Can., & per Summos Pontifices est determinatum . Ultraquamquod Ecclesia permittit contractus , pacta , donationes , & cetera similia facta ab Episcopis illorum fructuum ; qui fructus , si non essent Episcoporum , jam contractus &c. essent nulli ; cum de rebus alienis non possint fieri contractus validi .

Neque oritur ex lege Justitiæ ; quia fructus provenientes ex beneficio Episcopali , vel sunt decimæ , vel prædia , vel census , vel dominia pagorum , oppidorum , Provinciarum , &c. Decimæ debentur Episcopo ex lege Justitiæ , quatenus spiritualia administrat : prædia , & censusveniunt ex fidelium donatione ad fundandam Ecclesiam : dominia verò sunt data ad splendorem , & auctoritatem Ecclesiæ ; & quidem absque onere pauperibus distribuendi : Ergo ex nullo capite ad restitutionem tenentur Episcopi non distribuentes pauperibus fructus illos , qui supersunt : Ergo &c. Probatur secundò eadem minor : nemo ad restitutionem tenetur , nisi constet , rem possessam esse alienam , & quod mala fide possideatur ; sed non constat , fructus illos , qui supersunt ex beneficio , esse pauperum : Ergo beneficiarii non tenentur ad restitutionem , dum distributionem non faciunt . Major patet , ex Reg. Juris , ubi dicitur : *In dubio nemo spoliandus est Jure , quod possidet ; & in pari causa potior est conditio possidentis* . Probatur minor : hoc non constat ex præcepto Ecclesiæ , ut dixi ; neque ex lege Justitiæ ; neque constare potest ex mente donatoris dantis patrimonium illa Ecclesiæ pro Episcopi sustentatione ; cum mens donatoris nequeat interpretari pro parte opposita ; quandoquidem pari ratione posset interpretari pro parte affirmativa pro nostræ sententiæ : Ergo &c.

Ex his infero , quod estò Episcopi , & ceteri beneficiarii sint domini illorum proventuum , qui supersunt ex condecienti sustentatione ; itaut si de fructibus illis distributionem non faciant , ad restitutionem non teneantur ; tamen graviter peccant , si portionem illam pauperibus , vel Ecclesiæ assignatam non reddant , aut distribuunt , & expendant fructus illos ad usus profanos , aut ad amicos , vel parentes ditandos . Ratio est desumpta ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 1. de reform. ubi habetur : *Omninò eis interdicit Sancta Synodus , ne ex redditibus Ecclesiæ , consanguineos , familiaresve suos augete studeant ; cum Sacri Canones prohibeant , ne res Ecclesiasticas , quæ Dei sunt , consanguineis donent ; sed si pauperes sint , eis ut pauperibus distribuunt* . Ex quibus verbis constat , Episcopos , & alios beneficiarios peccare graviter , si malè expendant redditus ex beneficio . Concludo igitur , esse utique absolutos dominos beneficiarios ; sed malè expendentes redditus ex beneficio , graviter peccare ,

34 **O**bjicies primò . Est omninò vetitum à Summis Pontificibus in Sacris Canonibus dominium fructuum provenientium ex beneficio : Ergo Beneficiarii verum non habent dominium proventuum ex beneficio . Probatur assumptum : Pontifices unanimiter affirmant , fructus ex beneficiis provenientes esse bona pauperum , res Christi , & Beneficiarios tantum esse dispensatores , & procuratores bonorum Ecclesiæ ; sed quæ sunt bona pauperum , & res Christi , non possunt cadere sub dominiū Beneficiarii ; cum plures nequeant esse domini ejusdem rei : Ergo &c. Probatur minor D. Prospero relatus 1 2. q. 1. can. *Expedi* , ait , *Facultates Ecclesiæ non esse proprias , sed in communi possideri* . Urb. Papa , ibid. *Can. Res* , ait , *Res Ecclesiæ non quasi proprias , sed ut communes , non in alios , quàm in præfatos usus , puta in subsidium pauperum , & ministrorum , & cultus divini , esse dispensandas* . Ergo ex Canonibus Summorum Pontificum fructus provenientes ex beneficiis sunt bona pauperum , & res Christi , & beneficiarii sunt tantum dispensatores , & procuratores : Ergo &c.

Respondetur negando antecedens , & ad probationem dico , utique veras esse Sacrorum Canonum determinationes illas ex Summis Pontificibus factas ; nihil tamen deducitur contra nostrum propositum . Primò , quia determinationes illæ intelliguntur de bonis Ecclesiæ , dum omnes Clerici , & Ecclesiastici vivebant in communi , quo tempore nullum erat inter Ecclesiasticos particulare dominium ; sed tantum in communi ; non verò intelliguntur post factam divisionem inter Ecclesiasticos , quibus singulis statutum , & erectum est speciale beneficium , Quare res illæ dicuntur Christi , quatenus ad Dei cultum donantur à fidelibus . Dicuntur bona pauperum , quatenus superfluum pauperibus est dispensandum , quomodo pauperes etiam vocabantur tunc temporis Ecclesiastici viventes in communi ; non quod pauperes Jus habeant in bona illa Ecclesiastica , nisi in extrema necessitate , in qua omnia bona sunt communia . Unde tamen Sacri Canones vocent Clericos , dispensatores bonorum Ecclesiæ , non per hoc auferunt ab ipsis dominium fructuum ex beneficio provenientium ; sed solum quatenus ex charitate tenentur superfluum dare pauperibus . Concludo igitur breviter , Sacros Canones loqui de redditibus Ecclesiæ , non verò de redditibus provenientibus Ecclesiasticis in particulari ex proprio beneficio ; nam , cum Ecclesia sit mater Pauperum , pauperibus suam assignavit portionem , cujus dispensatio est apud Ecclesiasticos : fructus verò beneficiorum , quæ assignantur beneficiariis , sub ipsorum dominium cadunt , & non alterum ; adeoque &c.

F 3

Dices:

Dices, autoritates, & determinationes illas intelligendas esse juxta statum Ecclesiasticum; sed status Ecclesiasticus, ultra victum, & indumentum nequit aliud possidere: Ergo omnino determinationes illæ excludunt Beneficiarios à ratione domini circa fructus beneficii, qui supersunt ex beneficiariorum sustentatione. Probatur minor ex illo Pauli 1. ad Timot. 6. ubi ait: *Habentes alimenta, & quibus segamur, his contenti simus*: Ergo excepto victu, & indumento, nil aliud conceditur Clericis possidendum: Ergo &c.

Responderetur, dicendo, Apostolum loqui, ne dum de statu Ecclesiastico, sed etiam universaliter de omnibus secularibus; quòd scilicet tum Ecclesiastici contenti sint victu, & indumento, juxta condecens statum; tum seculares iisdem contenti sint. Loquitur enim Apostolus, admonendo Mundi amatores, ne querant superfluum; & si habeant, hortatur, id esse pauperibus erogandum. Unde D. Hieron. hac ratione Pauli ductus, ait: *Aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria retinere probatur*. Nam omnes ex charitatis præcepto tenentur pauperibus subvenire de iis, quæ victum, & vestitum superant. Sic loquitur Divus Thomas super illud Lucæ 12. dicentis: *Quod superest date elemosynam*, dum ait Angelicus ipse Doctor: *Omnia superflua jubet dominus pauperibus erogari*. Hoc quidem supposito, sic arguo: ex charitatis præcepto tenentur etiam seculares pauperibus erogare, & distribuere superfluum ultra victum, & vestitum; & tamen nemo negat, seculares non esse veros dominos illius boni superflui, estò contra charitatem peccent pauperum inopiæ non subveniendo. Ita à pari, estò hortatio illa Apostoli principaliter sit ad Ecclesiasticos, qui pauperibus succurrere debent de superfluo victus, & indumenti; non per hoc sequitur, Ecclesiasticos ipsos non esse veros dominos illius superflui ex proprio beneficio provenientis, licet peccet graviter contra charitatē. Còcludo igitur, teneri Ecclesiasticos ex propriis bonis, quæ supersunt ex victu, & vestitu alere pauperes, ex præcepto quidem charitatis, non ex justitia; aliàs Jus pauperes haberent in fructus illos cujuscumque beneficiarii, quod adeo est falsum, ut pauperes in extrema etiam necessitate nudum usum habeant distinctum à dominio; quatenus bonum ipsum, cujuscumque illud sit, est bonum commune in tali necessitate duntaxat; unde restat dicere, sensum Apostoli non tollere omne dominium; adeoque &c.

Objicies secundò, auth. D. Aug. dicentis, ut refertur 16. q. 1. *Can. Decima, Qui decimas dare noluerit, quanti pauperes in locis suis, ubi ipse habitat, illo decimas non dante, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante aeterni Iudicis tribunal apparebit; quia rem à Deo pauperibus erogatam, suis usibus reservavit*. Sed hæc autoritas sanè probat, fructus, qui super-

sunt, esse fructus pauperum, ipsisque distribuendos: Ergo &c.

Deinde: Conc. Trid. sess. 25. cap. 1. de reform. ait: *Omnino interdicat Sancta Synodus, ne ex redditibus Ecclesiæ, consanguineos, familiaresve suos augere studeant &c.* Ergo si Concilium interdicat eis, scilicet beneficiariis, ne ditent consanguineos &c. signum est, quod reddituum provenientium ex Ecclesiastico beneficio, non sunt veri domini.

Responderetur ad primum, dicendo, Divus Augustinus esse locutum pro illo tempore, quo Ecclesiastici in communi vivebant, qui nomine pauperum veniebant; unde homicidiorum reus dicebatur ille, qui negabat decimas horum pauperum, ex qua isti peribant; & sic tot homicidiorum reus apparebit ante æterni Iudicis tribunal. Non autem loquitur Augustinus pro tempore, quo facta est beneficiorum divisio, juxta particularem vitam. Tempore ergo communis vitæ, omnes pauperes, tam Seculares, quàm Ecclesiastici pascebantur decimis, & sic omnes pauperes dominium usufructus ex decimis provenientis habebant. At post factam divisionem, unicuique assignata est propria portio, cujus portionis unusquisque est dominus.

Dices: si post factam divisionem unusquisque Ecclesiasticus, aut beneficiarius est dominus omnium reddituum ex proprio beneficio: Ergo id quod superat honestam cujuscumque beneficiarii sustentationem, non est pauperibus, & Ecclesiæ distribuendum; sed hoc est expressè contra Canones citatos determinantes, teneri Clericos pauperibus distribuere superfluum: Ergo &c.

Confirmatur hoc, quia *Can. 12. q. 2. De redditibus*, habetur, fructus reddituum Ecclesiasticorum, & oblationes fidelium debere dividi in quatuor partes: una Episcopo, altera Clericis, tertia fabricæ, & quarta pauperibus: Ergo pars pauperum est permixta in illis fructibus Ecclesiæ; Ergo in beneficiis cujuscumque beneficiarii; Ergo tenentur beneficiarii ex justitia pauperibus succurrere, & superfluum administrare, ac per consequens non sunt domini illius superflui.

Responderetur, dist. assumptum: non est pauperibus, & Ecclesiæ distribuendum ex charitate, nego: ex Justitia, concedo assumptum, & sic dist. minorem illatam. Tenentur ergo beneficiarii ex superfluo pauperibus succurrere, & Ecclesiæ; non quidem ex Justitia, sed ex charitate; quare deducimus, esse veros dominos illorum reddituum. Canones ergo citati in hoc sensu sunt intelligendi; unde etiam si jubeant canones, ita esse faciendum; jussio illa non est lex, sed præceptum; charitas enim obligat ex præcepto succurrendi, Justitia autem obligat ex lege reddendi, quod alterius est.

Ad confirmationem responderetur, Canonem illum *De redditibus* esse intelligendum pro lo-

cis illis, ubi non est specialiter assignata quarta pars pauperibus; nam in illis locis, ubi non est assignata quarta pars pauperibus, ibi est permixta in bonis cujuscunque beneficiarii, & sic singuli ex præcepto Ecclesiæ tenentur erogare superfluum pauperibus: non ex Justitia, sed quatenus Sacri Canones præcipiunt, ex Ecclesiæ redditibus dandam esse quartam partem pauperibus. Pauperes ergo ut membra Ecclesiæ dicuntur Jus habere erga redditus Ecclesiæ, non Jus ex Justitia, sed Jus ex præcepto.

Omnes illæ autoritates si contra Nos militarent, probarent etiam, Clericos nullius redditus esse Dominos.

Respondetur ad secundum, dicendo, determinationem illam Concilii esse potius pro nobis, quam pro adversariis; nam in tantum Concilium eis interdicat, negare pauperibus superfluum reddituum ex beneficio, & ex ipsis redditibus ditare parentes, in quantum supponit, eos esse dominos illorum reddituum; cum præceptum supponat dominium; declaratio autem derogat dominio, aut dominium tollit. Quare intentum Concilii est ponere præceptum de succurrendo pauperibus, non autem auferre, aut declarare, illorum reddituum non esse veros, absolutosque dominos: unde Episcopus V. G. de superfluo si parentibus, vel aliis daret, peccaret contra charitatem ratione præcepti, non verò contra Justitiam, quatenus esset rerum alienarum usurpator.

Hac responsione solvuntur omnes autoritates, tum ex Sanctis Patribus, tum ex Sacris Canonibus, sive supra assignatis; sive assignandis ab adversariis, estò ponatur verbum illud (Jubeo) cum hoc verbum sonare possit, ne dum Jus, sed etiam præceptum; quod quidem non tollit dominium.

36 **Objicies tertio:** si Beneficarii dominium haberent omnium reddituum ex proprio beneficio, haberent quoque dominium proprietatis ipsius beneficii; sed hoc est falsum, aliàs possent pro eorum beneplacito beneficium vendere, alienare, & ad eorum beneplacitum disporre: Ergo &c. Probatur major: habens dominium in fructus rei, habet quoque dominium in rem illam; aliàs non esset dominus, sed simplex usufructuarius: Ergo si beneficiarii haberent dominium in omnes fructus beneficii, haberent etiam dominium in ipsum beneficium.

Deinde: Beneficarii sunt incapaces testandi de redditibus suorum beneficiorum, ut habetur in Sac. Can. cap. relatum 2. de test. & alibi: Ergo signum est, quod non sunt absoluti domini illorum reddituum. Probatur consequentia: qui est incapax testandi de re, nullum habet circa rem illam dominium: Ergo &c.

Respondetur ad primum, negando absolutè majorem, cum dominium proprietatis beneficii sit apud Ecclesiam, aut apud Sanctam Apostolicam Sedem, & Pontifices dicantur beneficiorum primi dispensatores. Ad probationem

dico, minorem illam esse absolutè falsam. Tunc enim habens dominium in fructus, habet etiam dominium in rem, quando titulo donationis, emptionis, &c. dominium rei dicitur ab una ad aliam personam translatum: ceterum quando non est sic translatum dominium rei; sed residet apud directum dominum possessorem rei, tunc estò in fructus habeatur dominium, nequit tamen dominium haberi in rem. Hoc patet de quocunque seculari dominio in fructus, & in rem, quādo quis fit rei possessor ex aliquo titulo. In casu ergo dominium beneficii esset apud Ecclesiam, quæ titulo donationis &c. Jus in rem illam acquisivit; at dominium fructus est apud beneficiarios, & quidem proprietatis.

Unde dicendum est coherentè ad ea, quæ dicta sunt in 2. q. hujus disputationis, beneficiarios esse Usufructuarios, at cum hoc stat, quod etiam sint domini; nam estò usufructuarius non sit dominus directus rei, est tamen dominus utilis, & usufructus est dominium utile rei, quod satis est, ut beneficiarii sint domini illorū reddituum, & ad restitutionem non teneantur, ut prætentur adversarii. Fructus ergo illi cadunt sub perfectum dominium Beneficiorum, estò beneficia non sint sub eorum proprietate.

Respondetur ad secundum, negando consequentiam. In tantum enim nequeunt Beneficarii testari de redditibus ex beneficio provenientibus, in quantum Ecclesia hoc vetuit, relinquendo sibi dominium transferendi fructus illos in aliam personam Ecclesiasticam: & justis de causis prohibuit, voluntatem testandi esse legitimam; quia voluit, res illas, quæ ex beneficio proveniunt, post mortem beneficiarii, esse collocandas in thesauro Ecclesiæ. Sicut etiam justis de causis aliquibus secularibus, præsertim impuberibus impeditur testandi facultas; at per hoc non sequitur, non esse veros dominos: sic in casa nostro discurrendum est.

Inferitur ex his, Beneficarios non esse dominos beneficii; sed tantum reddituum ex beneficio, & quidem etiam superantium congruam, & honestam eorum sustentationem; non verò esse dominos rerum tum mobilium, tum Ecclesiæ, sed de his duntaxat, dicimus esse dispensatores, & administratores.

Potest etiam opposita sententia probabiliter sustineri. De his satis.

Q V Æ S T I O S E X T A .

*An verè homo dominium habeat sue vite, & fame?*

**T**Radita notitia in præteritis quæstionibus de dominio in bonis fortunæ, visisque subiectis dominiis capacibus; merito in præsentem inquirendum est de dominio in bonis vitæ, & famæ,



famæ, quæ bona quidem excellentissima, ac præstantissima ceterorum videntur esse. In qua re supponendum est, ut in superioribus quæstionibus dixi, homines, verum habere dominium naturale circa omnes terræ fructus, & omnia terræ, maris, ac aeris animantia; juxta illud Psal. *Cælum cæli domino, Terram autem dedit filiis hominum: & ex illo Gen. primo. Faciamus hominem &c.* Hoc itaque inconcussum est apud omnes; quare nulla extat ratio dubitandi.

Supponendum insuper est, unum hominem, tam naturali, quam legali Jure, posse in alium dominium habere. De naturali est clarissimum; quia unus homo propter defectum rationis nequit se ipsum gubernare; unde ex lege naturæ subici debet consilio alterius hominis, ut gubernetur; non minus, ac pars sensitiva de lege naturæ est rationi subiecta; & quidem non obstâte amissione libertatis usus, quæ libertatis amissio, orta ex servitute, non est contra legem naturæ. Sic Pater dominium Jurisdictionis naturale habet in filios, & Vir in uxorem. De legali verò Jure conveniunt communiter Doctores, præsertim ex præclarissimis, Sotus, Lessius, Mastrius, & alii, affirmantes, licitum esse Jure Gentium, unum hominem esse alteri subiectum, vel justè emptum, vel in bello justo captum, vel quatenus ob delictum arbitrio Judicis ei imponenda est pœna. Prætermiſſis iis dominiis locum in dubitationibus non habentibus, sola ratio dubitandi restringitur in dominio supra vitam, & famam; & quæritur, an homo dominium habeat suæ vitæ, & famæ? Pro resolutione

*DICO*, non posse hominem dominium habere suæ vitæ, cujus dominus est tantum Deus: habere tamen suæ famæ, sui que honoris dominium. Hæc Conclusio, quò ad primam partem est communissima; quò ad secundam verò partem est contra Cajetanum 2. 2. q. 73. art. 2. & ex nostris contra Fabrum. Tenetur autem à principioribus Doctoribus, Navarro, Caspense, Lessio, Amico, Soto, ex nostris Vulpio, Mastrio, & aliis, quam sequitur, & firmiter propugnat D. Tho. q. 64. art. 5. & deducitur ex Scoto in 4. d. 15. q. 4. quò ad secundam partem.

37 Probatur prima pars: si homo dominium haberet suæ vitæ, posset de illa disponere prælibito suo, illaque se privare licitè absque injuria; sed hoc nequit evenire, immò oppositum suadet Justitia: Ergo nequit homo dominium habere suæ vitæ. Major est certissima, & colligitur ex ratione domini, quod est facultas utendi, fruendique re sibi subiecta; quare stat, quod in aliquo casu possit re illa cadente sub ejus dominium licitè se privare. Probatur nunc minor: si posset homo in aliquo casu justè disponere de sua vita, illaque se licitè privare, stare posset simul in homine actio licita, & justa, cum actione illicita, aut injuria; sed simul repugnat in eodem actu actio licita, cum injuria: Ergo &c. Probatur major: staret actio lici-

ta, ut supponitur in argumento, quod possit homo se licitè vita privare. Staret quoque injuria, & probò: qui agit contra Jus, tum naturale, tum divinum, injuriam facit ex actione contra tale Jus; sed si quis posset de vita sua disponere, & se illa privare, faceret contra Jus naturale, & divinum: (cùm de Jure naturæ unusquisque teneatur vitam suam conservare; & sit etiam de Jure divino; quoniam vita, & mors in manu Dei sunt) Ergo si posset homo se vita privare, hoc non posset esse, sine propria, & Dei injuria: Ergo &c.

Confirmatur hoc ex pluribus auctoritatibus. Primò ex Sap. 16. *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem.* 2. ex Deuter. 23. *Videte, quod Ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: Ego occidam, & Ego vivere faciam.* Cùm Ergo scriptura loquatur exclusivè de aliis, signum est, quod non sit in hominis potestate ejus vita: Ergo &c. Pythagoras (ut refert Cicero de Senect.) ait; *Nemini fas est injussu Imperatoris Summi Dei de præsidio, & statione vitæ discedere;* Ergo in nullo casu licitum est homini, se vita privare: Ergo nequit homo suæ vitæ dominus esse.

38 Probatur secundò alia ratione: Illius rei homo dominium habet, quæ potest acquiri propria industria, vel per translationem domini ab una ad aliam personam; sed neutrum evinire potest in homine circa ejus vitam: Ergo homo dominium vitæ suæ non habet. Major patet. Probatur minor, quò ad primam partem: id enim acquiritur propria industria, quod acquiritur ex libero ejus consensu præstito de Jus habendo in illud; sed nemo potest ex libero consensu præstito vitam acquirere; cùm nemo habeat usum rationis, antequam nascatur, immò hoc videtur in terminis implicare, cum usus rationis sit consequens ad vitam: Ergo &c. Probatur eadem minor, quò ad secundam partem: si fuisset trāslatum dominium vitæ in hominem; hoc à Deo fuisset trāslatum, cùm ipse principaliter homini vitam donaverit, per creationem; sed à Deo nõ est ad hominem trāslatum dominium, ut patet ex auctoritatibus in confirmatione adductis: Ergo homo per translationem domini neque dominium habet in propriam vitam: Ergo &c.

Eò vel maximè, quia vita est omnium dominiorum fundamentum: Ergo ipsius nequit homo dominium habere, sed solus Deus. Tum denique: dominium, cùm sit Jus ad alterum, supponit res distinctas; sed vita non est persona distincta ab homine: Ergo &c.

Inferitur ex his, solum Deum esse dominum Supremum vitæ, & mortis; hominem verò esse tantum custodem, & vitæ propriæ conservatorem. Nec Princeps, potest esse Dominus vitæ hominis. Quod collat ex rationibus assignatis, & ex illo Exodi 21. ubi habetur: *Qui percusserit virga Servum, vel Ancillam, & in manibus ejus mortui fuerint, criminis reus erit.*

Ex



Ex qua quidem doctrina Scripturæ colligitur, Principem, vel Rempublicam dominium non habere in homines; aliâ Scriptura non diceret, *Occisorem esse criminis reum*. Quare restat dicere, quod quicquid facit Princeps iusta de causa in occisione Subditorum, per sententiam hoc facit, non ut Dominus, sed ut Custos, & Gubernator Reipublicæ; sicut pariter facere potest homo in propria membra infirmata ad totam vitam servandam, & custodiendam.

39 Probatur nunc secunda pars: Potest homo in aliquo casu infamare licitè seipsum, ut dicemus in materia de restitutione; sed non possit licitè infamare seipsum, nisi sit Dominus suæ famæ: Ergo verum suæ famæ dominium habet, Minor patet à pari de bono vitæ; quia enim homo, non est suæ vitæ Dominus, ideo in nullo casu potest se vitæ privare. Probatur major primò ex auth. D. Thomæ dicentis loc. cit. *Certum est, in cuiuscumque arbitrio esse pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in detrimentum alevius*. Quando ergo infamia est in detrimentum alterius, tunc licitum non est infamare seipsum, ut in materia citata dicemus: Ergo &c. Probatur secundò: dum quis propter nimiam humiliationem confitetur crimina sua publicè, ita ut injustus, & peccator appareat coram populo, tunc licitè seipsum infamat, neque dicitur contra Justitiam peccare: Ergo potest homo licitè infamare seipsum. Antecedens est certum; quia multi Sancti ob nimiam humiliationem peccata sua publicè confessi sunt: sic inter alios fecit D. Augustinus lib. Confess. cujus peccata nondum erant populo manifesta: Ergo &c.

40 Probatur secundò: potest homo licitè infamiam sibi illatam condonare; sed hoc non posset evenire, nisi dominus esset suæ famæ: Ergo &c. Patet major de eo, qui ab aliquo infamatus est, & liberè condonat infamiam, immò laudabiliter. Probatur minor: qui Jus, & dominium, non habet in rem aliquam, non potest eam negligere, & ad suum beneplacitum de ea disponere: Ergo si homo potest licitè infamiam sibi illatam condonare, verè dominus est suæ famæ: Ergo &c.

Confirmatur hoc: quia, quando quis alium infamat, debet ei ex justitia famam reddere, etiam si opus sit, cum propria infamia; & nemo tenetur reddere alteri, quod suum est, nisi iste talis dominium habeat in rem illam: Ergo &c.

*Solvuntur Objectiones.*

41 **O**bjicies primò, contra primam partem, In tantum homo dominium non haberet suæ propriæ vitæ, in quantum natura inclinât ad vitam conservandam; sed hæc ratio est nulla; Ergo homo dominium habet suæ vitæ. Major est certa. Probatur minor: etiam

natura inclinât ad libertatem conservandam; & tamen homo suæ libertatis dominium habet, cum possit se licitè alteri vendere, ut constat ex l. 1. & 4. ff. quibus ad libertatem proclamare non licet: Ergo à pari, estò natura inclinât ad vitam conservandam, non ex hoc sequitur, hominem non esse suæ vitæ dominum.

Deinde: Homo dominium habet omnium illarum rerum, quæ ipsi inserviunt ad vitam sustentandam: Ergo potiori Jure dominium habet ipsius vitæ. Probatur consequentia: si propter quod unumquodque tale, & illud magis: Ergo &c.

Resp. ad primum negando minorè, ad cujus probationem dist. antecedens; & tamen habet dominium suæ libertatis, quò ad usum, concedo antecedens: quò ad radicem ipsius libertatis, nego antecedens, & consequentiam, Lex ergo citata determinans habere hominem suæ libertatis dominium, quatenus potest eam vendere, ac seipsum alterius dominio tradere, non est intelligenda de radice libertatis, quæ est propria hominis vita; cum per dominii translationem in alterius servitutem, nequeat Dominus dominium habere supra vitam servis; nam si Servus à Domino necaretur ob injustam causam, sine prævia Judicis Sententia, injuria illi fieret. Sensus tantum est de usu libertatis, quatenus quilibet homo est Dominus suarum operationum, de quibus disponere potest ad suum beneplacitum. Unde natura per se dicitur inclinare in radicem libertatis, quando quidem propriæ operationes sub ejusdem libertatem cadunt, & sic liberè de eis potest homo disponere.

Dices: Dantur casus, in quibus homo nedum utatur usu libertatis, sed etiam radicem ejusdem libertatis, ita ut pro libito suo posset se liberè periculo mortis exponere; Ergo nedum homo dominium habet in usum, sed etiam in radicem libertatis. Probatur assumptum: si quis evidenti periculo mortis grassante pestilentia ægrotis liberè assisteret: Vel in bellico certamine in primo conflictus ordine se collocaret, tunc uteretur propria vitæ, quæ radix est libertatis, ipsam periculo mortis exponendo, quod quidem liberè, & licitè faceret: Ergo &c.

Respondetur, negando assumptum, & ad probationem dico, ex illis casibus non rectè deduci, hominem dominium habere in radicem suæ libertatis, aut in propriam vitam; nam dum quis se mortis periculo exponit, uti eveniret in casibus assignatis, habere videtur tantum facultatem utendi propria vitæ indirectè, & per accidens; cum per se id homo ex natura sua non faciat, quilibet enim proprii individui conservationem amat. Ad rationem verò dominii requiritur facultas utendi substantia rei, quæ in casu esset propria vita hominis, directè, & per se, ut vera quidem habeatur ratio dominii.

Eo

Eo vel maximè , quòd etiamsi casus illi admitterentur absolutè , quatenus per se, & directè quis uteretur propria vita ipsam exponèdo periculo mortis ; tunc hoc non esset licitè , sed illicitè , & injustè , & sic teneretur ad restitutionem propter injuriam , quam Deo faceret : ad dominium verò requiritur licita dispositio de re, qua utitur; adeoque &c.

Respondetur ad secundum negando confessionem , ad cujus probationem dico , axioma illud Philosophi esse solùm verum , quando cetera sunt paria , non verò è contra ; & quando supponitur utriusque facultas . In hoc quidem sensu valet axioma : si manus est calida , propter ignem , ignis est magis calidus ; quia hic facultas calefaciendi ab igne derivatur , in cujus virtute manet facultas calefaciendi . Ceterum in proposito non infertur , nisi in hoc sensu directo : homo est dominus victus V. G. pro vitæ sustentatione ; Ergo ipsa vita hominis est magis domina victus . In hoc quidem sensu cetera essent paria . Quare solùm ex axioma illo Philosophi deducitur : homo est dominus rerum pro vitæ sustentatione ; Ergo est ejusdem vitæ Custos , & Conservator ; non verò , quod sit Dominus . Quod patet à pari ; nam homo est Dominus suarum actionum ad amicitiam Dei comparandam ; non inde tamen sequitur : Ergo est Dominus amicitiae Dei , aut gratiae divinae , per quam acquiritur Dei amicitia . Ita fit discursus in proposito .

Dices : *Deus reliquit hominem in manu consilii sui* , ut testatur Eccl. 15. Ergo signum est , quòd verè homo de vita sua disponere potest pro suo libito : Ergo &c.

Respondetur , auctoritatem illam esse intelligendam de usu libertatis , modo supra explicato , non autem de radice libertatis , quæ est propria hominis vita ; in quo sensu potest de suis operationibus homo liberè disponere , in cujus posse est nolle , & velle , vel volitionem suspendere , ut patet in libris de anima . Vel loquitur Eccl. de dominio merè physico , quod gratis conceditur , quod dominium stare potest cum illicita actione ; non de dominio morali , de quo est sermo , quod à licita actione separari non potest ; aliàs dominium esset cum alterius injuria , & sic actio non esset justa : adeoque &c.

42 Objicies secundò contra secundam partem : si homo esset dominus suæ famæ , posset licitè in aliquo casu infamare seipsum ; cum licitè possit disponere de eo , cujus dominus est ; sed in nullo casu potest quis infamare seipsum : Ergo non est dominus suæ famæ . Probatur minor , ex D. August. lib. de bono viduit. ubi dicit : *Conscientiam nostram esse necessariam nobis , famam proximis ; ac proinde crudelè esse , qui famam negligit* : Ergo signum est , quòd in nullo casu potest quis seipsum infamare .

Deinde : Nemo potest esse dominus propriae vitæ : Ergo neque famæ . Probatur consequentia : non minus est præceptum de vita ser-

vanda ( ubi dicitur : *Non occides* ) ac est præceptum de fama servanda ( ex alio præcepto Decalogi , ubi dicitur : *Ne dicas falsum testimonium* ) ; sed ratione primi præcepti videtur homo ne dum dominium non habere in vitam aliorum , sed nec etiam in propriam : Ergo ratione secundi , videtur dominium non habere in famam aliorum , nec in propriam : Ergo &c. Hoc etiam deducitur ex Augustino lib. de Civit. Dei cap. 20.

Respondetur ad primum , negando minorem , ad cujus probationem dico , D. Augustinum loqui de fama nostra servanda , quando hæc proximis necessaria videtur , uti verba ipsius sonant ; in quo quidem casu nemo potest seipsum licitè infamare , præsertim si ex tali infamia sequeretur infamia proximi : ut si infamans seipsum esset persona Religiosa , id resularet in totius Religionis infamiam ; vel esset persona publica , ad publicum regimen exposita , ex tali infamia sequeretur malum subditorum exemplum : vel quando ex bona nostra fama possumus aliis prodesse , quod ex infamia facere non possumus . In his casibus non est licitum infamare seipsum , non minùs ac infamare alios : non quia non potest quis de sua fama , quam liberè acquisivit propriis bonis operationibus , disponere ad suum beneplacitum ; sed quia ex consequenti sequitur peccatum contra charitatem ob infamiam , quæ aliis fieret . Potiùs ergo ex hac auctoritate deducitur nostrum propositum , quàm adversarium . Per hoc quod fama unius est alteri necessaria , potest de illa licitè , & liberè disponere ad alterius necessitatem : Ergo quòd alteri non est necessaria potest de illa quoque liberè disponere : Ergo poterit eam amittere , & sic seipsum infamare .

Dices : eodem lib. D. Aug. subdit : *Nobis necessaria est vita nostra , aliis verò fama nostra* : Ergo in nullo casu potest esse licita propria infamia : Ergo sicut ex necessitate propriae vitæ ; nemo dominium suæ vitæ habet ; ita ex necessitate nostræ famæ , pro ut aliis prodest , nemo poterit suæ famæ esse dominus .

Respondetur , dicendo D. Aug. locutum fuisse de fama , qua benè Reipublicæ servire possumus ; quare non debemus eam negligere , ut bono publico servientem ; præsertim quando ex tali negligentia scandalum oriatur . Hic fuit Augustini sensus ; loquebatur enim contra quasdam mulieres , quæ prætextu Sanctitatis propriam spreverunt famam ; unde publicum oriebatur scandalum , & hac ratione dixit , *proximis est necessaria fama nostra* , ad omne scandalum evitandum , ratione cuius peccatum committebatur contra charitatem .

Dices : si prodest , & necessaria est proximis fama nostra ; Ergo dominium non est apud nos , sed apud rempublicam : Ergo per verba Augustini semper excluditur famæ propriae nos dominium habere .

Respondetur negando assumptum . Ex illa ergo

ergo doctrina D. Augustini , non bene sic discurritur: fama est Reipublicæ necessaria: Ergo dominium ejus est apud Rempublicam , sicut neque ista illatio ab Augustino conceditur: vita est nobis necessaria , Ergo dominium ejus est apud nos . Quare restat dicere , quod ex charitate tenemur bonam famam servare , quando est proximo necessaria; non autem tenemur ex Justitia bonam famam servare : unde dum quis infamaret seipsum apud alios , sine proximi detrimento , non esset actio illicita , immò multoties licita , sicut evenit in confessione peccatorum , tum privatim apud confessarium , tum publicè coram populo in actu perfectæ humiliationis; adeoque semper famæ dominium est apud ipsummet hominem .

Respondetur ad secundum , negando consequentiam , & paritatem . Disparitas est , quia de omni eo , quod quis propria industria acquirit , est directus dominus : de eo autem , quod non acquirit , non est dominus , sed tantum Custos . Fama ergo ; & honor acquiritur ab homine propria industria , & labore; & sic homo est dominus , & potest de fama , sicut de honore disponere ad suum beneplacitum : ceterum vita non acquiritur propria industria , sed tantum propria industria conservatur ; unde tantum vitæ conservator , & non dominus dicitur . Ad Impugnationem dico , ex ratione illa utriusque præcepti , tam de non dicendo falsum testimonium , quam de non occidendo , tantum sequi , peccatum esse contra legem divinam prohibentem homicidium , & infamiam ; non autem sequi , esse peccatum , contra eandem specialem virtutem ; cum specialis malitia oriatur ab aversione specialis virtutis . Quia ergo ex occisione sequitur specialis malitia ex injuria , vel in solû Deum , si seipsum occidit , vel in Deum , & proximum , si aliu occidit ; ideo peccare dicitur contra Justitiam , non ratione præcepti tantum , sed ratione redundantis malitiæ : at ratione præcepti quis seipsum infamans peccat contra charitatem , & ex ratione prodigalitatæ contra liberalitatem , non secus ac si pecuniam omnem aliis distribueret , & tamen verè diceretur dominus illius pecuniæ : ita ergo verè dominus famæ diceretur ille talis , qui justa causa seipsum infamaret ; & sicut nullum committeret peccatum , qui ex bono sine licitè pecuniam distribueret , ita neque peccabit qui licitè ob bonum finem seipsum infamaret .

Concludo breviter , rationem illam præcepti non tollere dominium propriæ famæ ; neque ex ratione præcepti concludi , hominem non habere propriæ vitæ dominium , sed aliunde , quatenus vitam homo non acquisivit .

43 Objicies tertio . Ex pluribus Sacræ Scripturæ locis colligitur hominem non habere suæ famæ dominium : Ergo non habet tale dominium . Probatur antecedens primò : Eccl. 41. habetur : *Curam habe de bono nomine* . Secundò ex Proverb. 22. *Melius est bonum nomen , quam*

*divitiæ multæ* . Ex his ergo locis , cum verba Scripturæ habeant vim præcepti , & non tantum consilii . sequitur , quod ex Justitia tenemur bonam famam servare : Ergo signum est , quod nemo est dominus suæ propriæ famæ .

Respondetur dicendo , loca illa Scripturæ , ellò sint imperativa , non tamen auferre ab homine rationem dominii ; nam præceptum solum facit , quòd si quis irrationabiliter , & absque justa causa præceptum transgrediatur , peccet peccato prodigalitatæ ; sicut peccaret qui totam suam substantiam aliis prodigeret : at posita justa , & rationabili causa , potest quis præceptum transgredi , licitè quidem sine ullo tali peccato : quare ratio præcepti non tollit dominium , sicuti pecuniarum dominium non tollitur ex præcepto contra prodigalitatem .

Concludo igitur , hominem suæ vitæ non habere dominium , hoc tamen habere suæ famæ .

Q V Æ S T I O S E P T I M A .

*An aliquo Jure , & quo dominia rerum fuerint olim divisa ?*

**I**ndubitatum suppono apud omnes , in statu Innocentiæ omnia fuisse communia , nec frigidum illud verbum , meum , tuum , & c. auditum fuisse , vel unquam audiendum , si status ille perseverasset . Hanc mordicus omnes quidem Doctores propugnant , præsertim Doctor subtilis in 4. d. 15. q. 2. art. 1. ubi statum stabiliens Innocentiæ , nullam dominiorum assignat divisionem , nec ullo Jure excogitandam esse defendit ; & rationem assignans , ait : *In tali Innocentiæ statu nulla passio , aut inordinatus appetitus erat ; cum natura per donum originalis Iustitiæ perfectè instituta erat ; unde sola indigentia rerum erat pro vitæ humana sustentatione ; quare omnia Jure natura communia dicebantur* . Hinc nulli dubium est , quòd in Innocentiæ statu omnia dominiorum genera indivisa erant , præsertim earum rerum , quarum usus necessarius erat pro individui sustentatione ; de quibus nemo dicere poterat , hoc est meum , illud est tuum . At si loquamur de rebus , quarum usus non est pro individui sustentatione necessarius , sed tantum pro speciei conservatione , tunc , ut bene advertit Almainus Scotista cum nostro Aretino in 4. d. 15. q. 2. art. 7. non omnia erant communia ; nam solus Adam , & nemo alius in Corpus Hevæ dominium habebat , cum ipse solus esset Vir Hevæ . Sola ergo difficultas est inter Doctores , an hæc rerum divisio fuerit introducta per peccatum , & quo Jure , naturali ne , an divino , vel humano ? Pro resolutione

*DICO* , Dominia rerum in statu naturæ lapsæ fuisse divisa ; & quidem cessante præcepto , sive permissivo , sive positivo naturali de rerum

communione in initio mundi conditi, Jure humano positivo dominia fuisse divisa. Hanc autem divisionem fuisse, & esse justam à lege positiva justa à quocumque Legislatore lata fuerit. Conclusio tres habet partes, & quò ad omnes communis est ferè inter omnes Doctores, in solo modo explicandi dissentientes; tenetur à Scoto loc. cit. & ab omnibus Scotistis. Ita etiam Sotus, Molina, Lessius, & alii, Et

Probatur prima pars: In statu naturæ lapsæ dominiorum rerum communitas inducit maxima inconvenientia: Ergo in tali statu rerum dominia fuerunt divisa. Probatur antecedens: inconveniens est, enasci inter homines lites, & controversias, causa sustentationis; sed hoc sequeretur, si dominia rerum non essent divisa; Ergo &c. Probatur minor: stantè natura corrupta, & exclusa dominiorum divisione, Avari, & cupidi plus vellent accipere, quàm sit necessarium ad eorum sustentationem: immò fortes, & robusti plus per vim occuparent, quàm minùs fortes; sed ex hoc lites, & controversiæ orientur: Ergo &c. Assumptum est certum, & ex Gen. 10. patet de Nembroth, qui cum esset robustus, & fortis Venator coram Domino, id est Tyrannus, homines opprimebat. Probatur idè antecedens secundò. In hominum sustentatione Fortes Bellatores raperent ea, quæ infervirent pro aliorum victu, & sic alius quidem ebrius esset, alius autem esuriret: unus ditesceret, alius inopia cõficeretur; sed hoc est maximù inconveniens: Ergo &c. Rursus: in tali statu lapsæ naturæ Terra inculta esset cum quilibet victam procurare vellet, sine proprio labore; quod est inconveniens: Ergo &c. Probatur assumptum: ex eo quòd nunc aliqua pars terræ sub nullius dominio reperitur, arida conspicitur, & inculta: Ergo si sub nullius dominio res omnes essent in statu naturæ lapsæ, terra inculta esset &c. Concludendum est igitur, dominia rerum in statu naturæ lapsæ fuisse divisa.

Confirmatur hoc ex Gen. 13. de litigio orto inter familiam Abrahæ, & Loth communiter pascentes; ubi in Sac. Textu legitur: *Ecce universa Terra coram Te est: recede à me, obsecro: si ad sinistram jeris, Ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Propter litigia ergo facta fuit regionum divisio inter unum, & alium: Ergo quoties rerum dominia non fuissent in statu naturæ lapsæ divisa, daretur locus litigiis, & contentionibus in hominum sustentationis: quod quidem est rationi dissonum.

Confirmatur secundò ex D. August. sup Jo. tract. 6. ubi ait: *Vnde quisque possidet, quòd possidet? nonne humana voluntate? nam Jure divino, Domini est terra, & plenitudo ejus: jure ergo humano dicitur, Hæc domus mea est, hæc villa mea est, hic servus meus est; & per jura regia possidentur possessiones.* Hæc posteriora Augustini verba, clarè explicant, rerum dominia humano Jure in statu naturæ lapsæ fuisse divisa: Ergo ita dicendum est.

45 Probatur secunda pars, quòd scilicet Jure humano positivo fuerit facta rerum divisio. Nec Jure divino, neque naturali positivo fuit facta in statu naturæ lapsæ rerum divisio: Ergo rerum dominiorum divisio Jure humano positivo facta fuit. Probatur assumptum primò: Jure divino omnia sunt unita; cum ex Psal. 23. tectetur Augustinus autoritate supra adducta, *Domini est terra, & plenitudo ejus;* Ergo &c. Secundò de Jure naturali: si de Jure naturali, & præsertim positivo, fuisset facta rerum divisio, sequeretur, quòd post lapsum nil commune remansisset; sed hoc est falsum, cum de facto elementa, piscationes, venationes, &c. communia omnibus hominibus remanserint: Ergo neque jure naturali positivo facta fuit hæc dominiorum divisio. Probatur major: dominium de lege naturæ divisum taliter est unius, ut simul nequeat esse alterius; ut patet de naturali dominio, quòd Vir habet in Corpus mulieris: Ergo si hæc naturali lege positiva facta fuisset divisio, nil commune remansisset: Ergo à primo ad ultimum dicendum est, divisionem illam fuisse lege humana positiva factam.

Confirmatur: Deus per suum generale præceptum prohibuit furtum, concupiscentiam, & cetera alia vitia contra Justitiam, sed præceptum supponit Jus dominandi in rem, divisum ex lege humana positiva: Ergo &c. Probatur minor: si res, quam quis furatur, non esset ita unius personæ, ut non sit alterius ex lege humana positiva; & quòd concupiscitur non esset ita unius, ut non sit alterius; Deus non justè prohiberet furtum rei alienæ, & concupiscentiam rei alienæ: Ergo si adest præceptum Dei generale prohibens furtum &c. signum est, quòd Jure humano positivo, res cadentes sub unius dominio, non sunt sub alterius dominio.

46 Probatur tertia pars, quòd scilicet divisio dominiorum fuerit justa à lege positiva justa. Utrum dominiorum divisio sit justa, fieri debet ab habente potestatem res dividendi; sed hoc modo fit à lege positiva Justa regulante prudentem, ad ita faciendum: Ergo ut dominiorum divisio sit justa, debet fieri à lege positiva justa. Major supponitur certa, cum nisi quis potestatem habeat dividendi dominia, non possit justè decernere, hoc esse unius, & illud alterius. Probatur minor evidentissimè: cum justa potestate conferendi rerum dominia singula singulis stat regula dirigens voluntatem in collatione dominiorum; sed hæc regula est lex justa positiva: Ergo &c.

Confirmari potest rationibus adductis pro prima parte conclusionis.

Ex his infero, & suppono, fuisse rerum divisionem triplici modo introductam ex lege justa humana positiva. Primò ex lege lata à parente: quomodo Adam primus parens divisit filiis suis Cain, & Abel rerum dominia, prohibens, ne unus in rem alterius immisceretur; patet enim ex Gen. 4. Abel habuisse de primogenitis

nitis

nitis gregis , quos obtulit . Cain autem filiis suis Enoc Civitatem ædificavit . Secundò ex lege lata à Principe, in ejus potestate est concedere aliquibus id , quod ex hæreditate, non habent, determinando , quod primi occupantes Terram aliquam , sint ipsius domini . Tertio tandem ex lege justa positiva lata à Communitate, seu ab omnium hominum consensu, quo modo , vel ipsi antiquiores homines unanimi consensu Terras aliquas dividerunt ; ut constat fecisse Abraham, & Loth propter litigium inter Pastores unius, & alterius, qui unanimi consensu Terras dividerunt. Hoc itaq; supposito, rationabiliter apparet , factam esse post lapsum rerum divisionem; & quidem Jure humano positivo , ita ut quilibet dicere possit, hoc meum est, hoc tuum ; & exinde occupantes id , quod sub alterius est dominio , contra justitiam peccant, eorumque culpa à Deo punibilis est, ultra pœnam à lege humana taxatam . Attenta ergo hac doctrina , facile dignoscitur rationabilis causa divisionis dominiorum; quæ quidem post lapsum etiam utilis est .

*Solvuntur Objectiones.*

47 **O**bjicies primò contra primam partem : In tantum post lapsum fuisset facta dominiorum divisio; in quantum evitari justè deberent lites, & controversiæ, quæ ex corruptione naturæ oriebantur in Orbe ; sed hæc ratio nulla est : Ergo post lapsum non fuit rationabiliter facta dominiorum divisio . Major est fundamentum conclusionis . Probatur minor : Ante divisionem facta, adhuc lites, & controversiæ in Mundo ortæ, & oriundæ non sunt sublatae ; cum robustiores plura, quam debiliores occupent ; immò isti necessariis carent, & non illi : Ergo ratio illa, propter quam facta fuisse dicitur rerum divisio, non probat ; Ergo &c.

Deinde: si omnia rerum dominia in statu naturæ lapsæ fuissent divisa , non esset locus propugnandi erga proximum charitatem : Ergo signum est , quod post lapsum non fuerit facta rerum divisio . Probatur antecedens : nexus charitatis facit, quòd si uni deest, ab altero accipiat: Ergo accipiet ab eo tanquam rem communem possidendam , aut administrandam : Ergo &c.

Eo vel maxime, quia ob charitatem tuendam Apostoli in primordiis Christianæ Ecclesiæ vivebant in communi, ut nunc viuunt Regulares : Ergo charitas propugnatur ex eo ; quod omnia sunt communia; adeoque non fuit facta rerum divisio post lapsum.

Resp. ad primum neg. minorem, ad cujus probationem distinguo antecedens: de facto stante dominiorum divisione lites, & controversiæ insurgunt ad rem occupandam semper justè, nego assumptum: non semper justè, imò sæpe irrationabiliter, & fraudulenter, concedo assumptum.

Stante ergo facta dominiorum divisione , si robustiores res occupant, occupatio talis boni, (nisi esset bonum commune, uti essent piscationes, venationes, &c. vel bonum alienum bello justo captum, ut dicemus) non esset justa, & rationabilis occupatio, sed injusta, & irrationabilis; eo quia rem occupans, aliena occupare diceretur, quare alteri injuriam faceret : at si omnia essent communia, in divisione nimirum non facta, lites, & controversiæ magis orirentur, & quidem justa bonorum esset occupatio, & ex nulla parte injusta, non obtante, quòd alius minus, vel nihil occupasset; cum illud, quod occupasset, esset bonum commune, ad quod æquè haberet Jus, ac alter . Sicut patet de facto de rebus communibus . V. G. si duo essent Venatores in eadem communi sylva, magis, aut plus venationis occupans non diceretur injustè occupare, non obtante, quòd alius minus, aut nihil venationis occupasset : & ratio est, quia occupatio illa est de bono communi. Sic dicendum esset in casu, quòd justa esset occupatio, non facta divisione &c.

Respondetur secundò ad eandem minorem, dicendo : quòd licet de facto existant lites, & controversiæ, non per hoc tamen finis intentus ad dividenda dominia post lapsum, fuit irrationabilis ; nam ut aliquis finis sit justus, & rationabilis, ( ut advertit Aretinus ) non necessariò requiritur, quod finis per aliquod medium perfectè attingatur ; sed sufficit, ut attingatur omni meliori modo, quo attingi potest, itant absque illo medio nullatenus inconveniens evitetur ex fine non adepto ; unde etsi per illam dominiorum divisionem non fuerint perfectè, & omnimodè sublatae lites, & controversiæ; fuerunt tamen quodammodo sublatae : quod factum non esset, nisi dominia fuissent distincta, nam possent, stante communitate rerum, justa causa dicere, ego plus occupo, &c. neque possent ullatenus puniri, sicut de facto non puniuntur, qui in venationibus, &c. plus occupant .

Respondetur ad secundum, negando assumptum, immò oppositum eveniret ; unde nego consequentiam probationis. Solùm ergo in extrema necessitate omnia sunt communia de lege naturæ : hac necessitate præcisa, quæ cadunt sub unius dominium, non sunt sub dominio alterius . Ad propugnandam ergo charitatem erga proximum necesse est, ut cuilibet assignetur propria portio pro individui sustentatione, & quòd ei non fiat injuria: at posita communione rerum, unus posset omnia pro individui sustentatione occupare absque alterius injuria, cum rem communem, & non alienam occuparet : Ergo negata dominiorum divisione, non haberetur locus propugnandi charitatem . Quare ex facta divisione unicuique assignata est propria portio; unde solùm si aliæna quis raperet contra charitatem, immò contra justitiam peccaret . Ad ultimum dico,

quod poterant Apostoli, sicut nunc Regulares, vivere vita communi, quia non erant ita multiplicati, sicut homines totius orbis: adeoque.

Objicies secundò contra secundam partem, probando, non esse factam divisionem illam Jure humano positivo. Divisionem post lapsum factam esse Jure humano positivo, repugnat decretis legalibus: Ergo non est sic facta. Probatum antecessus, ex inst. de rerum divis. §. Ferè habetur, *Id quod antea nullius est, naturali ratione conceditur occupanti*: Ergo non jure positivo humano; Ergo &c.

Deinde; quod est factum ex dictamine, seu lumine naturali, est factum ex lege naturali; sed ratio naturalis dicit rerum divisiones ad jurgia auferenda: Ergo ex lege naturali facta fuit dominiorum divisio; Ergo non Jure humano positivo, aut Jure gentium.

Respondetur ad primum, negando antecedens, & ad probationem dico, assertum illud legale non esse contra Nos, nam in conclusione non loquimur de dominio ratione occupationis, sed ratione divisionis. Utrique ergo Jure naturali, quando de rebus communibus aliquid occupatur, tunc quia Jure naturæ occupatum est aliquid commune, ideo eodem Jure fit primò occupantis, ut patet in piscationibus, venationibus, &c. At ratione divisionis, quod uni est datum distinctum ab eo, quod alteri est concessum, id non fuit Jure naturæ, sed tantum Jure humano positivo.

Dices: id quod antea nullius erat, commune dicebatur: Ergo si naturali ratione conceditur primò occupanti, Jure naturali fuit ei concessum; Ergo quando post lapsum id, quod commune erat, conceditur uni per divisionem, conceditur ipsi, etiam Jure naturæ. Probatum ista consequentia, quia non minus nunc id, quod occupatur, erat prius commune, quam commune erat id, quod post lapsum fuit divisum: Ergo utrobique currit eadem ratio.

Respondetur, negando ultimam consequentiam, & paritatem. Disparitas est; quia quod conceditur primò occupanti, est de re communi desumptum, ita ut si ab alio esset primò occupatum, alterius esset, & non istius, absque litigio, & altercatione: sic si non esset facta aliarum rerum divisio, etiam aliæ res concederentur Jure naturæ primis occupantibus. Ceterum id, quod uni conceditur per divisionem illam factam post lapsum, taliter est concessum uni, ut idem sit alteri denegatum; & si id quod conceditur uni per divisionem illam, occuparetur ab alio, tunc iste alius injuriam faceret illi; quia est ita quilibet dominus rei per divisionem concessæ, ut in aliud non transeat dominium. Tota ergo ratio discriminis inter occupationem, & divisionem est; quia quod est Jure naturæ concessum, ut commune, nequit esse eodem jure distinctum, ac divisum; quia ergo piscationes, &c. sunt Jure naturæ communes, ideo si dividerentur, non essent Jure naturæ di-

visæ, sed Jure Gentium; at dum manent sub eadem communitate, occupans primò aliquam piscationem fit ejus dominus, ratione ejusdem Juris, quod habet in rem illam communem. Ita proceditur in divisione rerum.

Dices: si jure naturæ non essent res divisæ, sicut eodem Jure sunt occupatæ, tunc Jus naturale, per divisionem esset mutatum: quod non evenit ratione occupationis; sed hoc est falsum; nam Jus naturale est immutabile, cum contineat rectitudinem immutabilem; aliàs neque Jure naturali, quis posset de re communi aliquid accipere: Ergo &c.

Respondetur dist. majorem: Jus naturale negatiuum est mutatum, transeat: positivum, nego majorem, & eodè modo distincta minori, nego consequentiam. Antequam facta fuisset divisio rerum post lapsum, res omnes erant communes Jure naturæ negativo, non positivo, quia tunc non fuit latum de hac re ullum præceptum, neque communitas ipsa rerum fuit præcepta; aliàs præceptum hoc per divisionem fuisset abrogatum; quod est falsum: unde solum Jus naturale erat negatiuum, quatenus dumtaxat permittebat ut communitas, & non fuit prohibita divisio. Quare non videtur nunc mutatum Jus, ut prætendunt Sotus, & Lessius contra Doctorem nostrum in 4. cit. assertentem, Jus illud naturale esse revocatum.

Respondetur ad secundum, dicendo, majorem esse absolutè falsam. Si ergo per dictamen naturale intelligatur dictamen rationis dictatis hic, & nunc hoc esse honestum, & rationi consonum, tunc non est semper verum, factum esse ex lege naturæ, nisi sumas legem naturæ largè: quo sensu nullus haberetur locus propugnandi cetera Jura, sed tantum Jus naturale daretur, quod à nemine admittitur. Si verò per dictamen naturale intelligitur ipsa lex naturalis, tunc major est vera; sed minor falsa; cum lex ipse naturalis magis inclinet ad bonum commune servandum, quam ad rerum divisionem.

Colligitur ex his, quod quando fuit facta dominiorum divisio post lapsum, quia fuit facta ad jurgia, & alia inconvenientia auferenda, hinc non potuit esse facta, nisi Jure Gentium, aut Jure humano positivo, determinante, hoc ad hunc spectare, hoc ad alium &c. Jus autem naturale semper est ad rem communem, de qua quilibet participat, propter naturale Jus, quod habet in illam. His notatis facile diluuntur adversantium rationes.

49 Objicies tertio, contra tertiam partem. Divisio dominiorum fuit facta post lapsum contra Jus naturale; Ergo non fuit Justè, & licitè facta. Consequentia sequitur, quia quod est contra legem naturalem licitum, & justum esse non potest. Probatum assumptum antecedentis: lex naturalis disponit, omnia esse communia. Ergo divisio est contra legem naturalem.

Deinde: ex B. Clemente Epist. 5. (& refertur à Gratiano *Causa 12. q. 1. Can. Dissimilis*)  
habe.



*habetur, Communis usus omnium, qua sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit; sed per iniquitatem alius dixit, hoc esse suum, & alius istud; & sic inter mortales facta est divisio; sed non est iuste, & licite factum, id, quod factum est per iniquitatem: Ergo rerum divisio non est iuste, & licite facta; Ergo &c.*

Respondetur ad primum, negando assumptum, si sensus est de lege naturali rigorosè, & strictè sumpta; secus verò dicendum de lege naturali largè sumpta: unde non sequitur, esse irrationabiliter factam divisionem illam, quæ videtur esse contra legem naturalem largè sumptam, estò hoc esset verum, si facta esset divisio contra legem naturalem rigorosè sumptam. In statu ergo Innocentiæ lege naturali, non sunt præcepta communitas rerum, & prohibita divisio, aut proprietas; sed tantùm permittebatur communitas, sicut de facto permittitur communitas piscationum &c. quare contra hanc legem (quæ positiva est) nihil agitur per distinctionem factam dominiorum: unde restat, quod potest esse, & de facto licita est, non obstante, quod sit contra legem naturalem merè permissivam.

Est vel maximè, quod à Deo Creaturæ rationali datum fuit rerum dominium sub indifferentia ad communitatem, & divisionem; & sic, quæ communia fuissent in statu Innocentiæ, sunt divisa in statu naturæ lapsæ; adeoque &c.

Dices: D. Chrysost. hom. 10. in Epist. 1. ad Cor. & in orat. de S. Philogono, ait: *Hoc est meum, hoc est proprium; eo quod omnia sunt communia, nemo dicere potest, & subdit, meum, & tuum, frigidum verbum, & quicquid est malorum in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella: Ergo semper videtur esse irrationabilis divisio dominiorum, etiam si sit tantùm contra legem naturæ merè permissivam: Ergo &c.* Ita etiam sentit Amb. in cap. 12. Lucæ.

Respondetur, dicendo, sensum hujus doctrinæ esse contra avaros, qui nunquam bonis satiari possunt; & ad tuendam erga proximum charitatem: quare, in extrema præsertim necessitate, omnia dicuntur communia, estò sint sub alicujus, & non alterius dominio per divisionem; cum lex naturalis sit supra omnes leges humanas positivas, quæ respicit individuum sustentationem. Non est sensus de pura divisione post lapsum ex capitibus assignatis; quare restat dicere, non esse illicitam, & irrationabilem divisionem illam post lapsum in sensu explicato.

Respondetur ad secundum, dicendo, quod si verba D. Clementis benè considerentur, sunt potius pro nostra conclusione, quàm pro adversariis; nam utique per iniquitatem, scilicet per peccatum, alius dixit, hoc est meum &c. & hoc nos insinuamus dicendo, *per lapsum*, nimirum per corruptam naturam ex iniquitate

peccati, dominia rerum fuisse divisa: quod si iniquitas, seu peccatum non esset in mundo, omnia forent communia per Innocentiæ statum. Unde benè concluditur ex eadem auctoritate, quod quia corrupta est natura, licita, & rationalis sit divisio dominiorum: quod est contra adversariorum intentum. Concludo igitur, quod si permanisset status Innocentiæ, de jure naturali omnia fuissent communia; neque pro hoc statu, qui parum duravit, fuerunt de lege naturæ positiva, & rigorosa, omnia communia, sed tantùm permissiva, & de lege largè sumpta: quare non potest deduci contra nos, fuisse post lapsum mutatum Jus naturale; quia tale Jus non erat positivum. Restat igitur dicere, fuisse licite factam divisionem illam dominiorum post lapsum &c.

Q V Æ S T I O O C T A V A .

*In qua varia resolvuntur dubia circa modum acquirendi dominium proprietatis aliquarum rerum.*

Q V Æ R E S P R I M O .

*De modo acquirendi dominium circa res inventas quarum directus Dominus ignoratur?*

**R**es ergo fortuito inventæ, quæ priusquam fuissent amissæ, sub alicujus erant dominio, non sunt omninò censendæ communes, quibus quisque poterit sua propria uti voluntate, disponendi, si invenerit. De his ergo proponitur dubium, & quæritur, an res unius ab alio inventæ possint transire in dominium inventoris, vel potius inventor ad restitutionem teneatur, & quomodo? Pro decisione

Respondetur ad quæsitum, dicendo, res ab alio amissas, vel naufragio, vel quovis alio casu, non posse ulla ratione transire in dominium inventoris; earumque retentorem dici, & esse possessorem malæ fidei. Conclusio est ferè communis, & à *L. Codic. de furtis*, definita est.

Probatum itaque evidentissimè: ejusmodi res per naufragium amissæ, sive navis levandæ gratia, sive ex navis submersione, non sunt simpliciter voluntariè à directo domino relictæ: Ergo manent sub eiusdem Jure, tum naturali, tum humano positivo; sed quod est sub Jure unius, non potest esse sub alterius Jure, si id invenitur; quia non inveniretur, ut commune omnibus, sed ut particulare unius: Ergo res ab alio amissæ, non possunt transire in dominium inventoris. Antecedens patet, quia si primus dominus, seu deperdens adverteret ad res suas aut per naufragium necessitatem illam non pateretur, certè res illæ non essent amissæ: Ergo &c. Probatum consequentia: id quod non est sub jure communi omnium hominum manet sub



sub Jure particulari unius hominis; sed res illæ involuntariè amissæ per naufragium, non sunt sub Jure communi omnium hominum; quia supponuntur sub alicujus fuisse dominio: Ergo circa illas semper dominus directus, tum naturali, tum humano Jure dominium habet: Ergo &c.

Dices: multoties res inventæ in littore maris dicuntur bona fortunæ Inventoris; quæ in inventoris dominium transire possunt: ut esset si nullius adinventiretur Dominus post debitâ diligentiam; vel si inventor bona fide putaret res illas esse naufragatas in mari Indico, & hic Neapoli invenirentur: Ergo possunt res perditæ, saltem per naufragium, transire in dominium inventoris.

Respondetur, dicendo, quod res inventæ in littore maris, si non essent bona naufragata, sed bona maritima, seu fructus maris, ut essent lapilli pretiosi &c. tunc quia hæc sunt bona communia, & fieri possunt primò occupantis, ut patet de omnibus rebus, quæ sub nullius sunt dominio, possunt transire in directum dominium occupantis, aut inventoris; & ratio est desumpta ex eo, quod res illæ essent bona communia, & Jus acquiritur ad illas à primo occupante. Si verò res illæ, ut supponimus in conclusione, non essent bona maritima, sed naufragata, non possent dici bona fortunæ; cum semper aliena sint.

In his ergo bonis, ut Inventor tutam habeat conscientiam, debet omnem adhibere diligentiam inveniendi dominum, ut ipsi, qui directus Dominus est, restitutionem faciat. Si verò dominum non invenerit, vel quia putaret navim aliquam esse per longam distantiam naufragatam, tunc si Inventor pauper est, potest illis uti licitè: vel si pauper non est, debet Ecclesiæ, vel pauperibus distribuere. Si sciat cujus sint illa bona, & directus Dominus esset mortuus in naufragio, tunc debet hæredibus, quibus per legem acquiritur illarum rerum dominium. Ita quasi communiter tenent Doctores principales. Immo Raptores rerum naufragantium censentur, & pronunciantur excommunicati.

#### QUÆRES SECUNDO.

*De modo acquirendi Dominium in Thesuros in loco aliquo latentes?*

**S**uppono, res omnes, quæ sub nullius manent dominio, censendas esse communes, unde fieri dicuntur primò occupantis: quare licitæ piscationes, & venationes cadunt sub perfectum primi occupantis dominium absque ullo peccato, & absque ullo restitutionis debito; quia res illæ dicuntur communes. Si verò habeatur aliqua particularis lex pro statu rei, vel ex Reipublicæ consuetudine; tunc in alio sequenti quæsito resolvemus dubium. Juristæ omnes una-

nimiter asserunt, venationes, & piscationes; ceteraque communia transire in dominium primi occupantis. Ita *L. 1. ff. de acq. poss. & s. ferè, instit. de rerum divis. & L. 1. & 3. ff. de acq. rerum dominio.* Hoc supposito,

Pro claritate dubii præsentis dicendum est, Nos loqui de Thesauris propriè dictis, non de Thesauris, qui solum reponuntur ad custodiam in aliquo loco, cujus directus cognoscitur dominus. De primis ergo Thesauris, *L. Nunquam, ff. de acq. rer. dominio*, describitur Thesaurus, *Quod sit vetus depositio pecuniæ cujus non extat memoria, ut jam dominum habeat.* Pecuniæ autem nomine, veniunt, nedum nummi aurei, vel argentei, sed etiam gemmæ, catenæ, & similia. Ubi est advertendum, quòd si non sit vetus depositio, non est censendus Thesaurus; & si quis nummos absconditos inveniret, non censetur licitè illos occupare.

Jam verò locus, in quo potest inveniri Thesaurus, vel est publicus, vel particularis: si particularis, vel est proprius, vel alienus: si alienus, vel est unius domini, vel duorum. Veltandè locus est Reipublicæ, aut Principis, vel Ecclesiæ, aut Sacri Loci. Ad resolvendum itaque quæsitum,

51 Respondetur, dicendo, quòd si Thesaurus inveniat in loco publico, totus transit in dominium inventoris, tum Jure naturali, tum Jure gentium. Sic etiam si inveniat in loco proprio, aut in proprio fundo. Si verò inveniat in fundo alieno, dimidium est inventoris, & dimidium domini fundi. Quòd si locus est sub duplici dominio, tunc dimidium Thesauri est inventoris, & dimidium dividendum est inter illos duos dominos fundi. Quoad omnes partes hæc conclusio est communissima: tum ex pluribus legibus, tum ex pluribus Canonistis. Et est *D. Thomæ 2. 2. q. 66. art. 5. ad 2.*

Prima, & secunda pars suadeatur hac ratione: Thesaurus inventus in publico loco nullius est domini, & hoc quidem tam naturali, quam Gentium jure; sed quæ sunt sub nullius dominio, de utroque Jure transeunt in dominium primi occupantis: Ergo Thesaurus inventus in loco publico transit in dominium primi occupantis, seu Inventoris. Major est certa. Minor probatur, quia Thesaurus, de quo loquimur, est quædam vetus depositio pecuniæ &c; Ergo hujus pecuniæ non datur dominus: Ergo &c.

Si lateat in proprio fundo, etiam est inventoris, quia sub nullius est dominio. Ultraquamquod, *L. Vn. Cod. Inst. supra* habetur, *Thesuros, quos quis in loco suo invenerit, D. Adrianus naturalem æquitatem secutus, ei concessit, qui eos invenerit*: Ergo signum est, quòd Thesaurus latens in proprio fundo sit Inventoris. Tertia, & quarta pars patent etiam ex legis dispositione, *Cod. de Thesauris*: sive ex factò pacto inter inventorem, & Dominum fundi. Quòd autem sit utriusque domini fundi, & dimidium inventoris, patet, quia illi duo

do.

domini se habent velut unus dominus ; & sic pro rata parte eis debetur Theſaurus.

Si dicas, quod poſſit dari caſus, quo inventor Theſauri ſit unus ex dominis fundi, & quæras, quo pacto dividendus eſſet Theſaurus ille ?

Tunc reſponderetur dicendo, quod alteri domino non intervenienti ad inventionem Theſauri ſola quarta pars debetur. Quia tunc alter dominus inventor Theſauri, ſe haberet ut condominus, & ut inventor. Ut condomino debetur una pars : ut inventori, dimidium Theſauri. Quare ſemper inventori concedendum eſt dimidium Theſauri, & dimidium dominis, ſi plures ſint.

Advertendum eſt, quod in multis Regnis, Theſaurus, quò ad totum cedit Fiſco, & hoc quidem pro bono publico. In hoc Regno Neapolitano adeſt quædam conſtit. Caroli Primi, incipit, *Predicli Magiſtri &c.* qua ordinatur, Theſaurum inventum in quocumque loco, ſive publico, ſive privato, ſpectare ad Regem. *Conſtit. Pecuniam, cap. Caroli Primi &c.*

52 *PETES. An ſi arte magica, vel alio diabolico actu, inveniretur Theſaurus, tranſiret in dominium Inventoris ?*

Reſponderetur negativè. Quia cùm ars Magica ſecum ferat enorme crimen, ob dæmonis invocationem, hinc eſt, quod Fiſco tradendus eſt Theſaurus ſic inventus, aliàs punibilis eſſet pœna à Fiſco taxanda Theſauri inventor : Ergo non fieret dominus Theſauri, qui Theſaurum inveniret per artem Magicam. Si tamen per magicam Theſaurus inveniretur in agro alieno, dimidium ejus eſſet domini agri, quia Dominus agri parte ſua ob alterius maleficium non debet privari. Hoc communiter à Doctõribus affirmatur, & eſt certum in *L. un. cit. Cod. de Theſauris, & S. Theſauros, inſt. de ver. diviſ.*

Q V Æ R E S T E R T I O.

*An certò ſciens in agro alieno latere Theſaurum, poſſit licitè agrum illum emere ?*

**P**ro dubii reſolutione advertendum eſt, quòd (ly licitè) hinc ſumitur in hoc ſenſu, quatenus communi pretio poſſit ille talis, abſq; ullo reſtitutionis debito, emere agrum illum, in quo certò ſciat, latere Theſaurum ; taliter ut emens agrum communi pretio, fingeret ibi non eſſe Theſaurum abſconditum. Pro dubii reſolutione

53 Reſponderetur dicendo, ſcientem in agro alieno latere Theſaurum, non poſſe licitè, communi quidem pretio emere, ſed teneri ex obligatione reddere domino agri dimidium Theſauri. Ita *Lex un. cit. Cod. de Theſauris*, cum qua Caſpenſis, Maſtrius, & alii contra Navarum, Leſſium, & alios. Et

Probatum : dum quis emeret agrum illum, in quo certò ſciat latere Theſaurum, emeret do-

mino ignorante, & cùm damno illius notabili : Ergo non poſſet licitè emere agrum illum communi pretio, ſed debet domino manifeſtare, ibi latere Theſaurum. Antecedens patet, quia in tali caſu non ſervaretur æqualitas inter pretium, & rem : Ergo &c. Probatum conſequentia : Vendens rem aliquam, ut licitè vendat, debet manifeſtare vitium occultum rei vendendæ : Ergo & emens, ut licitè emat, debet etiam bonum occultum manifeſtare rei emendæ : Ergo &c.

Dices : dominus agri non eſſet dominus Theſauri ; Ergo ut emptio agri ſit licita, non neceſſariò manifeſtari debet abſconditus Theſaurus. Probatum antecedens ; quia Theſaurus abſconditus, ut patet, non eſt fructus agri : Ergo &c.

Reſponderetur dicendo, quod eſtò dominus agri non eſſet directus dominus Theſauri, eſt tamen dominus fundi ; & quia hac ratione lex cit. ſuadet, dimidiam partem Theſauri eſſe conferendam domino agri, dùm Theſaurus in agro alieno inveniretur ; ideo ſciens, in tali agro latere Theſaurum, debet domino hoc manifeſtare, ut licitus ſit emptionis contractus ; aliàs ſemper emptor teneretur reſtituere dimidiam partem Theſauri.

Si verò emptor agri alieni manifeſtaret domino, ibi latere Theſaurum, & ille talis, venderet communi pretio, non obſtante hac manifeſtatione ; tunc licitè poſſet emptor emere agrum illum, & ad reſtitutionem non teneretur. Quia tunc vendens, ſaltem implicitè cederet Juri ſuo.

Q V Æ R E S Q V A R T O.

*De modo acquirendi dominium circa venationes, & piſcationes ?*

**C**ertiffimum eſt, dominium circa venationes non fuiſſe ullo Jure diviſum, ſed omnia hæc in ſuo communi Jure naturali manuiſſe poſt lapſum. Quare qui primo in Venatione captat feram, aut quodcumque ſylveſtre animal, & in piſcatione qui primò piſcem captat, ſit dominus reſpectivè venationis, & piſcationis. Vnde regula legalis eſt, quod ea, quæ ſpectant ad jus commune, ſunt primò occupantium. Loquimur itaque de Venatione, & piſcatione in locis præſertim publicis ; nam ſi locus aliquis eſſet alicujus determinati domini ; & animalia quæcumque ſub alicujus eſſent dominio, tunc quæ caperentur, non eſſent licitè occupata : Vt eſſet lacus, aut murata Sylva alicujus Principis, in quibus locis animalia non eſſent cùm ſua ipſorum naturali libertate.

Nec loquimur de omnibus animalibus, ſed de iis, quæ ſunt omnino ſylveſtria, vel maritima ; nam indubitatum eſt apud omnes, quod qui caperet Oves, boves, Columbas in columbario, Gallinas, &c. quæ animalia ſunt manũta, nec adeo libera ad fugam, quin eſſe poſſint

sub

sub proprii, & directi domini dominio, teneretur ad restitutionem; cum licite fieri non possit primò occupantis; estò ista animalia effugerint. Ratio est, quia hæc manent sub dominio, & potestate Domini, non minùs, ac quælibet alia res casualiter amissa. Ita suadet, L. §. Gallinarum. Inst. de rerum divisione; ubi habetur: *Furtum committere, qui hæc animalia, cum effugerint, detinet.*

- 34 *PETES de his animalibus. An si Columba effugerint à Columbario, ita ut non redeant per aliquod spatium propriæ consuetudinis redeundi, & quis eas occuparet, possent fieri occupantis: sicut etiam de ceteris mansuetis animalibus, quæ per longum tempus non redeant ad proprium dominum?*

Respondetur dicendo, quod ex eadem Inst. cit. colligitur, quod si ejusmodi animalia per fugam illam sint redacta in pristinam libertatem, tunc possunt fieri primò occupantis. Et ratio est, quia dum Columbæ sunt positæ in libertate, sunt nullius domini, non minùs, ac aves captæ, & postea liberè volantes. At loquendo de aliis, ut de Ovibus, Bobus &c. tunc quia sunt ita mansueta, ut nullam ante habuerunt libertatem, nec sunt ita rapida ad fugam, ut non possint à proprio domino recuperari, non possunt fieri primò occupantis, sed proprio domino debent restitui.

- 55 Pro principalis dubii solutione, loquendo de venatione animalium sylvestrium, quæ naturalem habent ad fugam libertatem, pluram petam pro majori claritate.

*PETES PRIMO. An quis possit licite venari in prædio alieno?*

Respondetur, quemlibet posse in prædio alieno venari, dummodò tamen feræ non possint ex illo prædio exire, & nullum afferant damnum in agro. Est communissimum apud omnes Doctores. Ratio est, quia feræ, quæ in alienum agrum, aut prædium ingrediuntur, non sunt fructus agri spectantes ad proprium dominum, immò nullius dominio subjacent; cum sint in propria nativa libertate: Ergo cuiuslibet licitum est in agro alieno venari.

Nec inferas, sicut dictum est de Theauris, quod dividatur inter inventorem, & dominum agri; Ergo etiam fera capta dividi debet inter captorem, & dominum prædii, aut agri: Non valet hoc, quia maxima est disparitas inter Thesauros, & animalia, præsertim sylvestria: nam hæc, cum sint apta ad fugam, & eorum libertate ita effugiant in hunc locum, sicut in alium; ideo fiunt primò capientis ubicunque capiuntur. At Theaurus manet in fundo agri alieni, & quia fundus agri manet sub dominio proprii domini, hinc deducimus, Theaurum esse dividendum inter inventorem, & dominum fundi agri, ubi Theaurus inveniretur.

Notandum tamen est, sicut lex quoque prohibet, quod si ex venatione in prædio alieno resultaret damnum in prædio, vel rerum do-

mesticarum, vel frumenti positi in ipso prædio sive id fieret immediatè à venatoribus, sive à Canibus, Equis, &c. tunc teneretur Venatores, ob damnum illatum, ad compensationem reddendam, & restitutionem faciendam domino agri: idque etiam si Venator fuerit Princeps, vel loci Governator; cum venatio illa sit facta ob bonum privatum, non ob bonum publicum, cui postponendum est privatum: immò quia Princeps uni personæ, & non alteri interret damnum ob venationem (etiam si non teneretur ad restitutionem, quia venatio illa supponeretur inservire bono publico) tamen peccaret contra distributivam justitiam. Ratio est, quia distributiva justitia respicit plures, & non unam tantum personam in damnis inferendis.

Ex hoc deducimus, tam in Venatione, quam in piscatione, ac etiam in inveniendis Theauris, attendendas esse quasdam particulares leges cujuscunque Reipublicæ, Regni, Regionis &c. Nam in uno loco ob bonum publicum est permissum venari &c. quod in alio loco est prohibitum. Ita communiter etiam omnes Doctores tenent.

- 56 *PETES SECVNDO. An fera à me vulnerata, & ab alio capta, sit vulnerantis, vel capientis?*

Respondetur, dicendo, quod si fera vulnerata est ita in sua naturali libertate, ut effugiat, tunc potest fieri utriusque cum hoc discrimine, quod si vulnerans esset eam insecururus, & sic læsam posset eam capere, habendo moralem certitudinem de feræ captura, tunc absolutè fera illa sit vulnerantis. Ratio est, quia stante vulnere feræ illato, retinetur sub ejus potestate. Si verò vulnerans eam non prosequatur, nec certitudinem habeat eam capiendi, tunc fera illa sit capiētis, non vulnerantis. Et ratio est, quia in hoc casu fera illa est in sua libertate, non autem sub alterius potestate.

- 57 *PETES TERTIO. An fera capta in laqueo alieno, sit domini laquei, ita ut non possit ab alio eximi, & auferri à laqueo illo?*

Respondetur dicendo, feram captam in alieno laqueo fieri capientis, seu domini laquei, ita ut non possit ab alio superveniente eximi, & auferri; & si eximatur, & auferatur, tunc furtum committeretur, & ad restitutionem teneretur. Hoc est contra quosdam Doctores, & præsertim contra Navarrum. Ratio autem quare sit domini laquei est potissima. Nam dum fera illa est capta in laqueo Petri V.G. tunc suam amisit libertatem: Ergo redacta est eo ipso in dominium alicujus personæ; sed non alterius, nisi domini laquei; quia qui facit opus per suum instrumentum, per seipsum facere videtur: Ergo &c. Confirmatur ex lege de laqueo, ubi de acq. dom. sic habetur: *Feram meam esse, si in potestatem meam devenerit: Et ego cujus esset laqueus, ejusdem debet esse fera.*

Notitiam acquirendi dominium in his rebus tradidi in his dubiis, ut magis veritas determinationis clarescat, nec ex stylo purè scholastico

stico confusio aliqua haberetur. Quapropter quia difficultas præcipua est de servis, ideo de dominio circa servos peculiarem efformabo quæstionem.

QVÆSTIO NONA.

De acquisitione domini in proprios  
Servos.

**H**anc quæstionem quamplures Doctores movent, ut certa habeatur regula in acquirendo dominio circa servos, sive propriis nummis emptos, sive in bello Justo captos. Certum itaq; est, servos sub dominorum potestate manere, non minus ac filios familias sub patria potestate esse dicimus; ita nempe ut ab ipsis dominis nequeat eis injuria inferri notabilis, tum in conscientia, tum in corpore: cum nemo supra animam, & vitam alterius dominium habere possit, sive sit proprietatis dominium, sive Jurisdictionis: immo ex Jurisdictionis dominio optimè deducimus, dominum debere curam gerere subditorum salutis, & conscientie. Hinc

Notandum est, bellum, quo aliquis esse possit sub alterius servitute, posse esse ex una parte justum, & ex altera injustum: vel ex utraque justum: vel tandem ex utraque injustum. In pura defensione, sicut in vindicatione injuriæ illatæ in aliquam Rempublicam, semper bellum justum est; at ex parte injuriam facientis, bellum est injustum. Ubi suppono ex D. Thoma 2.2. qu. 40. artic. 1. in bello injusto nullum acquiri posse dominium in bona hostium; cum injustè sit illatum bellum. Solum igitur in bona hostium, tum mobilia, tum immobilia dominium acquiritur, sive bellum sit offensivum promotum ex gravi injuria illata Reipublicæ, vel regno, (secus loquendo de injuria facta privato Principi) sive sit bellum defensivum, dum absque injuria interveniente contra Regnum aliquod sit motum bellum. Horum ergo bonorum pro injuriæ compensatione (si quæ sit) immobilia transeunt in dominium Reipublicæ, vel Regis; mobilia verò in dominium capientium; vel omnia, vel aliqua (servata tamen particulari lege, quæ statuitur in Regiis Pragmaticis); ita ut ad compensationem injuriæ factæ Reipublicæ aliqua ex rebus captis transeant in dominium Regis, aut Reipublicæ.

Suppono itaque, quòd datur bellum justum, in quo quis captus est in servitutem alterius, vel à capientis dominio per venditionem servus sit in eminentis dominium translatus. Quæritur in præsentem, an ita dominium sit à domino servi acquisitum, ut non valeat servus fugere à servitute Domini, & teneatur redire ad proprium dominum, si fugiat? Pro resolutione quæstionis

*DICO*, servos, sive emptos, sive in bello justo captos, ita esse sub dominio domini, ut etiam possint fugere ad suos, si velint; non tamen posse dominis persequētibus resistere. Conclusio est plurium Canonitarum contra Navar. cap. 17. num. 103. & plures alios. Hanc tenent multi ex nostris, & etiam Sotus lib. 4. de Just. & Jure qu. 2. art. 2. Bannes, Lessius lib. 2. de Just. cap. 5. dub. 5.

58 Probatur primò: Servi, sive empti, sive in bello justo capti, manent sub dominio dominorum ratione Juris gentium habiti ex divisione dominiorum post lapsum; sed stante Jure gentium dividente dominia, adhuc servi libertatem habent fugiendi ad suos: Ergo ita servi sunt sub dominio domini, ut adhuc libertatem habent fugiendi ad suos. Major patet ex dictis de divisione dominiorum. Probatur minor: stante illa divisione Jure gentium introducta, servi non possunt ultra condignum onerari, quàm sit consuetudo gentium; sed stante gravamine, libertatem habent fugiendi ad suos: Ergo si à domino servi oneraretur ultra consuetudinem, possent ratione gravaminis ad suos fugere: Ergo &c. Major est certa, aliàs licitum esset injuriæ facere servis. Probatur minor: quilibet est dominus famæ suæ, & suæ vitæ conservator, & Custos; sed ex gravamine, ultra consuetudinem alicujus Reipublicæ, potest sequi injuria in propria fama, & vita servorum: Ergo stante gravamine, libertatem habent fugiendi ad suos. Probatur minor: potest, & multoties contingit, ut servus gravetur à domino suo quantum ad exercendos actus illicitos: vel quòd servus sit Christianus, & Dominus sit, vel Judæus, vel Turca, vel Hæreticus; in quibus casibus fama servi læderetur; sitque contra legem Ecclesiæ inimicis ejusdem servire, & peccatum patrare: sicut nec licet obedire Præpositis in actibus pravis præceptis. Vel si servus inhumaniter à Domino tractaretur, læderetur vita ejusdem, quam in conscientia conservare teneretur; Ergo ex tali gravamine sequitur injuria servi in fama, & vita, ad quam injuriam compensandam, servo licitum est fugere ad suos.

Confirmatur hoc ultimum, & simul assumptum ultimæ majoris primò: nemo tenetur cum periculo animæ suæ manere in alterius servitute; cum ea, quæ sunt contra animam, non sint facienda; sed contra animam servorum, esset, si provocati ad actus illicitos à Dominis, servi ipsi consentirent, & non fugerent à prava illa servitute: Ergo &c.

Tum etiam est prohibitum servire Judæis, & aliis Ecclesiæ inimicis, L. enim, Deo nobis, cap. 56. de Episc. & Cler. ubi Justinian. ait: *His itaque dispositis, repetita lege jubemus, ut nullus Judæus, vel Paganus, vel Hæreticus Christianos habeat; quod si inventi in tali reatu fuerint, sancimus, servos omnibus modis liberos esse, secundum antiquiorem nostrarum legum tenorem.* Ex quibus verbis apertè constat, cuicumque Chri-

H stiano

iano licere fugere à servitute Judæorum : Ergo &c.

59 Probatur secundò. In tantùm servi non possent à servitute Domini fugere, inquantùm ex ratione belli justì, vel titulo donationis transfuerunt ad totale domini dominium; sed etiam hoc dato, possunt ad suos fugere, relinquendo servitute illam: Ergo &c. Probatur minor: non obstante; quòd servi quocunque titulo transferint in dominium totale domini, potest dominus servos, post terminum servitutis, dimittere, ut ad suos revertantur, eos in pristinam libertatem restituendo: Ergo etiam habere dicuntur ex seipsis libertatem ad fugam, dum justa causa fugiendi interveniret. Probatur consequentià: primum evenit ex justo domini motivo; Ergo secundum evenire potest ex rationabili causa in servo: quæ causæ essent illæ assignatæ inter arguendum.

Confirmari potest conclusio ex legalibus determinationibus. §. ergo inst. de rer. divis. *Qui tamen si evaserint nostram potestatem, & ad suos reversi fuerint, pristinum statum recipiunt.* Et leg. Nihil 26. de captiv. & postliminio reversis, habetur: *Nihil interest, quomodo captivus reversus sit, utrum dimissus, an vi, vel fallacia potestatem hostium evaserit; ita tamen si ea mente venerit, ut non illò reverteretur.* Ex quibus verbis sanè constat, posse ad suos fugere servum, non obstante, quòd sit sub domini potestate, quocunque titulo: Ergo &c.

Advertendum tamen est, rationabiliter positam esse inter arguendum particulam illam, *ad suos*, ut denotetur, quòd fuga esse debeat ad recuperandam propriam libertatem, quam in propria patria quisque possidet: nam si fuga non esset ad suos, seu ad amicam patriam, tunc possent, & deberent regredi. Ratio est, quia dùm sunt in via, & nò in termino libertatis, libertatem non habent, & sic possunt compelli ad revertendum; immo debent in conscientia reverti, aliàs ad restitutionem damni, quòd inde domino eveniret, tenerentur, & mortaliter peccarent, si non reverterentur.

Ex his facilè sequitur secunda pars conclusionis, quòd scilicet non possint servi in fugam positi resistere dominis persequētibus. Quia nò adhuc sunt in libertatis termino, & sic dicuntur adhuc esse sub dominio domini. Sicuti Reus, etsi fugere possit è Carcere, vel è satellitum manibus, tamen nequit ministris justitiæ resistere, dum est in via, sed solùm censetur esse in libertate positus, cum est in termino, sive in Ecclesia, sive in locis, ubi nulla est Jurisdictio justitiæ persequentis Reum.

### *Solvuntur Objectiones.*

60 **O**bjicies primò. Servi, sive empti, sive in bello justo capti, amittunt omnimodam libertatem: Ergo his nullo

pactò licita est fuga. Probatur antecedens: Servus idem est ac arctatus; sed hic amittit libertatem: Ergo &c. Probatur major: qui arctatus est, si fugerit, graviter propter fugam à Domino, & à Judice castigatur; hoc etiam evenit, dum Servus fugit: Ergo &c.

Deinde: Si filius esset à parentibus legitime venditus, ei nullo pacto liceret fugere: Ergo neque servis in bello justo captis, vel emptis. Antecedens est certum, quia legitima filii venditio habetur ratione contractus. Probatur consequentià à pari: In tantùm filio vendito à parentibus, non licet fugere à servitute domini, in quantùm à dominio parentum translatus fuit ad dominium emptoris, qui, titulo emptio-nis, factus fuit dominus illius; sed dum Servus est emptus, vel in bello justo captus, ratione tituli emptio-nis, vel tituli Juris belli justì, factus fuit ejus dominus emptor, vel captor: Ergo &c.

Resp. ad primum dist. antecedens: amittunt omnimodam libertatem, dum actu retinentur arctati, ita ut careant omni naturali auxilio ad fugam, trāseat antecedens: amittunt omnimodam libertatem dùm nò sint ita arctati, ut aliquo naturali auxilio modum non habeant fugiendi ad suos, nego antecedens, & consequentiā: & hoc modo concessa majori, & minori, ad probationem, dico, quòd in tantùm servi fugientes si captantur in fuga, castigantur à dominis, & arctati, ac in carcere retenti à Judice propter fugam puniuntur, in quantùm licet ipsis (juxta probabilem sententiam) licita sit fuga, tamen eis privilegium concessum est in gratiam domini, & arctatis in gratiam Judicis; & quia crimen contra obedientiam committunt, ideo castigantur. At ex hoc non sequitur, quòd libertatem omninò amittant; cum libertas non amittatur, nisi quando per arctationem ita sunt in servitute positi, ut nullo naturali auxilio valeant fugere, & ad terminum suæ primæ libertatis pervenire: ceterum dum vim habent perveniendi ad suos, aut ad amicam regionem; licita est eis fuga.

Dices: Si Servi, dum sunt arctati, libertatem amittant, hoc est præcisa ratione servitutis: Ergo etiam dum non sunt arctati, & dicuntur Servi, præcise ratione servitutis, omnimodam libertatem amittunt: Ergo ratione hujusmodi servitutis, eis non licet fugere ad suos. Probatur assumptum: dum sunt arctati, licite, & justè sunt arctati, ratione suspicionis fugæ, vel ratione obedientiæ domino præstandæ, quam non præstarent: Ergo quia servi præcise, justè arctantur, ratione servitutis libertatē amittunt.

Respondetur negando antecedens, & consequentiā probationis. Licet ergo servi, dum sunt arctati, vel propter delictum, vel propter inobedientiam domino præstitam, licite, & justè dicantur arctati; tamen ex hoc non sequitur, quòd omnimodam amittant libertatem, nisi sint omni humano, & civili auxilio destituti, vel per sententiam damnati; quare ratio-

ne.

ne præcisè servitutis tantum, ut possint arctari, ne se ponant in fugam; non verò, quod quando non sunt ita arctati, ratio servitutis obstat, ne possint licitè pervenire ad terminum pristinae libertatis.

Advertendum est incidenter, quòd quando Servitus est ex libera venditione, quatenus quis se liberè in servum vendidit, tunc non est licitum fugere, & servitus ipsa opponitur omnimodæ libertati. Ratio est, quia per talem servitutem factus fuit contractus liber inter dominum, & servum; unde semper servus, dum fugeret, teneretur ad restitutionem; & sic fuga esset illicita. Si verò servitus est contra directam voluntatem servi, nec stipendium habuit de tali servitute (ut supponit nostra conclusio, de servis bello justo captis, qui præter eorum voluntatem inciderent in manus inimici); tunc servitus ipsa, non excludit omnimodam libertatem.

Dices: Si dum fugiunt, caperentur in itinere, non deberent servi resistere, ut revertantur; Ergo neque dum pervenerint ad suos: Ergo signum est, quod servitus ipsa opponitur omnimodæ libertati.

Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, quia in tantum non debent resistere, ut revertantur, dum capiuntur in itinere, in quantum non sunt jam in termino libertatis, sed in via ad recuperandam libertatem. Lex enim sup. cit. permittit fugam servis ad libertatem recuperandam, quæ quidem libertas perfectè recuperatur, cum jam sunt apud suos, vel apud amicas regiones. Et quia dum sunt in termino, non possunt à domino capi, & detineri; neque dominus eò pervenire voluerit, ne de domino servus evadat; hinc est, quod servi, dum fugiunt ad suos, habent perfectam libertatem, quam habere non possunt in itinere: nec etiam si ad alias regiones effugerint, non animo redeundi ad suos; cum tantum redeundi ad suos concessum sit servis privilegiū. Hinc si quis per viā ab alio esset factus servus, & alteri venditus, semper teneretur ad primum dominum redire; quia cum adhuc non supponatur habere libertatem, privaret proprium dominum usu sui: adeoque &c.

Respondetur ad secundum, negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia filii venditi à parentibus facti sunt servi per legitimum contractum inter eos, & emptores; in quem contractum ipsi, vel parentes loco ipsorum, justè consenserunt; & quia justus, & legitimus contractus nequit violari absque injuria contra jus emptoris, qui titulo emptionis evasit dominus illorum; ideo non est licita fuga filiis à parentibus ex justo consensu venditis. Ceterum servi, sive in bello capti, sive venditi à captoribus, non faciunt ex proprio consensu, neque ex alieno Jus habente in eos, justum, & legitimum contractum, licet contractus sit ab altero factus; & hinc est, quòd

non possunt ad suos fugere filii venditi à parentibus, possunt tamen, & quidem licitè, fugere servi.

Dices: Qui vendit servum in bello captum, facit licitum, & legitimum contractum cum emptore; non minus ac parens vendens filium in servum: Ergo ea ratione, qua filius non potest ad suos redire sine injuria contra jus domini, sic etiam servus. Probatur consequentia: in utroque casu violaretur contractus; Ergo &c.

Respondetur, negando consequentiam, & paritatem. Licet ergo utrobique contractus esset legitimus, tamen non eodem modo intervenit obligatio; nam in casu contractus de filio vendito, intervenit proprius consensus filii venditi, vel consensus Parentum loco filii, qui Jus habent filium vendendi; ceterum in contractu venditionis servi non intervenit consensus servi, neque parentum ipsius. Et licet interveniat consensus capientis, tamen hic consensus non potest supplere consensum proprium servi, cum nullum Jus supponatur habere in ipsum, sed tantum usum nudum; Jus verò in usum nudum non facit contractum irrevocabilem; adeoque &c.

61 Objicies secundò. In tantum possent servi uti sua libertate ad fugiendum ad suos, in quantum injustè gravari non possunt, tum in fama, & vita, tum in anima; sed adhuc dato hoc gravamine injusto, non eis licitum est fugere ad suos: Ergo &c. Patet major, & supponitur certa ex probatione conclusionis. Probatur nunc minor. Si propter injustum gravamen esset eis licitum fugere, esset licitum injuriam gravaminis compensare cum alia injuria, quæ per fugam sequeretur contra jus domini; vel cum injuria, quæ fieret Principi, vel Republicæ, si servus ille fugiens, fuerat immediatè captus in bello justo; sed quocumque gravamen sit maximum, nunquam pertingere potest ad faciendam compensationem cum injuria, vel injuria, quæ sequeretur in Domino, vel in Republica: Ergo &c.

Confirmatur, quia Servus in bello justo captus poterat à captore licitè occidi; quare mors inferenda redacta fuit, & commutata in Servitutem: Ergo Servitus ipsa non poterit compensari cum quocumque gravamine recepto à Domino, ratione cujus licitum sit servis fugere: Ergo &c.

Respondetur, admissa majori, negando minorem, ad cujus probationem dico, argumentum supponere, fugam Servorum ad suos, animo libertatem recuperandi, esse injustam: quod per nos est fallum. Prius ergo adversarii probare debent, fugam illam esse injustam, & à lege prohibitam (quod nunquam probabunt; cum lex nobis, & non adversariis favoat) & postea inferre debent fugam esse illicitam; & sic rectè deducerent, unam injuriam compensari cum alia, si scilicet hæc alia sequeretur; ac

H 2 quia



quia per nos licita est fuga, ideo nulla injuria fieret domino, si Servus ad suos fugeret, animo recuperandi libertatem.

Unde adverto, quod injuria facta Principi, vel Reipublicæ, quæ, si Captores occiderent suos inimicos in bello captos, refarciretur per mortem ipsorum, tamen dum mortem commutarunt in servitutem, injuria ipsa refarcitur per eandem servitutem. Et sicuti Servitus compensatur cum injuria facta Principi, vel Reipublicæ, vel pecuniis domini, si dominus Servum emeret; ita fuga servi ad libertatem recuperandam compensatur cum illo gravamine à domino recepto, vel recipiendo. Immo si gravamen esset in anima Servi factum, vel faciendum, eum scilicet incitando ad illicitos, & peccaminosos actus; nulla æqualis videretur compensatio; cum anima sit supra famam, & vitam; neque mala sunt committenda, ut bona inde sequantur: Ergo &c.

Ad Confirmationem dico, quod estò poterat Servus in actuali bello justo licitè occidi, tamen dum dominus, aut captor ei libertatem donavit vitæ; sicuti non est ampliùs in ejusdem potestate eum occidere, ita non potest eum notabiliter gravare, præsertim eum inhumaniter tractando, vel in anima gravando. Quare majus esset gravamen receptum à Servo, quàm injuria, quæ ratione fugæ supponitur secutura in personam domini; & sic injuria major absorberet minorem injuriam, sed reverà, ut sæpe diximus, nullam Servus injuriam facit domino, si ob justam causam ad suos fugiat.

62 Objicies tertio: Servus in bello justo captus, vel emptus, postquam est captus se habet veluti damnatus ad servitutem in pœnam delicti; sed damnatus ad servitutem in pœnam delicti non potest licitè fugere ad suos: Ergo neque potest licitè fugere Servus emptus, vel in bello justo captus. Minor est quasi communis Doctorum sententia; cum satisfacere debeat pœnæ inflictæ, aliàs semper crimen vigeret, & justitia violata non refarciretur. Probatur Major. Qui est captus in bello, propter injuriam, quam ut inimicus fecit Principi, vel Reipublicæ, sicut potest occidi, ita multò magis poterit ad carceres perpetuos, vel ad triremes damnari; Ergo etiam ad perpetuam servitutem: Ergo Servus captus in bello justo se habet veluti damnatus ad servitutem in pœnam delicti.

Deinde: ex Lege 1. Cod. de Servis fugitivis, habetur, *Fugitivum Servum furtum sui facere domino*: Ergo si dum fugit, furtum sui ipsius committit, non est ei licita fuga, quamvis ad suos fugiat: Ergo &c.

Respondetur ad primum, negando majorem. (quicquid sit de minori, cum etiam juxta probabilem sententiam negari posset); nam si fugiat damnatus ad servitutem, non teneretur in conscientia redire: neque dum est in termino suæ libertatis, supponitur committere pecca-

tum contra punitivam justiciam; cum cuilibet permissum sit tueri proprium individuum, præsertim si servitus ipsa fuisset valde calamitosa. Quicquid tamen sit de hoc; ad probationem majoris concessio antecedenti cum primo consequenti nego consequentiam ultimam. Dico igitur, quod qui in pœnam delicti damnatur ad servitutem, præcisè damnatur, ut malefactor, quomodo damnaretur servus, si ad talem servitutem damnaretur ob injuriam Reipublicæ factam; ac dum ei remissa est talis pœna, sicut pœna mortis, quæ licitè in bello poterat infligi, sequitur quod servitus illa non habeat, ut pœna delicti; sed nobilem quendam titulum acquirit, qui vel ipsos Principes decet. Quare cum servitus in pœnam delicti sit ignominiosa, eis licitè non potest permitti fuga, qui sunt ad talem servitutem damnati. Quia tamen servitus, de qua loquimur, non est ita ignominiosa, servus hic licitè ad suos fugere potest.

Respondetur ad secundum, dicendo, locum illum legis citatæ non esse intelligendum de servis, qui fugiunt ad suos, uti nos loquimur in conclusione, quomodo licitum eis est pervenire ad terminum pristinae libertatis; sed tantum intelligendum esse de servis, qui fugiunt ad servitutem alterius domini; in quo casu cum non accipiant libertatem, neque ad libertatis terminum pervenerint, tenentur redire ad priorem dominium. Concludo igitur, posse servum in bello justo captum, vel etiam sic captum alteri venditum, ad suos fugere causa libertatis recuperandæ, & quidem licitè hoc facere posse, ut dictum est.

## QVÆSTIO DECIMA.

### *Quomodo acquiratur dominium ex Præscriptionis Jure?*

**E**xplanata notitia modi acquirendi dominium, cum circa res inventas, tum Jure belli in servos, restat pro complemento hujus disputationis declarandus modus acquirendi dominium Jure præscriptionis, aut Usucapionis. Hinc adverto, modum acquirendi dominium jure præscriptionis supponere priorem dominium illius rei, cujus fit præscriptio: ad differentiam dominii acquisiti circa res communes, quæ sub nullius erant dominio. Quare notat Doctor noster in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. dominii translationem ab uno ad alium fieri posse in duplici sensu; Primò, quantum ad rem; quatenus res, quæ sub unius erat dominio, transferatur sub alterius dominium, quomodo res ipsa quò ad dominium transfertur. Secundò modo quantum ad usum; quatenus rei usus transferatur à directo domino ad Usuarium,

rema-

remanente dominio illius rei apud directum dominium. Hæc domini translatio pluribus titulis fieri potest, ut in sequenti disputatione dicemus. Nunc sola difficultas est de translatione domini titulo præscriptionis, aut usucapionis. In qua re

63 Notandum est primò, translationem domini Jure præscriptionis fieri ratione alicujus legis communis, aut particularis alicujus Principis, vel alterius auctoritatem legitimam habentis jura dividendi: quare translatio domini Jure præscriptionis iusta est, cum legitimam illam supponit Principis potestatem. Communiter ergo à Jurisperitis, & Canonistis omnibus definitur præscriptio: *Quod sit alienæ rei domini acquisitio per possessionem ejus continuatam, certo temporis spatio legibus definito. Usucapio verò est domini acquisitio per continuationem temporis lege definiti.* Quare si præscriptio pro domini acquisitione accipiatur, nullam essentialem differentiam dicit ab Usucapione, cum utrobique habeatur domini acquisitio, & utrobique continuata possessio. Sola ergo differentia esset in modo, quatenus usucapio sit causa præscriptionis; dum enim quis rem alterius usu caput, dominium illius rei acquisivit, quia præscripsit certum tempus à lege definitum ad tale dominium habendum. Quare fit, quod qui rem alterius usucapit, contra directum dominum præscribit, certo tempore definito à lege. Dixi, si præscriptio sumatur pro acquisitione domini non distingui ab usucapione; nam si accipitur pro actione opposita contra actorem; sive sic exceptoria, sive dilatoria, sive peremptoria; tunc verè ab usucapione distinguitur: cum usucapio sit tantum in rebus circa res, quibus dominium acquiritur; & ex ipsa usucapione, tanquam ex causa, oritur domini præscriptio.

64 Notandum est secundò, Modum hunc acquirendi dominium Jure præscriptionis, ex continuata scilicet possessione, sufficere, nedum in foro externo, verum etiam in foro interno, seu in foro conscientie, non obstante, quod elapso tempore à lege definito, possessor rei alienæ titulo præscriptionis, certò sciat, rem esse alienam; dum tamen præscriptio illa legitima sit; aliàs diceretur mala fide possidere, & sic semper creditor actionem haberet contra possessorem, malæ fidei; cum durante mala fide, res semper aliena sit. Quod autem in foro conscientie valeat hic modus acquirendi dominium Jure præscriptionis, patet, quia talis modus introductus fuit ad lites removendas post primam rerum divisionem factam, & ut ex remotione illarum, tuta conscientia res detineatur. Quod patet ex l. 1. de usurp. & usucap. cujus verba sunt hæc: *Ne diu, & fere semper quarundam dominia rerum incerta essent, &c.* Constat igitur hujus advertentiæ ratio: unde Tullius ait, *Usucapionem esse finem solutionis, & litium omnium.* Si igitur ad lites removendas, iustè introductus fuit titulus hic præscriptionis ac-

quirendi dominium; jam in foro conscientie quivis hoc Jure potest rem alienam retinere.

65 Notandum est terciò, ad hoc, ut iusta præscriptio habeatur in acquirendo dominio in rem alienam, servandas esse quasdam condiciones prærequisitas ad iustè præscribendum. Prima est activa capacitas ex parte possidentis, & passiva ex parte rei possessæ; quare fit, ut Regulares, qui sunt domini incapaces, non possint præscribere, etiamsi per multum tempus rem alterius detineant. Neque præscribi possunt res Ecclesiasticæ, aut jura decimarum, quæ omnia Juris civilis præscriptionis incapacia sunt; ut habetur ex instit. de usucap.

Secunda conditio est rei possessio; cum juxta regulam Juris in 6. *Sine possessione non procedit præscriptio.* Unde fit, quod qui rei possessionem non habet, contra alium præscribere non potest. Per possessionem autem rei hic intelligitur civilis possessio, *Quæ est detentio rei nomine proprio illam detinentis, & potentis illius habere dominium;* quare si nomine alterius res aliena detineatur, cum non dicatur civilis possessio, hinc contra illum præscribi non potest. Hoc quidem modo Emphycheuta, Conductores, Usufructuarii, Commodatarii, Feudatarii, Coloni, & similes, qui possident rem alterius, non nomine proprio, sed nomine alterius, scilicet domini; non possunt certo temporis spatio à lege definito præscribere. Unde ad præscribendum necessaria est civilis possessio rei, quæ habetur nomine proprio.

Tertia conditio est Titulus saltem probabiliter præsumptus: non ergo ad præscribendum est necessaria certitudo tituli, ratione cujus acquiratur rei alienæ dominium; sed satis est, ut bona fide quis putet, titulo emptionis, donationis, testamenti &c. rem esse suam. Advertendum insuper est, titulum probabiliter præsumptum, esse solum conditionem necessariam in acquisitione domini per breve tempus; non autem esse necessariam per longum tempus; nam quando titulus possidendi rem aliquam constare non potest, haberi potest vera præscriptio absque titulo: quare titulus probabiliter præsumptus ordinariè requiritur, sed non in omni præscriptione.

Quarta conditio est possessionis continuatio per tempus à lege definitum. Ad præscribendum itaque requiritur certum tempus à lege definitum, juxta diversitatem rerum præscribendarum; nam in rebus mobilibus, ut sunt pecuniæ, vestes, animalia &c. requiritur tempus trium annorum cum titulo, & possessione bonæ fidei, ad præscribendum inter privatas personas: quare si quis titulo emptionis, vel donationis rem alienam mobilem bona fide possedit per triennium, elapso hoc tempore, sic illius rei dominus; unde ad restitutionem non tenetur, etiam si postea sciat, rem illam fuisse alienam. Ratio est, quia titulo præscriptionis res illa bona fide translata fuit in dominium alterius iustum.

sum. In rebus verò immobilibus, ut sunt domus, rura, prædia, &c. tempus ad præscribendum, inter præsentem, debet esse decem annorum; inter absentes verò, scilicet illos, qui manent in longinquis regionibus, debet esse viginti annorum; & quidem titulo aliquo probabiliter præsumpto: unde si nullus invenitur titulus, quo bona fide possideatur res immobilis aliena, præsertim personæ absentis; tunc requiritur tempus triginta annorum ad præscribendum. Quinta tandem conditio est bona fides illius, qui rem alienam possidet: ubi notandum est, quòd per bonam fidem intelligitur credulitatis assensus prudens, quo quis existimet, & credat, rem esse suam, & nesciat esse alterius: qua bona fide non habita, non potest haberi præscriptio; nam ut habetur Reg. 2. de Reg. Jur. in 6. *Possessor mala fidei ullo tempore non præscribit.* Hæc omnes conditiones assignatæ requiruntur ad acquirendum dominium Jure præscriptionis. Quia tamen hæc ultima particula difficultatem maximam inter Doctores involuit, hinc movetur quæsitum.

*An, qui dubitat, rem, quam possidet, esse suam; elapso præscriptionis tempore, possit illam retinere?* In hujus principalis dubii solutione hanc pono conclusionem, Et

*DICO:* quando dubium est in inchoatione possessionis, res illa mala fide possidetur, ac mala fide retinetur; quando verò dubium est post inchoatam possessionem; tunc possidetur, ac retinetur bona fide. Ita pariter bona fide possidet quis rem aliquam, qui expleto tempore præscriptionis à lege statuto, sciverit, rem non fuisse suam. Conclusio hæc quòd ad omnes partes videtur magis communis inter Doctores, licet opposita sit probabilis. Quoad primam, & secundam est contra Adrianum in 4. qu. de præscrip. Sotum lib. 4. de Just. qu. 5. art. 4. Major. & alios, & quoad tertiam est etiam contra Medinam.

66 Probatur prima pars. Ut quis dicatur bona fide inchoare possessionem alicujus rei, requiritur determinatum judicium, quo judicet, rem illam esse suam, & non alterius; sed quando in inchoatione possessionis habetur dubium, an res, quam incipit possidere sit sua, nec ne, tunc non habetur determinatum judicium, quo judicet, rem illam esse suam, & non alterius; Ergo cum tali dubio in inchoatione possessionis non potest stare bona, sed mala fides possessionis, & retentionis rei: Ergo mala fide possidet, qui cum dubio inchoat rei alienæ possessionem. Minor patet, quia qui dubitat, ad neutram partem se determinat, sed manet velut in æquilibrio; qui autem determinantè judicat, ad unam tantum flexitur partem, determinatè scilicet judicando, hanc rem esse suam, vel nullius, vel saltem alterius non esse, quod satis est ad bonam fidem. Probatur major: bona fides requisita ad justè præscribendum, & rem aliquam possidendam, est prudens assensus cre-

dendi rem illam esse suam, & in inchoatione possessionis illius rei, est ipsemet prudens assensus credendi rem illam, quam possidere incipit, esse suam, & non alterius: Ergo ad inchoandam possessionem bona fide, requiritur illud determinatum judicium.

67 Probatur secunda pars: Qui incipit possidere rem alienam bona fide, incipit sibi præscribere rem illam ut suam, & non ut alienam; sed exorto dubio post incæptam possessionem, non interruptitur præscriptio bona fide incæpta: Ergo bona fide retinetur res, circa quam dubium accedit post inchoatam possessionem. Major patet, quia præscriptio incipit, dum quis rem aliquam incipit possidere. Probatur minor: intantum post inchoatam possessionem interrupteretur præscriptio, in quantum dubium bonæ fidei continuationem interrupteret; sed hoc est falsum; cum in rebus dubiis melior sit conditio possidentis, quam non possidentis: Ergo dicendum est, quòd, accedente dubio post incæptam possessionem, non interruptitur præscriptio.

Confirmatur ex pluribus cap. legis: ex cap. si Virgo 34. qu. 1. habetur: *In Jure prædiorum, tandiu unusquisque possessor bonæ fidei dicitur, quamdiu possidere se ignorat alienum.* Et cap. finali de præscrip. rer. habetur: *Vnde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Sed ex his doctrinis aperte colligitur, quod qui incipit possidere bona fide, etiam si post incæptam possessionem in dubium incidat, possit bona fide rem illam possidere: Ergo &c. Probatur minor, nam qui dubitat post bonam fidem, qua incæpit possidere, non est conscius, rem illam, quam possidere incæpit, esse alienam: Ergo non interruptitur bonam fidem, qua existimavit in inchoatione esse suam, & non alienam: Ergo &c.

Pro utriusque partis claritate hoc pono exemplum. Incipio possidere prædium aliquod cum dubio, an prædium illud sit meum, an alterius: tale dubium in inchoatione possidendi illud prædium, nequit stare cum bona fide; unde si à me continuaretur possessio illius prædii, non possem mihi præscribere tempus à lege definitum acquirendi dominium circa illud. Ratio est, quia nedum mala fide tunc continuarem possessionem, sed etiam mala fide possessionem incæpi. Si verò bona fide incæpi possidere, & post aliquod temporis spatium ab incæpta possessione, incipiam dubitare, an prædium illud sit meum, vel alterius; tunc possem cum tali dubio continuare possessionem, & mihi præscribere tempus à lege statutum in acquirendo illius dominium: (Si tamen infra hoc tempus mihi non contiterit, vel per scripturas, vel per proprium dominum, prædium illud non esse meum, sed alterius; quia tunc accederet prudens judicium determinatum, quo judico, rem illam esse alterius, & non meam.) Ratio est, quia cum bona fides sit sufficiens

ficiens ad inchoandam possessionem, ita etiam ad continuandam; nam subsequens dubium bonam fidem non interrumpit. Hoc quidem exemplo notato, facile intelligitur præscriptio ex bona fide.

68 Probatur tertia pars: Ut legitima habeatur Juris præscriptio, requiritur quòd toto tempore continuatæ possessionis intercedat bona fides, aut prudens iudicium, rem esse suam, & non alterius; sed totum hoc supponitur esse usque ad tempus expletum, à lege præscriptionis definitum: Ergo habetur legitima Juris præscriptio; sed post habitam legitimam juris præscriptionem res, quæ præscribitur contra creditorem, translata est in dominium novi domini: Ergo etiam si qui usucæpit rem aliquam, expleto tempore præscriptionis, certò sciat rem alterius esse, & non suam, illam bona fide possidet, estque directus dominus illius, & illam restituere non tenetur. Probatur minor subsumpta: intantum non posset res illa, expleto præscriptionis tempore, transire in dominium novi domini, inquantum, expleto illo tempore, accederet mala fides; sed hæc non sufficit ad auferendum dominium acquisitum ex Jure præscriptionis: Ergo &c. Probatur minor, quia dominium supponit legem justam; sed lex statuit, quòd transacto tempore præscriptionis, res transeat in dominium possidentis: Ergo &c. Probatur minor, L. 1. de Usucap. dicitur. *Bono publico introducta est usucapio; ne diu, & ferè semper incerta essent rerum dominia*, L. ult. habetur. *Concessa dicitur, ut aliquando litium esset finis*. Et l. 3. de Usucap. definitur Usucapio, *Quod sit dominii acquisitio per continuationem temporis lege definiti*. Ita similiter loquuntur can. de restit. &c. Ex quibus determinationibus aperte constat, quòd dum est elapsum tempus præscriptionis, tunc res acquisita hoc Jure transit in dominium præscribentis, ita ut ad restitutionem non teneatur; adeoque &c.

*Solvuntur Objectiones.*

68 **O**bjicies primò contra primam partem. Qui cum dubio procedit in inchoatione possessionis alicujus rei sicuti determinatè non affirmat, rem esse suam, ita neque determinatè negat, rem esse suam; sed poterit stare bona fides cum dubio neque negante, neque affirmante, rem esse suam: Ergo in inchoatione possessionis cum dubio, an res sit sua, vel non, poterit stare bona fides possidendi, & possessionem continuandi. Major patet, quia dubium neque ad unam, neque ad alteram partem flectitur, &c. Probatur minor: cum dubio inchoandi possessionem non stat determinata mala fides; aliàs possessio non inchoaretur ex dubio possidendi, sed simpliciter

inchoaretur ex mala fide: Ergo poterit stare determinata bona fides: Ergo cum dubio inchoandi possessionem alienæ rei stare potest bona fides ad præscribendum. Probatur prima consequentia: inter determinatam malam fidem, & determinatam bonam fidem non datur medium; Ergo si dubium in inchoatione possessionis rei alienæ non stat cum determinata mala fide, debet stare cum determinata bona fide: Ergo &c.

Confirmatur; nam hæc est differentia inter malam fidem, & dubium, quòd mala fides supponit scientiam de re, quæ possidetur, quòd non sit sua, sed alterius; dubium verò nullam talem scientiam supponit: Ergo dubium non poterit stare cum mala fide; sed potius cum bona fide: Ergo &c.

Respondetur; negando minorem, ad cujus probationem dico, quòd estò dubium illud in inchoatione possessionis non sit positiva, & determinata fides mala, tamen quia datur ex parte alterius certitudo, & iudicium determinatum affirmans rem, quæ sua est, non posse ab alio possideri, hinc ille qui incipit possidere, & dubitat, rem illam esse alterius, potest flectere ad determinatam malam fidem. Ratio est, quia ante inchoationem possessionis illius rei nulla actio materialis præsupponitur habita, sicut neque ullum determinatum iudicium justè inchoandi possessionem illam: unde dubium illud diceretur saltem materialiter mala fides. Ad probationem, dico, quòd inter bonam, & malam fidem determinatè, & positivè dari potest medium speculativum, quòd esset medium formale importatum per actum dubitandi; nam qui dubitat speculativè, nec positivè credit rem esse suam, nec positivè credit esse alienam. Practicè verò nequit dari medium, inter bonam fidem positivè, & malam fidem; nam dubitans, rem, quam incipit possidere, esse suam, vel alienam, habet positivum conscientia dictamen, de non capellenda re illa sub tali dubio; & quia facit contra talem conscientiam distantem, rem illam, non esse capellendam, ideo mala fide practicè procedit, & peccat inchoando possessionem sub tali dubio; talis enim dubitatio in inchoanda possessione stat, ut dixi, cum positiva mala fide. At si dubium intervenit post inchoatam possessionem; quia inchoatio possessionis fuit facta tuta conscientia distante rem illam, quam possidere incæpit, esse suam, & non alterius; ideo tunc dubium stat cum positiva bona fide: in quo casu non interrumpitur præscriptio, nisi aliundè accederet mala fides, quando scilicet per diligentem inquisitionem faciendam à possessore, jam certò cognosceret, quòd res illa non sit sua. Unde restat, quòd dubium antecedens inchoationem possessionis stat cum mala fide positiva, quæ nemo præscribere potest, juxta regulam secundam Juris, quòd *Possessor mala fidei ullo tempore non præscribit*. At post inchoatam &c. dubium stat

stat cum bona fide, ut dixi in secunda parte conclusionis.

Ad confirmationem dico, differentiam illam assignatam, esse duntaxat de dubio speculative sumpto, quomodo est medium inter bonam, & malam fidem, & ab utraque formaliter præscindit. Ceterum loquendo de dubio practice sumpto, quomodo nos in præsentis loquimur, cum non sit medium inter bonam, & malam fidem, si antevertit inchoationem possessionis, stat cum positiva mala fide, & sic coincidit cum ratione formali malæ fidei; ut supra in responsione dictum est.

69 Objicies secundò contra secundam partem.

Ut habeatur bona fides ad possidendam rem aliquam, requiritur prudens existimatio, quæ quis iudicet, rem possessam esse suam; sed dum quis dubitat, an res, quam possidet, sit sua, non potest iudicare cum prudenti existimatione, rem possessam esse suam: Ergo non potest cum tali dubio stare bona fides ad continuandam possessionem illius rei: Ergo dubium continuationem possessionis interruptit, & sic dubitans post inceptam possessionem, non potest præscribere. Major patet, quia illa est differentia inter bonam, & malam fidem. Probatur minor: in dubio ad oppositum non stat prudens existimatio ad alterum oppositum; Ergo si cum dubio stat inclinatio ad iudicandum, rem possessam non esse suam, non potest stare prudens existimatio ad iudicandum, rem possessam esse suam: Ergo &c.

Deinde: bona fides, & dubium non possunt simul coherere; Ergo si intervenit dubium post inchoatam possessionem, cessat bona fides, & sic præscriptio violatur. Probatur antecedens: dubium evacuat bonam fidem, aliàs manente dubio, semper stare bona fides, & sic res usque ad præfixitum tempus à lege, justè possidetur, quod est falsum, præsertim quia cum hoc dubio potest intervenire mala fides: Ergo &c.

Respondetur ad primum, dicendo, ad bonam fidem non necessario requiri prudentem existimationem, qua quis iudicet, rem possessam esse suam, sed satis esse, ut putet, non esse alterius; nam tam bona fide possidet rem aliquam, qui prudenter iudicat esse suam, quam qui putet, non esse alienam, vel nesciat esse alienam. In hoc sensu minor est vera, & consequens est falsum. Qui enim post inchoatam possessionem dubitat, an res sit sua, licet non habeat bonam fidem, qua prudenter existimet, rem illam esse suam; tamen habet bonam fidem, qua nesciat, rem illam esse alienam; & quia hæc bona fides sufficit ad continuandam possessionem iure præscriptionis usque ad tempus prædefinitum à lege, ut dominium acquiratur, ideo post inchoatam possessionem dubium non interruptit bonam fidem.

Dices: dubitans post inchoatam possessionem, sicut nescit, rem illam esse alienam, ita

etiam nescit, esse suam; sed ab ignorantia, quod res sit sua, bona fides interruptitur: Ergo etiam ab ignorantia, quod res sit aliena, interrupti debet bona fides: Ergo &c. Major debet esse certa, quia sicuti scientia stat cum existimatione, quod res non sit aliena, sed sua; ita dubitatio debet stare cum ignorantia, quod res sit aliena, vel sua. Probatur minor ex L. Nunquam 31. Tex. de Usucap. ubi habetur, *Nunquam in usucapionibus error Juris possessoribus prodest*; sed illa ignorantia, quod res sit sua, proveniens ex dubio, est ignorantia Juris: Ergo non potest prodesse possessoribus: Ergo bonam fidem interruptit.

Respondetur, concessa majori, negando absolute minorem, vel ipsam propositionem dist: cum ignorantia, quod res sit sua interruptitur bona fides; quò ad actum secundum concedo, quò ad actum primum, nego minorem. Dico, quod solum quoad exercitium justè possidendi interruptitur bona fides ex illa ignorantia, non autem quoad actum primum, quatenus non possit quis cum diligentia adhibita, an verè res sit sua, vel aliena possessionem continuare, usque dum directus inveniatur dominus. Ratio est, quia accedente dubio, non potest alteri tradere rem illam, nisi certò sciat, hunc fuisse dominum; cum in hoc casu adsit lex favorabilis, *Melior est possidentis conditio*. Quòd si certò dominus sciretur, tunc bona fides interrupteretur, si res illi domino non traderetur. Ad probationem, dico, legem illam citatam loqui de ignorantia juris, sive in contractibus emptionis, sive venditionis, & donationis &c. quando scilicet, qui contractu aliquo usurario emerit, vel venderit; aut contractu invalidæ donationis rem aliquam possideat, tunc si possessor ignoret rem illam esse suam, interruptit bonam fidem; quia habet probabilitatem de invalido contractu, qui est contra Jus. Non verò lex loquitur de ignorantia facti, quæ præsertim oriri potest ex eo, quòd res possidetur sine titulo; unde hæc ignorantia, quod res sit sua, non interruptit bonam fidem.

Respondetur ad secundum per idem, dicendo, dubium evacuare bonam fidem in actu secundo, quatenus teneatur possessor rei alienæ adhibere diligentiam inveniendi dominum directum illius rei, non quatenus teneatur rem illam restituere: ceterum non evacuat bonam fidem, in actu primo, ita ut per dubium introductum, quis diceretur mala fide statim possidere, & teneatur absque diligentia rem illam domino, qui aliàs esset ignotus, tradere.

70 Objicies tertio contra tertiam partem. Ut habeatur vera, & legitima præscriptio, debet adesse fundamentum præscriptionis; sed expleto tempore præscriptionis, dum quis sciat, rem possessam non esse suam, jam non adest fundamentum legitimæ præscriptionis: Ergo non habetur vera, & legitima præscriptio. Major patet.

ret. Probatur minor: fundamentum possidendi Jure præscriptionis est bona fides; sed expleto tempore præscriptionis à lege definito, non adest bona fides, dum sciat, rem possessam non esse suam: Ergo &c.

Deinde: dum quis sciat, elapso tempore præscriptionis, rem possessam, quam præscripsit, non esse suam, se d alterius, potest à judice per sententiam condemnari ad faciendam restitutionem; sed hoc non posset evenire, si bona fide rem illam possessam possideret, expleto præscriptionis tempore: Ergo &c. Probatur minor, quia Judex tenetur per sententiam constituere dominum illius rei, quem cognoscit esse dominum: Ergo &c.

Respondetur ad primum negando minorem, ad cujus probationem, nego etiam minorem. Per hoc ergo, quod quis sciat, rem fuisse alienam, expleto præscriptionis tempore, quam bona fide possedit usque ad tempus præscriptionis, non immutat bonam fidem, quia expleto illo tempore, potest judicare determinatè, rem illam fuisse suam ex aliquo titulo, saltem probabiliter præsumpto; unde illa scientia, quam post expletum tempus habuit de re illa, quod sit alterius, supponit ipsum jam per leges præscriptionis dominium acquisivisse: adeoque &c.

Dices: Est ex negligentia prioris domini transferatur dominium in possessorem rei acquisitæ jure præscriptionis, etiam si expleto tempore, possessor sciat, rem non fuisse suam; tamen quando non intervenit culpa prioris domini, qui omnem adhibet diligentiam rem suam recuperandi, tunc res illa, quia malè esset præscripta, restitui debet priori domino: Ergo saltem quando non adest culpa ex parte prioris domini, res illa præscripta restitui debet priori domino: Ergo &c. Assumptum probatur, quia nemo sine culpa debet re sua privari; Ergo &c.

Respondetur negando assumptum; cum in utroque casu eadem militet ratio. Verum itaq; est, quod nemo, siue propria culpa privari de-

beat re sua; tamen hoc tantum valet, quando ratio boni communis aliud non suadet; cum igitur in contrarium sint leges præscriptionis, ideo semper res illa cadit sub potestatem præscribentis. Hæ leges verò iustis nituntur fundamentis, præsertim ad lites removendas, & ne incerta sint rerum dominia,

Respondetur ad secundum, negando absolute majorem. Dum ergo Judex per sententiam condemnaret possessorem bonæ fidei post expletum præscriptionis tempus, si sciat rem illam præscriptam non esse suam, sed alterius; tunc non justè sententiam diceret, cum iusta sententia debeat legi conformari: & quia lex præscriptionis suadet, rem præscriptam bona fide usque ad tempus prædefinitum à lege, fieri, & transferri in dominium præscribentis, ideo nullatenus poterit justè obligari ad restitutionem faciendam; præsertim loquendo in foro interno: nam in foro externo aliter sentiunt Doctores.

Ex his infero primò, in nullo casu licere, præsertim in foro interno, præscribere mala fide: ita ut si quis sciat, se debere alteri centum aureos, quia mala fide possedit, non potest ullo tempore præscribere contra Creditorem, sed semper tenetur in conscientia restituere.

Infero secundò, bonam fidem interrumpi dumtaxat ex mala fide, accedente ante præscriptionis tempus à lege statutum, ut supra dictum est. Hæc satis de rerum præscriptione, quantum spectat ad Canonistarum sensum, ac Theologorum; quæ verò de hac materia spectant ad sensum purè legalem, contra quos fieri possit, & quibus rebus, præscriptio, me refero ad Jurisperitos, & ad quosdam Canonistas, præsertim apud Astephanum nostrum lib. 3. art. 2. & apud Lessium lib. 2. de Just. & Jure, cap. 6. per plures dubitationes. Satis de hac disputatione de Jure, & dominio dicta sint, ad Laudem Omnipotentis Dei, Beatæ Mariæ semper Virginis, sine labe conceptæ, Sancti Patris Nostri Francisci, & Omnium Sanctorum, qui in Cælis regnant. Amen.





# DISPUTATIO TERTIA

De Contractibus, tum in communi, tum  
in particulari.

S E V

De reliquis titulis acquirendi dominium.

Q V Æ S T I O P R I M A.

*De Essentia, & multiplicitate Contractus, & de conditionibus requisitis  
ad ipsius valorem.*



**D**E rerum dominio in præterita disputatione sufficienter actum est, ac de modo publica auctoritate ipsum acquirendi; tum jure naturali circa res, quæ sub nullius dominio erant, tum jure gentium, vel jure civili præscriptionis, seu usucapionis: nunc de Jure dominium acquirendi, aut transferendi privata auctoritate, quæ ratione tituli contractus transfert alicujus rei dominium ab una ad alteram personam, agemus; & quidem majori claritate, qua potero, omnes, & quascumque Doctorum opiniones referam: easque dilucidabo. Hinc

Quantum ad naturam, & essentiam Contractus spectat, notandum est, ab Ulpiano L.abeo ff. de verborum signif. definiri, *Quod sit pactum, ex quo ultero citroque oritur obligatio*. Hæc quidem definitio, est à posteriori explicet genericam contractus naturam, quatenus omnes contractus amplectitur; tamen non rigorosâ, & specificam ejusdem rationem explicare videtur: nam in hac definitione, cum pactum includatur, quod non dicit duarum, vel plurium personarum mutuum consensum, & salvari potest per consensum unius, ut eveniret in simplici promissione, vel donatione absq; consensu personæ acceptatis promissionem, vel donationem; ideo Ulpianus non nisi contractum latè sumptum definire intendit. Quod à posteriori ferè communiter definiri solet; *Quod sit reciprocus duorum consensus, aut plurium sensibili signo expressus*. Per hanc ergo definitionem videtur adæquatè explanata essentia contractus; nam per *ly reciprocus consensus*, contractus rigorosus à simplici promissione differt; cum contractus dicat assensum duorum, & non teneat

ex justitia obligatio, nisi ex parte utriusque habeatur consensus; quod non evenit in promissa simplici, quæ nondum est à promissorio acceptata. Est quoque *duorum consensus*; quia cum sit actus justitiæ commutativæ, ad quam requiritur pluralitas personarum, ideo contractus ipse duorum saltem requirit consensum. Est tandem *expressus signo sensibili*, ad denotandum, quod sit actus humanus sensibilis. De hac essentiali ratione contractus plura videntur occurrunt in tota hac disputatione; quapropter pro nunc nil occurrit dubitandum.

Quantum ad secundam quæstionis partem, de multiplicitate Contractus, notandum iterum est, Contractum esse multiplicem. Primò enim dividitur in contractum explicitum, seu formalem, & implicitum, seu virtualem. Primus est explicitus duorum consensus in mutua obligatione ad invicem. Secundus verò est tantum consensus implicitus absque ulla explicita pactione obligante unum, & alterum: hinc primus contractus est rigorosus, non verò secundus.

Secundò dividitur in contractum bonæ fidei, & contractum stricti juris. Primus est ille, in quo Judex multa potest ex bono æquo arbitrari: ut sunt emptio, locatio, societas, commodatum, depositum, pignus, permutatio, &c. Secundus verò est ille, in quo Judex ad verba astringitur; & hoc evenit in donationibus, promissionibus, emphyteusi, feudali &c.

Tertiò dividitur in lucrativum, & onerosum. Primus est ille, in quo nihil rependitur; ut promissio dotatio &c. Secundus verò est ille, in quo res aliqua debet reddi pro re accepta; Ut sunt emptiones, venditiones &c. Aliæ assignantur à Doctoribus Contractus divisiones, quæ quidem specialiter ad septem principales à mul-

multis Canonibus redactæ sunt; & sunt Emptio, Cambium, Mutuum, Emphyteusis, Commodatio simplex, Commodatio mutuata, & Locatio. Hinc ad colligendam formalem rationem veri, & rigorosi contractus, supponendum est, quod ad hunc habendum, requiritur obligatio ex parte utriusque personæ contrahentis: hinc deducimus, donationem non esse rigorosum contractum, cum non habeatur obligatio ex parte donatarii, ut infra dicemus. Quare exceptis speciebus enumeratis, non datur alia species rigorosi contractus, nisi forsan ad has reducibilis. Unde pro harum omnium explanatione insuper adverte, quod in rebus externis distinguuntur solent Dominium, Usus, & Ususfructus: Si ergo transfertur dominium ab uno ad alium titulo oneroso, qui est rigorosus contractus, tunc redditio onerosa pretii in pecunia dicitur Emptio. Si dominium transfertur in re æquivalente dicitur Cambium, seu permutatio: ut do tibi panem, ut des mihi vinum (Hic non est sermo de Cambio, qui fit in pecuniis) Si dominium transfertur cum debito eandem rem restituendi, ut evenit in rebus consumptibilibus, dicitur mutuatio, aut mutuum. Istæ tres species contractus sunt tituli transferendi dominium ab una ad aliam personam. Quando transfertur Ususfructus, retento dominio apud directum dominum, cum pensione annuæ solutionis directo domino, tunc dicitur Emphyteusis hic titulus usumfructum acquirendi; aut dicitur Melioratio, quatenus inventus est hic contractus ad meliorandam rem. Si verò transfertur usus ab una ad aliam personam, & transfertur gratis, dicitur simplex commodatio, ut do tibi librum in usum, ut eum mihi reddas, quando tibi placuerit: dicitur contractus, quia ponit obligationem in commodante ad non repetendum, nisi certo tempore elapso: si verò transfertur usus unius rei pro usu alterius rei, tunc dicitur commodatio mutuata, quatenus adest mutuus contractus in usu; ut do Titio usum domus, ut mihi det usum vineæ. Si verò transfertur usus rei pro pecunia dicitur locatio; ut do tibi domum, ut mihi des pecuniam.

De his Contractus speciebus nulla pro nunc esse potest specialis difficultas, cum re vera naturam contractus in communi rigorosè accepti, prout supra definivimus, participant. Quare solus dubitandi locus est de conditionibus ad valorem contractus requisitis. Ubi

3 Notandum est, ad valorem contractus plures conditiones esse necessarias, ut causas, tum intrinsecas, tum extrinsecas ejusdem. Prima ex parte efficientis: quæ vel se tenet ex parte contrahentium; quod scilicet uterq; contrahens sit capax dominii, si contractus est titulus, quo transfertur dominium, ut emptio &c. vel se tenet ex parte superioris, ut sua lege non positivè resistat; nam ad valorem contractus inter privatas personas requiritur, ut bono publico non adverferet. Hic adverte, Religiosos pro-

fectos non posse contrahere ratione incapacitatis dominii, nec posse donationem sibi ipsis factam accipere (præsertim nomine proprio) nec aliquid posse donare aliis. Unde capacitas in contractibus esse debet tam in actu primo, quàm in actu secundo, & ob hanc rationem amentes, pueri, & impuberes non possunt contrahere, cum careant actu secundo.

Secunda conditio est ex parte causæ formalis, deductæ ex reciproco contrahentium consensu; quæ conditio formalis requirit liberum consensum obligantem rigorosè contrahentes: requirit consensum promissorium involuentem animum se obligandi legibus, ad faciendum validum contractum; requirit etiam consensum signo externo expressum. Ratione itaque liberi consensus habetur in contrahentibus obligatio in foro conscientiæ.

Tertia conditio est ex parte materiæ, & requiritur, quod materia contrahenda non sit aliena: quare contrahentes non nisi de re propria contrahere debent, aliàs invalidus esset contractus: & ulterius requiritur, quod res, quæ contrahitur per venditionem, sit pretio ætlimabilis ratione utilitatis, vel voluptatis, quam acquirere potest contrahens.

Ultima tandem conditio est ex parte finis; nam ad valorem contractus requiritur, finem contrahentium esse bonum; unde si quis contraheret ob turpem finem, invalidaretur contractus.

His omnibus conditionibus enumeratis, quod quaeritur in præsentibus principaliter est, an possit ex aliqua ex vitiatis his quatuor causis invalidari contractus? Ubi pro resolutione

DICO, ad valorem Contractus quatuor illas conditiones causales supra recensitas esse omnino necessarias; ita ut una ex his deficientibus, contractus invalidus diceretur. Conclusio inter omnes Doctores communissima est, & tenetur à Scoto nostro in 4. dist. 15. qu. 2. & est communis inter Scotistas omnes.

4 Probatur primò: Ut contractus sit validus, necessariò requiritur, ut servetur natura intrinseca contractus; sed deficiente una ex his causalibus conditionibus assignatis, non servaretur natura intrinseca contractus: Ergo necessariae sunt illæ conditiones assignatæ; aliàs una deficiente contractus invalidaretur. Major patet. Probatur minor: ut servetur natura intrinseca contractus, debet servari reciprocos duorum consensus in contrahendo, cum capacitate contrahentium, & circa materiam justam, quæ scilicet aliena non sit, & quod contractus sit factus ob justum finem; sed deficiente una ex illis conditionibus, hoc non servaretur; nam non posito reciproco duorum consensu, non servaretur formalis conditio: non posita capacitate contrahentium, non poneretur conditio efficiens contractum: non posita iusta materia, sed aliena, cum adesset dolus alterius, non poneretur materialis conditio; & tandem non posi-

to recto fine ad contrahendum, non poneretur finalis conditio: Ergo una ex his conditionibus deficiente, non servaretur natura contractus; adeoque invalidaretur.

5 Probatum secundò, specialiter de omnibus conditionibus. Primò de capacitate contrahentium; quæ habetur per conditionem efficientem. Contractus lucratorius per donationem factus alicui Regulari, est omnino invalidus, ut communiter omnes sentiunt Canonistæ; nec enim alteri potest Regularis donare, nec ab alio aliquid potest accipere per donationem; Contractus verò onerosus per emptiorem, V. G. factus ab eodem Religioso Regulari, est etiam invalidus; sed invaliditas horum contractuum fundatur in incapacitate subjecti contrahentis: Ergo quoties deficit capacitas contrahentium, toties contractus est invalidus.

Secundò, quòd sit necessaria forma: Forma necessariò requisita ad valorem contractus est reciprocus duorum consensus, & quidem deliberatus; sed negato consensu libero ex parte unius contrahentis, etiamsi adsit consensus subreptitius, haberetur invalidus contractus: Ergo &c.

Tertiò, quòd sit necessaria materia, & quidem quòd sua sit, non aliena. Si quis emeret rem à fure, & certò sciat, rem illam non esse sub dominio venditoris, sed alterius; tunc quia emptio illa esset cum mala fide facta, contractus emptiois esset invalidus, cum non esset de re cadente sub venditoris dominio: Ergo quando habetur defectus ex parte materiæ contrahendæ, quatenus non est alterius contrahentis, tunc contractus est invalidus, ex hujus conditionis defectu.

Quartò tandem, quòd sit necessarius finis honestus, & quidem intrinsecus, coincidens cum ipsa materia contractus. Quilibet actus justitiæ esse debet honestus, & rectus, & non patratuſ ob turpem causam; sed contractus est actus justitiæ virtutis: Ergo debet esse honestus, & rectus, & non ob turpè causam patratuſ.

Dixi loquendo de fine intrinseco; quia certum est apud omnes, quòd prauus finis extrinsecus, proveniens ex intentione operantis, non invalidat contractum; ut si quis emeret venenum, arma &c. ad alium necandum, tunc venditio illa esset valida. Ratio est, quia in tali contractu servaretur æqualitas jurium inter contrahentes, quæ sufficit ad valorem contractus.

De forma adest specialis dubitatio, quam solvendam relinquo in sequenti quæstione, ad quam me refero. Quare pro nunc

### *Solvuntur Objectiones.*

**O**bjicies primò. Ad habendam integritatem, & valorem Contractus, satis est, ut contrahentes liberè velint alterius dominium in al-

terum transferre; sed non positis omnibus illis assignatis conditionibus, adhuc unusquisque potest liberè dominium suum in alium trāsferre: Ergo non positis omnibus illis conditionibus, adhuc haberetur validus contractus. Probatum minor: ut quis possit dominium suum in alium transferre, debet velle præstare consensum consensui præstito ex parte alterius contrahentis, cum contractus sit duorum reciprocus consensus; sed ad hunc præstandum consensum, non sunt necessariæ omnes conditiones assignatæ: Ergo &c.

Deinde: Amentes, & pueri possunt validum efficere de aliqua re contractum; & tamen in actu secundo, non valent liberum præstare consensum: Ergo deficiente libero consensu ex parte unius saltem contrahentis, adhuc validus diceretur contractus. Probatum assumptum, nam si amentes, & Pueri aliquid emerent, emptio illa valida esset; præsertim quia res emptæ inserviret pro eorum sustentatione, & honestate vivendi: Ergo &c. Hoc idem argumentum, ceteris paribus, fieri posset de Religiosis professis ad eorum religiosam sustentationem, & honestatem.

Respondetur ad primum, dicendo, majorem esse veram, suppositis aliis conditionibus assignatis, quibus non suppositis, major illa est absolutè falsa. Ad minorem dico, quòd estò unusquisque habens liberum consensum ad contrahendum faciat contractum, quatenus unus liberè vendendo transfert dominium rei suæ in dominium Emptoris; tamen contractus sic factus, non intervenientibus ceteris conditionibus assignatis, invalidus esset, non minus ac contractus lucrativus donationis, si quis aliquid alteri donaret absque eo, quòd dominium haberet illius rei donatæ. Quare ut contractus sit validus, sunt necessariæ illæ omnes conditiones, non ut contractus sit contractus, qui, præcisus illis conditionibus, esset quidem contractus, cum ad rationem formalem contractus satis sit reciprocus contrahentium consensus; sed ut sit contractus validus.

Dices: quando contractus habet ex libero consensu utriusque contrahentis formalem rationem contractus, tunc etiam validus dicens: Ergo, si non positis ceteris conditionibus assignatis, habetur essentia contractus, habetur etiam ipsius validitas. Probatum assumptum, quia validitas rei sequitur essentiam ipsius; Ergo posita essentia contractus, præsertim secundum formalem integritatem, ponitur etiam valor ipsius.

Respondetur negando assumptum; ad cujus probationem, dico, validitatem rei in esse physico sequi essentiam rei in esse physico, validitatem verò in esse morali sequi essentiam in esse morali. In proposito nostro, ut contractus sit physice validus, validitas sequitur naturam contractus; ita ut contractus non sit validus, nisi sit factus, aut nisi sit contractus. Ut autem

autem habeatur valor moralis, posito contractu essentialiter, & formaliter constituto cum omnibus circumstantiis, & conditionibus debitis à ratione taxatis, habetur validitas in contractu: non positis verò illis conditionibus haberetur utique contractus phycus, sed non validus, præsertim loquendo de morali validitate. Hoc totum etiam patet de Sacramentis, quæ ob carentiam alicujus prærequisitæ conditionis sunt Sacramenta, non tamen sunt valida. Sic in casu nostro dicendum est.

Dices: esset integer contractus factus ex solo contrahentium consensu; Ergo etiam validus deberet esse; Ergo &c.

Respondetur dicendo, quòd ex solo consensu esset integer tantum formaliter, quatenus haberetur forma constituens, & perficiens essentialiter contractum; non verò esset integer materialiter, efficienter, & finaliter, quomodo faciunt contractum ceteræ conditiones: unde ex talis integritatis carentia, contractus, in quo non intervenirent illæ conditiones, esset simpliciter invalidus.

Respondetur ad secundum, negando assumptum; propter hoc enim, quòd amentes, & pueri careant actu secundo præstandi liberum consensum, vel formalem, vel saltem, virtualem, sequitur etiã incapacitas ex parte utriusque ad validè cōtrahendū: unde cum aliquid emunt, vel vendunt pro eorum sustentatione, vel honestate, nisi accedat consensus liber Curatoris, contractus ab eis facti possent rationabiliter irritari; at contractus, qui irritari potest ex communi sensu Doctorum, & Jurisperitorum, validus non est consensus; ideoque dicendum est, contractus illos, ut ab amentibus, & pueris factos, non esse validos; posse tamen validari, accedente consensu libero Curatoris, qui si suum non præstaret consensum, contractus illi invalidi dicerentur. Debet tamen Curator advertere, quòd si contractus factus ab amente, vel puero, sit in commodum eorum, licet possit eum irritare, tamen non debet; secus verò dicendum est, si sit in incommodum. De Religiosis verò, dum contractum faciunt emptio- nis, vel venditionis absque expressa licentia sui Superioris, vel saltem tacita; tunc potest Superior talem irritare contractum: quare contractus ab eis factus ex solo eorum consensu absque Superioris licentia, omnino invalidus diceretur.

*At hic dubitandum est. An qui emit rem aliquam à Religioso privato non habente sui Superioris licentiam: vel vendat tali Religioso aliquid non habenti licentiam emendi, possit in bona conscientia rem habitam ab illo Religioso retinere?*

Ad hoc dico, quòd si iste talis certò sciat, Religiosum non posse vendere, nec emere absque licentia sui Superioris; tunc rem illam habitam à Religioso non potest retinere; quia tunc di-

ceretur mala fide possidere. Si verò nesciat, emptio- nem, vel venditionem à Religioso factam, esse invalidam, tunc bona fide potest illam retinere; etiam si post venditionem dubitet, an possit retinere, vel non. Quod si accederet Superior ad irritandum contractum, tunc debet rem illam restituere, & suam Religioso datam accipere.

7 Objicies secundò, probando conditionem ex parte materiæ non esse necessariam ad valorem contractus. Si res furto sublata emeretur, vel venderetur, cōtractus circa illam rē validus diceretur; Ergo ad valorem contractus non necessariò requiritur, quòd res contracta cadat sub dominium contrahentis: Ergo res aliena validi contractus materia esse potest. Probatur assumptum: ut sit validus contractus ex parte materiæ, satis est, ut res contracta sit in commodum, & utilitatem contrahentium, & sit pretio æstimabilis; sed res furto sublata, si emeretur, vel venderetur, veniret in commodum, & utilitatem contrahentium, & esset pretio æstimabilis: Ergo posset esse materia validi contractus; Ergo ad valorem contractus non necessariò requiritur, quòd materia, quæ contrahitur, sit sub dominio contrahentium.

Respondetur primò, negando assumptum; ad cujus probationem dico, quòd, ut res contracta transeat in commodum, & utilitatem contrahentium, & sit pretio æstimabilis quantum satis est, ut sit sufficiens contractus materia, requiritur ulterius, quòd sit sub potestate vendentis; aliàs dominium illius rei non posset transferri in dominium emptoris. Ratio est, quia directus dominus adhuc supra illam rem dominium habet: quare ad validandum contractum, directi domini intervenire deberet consensus, qui tamen non intervenit; unde contractus de re illa invalidus est; & si emptor certò sciat, rem illam esse furto sublatam, teneatur ad restitutionem.

Respondetur secundò, dist. assumptum: si res furto sublata est usu consumptibilis, potest esse materia contractus validi, concedo: si non est usu consumptibilis, nego assumptum. Potest, inquam, res aliena, quæ est usu consumptibilis, esse materia validi contractus; quia hæc res non est obligata dominio in individuo; & ratio est, quia præsumi potest, vendentem, vel permutantem posse directo domino reddere eandem rem in specie. De re verò, quæ non est usu consumptibilis, fieri non potest contractus validus; quia hæc res cadit sub dominium in individuo directi domini; adeoque &c.

8 Objicies tertio, probando, non esse necessarium finem bonum, & honestum ad valorem Contractus. Si quis de aliqua re turpi, & ob turpem causam contractum faceret ex libero utriusque contrahentis consensu, tunc contractus ille validus diceretur, & tamen finis ejus esset prauus; Ergo non est necesse ad valorem contractus, ut sit ex fine recto factus. Probatur alium-

assumptum primò : Contractus factus à Meretricibus ad sui copiam viris faciendam, est contractus ex libero utriusque contrahentis consensu factus ob turpem causam ; & tamen ex *L. 4. ff. de conditio. ob turpem causam* , contractus hic validus est : Ergo poterit absolutè contractus esse validus, non obstante, quòd turpis sit finis ; Ergo &c. Probatur secundò idem antecedens. Si affassinus centum aureos acciperet à Titio ob homicidium patrandum, tunc finis intrinsecus hujus contractus, prauus, & turpis esset ; & tamen contractus ipse validus diceretur : Ergo &c. Probatur assumptum : ex una parte haberetur ratio delectabilitatis, & utilitatis ex parte contrahentium, quæ orirentur ex contractu ; & ex altera parte teneretur cōtrahens ad solvendam illam denariorum summam : Ergo validus undequaque esset contractus, non obstante, quòd sit ob turpem finem factus.

Respondetur dist. assumptum : esset contractus validus Jure naturæ, transeat assumptum : esset validus jure humano positivo, subdist. quando adest pro illo casu aliqua specialis lex, concedo : quando nulla talis specialis lex intervenit, nego assumptum ; & ad primam partem probationis dist. antecedens : & contractus ille à Meretricibus factus, est validus jure naturæ transeat : & est validus jure humano positivo, subdist. ex speciali lege pro eis condita, concedo : ex lege universali pro omnibus casibus ob turpem causam incidentibus, nego antecedens.

Pro majori autem claritate advertendum est, dupliciter posse contingere contractum circa opus prauum, vel ob prauum finem. Primò ante operis impletionem. Secundò, post operis impletionem ; & quidem loquendo de Jure naturæ. Si res tradita, sit ante operis impletionem, tunc contractus invalidus est, quia non interveniret obligatio ex justitia, sed ex injustitia ; cum nemo cogi possit ad peccatum patrādum, nec ad peccandum obligari. Si verò res tradenda sit, post operis impletionem, V. G. post patratum homicidium, tunc contractus diceretur validus, & sic promittens rem ob turpem causam, posita, & adimpleta ipsa causa, haberet obligationem ex parte sui : unde stante tali obligatione contractus diceretur validus. Et quamvis peccatum in genere moris sit nullius pretii, tamen quia utilitatem, & delectationem inducit, est in genere entis pretio aliquo æstimabile. Restat ergo, quòd de Jure naturæ nullus contractus ante operis impletionem validus esse potest, estò validus sit post operis impletionem. Jure autem humano positivo nullus contractus esse potest validus factus ob turpem causam, nec ante, nec post operis impletionem ; sed pretium retineri posse penes ipsum, in quo esset : vel mandantem, vel mandatarium, ut esset in secundo casu posito inter arguendum, cum *Leg. 2. Cod. eodem titulo*, sancitum sit, in his casibus meliorem esse possessoris conditio-

nem. In casu verò de meretricibus, Jure positivo contractus validus esset, ex lege speciali pro eis condita, quæ est *4. cit.* & ratio in illa lege fundata est, quod licet Meretrix turpiter faciat, tamen justè, & non turpiter accipit, cum sit Meretrix. In proposito ergo nostro, dum dicimus, necessarium esse finem intrinsecum honestum ad valorem contractus, loquimur specialiter de valore contractus patrandi Jure humano positivo, non absolutè Jure naturæ ; in quo casu, non potest contractus validus esse, præsertim in foro conscientiæ, dum finis prauus est. Hoc satis de hac quæstione. Ceteræ difficultates, quæ circa conditionem formalem occurrere possent, solvendæ sunt in sequenti quæstione. Unde sit

## QVÆSTIO SECUNDA.

*An, & quomodo ratione liberi consensus invalidari possit contractus ?*

**P**ro præsentis quæstionis intelligentia suppono ex dictis in antecedenti quæstione, liberum consensum esse formalem causam, & simul efficientem Contractus ; ac per consequens præcipuam conditionem requisitam ad contractum faciendum. At quia circa consensum liberum contrahentium quandoque contingere possunt error, dolus, aut metus extorquentes consensum ipsum ; hinc meritò quærimus, an consensus sic extortus sufficiat ad contractum invalidandum ? Unde cum Scoto in *4. dist. 15. q. 2. art. 2. concl. 3.*

Notandum est, contractum invalidari ratione liberi consensus, posse contingere dupliciter : Vel quando dolus, & error cadunt supra substantiam rei contrahendæ ; ut si quis liberè intendat, & credat emere mulam, & post contractum factum inveniatur asinam, error in hoc casu esset circa substantiam rei contrahendæ. Vel quando dolus, aut error cadunt supra rei accidentia ; ut si quis credat emere equum velocem ad cursum, qui revera non esset velox, sed tardus ad cursum : in hoc casu error in consensu esset circa accidentia rei contrahendæ. Tam circa substantiam, quàm circa accidentia, potest error contingere, vel antecedenter, & prout dat causam contractui ; vel concomitanter, & prout causam non dat contractui. De utroque dolo, & errore discutiendum est in præsentem. Et quidem de errore, & dolo circa substantiam, communis est omnium Doctorum opinio, sive sit antecedens contractum, sive concomitans, contractum invalidare. Plures in hoc etiam sunt leges ; præsertim, *L. 51. Non videtur &c. Et L. 206. Jure natura equum est &c.* Quàdo verò error, vel dolus est circa accidentia, tunc si error est concomitans, & non dans causam contractui, etiam communis est opinio affirmans,

firmans, contractum non invalidari; si verò esset circa accidentia, & antecedens, ac dans causam contractui, tunc aliqui tenent, contractum non invalidari; ut Coninch, Layman, & alij aliqui verò asserunt, absolute invalidari; & ita tenent Lessius, & plures alij Doctores. Alii tandem dicunt, quòd estò sit invalidas contractus ex eo, quòd dicit ex natura rei, quia deceptus resilire possit; non tamen esset invalidus contractus quantum ad hoc, quòd deceptor possit contractum irritare, invito decepto. Hoc notato.

Advertendum est, posse quandoque metum in contractibus intervenire; qui quidem metus si provenit à causa naturali, ut esset metus mortis proveniens à morbo, naufragio &c. non invalidat contractum; quia contrahentes adhuc liberè consentiunt ad contractum faciendum, nec sit ipsis injuria, ratione cujus possit contractus invalidus censerì. Si verò provenit à causa libera, tunc metus ipse injustè incussus esset, & sic contractum Jure naturæ invalidaret. De omnibus his circumstantiis cadentibus supra liberum consensum, quæ contractum invalidare possunt, est sermo in præfenti. Quare pro quæstionis resolutione hanc in plures dissectam partes pono conclusionè, &

*DICO*, Errorè, vel dolum, sive antecedit, sive concomitetur contractum; si cadit supra substantiam rei, invalidare contractum. Si vero cadat supra accidentia, potest contractum invalidare, cum est antecedens; minimè si est concomitans. Metus verò injustè incussus, à causa libera proveniens, jure naturali invalidat contractum. Conclusio hæc quoad omnes partes est juxta opinionem Doctorum supra relatorum. Et quoad hanc tertiam partem tenetur à D. Bonaventura 4.d.29.art.1.qu.1. & à Scoto supra cit. qu.1. cum omnibus ferè Scotistis, & quibusdam aliis extra nostram Scholam. Et quoad eandem hanc partem est contra Lessium, Sotum & alios; quorum opinio est minus probabilis.

6. Probatur prima pars, quòd scilicet dolus, vel error consensus liberi circa substantiam rei contrahendæ, sive sit antecedens, sive concomitans, invalidet contractum. Deficiente substantialiter libero consensu ad rem contrahendam, nequit haberi contractus validus; sed posito errore, vel dolo circa substantiam rei contrahendæ, deficit substantialiter liber consensus: Ergo contractus, ubi adest error, vel dolo circa substantiam rei contrahendæ, redditur irritus, & invalidus. Major patet, quia consensus liber est præcipua conditio, cum sit formalis causa requisita ad contractum. Probatur minor; tunc deficit substantialiter liber consensus in contractu, quando non uterque contrahens consentit in substantiam illius rei, de qua fit contractus, sed vel neuter consentit, vel alter consentit in illam rei substantiam, alter in aliam; atqui per dolum, & errorem circa

substantiam illius rei, alter contrahentium non consentit in illam rem, sed in aliam: Ergo deficit liber consensus circa rem contractam. Probatur minor hoc exemplo. Si quis vellet, & crederet emere gemmam, & post emptionem factam adverteret, rem emptam non esse gemmam, sed crystallum V.G; tunc ex errore, & dolo emptor non consentisset in emptionem crystalli: in tali casu contractus hic esset sine consensu ad emendum crystallum; unde contractus hic invalidus diceretur. Vel si quis vellet vendere crystallum, & pro crystallo traderet gemmam emptori; dolo, & error in rem contractam irritaret consensum venditoris, cum hic non consentiret ad vendendam gemmam pro crystallo: Ergo &c. Probatur utrumque assumptum; quia in utroque casu contrahentes respectivè ad restitutionem tenerentur propter dolum, & errorem; & quidem in casu contrario dicerentur malæ fidei possessores: Ergo &c.

Hoc idem communiter jura confirmant; & præsertim *L. si per errorem, ff. de jurisdictione omnium judicum*, & *L. 9. de juris, & facti ignorantia*; in qua habentur hæc verba: *Errantis nullus est consensus*. Ratio assignata non solum militat de contractu oneroso, sed multò magis de contractu lucrativo; unde si quis aliquid donaret titulo paupertatis alicui, qui revera non est pauper; tunc donatio illa esset invalida; quia tunc error esset in consensu donationis.

10. Probatur secunda pars, quòd error, vel dolo contractum invalidat, si est antecedens, & dans causam contractui, dum cadit supra accidentia rei contrahendæ. Quòd dat causam contractui, facit contractum: Ergo quòd dat causam invalido contractui, facit contractum invalidum; sed quando error, vel dolo cadit supra accidentia rei contrahendæ, & est antecedens, & dat causam contractui; tunc dat causam contractui invalido: Ergo facit contractum invalidum. Prima consequentia sequitur, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita secundum quid ad secundum quid. Probatur minor subsumpta: ut contractus sit validus, necesse est, ut consensus ex parte alterius contrahentis sit absolutus de emptione rei sub illo accidente, propter quòd ipse movetur ad contractum; sed posito dolo, vel errore in consensu, quo quis absolute consentit ad emptionem rei V.G; dolo, vel errore dat causam contractui: Ergo non potest dare causam contractui valido: Ergo invalido contractui daret causam: Probatur assumptum. Si quis vellet emere Equum, ut velocem, & accederet ad venditorem, qui certò sciret Equum non esse velocem, & tamen, ut velocem venderet illum; in hoc casu haberetur dolo in Venditore, & error in decepto, seu emptore, qui absolute moveretur ad consentiendum emptioni Equi velocis, qui re vera velox non est: Ergo tunc cum tali dolo irritaretur contractus. Probatur



tur hæc consequentia, quia propter incommodum, quod deceptus pateretur, teneretur deceptor damnum rescire, præsertim si est supra medietatem pretii equi empti; ut statutum est à pluribus juribus Civilibus: Ergo dicendum est, quòd in tali emptione dolus, vel error irritaret contractum.

Advertendum tamen est, quòd est ex natura ipsius contractus, invalidus esset contractus, in quo dolus haberetur ex parte unius contrahentis, quantum ad hoc, quòd deceptus propter incommodum, quod accepit, ex contractu resilire potest, & sic invalidare contractum; tamen non dicitur invalidus contractus ex ipso Jure quantum ad hoc, quòd deceptor posset invalidare contractum sine consensu, aut invito decepto. Nam ideo præcisè potest contractus irritari, quia injuria est in decepto, non quia dolus est in deceptore: solus ergo deceptus, ad suam ipsius injuriam rescindendam, poterit contractum irritare; deceptor autem teneretur ad restitutionem in integrum, si deceptus velit. Hoc totum est verum, quando consensus cum dolo dat causam contractui; non verò quando concomitatur contractum; quia sic dolus ex concomitanti per accidens se habet ad contractum. Hoc itaque notato,

- II Probatum nunc tertia pars, quòd scilicet metus injustè incussus à causa libera irritet contractum. Ad rescindendum, aut irritandum contractum, satis est, ut contractus non possit esse titulus translativus dominii ab una persona contrahente in aliam; sed quando adest gravis metus, præsertim cadens in virum constantem, ut V.G. esset metus mortis, vel diuturni Carceris &c. injustè movens ipsum contrahentem ad contractum faciendum, tunc contractus ipse neque Jure naturæ, neque Jure civili potest esse translativus dominii unius personæ contrahentis ad aliam: Ergo gravis metus injustè movens contrahentes ad consentiendum contractui, rescindit, & invalidat contractum. Probatum minor: tunc contractus potest esse titulus translativus dominii ab una persona contrahente ad aliam, sive per emptionem, donationem, &c. quando non infert gravem injuriam ei, à quo transferendum esset dominium; sed quando quis ex gravi metu movetur ad transferendum dominium in aliam personam contrahentem, tunc gravis injuria fit ei, à quo transferendum esset dominium: Ergo quando quis ex gravi metu movetur ad contrahendum, tunc contractus ipse non potest esse dominii translativus; Ergo esset omnino irritus, & invalidus, Probatum minor: cogere injustè ad deperdendum dominium rei cadentis sub ejus potestate; ut si quis cogere Titium, minis V.G. mortis, ad donandum ipsi rem, quæ est sub Titii dominio, vel ad vendendam sibi, vel alteri rem maximi pretii pretio vili: in tali casu Titio injuria fieret: Ergo &c.

Confirmatur hoc ex Jure tam positivo, quam Civili, ubi universaliter hæc verba habentur. *Quæ metu, & vi fiunt, de Jure debent in irritum revocari. Quæ vi, metusve causa fiunt, cavere debent robore firmitatis: Ergo signum est, quòd etiam Jure positivo invalidus sit contractus factus ex gravi metu. Quædam alia adduci possunt pro hac parte, quæ videnda sunt in disputatione de matrimonio, ubi videbitur, quòd solus metus justè cogens ad contrahendum facit validum contractum; ut si quis justè accusare vellet adulterum de adulterio, & metu justè accusationis cogere ipsum ad aliquid ei donandum; tunc contractus ille donationis validus esset, quia metus cogens adulterum ad consentiendum in illam donationem, esset justè incussus. Quando verò est incussus injustè, & injustè cogere ad contrahendum, tunc contractus ille invalidus esset, & injustè cogens teneretur in conscientia ad restitutionem; cum coactus injuriam faceret. Hæc omnia in citata materia magis elucescent.*

### Solvuntur Objectiones.

- 12 **O**bjicies primò, contra primam partem. Posita absoluta voluntate consentiendi alicui contractui, absolute habetur valor ipsius contractus; sed quocumque dolo, aut errore accedente, etiam circa substantiam rei contrahendæ, ponitur absoluta voluntas consentiendi contractui: Ergo habetur valor ipsius contractus, non obstante, quòd sit error circa substantiam contractus. Probatum minor: dolus ipse, aut error non variant essentialiter causam formalem contractus, quæ est liber consensus ad contrahendum: Ergo posita absoluta voluntate liberè consentiente, non obstante quocumque dolo, vel errore, habetur valor ipsius contractus. Probatum antecedens: ideo essentialiter causam formalem contractus variaretur, quia consensus ille cum dolo, aut errore circa substantiam, esset involuntarius, & non liber; sed posito dolo, vel errore, consensus ille liberè præstitus ad contrahendum, non redderetur involuntarius; quia qui contraxit circa substantiam alicujus rei, non expressit conditionem de non contrahendo circa aliam rem: Ergo &c.

Respondetur dist. majorem: posita absoluta voluntate consentiendi circa rem, quæ est in mente contrahentis, habetur &c. concedo: posita voluntate consentiendi, circa rem diversam essentialiter ab illa, quæ est in mente contrahentis, nego majorem, & è contra distincta minori, nego consequentiam. Quando ergo ponitur absoluta voluntas liberè consentiendi circa hanc substantiam, & non circa aliam, tunc consensus præstitus illi contractui, contractum irritat; quia liber consensus est ad illam rei substantiam contrahendam, quæ est in mente contrahentis.

trahentis, quam re vera invenit post contractum: at in hoc nullus est dolus, aut error circa substantiam rei contrahendæ. Si verò consensus liber est ad hanc rem contrahendam, & ejus vice datur alia essentialiter diversa, tunc quia consensus non est ad illam aliam rem, adest dolus, & error cadens supra consensum necessarium; ideoque contractus irritatur. Ad probationem dico, utique verum esse, dolum, & errorem non variare rationem formalem contractus, quando per accidens est in ipso contractu, non verò quando dolus cadit supra consensum liberè præstandum ad rei substantiam contrahendam; vel quando dat causam contractui, etiamsi sit circa accidentia. Quare ad ultimam probationem dico, minorem esse falsam. Non ergo ad reddendum consensum involuntarium requiritur, ut exprimat conditio de non contrahenda alia re, sed satis est, ut res contracta non sit illa, quam intendebat contrahens liberè contrahere; & quia re vera totum hoc esset in sensu nostræ conclusionis juxta casum illum positum inter arguendum, ideo omninò involuntarius redderetur contractus ille: adeoque deficeret ratio formalis contractus.

Dices: dum quis intendit vendere Crystalum, & pro Crystallo emptori liberè tradit gemmam, licet sit error, & dolus in illa traditione, tamen liberè venditor consentit venditioni: Ergo consensus ille non esset omninò involuntarius. Probatur assumptum: licet consensus ille diceretur involuntarius circa unam rem pro alia, tamen non est omninò involuntarius circa venditionem, quæ est contractus in casu: Ergo &c. sed ratione hujus liberi consensus circa formalem rationem contractus poterit esse validus contractus: Ergo &c.

Respondetur, dicendo, liberum consensum ad contractum præscindentem ab hac, vel illa re, esse potius indifferentem, quam absolutè voluntarium; cum possit ad hanc, vel illam rem vendendam æquè flecti. Unde dum quis vendit Crystalum, & loco ipsius dat gemmam, consensus ad venditionem ut sic præscindit à consensu ad Crystalum, vel ad gemmam vendendam; quare fit, quod ut consensus sit voluntarius, esse debeat in hanc rem determinatam, & non in aliam: Contractus enim venditionis est venditionis rei determinatæ, supra quam cadit forma ipsa voluntarii consensus; non verò venditionis hujus, vel illius rei indeterminatæ; adeoque est consensus sit in venditionem, quia tamen non est in rem illam traditam, sed in aliam non traditam, ideo contractus invalidus diceretur, quia involuntarius esset consensus. Requiritur ergo ad valorem contractus voluntarius consensus supra rem vendendam, non præcisè supra venditionem, seu supra titulum.

13 Objicies secundò contra secundam partem. Si error, vel dolus rescinderet, aut invalidaret contractum, vel hoc esset ex naturali Jure, vel

ex jure positivo; sed ex neutro capite potest contractum invalidare dolus, & error circa accidentia, sive sit concomitans, sive antecedens contractum; Ergo si in consensu ad contrahendum haberetur dolus, vel error circa accidentia rei contrahendæ, sive sit concomitans, sive antecedens, contractum non invalidat. Probatur minor, & primò quòd Jure naturæ consensus, ubi est dolus, vel error non invalidet contractum. Jure naturæ, qui consentit contractui, ubi intervenit dolus circa accidentia tantum, etiamsi dolus det causam contractui, potest velle, ut contractus subsistat, non obstante, quod sit deceptus; sed in casu, quo vellet, ut contractus subsistat, non irritaretur contractus; cum velle contractum subsistere idem sit, ac velle contractum non irritare, & ex alia parte deceptor non tenetur rescindere contractum ipsum: Ergo jure naturæ nullatenus contractus est irritus, & invalidus, ubi adest error ex parte consensus circa accidentia rei contrahendæ. Jure positivo nulla est lex in contractum: Ergo neque jure positivo &c.

Deinde; Dolus, & error in contractu matrimonii ex parte consensus unius contrahentis, non potest invalidare matrimonium, etiamsi dolus sit circa accidentia. Ut cum Titius consensum præbet contrahendi matrimonium, cum Teresia ex eo, quòd hæc falso, & dolosè Titio promittit, aliquid ei donare: vel consentit matrimonio faciendo ex eo, quòd putat illam pulchram, & revera pulchra non est; Ergo etiam in quolibet contractu, quando in consensu est dolus circa accidentia, etiamsi ipsum contractum antecedit, non potest contractus invalidari. Antecedens constat in materia de matrimonio. Probatur consequentia, quia eodem modo dolus antecedit, & dat causam contractui in matrimonio, ac in ceteris contractibus: Ergo si ibi dolus non invalidat contractum, matrimonii, neque in aliis invalidare potest contractum.

Respondetur ad primum, negando minorem, ad cujus probationem dico, quòd est deceptor possit velle, ut contractus subsistat, tamen quia ob incommodum, quod patitur, potest cogere deceptorem ad sibi solvendum, & resarciendum damnum, & Judex potest justè deceptorem compellere ad damnum resarciendum, præsertim si est supra dimidium pretii rei contractæ; ideo dicimus quòd utroque Jure invalidari possit contractus; non quòd ex se sit irritus ipso facto; sed quatenus nullo Jure permissa est aliena injuria ex fraude, dolo, vel errore. Ex hoc ergo, quòd potest deceptor velle contractum subsistere, solùm sequitur, quòd possit cedere Juri suo; non autem sequitur, quòd cum hoc stare non possit potestas, ut sibi resarciretur damnum; cum qua potestate invalidaretur contractus.

Pro majori autem intelligentia advertendum est, quòd quando nos asserimus, dolum

in consensu unius contrahentis posse invalidare contractum, non loquimur de invalidando contractu ipso Jure, sive naturali, sive positivo; sed tantum dicimus, quod quando dolus dat causam contractui, tunc deceptor cogere potest deceptorem ad irritandum, & invalidandum contractum, si dolus provenit ex consensu deceptoris contrahentis: nam si deceptor non esset contrahens, sed esset aliquod tertium se interponens ad faciendum contractum, tunc illud tertium, quia esset deceptor, teneretur ad damnum resarciendum, & in hoc casu contractus, non irritaretur; & ratio est, quia tunc ex parte neutrius contrahentium intercederet error, vel dolus circa consensum; sed solum ex parte alterius extranei.

Respondetur ad secundum, negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia in tantum rescindi non potest, aut revocari, & invalidari Matrimonii contractus, ubi adest consensus circa substantiam cum dolo, aut errore circa accidentia, in quantum ad substantiam, matrimonii sufficit consensus absolute liber, qualis utique est consensus circa substantiam personarum contrahentium: quo semel habito, ex divina, & Ecclesiastica lege manet indissolubile, ut dicemus in tractatu de matrimonio; & hinc est, quod dolus circa matrimonii accidentia, stante sincero consensu circa substantiam, contractum ipsum matrimoniale non irritat. Ceterum alii contractus, de quibus in hac disputatione loquimur, non sunt indissolubiles, quia ex divina ordinatione non possunt tales fieri; & hinc qui deceptor est ab alio per contractum, potest contractum invalidare, si velit. Restat ergo disparitas inter contractum Matrimonii, & contractus alios, quibus non intervenit divina ordinatio; nam divina ordinatio facit, quod dolus in accidentibus, ex quacumque contrahentium parte se teneat, non possit irritare contractum: ut etiam evenit in contractu Ecclesiastici Ordinis, ex dolo, vel errore in accidentibus. In contractibus autem non Sacramentalibus Ecclesie, quia non intervenit divina ordinatio, possunt ab eo, qui dolum accepit, invalidari; adeoque &c.

14. Objicies tertio contra tertiam partem. Ut jure naturae validus sit contractus, satis est, ut consensus praestandus sit voluntarius, & liber; sed posito metu gravi ex parte consensus ad rem aliquam contrahendam, jam consensus ille voluntarius esset: Ergo jam contractus ille validus esset jure naturae; Ergo &c. Probat minor: in tantum non esset voluntarius consensus in quantum, cum ex metu esset coactus, cum ipso stare nolito contractus; sed non stat nolito contractus cum consensu coacto ad contractum: Ergo &c. Probat minor: cum illo consensu coacto stare nolito tantum sub conditione, explicata in hoc sensu, *nollem contrahere, nisi coactus essem*; dum tamen contraho, libere contraho, non obstante coactione: Ergo

cum consensu coacto non stat efficax nolito contractus.

Deinde, idem probatur argumento Lessii. Vel esset jure naturae invalidus contractus ratione liberi consensus, quatenus non absolute consentiret, qui cum metu gravi contraheret; vel ratione injuriae, quae coacto inferretur. Ex neutro capite invalidari potest contractus; Ergo &c. Probat minor: non ex primo capite, quia qui consentit, consideratis omnibus, & praesertim ipso gravi metu, jam actualiter vult: Ergo absolute consentit. Neque ratione injuriae vitatae, quia injuria non est immediata causa contractus, sed est consensus: Ergo non obstante injuria, quam coactus reciperet, censendus est jure naturae validus contractus.

Praeterea: Plures sunt leges, ex quibus deducitur, contractus ex vi, & metu celebratos non esse omnino irritos, sed in irritum revocandos: Ergo non sunt ipso jure invalidi contractus facti ex consensu coacto, sed possunt ex lege civili invalidari, si coacte consentiens, vellet rescindere, aut irritare: Ergo &c. Probat assumptum; ex *L. si mulier 21. §. fin. T. quod metus causa*, ubi habetur: *Si metu coactus ad vi hereditatem, puto, me heredem effici; quia quamvis, si liber essem, noluissem; tamen coactus libere volui*. Et *L. ult. cap. de his qua vi. habetur: Venditiones, donationes, transactiones, quae per potentiam extorta sunt, praecipimus, infirmari*. Et aliis in locis idem habetur: Ergo &c.

Respondetur ad primum, juxta meliora Scotistarum principia, negando absolute majorem. Non ergo sufficit ad valorem contractus voluntarius consensus, sed ulterius requiritur, quod consensus hic voluntarius sit dominii translativus ab una ad aliam personam contrahentem; & quia in contractu ex metu injuste celebrato, consensus ille, est voluntarius sit, tamen non habet vim transferendi dominium ab una ad aliam personam; cum ex injusta coactione interveniat injuria, quam recipit ille, qui coacte consentit; ideo ob talem injuriam, quae injustitiam naturalem supponit, contractus cum tali metu injuste incusso, est jure naturae invalidus. Qua quidem ratione videtur infirmata tota vis oppositae tententiae. Quare responsiones huic argumento traditae a Uulpio nostro, quod scilicet consensus ille sit absolute, & simpliciter involuntarius, procedens ex formali motivo absolute nolito; sicut etiam Fabri nostri asserentis, consensum illum esse voluntarium absolute, & secundum quid involuntarium; non bene coherent nostris principiis, neque fundamentum destruunt adversariorum.

Respondetur ad secundum, dicendo, contractum invalidari, non praecise ratione consensus voluntarii, sed multo magis ratione injuriae; quare ad probationem dico, quod est injuria non sit immediata causa contractus, est tamen

tamen ratio formalis, qua contractus celebratur; unde sicuti consensus est cum injuria præstitus contractui, ita injuria illa invalidat contractum. Non ergo est necesse ad invalidandum contractum, quod ratio invalidandi sit causa immediata; sed sufficit, ut sit causa mediata cadens supra rationem formalem constitutivam contractus; quod eveniret in casu. Quare in regulis metaphysicis habetur, *Quod est causa cause, est causa causati*: unde removens causam, removet causatum. Sicut in moralibus, *Dans causam peccandi, peccat*. Ideoque &c.

Respondetur ad tertium, dicendo, leges illas citatas, sicut omnem aliam civilem in hac materia, esse in hoc sensu intelligendas, scilicet quod ea, quæ vi, & metu fiunt, quia irrita sunt, & invalida, debent à Judice, ut irrita, & invalida declarari: non autem est sensus, quod Jure naturæ non sint irrita, & invalida, sed à Judice fieri debeant irrita, & invalida. Quæ expositio sanè colligitur ex illa *L. Can. Cap. Abbas, de his, quæ vi*; ubi habetur: *Quæ vi, metusve causa fiunt, cavere debent robore firmitatis*. Ubi lex supponit, esse irrita ea, quæ fiunt vi, & metu. Unde concludimus, contractum invalidum esse jure naturæ, dum quis ex gravi metu ad contrahendum consentit.

**PETES.** *An juramentum validet contractum ex se invalidum?*

Respondetur negativè, quia juramentum non dat validitatem, sed solum confirmat illam, si illam inveniat. Hoc totum videri potest diffusius in materia de contractu matrimonii, ad quam me refero.

Q V Æ S T I O T E R T I A.

*De contractu Promissionis, & de ejus obligatione inducente ad contrahendum?*

**T**UM Deo, tum hominibus quis vovete potest, & aliquid promittere. Hic tamen omiſſa promissione Deo facta, quippe quæ spectat ad materiam de præceptis Decalogi, ubi de voto agitur; tantum de promissione, quæ hominibus fit, agendum est. Et quidem cum aliquam notitiam in præteritis quæſtionibus de contractibus in communi tradiderimus; congruum sanè est, in his sequentibus quæſtionibus de his contractibus in particulari fermocinari. Cumque contractuum, ut superius diximus, alii sint lucrativi, qui nullum onus imponunt alteri contrahentium; alii sint onerosi, qui alteri contrahentium onus aliquod imponunt: hinc primò sermo erit de lucrativis contractibus, qui sunt promissio, donatio, & Testamentum; deinde de onerosis.

15 Notandum itaque primò est, Nos non loqui de promissione onerosa, quæ cum aliquo one-

re fit, cum hæc spectet ad onerosos contractus. Tantum Sermo est de contractu promissorio simplici, quatenus dicit gratuitum contractum. Hæc autem promissio, præ aliis Doctoribus, definitur à Fabro nostro in materia de, Rest, disp. 47. cap. 14. *Quòd sit actus, quò quis spontè, & liberaliter pollicetur alteri, aliquid dare, vel facere*. Ex qua definitione sequitur, quòd ad hanc promissionem, non solum requiritur propositum, & animus faciendi, sed etiam actus faciendi cum obligatione ad promissionem adimplendam.

16 Notandum est secundò, plures debere concurrere conditiones ad promissionem simplicem. Prima quòd sit libera, ac deliberata, saltem ea libertate, quæ mortale peccatum inducit, nisi promissio adimpleatur; cum promissio sit actus humanus.

Secunda, quòd sit spontanea, & non coacta, aut metu facta: quæ conditio omnibus contractibus necessaria est.

Tertia, quòd sit verbis, & signis externis facta.

Quarta, quòd sit vera, & non facta, id est quòd sit cum animo se obligandi ad promissionem servandam. Et hanc conditionem insinuat Scotus in 3. d. 39. q. 1. §. de 3. art. Atque etiam deducitur ex *L. 1. ff. de act. & oblig.* ubi dicitur: *Quòd in quocumque contractu sine animo se obligandi, nulla inducitur obligatio*.

Quinta, ut promissio sit acceptata; nam ante acceptationem nullam parit obligationem, nec jure naturali, nec jure civili: quare ante acceptationem revocari potest. Et hæc conditio requisita ad promissionem communissima est, præsertim apud Scotistas, constituentem ipsam promissionem in respectivo, utriusque complectente còsensum, Promissoris scilicet se obligantis, & Promissarii acceptantis. Ultraquam quod, etiam si promissarius post acceptationem noluerit promissum, tunc promissor esset ab obligatione solutus.

Sexta tandem conditio est, ut sit de re licita: quare si esset de opere pravo, promissio nulla esset; ut patet in *L. Generaliter 26. T. de verb. signifi.* ubi habetur: *Generaliter novimus, turpes stipulationes esse nullas momenti*. Unde Scotus in 3. cit. ait, *Quòd non debet addi peccatum peccato*: quare sicuti qui promittit aliquid de re illicita, peccavit; ita dum adimplet promissum, aliud committere videtur peccatum. De hac ultima conditione satis dictum est in tertia parte primæ quæſtionis hujus disputationis. Hæc itaque communiter assignantur conditiones ad promissionis valorem, quibus non positis, cessat promissionis obligatio. Quibus tanquam certis notatis,

Quod quæritur in præſenti, principaliter est, an promissio, sive interna, sumpta pro proposito promittendi, & se obligandi; sive externa, sumpta pro actu ipso se obligandi, pariat jure naturæ, & in conscientia obligationem reddendi.

dendi promissum factum ; & quæstio est, tam ante, quam post acceptationem. Unde pro resolutione

*DICO*, ex sola interna promissione non confurgere ex iustitia obligationem in promissore obligantem ad mortale ; Neque ex iure naturæ eandem confurgere obligationem ex externa promissione, ante acceptationem ; estò ex suo genere promissio obliget in conscientia ad servandum promissum sub pœna peccati. Conclusio quoad primam partem est contra Sotum, Molinam, & alios ; & est ferè communis inter alios Doctores . Quoad secundam est etiam contra Molinam, Covarruvias, & alios, Amicum, Fernandum &c. Et est communis. Tertia pars est communissima cum Soto, Lessio, Navarro, Bonacina, & aliis contra Cajetanum, Molinam, & ex nostris Poncium &c. Maxime verò singulas conclusionis partes tueri contra citatos Doctores, & alios. Et deducitur ex Scoto loc. cit.

17 Probatur prima pars, quòd scilicet ex sola interna promissione non confurgat in promissore obligatio obligans ad mortale. Obligatio in conscientia, seu ex iustitia ( ut est sensus conclusionis ) supponit Jus acquisitum ex parte illius, cui fit promissio ; sed ex sola interna promissione nullum Jus acquisitum supponitur in eo, cui fit promissio : Ergo ex sola interna promissione non confurgit obligatio in conscientia in promissore de promissione adimplenda. Major patet, cum nullus contractus dari possit absque Jure, saltem in uno ex contrahentibus. Probatur minor : ad acquirendum Jus in aliquid, requiritur actus voluntatis, & quidem voluntarius, quo quis vult Jus acquirere ; sed talis actus voluntarius nequit esse in eo, cui facta est promissio solum interna : Ergo &c. Probatur minor : non potest actus esse voluntarius ei, cui facta est promissio, nisi habeat notitiam de ipso jure acquirendo ; cum nemo possit liberè acquirere id, quod est sibi naturaliter ignotum ; sed ex sola interna promissione nulla supponitur in promissario notitia promissionis internæ sibi factæ : Ergo actus ille Jus acquirendi ex sola promissione interna, cum non supponat notitiam de promissione, nequit esse voluntarius ad Jus acquirendum ; Ergo &c.

Confirmatur: Tunc ratione contractus acquiritur Jus alicui ex contrahentibus, quando ab uno contrahentium, nempe à promissore transfertur dominium in alterum, scilicet in promissarium ; sed ex sola interna promissione non potest transferri dominium à promissore in promissarium : Ergo ratione internæ promissionis non potest Jus acquirere promissarius . Probatur minor ; quia promissarius illi promissioni internæ suam non præbuit consensum ; sed absque consensu non potest transferri dominium ; cum consensus sit præcipua conditio requisita ad valorem contractus : Ergo &c.

Possunt hic adduci quædam leges pro confirmatione, & præsertim L. prima de verb. oblig. ubi habetur, *Animum in mente retentum non inducere obligationem* . At quia ad hanc communiter respondent adversarii, quòd sit intelligenda de obligatione civili, non naturali ; ideo tanquam inutilem non admitto .

18 Probatur secunda pars, quòd scilicet iure naturæ externa promissio ante acceptationem nullam dicat obligationem . Ut iure naturæ validus sit contractus promissionis, necessariò requiritur utriusque contrahentis consensus, ad differentiam simplicis pollicitationis, ut in calce quæstionis dicemus ; sed quando promissio non est acceptata, tunc ex parte promissarii non habetur liber consensus ; Ergo externa promissio ante acceptationem nullam dicit obligationem. Major patet, quia promissio est relatio ordinata ad alterius consensum. Ultraquamquod contractus promissionis, ut inducat obligationem in promissore, necessariò requirit fidem præstandam de promissione adimplenda ; sed ut præstetur fides de adimplenda promissione, requiritur etiam consensus ex parte promissarii ; Ergo ut promissio obligationem inducat, requiritur utriusque contrahentis consensus . Minor verò principalis sic probatur : Si promissarius renuerit, nolens promissionem sibi factam à promissore, tunc non haberetur liber consensus ad obligandum promissorem, ut promissionem adimpleat, qui proinde non teneretur promissionem adimplere : Ergo quando promissio non est acceptata, non habetur liber consensus ex parte promissarii.

Suaderi potest hæc secunda pars ratione principali adducta pro prima parte ; unde dum quis promissionem non acceptat, cum consensum non prætet ad promissionis contractum, nullum Jus acquirere potest adversus promissorem ; quandoquidem Jus acquiritur ex obligatione promissoris, itante fide se obligandi, & ex parte promissarii acceptantis, & volentis rem promissam sub ejus dominio . Unde non interveniente acceptatione libera ex parte promissarii, regulariter loquendo, nulla resultat obligatio ex parte promissoris, sive promissio sit facta secretò, sive etiam publicè, & coram aliis.

19 Probatur tertia pars, quòd scilicet promissio ex suo genere obliget promittentem ad servandum promissum . Fidelitas, & adimpletio promissi sunt de lege naturæ ; Ergo de lege naturæ sunt servandæ : Ergo ex suo genere promissio promittentem obligat in conscientia ad promissum servandum . Antecedens ut certum tenetur à Scoto in 4. dist. 26. q. 1. ubi ait, *De lege natura servandam esse promissionem, & fidem ; aliàs quis posset iure natura fidem frangere ; quod est falsum* . Probatur consequentia. Transgressio legis naturæ ex suo genere est peccatum mortale ; Ergo quilibet lege naturæ in-

con-

conscientia tenetur fidem servare; sed ex concessis, adimpletio promissi est de lege naturæ: Ergo quilibet in conscientia debet servare promissum. Probatur antecedens: transgressio legis naturæ est actus contra præceptum Dei de servanda lege naturæ; Ergo transgressio legis naturæ peccatum est.

Confirmatur hoc: fides est omnium humanorum cōtractuum fundamentum: Ergo dum frangitur fides, nullus habetur humanus contractus; sed frangere fidem est contra Jus naturale: Ergo in quolibet cōtractu, etiam promissionis, dum frangitur fides, quando promissio non adimpletur, peccatum committitur contra Jus naturale.

Confirmari etiam potest ex Jure, quod acquirit promissarius contra promissorem, & etiam contra hæredes promissoris: Ergo signum est, quod promissio ex genere suo obligationem inducit in conscientia,

*Solvuntur Objectiones:*

20 **O**bjicies primò contra primam partem. In tantum promissio interna non induceret obligationem in promittente, in quantum obligatio fundatur in acceptatione ex parte promissarii acquirentis Jus adversus promissorem; sed hæc ratio non subsistit in sola interna promissione: Ergo interna promissio inducit obligationem in promittente. Major certa supponitur, & est fundamentum præcipuum nostræ conclusionis. Probatur minor: illa ratio solum facit, quod Jure civili, aut Jure gentium non teneatur ad solvendum promissum promissor ante acceptationem promissarii: Ergo non facit, quod Jure naturali absque tali acceptatione libera ex parte promissarii, promissio ipsa interna obligationem non inducat; Ergo poterit stare interna promissio absque ulla acceptatione, obligans ad promissum solvendum.

Deinde: Promissio externa habet vim obligandi in foro conscientiarum; Ergo etiam promissio interna. Probatur consequentia: in tantum externa promissio habet vim obligandi in foro conscientiarum, in quantum fundatur in interna promissione: Ergo si externa promissio obligat in conscientia, etiam obligat interna. Probatur antecedens: signa, & verba exteriora denotant, & significant actum humanum internum; Ergo merè extrinsecè, se habent ad obligandum: Ergo si vim habent obligandi, hoc est, in quantum fundantur in promissione interna.

Respondetur ad primum, negando minorem, ad cujus probationem nego antecedens. Dico igitur, utique verum esse, ex acquisitione Juris ex parte promissarii, obligationem oriri in promissore ad solvendum promissum: at hoc non solum habetur jure civili, aut

jure positivo, sed etiam jure naturæ. Ratio est, quia sicut Deus, & natura signa, & verba dederunt hominibus ad humanum cōmercium; ita Jure naturæ fit tale commercium; & cum in sola interna promissione non interveniant signa, & verba ligantia promissorem ad promissi fidem servandam; hinc est, quod jure naturæ, nisi habeatur acceptatio, semper promissio stat absque obligatione; adeoque &c.

Dices; dum quis actu interno promittit, se aliquid Petro daturum, cum hoc actu promittendi stat etiam actus de fide servanda in adimplenda promissione; sed ex actu de fide servanda confurgit obligatio ex parte promittentis: Ergo cum solo actu interno, absque ulla acceptatione, jure naturæ stat obligatio ex parte promittentis ad promissum adimplendum, Probatur minor: actus de fide servanda non inducit obligationem ex aliquo extrinsecò; Ergo ex seipso: Ergo ex hoc actu de fide servanda confurgit obligatio ex solo consensu promittentis.

Respondetur primò, negando minorem. Poterit enim stare nuda promissio interna, quæ est animus internus hominis, absque manifestatione externa: in quo casu non starec actus se obligandi ad servandam fidem; cum actus de fide servanda inducat obligationem ex Justitia; & quoniam absque alterius contrahentis, scilicet promissarii, consensu, non inducitur obligatio ex Justitia, cum non habeatur Jus acquisitum adversus promissorem; ideo starec solum nuda interna promissio, absque actu de fide servanda.

Respondetur secundò transmissa majori dist. minorem; ex actu de fide servanda confurgit obligatio, si aliàs habetur ex parte promissarii libera acceptatio obligans ad servandam fidem promissionis, concedo: si hæc non intervenit, nego minorem, & antecedens probationis. Actus ergo de fide servanda non stat cum nuda interna promissione, aliàs hæc non esset nuda voluntas promissionis; tunc autem habetur actus de servanda fide, quando habetur ex parte alterius contrahentis cōsensus acceptandi promissum; quia actus de servanda fide confurgit ex positione utriusque extremi. Quare cum sola nuda interna promissione, cum qua non potest componi acceptatio ex parte promissarii, quæ tantum ex verbis, & signis fit, non potest stare neque obligatio, neque actus de fide servanda, qui idem est, ac obligatio.

Respondetur ad secundum, dist. antecedens: habet vim obligandi in foro conscientiarum, posita acceptatione, concedo: non posita acceptatione, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem dico, promissionem externam habere vim obligandi, non solum, quia fundata est in interna promissione, sed etiam quia, sicut Jus resultat in promissario ex libera ejus acceptatione, ita obligatio confurgit

in



in promissore ex libera ejus promissione. Certissimum ergo est, quòd fundamentum externæ promissionis est ipsa interna promissio, tamen ut promissio interna obligationem inducat, requiritur externa ipsa manifestatio, tanquam conditio, sine qua non teneretur promissor adimplere promissum; cum per actus externos homines civiliter vivant. Quod etiã est clarum de lege in mente Legislatoris; Legislator enim, nisi legem promulgaret, quod est externa manifestatio, non posset subditos actû obligare ad ejus observantiam; quia lex obligat actû dependentem à promulgatione tanquam à conditione, sive qua non. Itã etiam non obligatur quis ad aliquam ducendam in uxorem, ex sola interna promissione, nisi promissio externa cum acceptatione accederet. Sic dicendum est in proposito nostro.

Dices: ut habeatur obligatio ex parte promittentis, sufficit, ut promissio sit actus justitiæ; sed ex sola interna promissione haberi potest actus justitiæ: Ergo &c. Probat minor: ex sola interna promissione Deo facta habetur obligatio ex parte promittentis ratione obedientiæ: Ergo ratione justitiæ ex sola etiam promissione interna haberi potest obligatio; Ergo habetur actus justitiæ.

Respondetur negando minorem. Justitia ergo requirit dualitatem personarum, vel est ad seipsum, quasi ad alterum, ut dictum est in 2. q. primæ disp. Unde si habeatur ex una parte tantum interna promissio, tantum unius personæ consensus habetur, & non alterius, qui consentire non potest in aliquod objectum, nisi per externam manifestationem ei notum sit; & ideo absque tali externa manifestatione nequit actus Justitiæ haberi. Et quoniam cessante actu justitiæ, nulla oritur obligatio; idè ex sola interna hominis promissione nulla oritur obligatio ex parte promittentis. Per hoc patet disparitas de promissione Deo facta; nam Deus, cum sit scrutator cordium, & omnia intueatur, quæ de re bona internè promittuntur ab hominibus, acceptat; quatenus ei omne bonum placet. Cum autem Homines cordium non sint scrutatores, requiritur manifestatio externa ad inducendam obligationem, ratione acceptationis liberè factæ à promissario; adeoque &c.

- 21 Obijcies secundò contra secundam partem, probando, quod jure naturæ non consurgat obligatio ex externa promissione ante acceptationem. Tunc promissio externa jure naturæ obligationem pareret, quando esset translative dominii ab una persona ad aliam; sed ante omnem liberam acceptationem externa promissio est translative dominii ab una persona ad aliam: Ergo ante acceptationem jure naturæ externa promissio obligationem parit. Probat minor: ut jure naturæ transferatur dominium ab una persona ad aliam titulo promissionis, satis est, ut quis

sponte promittat, se velle aliquid alicui donare, & quidem efficaciter; sed posita sola externa promissione, quis spontè promittit, se velle aliquid alicui donare: Ergo &c. Probat minor: si ad externam promissionem etiam requireretur acceptatio, tunc actus ille volitionis in donando non esset efficax, sed inefficax, à conditione nimirum dependens: Ergo &c.

Deinde: Qui sponte se alteri obligat, tenetur obligationem adimplere; sed qui externa promissione promittit, sponte se alteri obligat: Ergo tenetur obligationem adimplere.

Respondetur ad primum negando minorem, & minorem probationis. Dico igitur, quòd ut promissio externa sit translative dominii ab una ad aliam personam, requiritur voluntas efficax volendi aliquid donare alicui: at hæc sola non sufficit, sed requiritur etiam voluntas donatarii, ac promissarii consentientis, & promissionem acceptantis: non ergo adeo efficax est humana voluntas, ut independentem à volutate alterius absolute possit transferre dominium, sed cum dependentia ab alterius voluntate, ut à conditione: quæ purificata, transfert dominium, & parit obligationem de stando promissis. Itaque voluntas promissoris in promissione adimplenda dicit acceptationem alterius, tanquam conditionem; ideoque ut sit voluntas efficax promittendi, & adimplendi promissum, debet ista conditio depurari; ac per consequens ut actus promittendi sit efficax, requiritur acceptatio adimpleta. Adde, non absolute verum esse, quod in contractu faciendi requiratur efficax voluntas transferendi dominium; sufficit enim conditionata, quæ postea ratione juris per acceptationem acquisiti reddatur efficax; posset enim aliquis hoc pacto contrahere: Vellem Petro hoc librum donare, si ipse vult eum acceptare: hæc namque velleitas non esset actus absolute efficax voluntatis, sed conditionatè, & quatenus Petrus vult librum acceptare, actus ille reddetur efficax.

Respondetur ad secundum dist. majorem: Si se obligat ratione fidelitatis, concedo: si tantum ex justitia nego majorem; & eodem modo distincta minori, nego consequentiam in eodem sensu distinctionis. Quando ergo obligatio habetur ratione fidelitatis, utique se obligans ex fide tenetur promissionem, & obligationem adimplere. Ratio est, quia fides ultra externam manifestationem, datur etiam alteri fidem acceptanti, & semper fides acceptationem alterius supponit. Ceterum dum quis solum ratione justitiæ se obligat alteri, quia cum tali obligatione non acquiritur Jus ex parte alterius, ratione cujus teneatur promissor promissionem adimplere, hinc deducimus, quòd ante acceptationem, non teneatur ex sola promissione promissor promissionem adimplere; non obstante quòd ipsa promissio

missio sit principalis ratio in obligatione inducenda.

22. Objicies tertio contra tertiam partem probando, quod ex genere suo promissio non obliget in conscientia ad servandum promissum. In tantum promissio ex genere suo obligaret in conscientia sub poena peccati mortalis, in quantum non observata promissione, frangeretur fides; sed ex fractione fidei non sequitur læthalis culpa in frangente fidem: Ergo &c. Probatur minor; frangere fidem est mendacium committere, ex non observantia fidei in re promissa; sed committens mendacium non peccat læthaliter; cum mendacium ex se peccatum veniale sit; & solum ex circumstantia possit esse mortale, quatenus sit de re gravi, & sit noxium proximo; Ergo &c.

Respondetur negando absolute minorem, & minorem probationis. Dico igitur ex doctrina Doctoris nostri in 3. dist. 38. qu. 1. quod est contra præcepta legis naturæ, ex suo genere esse peccatum mortale; quia enim adest præceptum legis naturæ, *Quod scilicet tibi non vis alteri ne feceris*, ideo, cum mendacium non desideretur à proximo, nec proximus velit ab altero decipi; sequitur, quod frangens fidem, quia mendacium committit, peccat mortaliter contra assignatum naturæ præceptum. At ex circumstantia tantum quatenus sit in re levi, & absque gravi proximi deceptione, mendacium dicitur peccatum veniale. Quare restat tanquam certum, promissionem ex genere suo obligare in conscientia ad promissum servandum.

13. Pro complemento autem hujus quæstionis notandum est: promissionem differre à donatione, pollicitatione, pacto, & stipulatione. Quæ differentia stat in hoc, quod Promissio ex natura sua, est obliget promissorem in conscientia, tamen ex se non habet vim transferendi dominium ad alium; quia dominium transfertur traditione, ut habetur, *L. traditionibus*. Donatio, completa traditione, perfecte transfert dominium in donatarium. Unde promissio respicit futuram donationem; donatio vero translationem rei ad alium. Pollicitatio est promissum solius offerentis absque ulla acceptatione; unde quando non est acceptata promissio, tunc est simplex pollicitatio. Pactum est duorum consensus, atque conventio, & obligationem imponit ex parte utriusque in promissione vero obligatio est ex parte solius promittentis. Stipulatio tandem est contractus verborum, & formulam contrahendi, quæ sit præcedente interrogatione creditoris, & subsequente responsione debitoris, quod non intervenit in simplici donatione. Hæc satis de promissione. Quædam alia videntur in sequenti quæstione de donatione, quæ etiam promissioni accommodantur, Unde

Potest hic dubitari, *An promissioni acce-*

*ptata possit aliquod onus imponi?*

Resp. quod est ante acceptationem possit onus imponi, ut si dicam do tibi domum, si mihi des pensionem annuam, quia potest revocari; tamen post acceptationem nullum imponi potest onus. Ratio est, quia jam promissarius Jus acquisivit sine onere; adeoque &c. Adverto tamen, quod cum onere imposito, non esset contractus simplex, & gratuitus, sed onerosus.

QVÆSTIO QVARTA.

*De Donatione; & an possit aliqua ratione, donatio juramento firmata revocari?*

Ulpianus l. 1. de donationibus describens formalem donationis rationem, ait; *Quod sit illa, qua dat aliquis ea mente rem, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti; & propter nullam aliam causam facit, quam ut liberalitatis, & munificentiam exerceat*. Hæc definitio ab aliquibus Doctoribus restringitur his verbis: *Quod sit datio liberalis, seu translatio domini alicujus rei non debita ex justitia in alium*. Unde ad formalem rationem donationis actio liberalis requiritur. Duplex autem potest esse donatio; alia simplex, appellans promissionem de aliqua re donanda, & in actu primo consistit; alia vero dicitur actum, & est quando per actualem traditionem aliquid alicui gratuito traditur, absque remuneratione; aliàs non esset donatio, de qua loquimur, sed commutatio unius rei in aliam, quando ex parte alterius haberetur remuneratio. Primo modo sumpta est formaliter promissio. Secundo modo est vera donatio, de qua sermo est in præsentia. Ex hoc ergo, quod donatio sit liberalis, & gratuita datio, optime sequitur quod donans non teneatur ex justitia, sed ex gratitudinis re tradere donatario.

24. Notandum est primo pro hac explicanda donatione, plures occurrere conditiones ad valorem donationis constituendum, & quidem eadem, quæ interveniunt ad promissionis valorem; & ultra illas in præterita quæstione assignatas, tres aliæ à Scoto loco cit. requiruntur. Prima, quod sit translatio liberalis domini à donante in donatarium; & per hoc excluditur debitum Justitiæ, quod esset in aliis contractibus; cum donans, tantum hoc faciat ratione gratitudinis. Secunda, quod recipiens, aut donatarius velit donationem acceptare; cum absque acceptatione, quæ stat cum libero consensu ex parte donatarii, nulla esset donatio. Tertia conditio est libertas, tam ex parte donantis, quam donatarii; ita ut à nulla lege superiori prohiberi possint; & quidam libertas hæc ad validam,

lidam, & justam donationem requiritur. Nam si quis libertatem habeat donandi, vel donum recipiendi, & hæc esset impedita, impedimentum non esset justum, ( nisi aliunde sit incapax, vel in donante, vel in donatario; ut si quis Fratribus Minoribus aliquid donaret, vel aliquis ex Fratribus extra Ordinem donaret; in quo casu, stante voto paupertatis, Fratres Minores activâ, & passivâ incapacitatē donationis habent:) hac itaq; stante conditione, dicimus, libertatē, supposita capacitate ex parte utriusq; donatoris, scilicet & donatarii esse requisitā ad validum contractū. Quod in præteritis quæstionibus dictū est. Stantibus his conditionibus, & aliis in antecedenti quæstione assignatis de promissione, juxta communissimum Doctorum sensum, concludo, omnes illas donationes invalidas esse, sive quæ fiunt absq; consensu explicito contrahentis, aut donantis, sive absque acceptatione ex parte donatarii, sive quando verbis solis sit facta donatio absque animo donandi, sive quando subjectum sit incapax, donans scilicet, vel donatarius; quia ut diximus in prima quæstione capacitas subjecti contrahentis est necessariò requisita ad contractum. Addo, quòd etiam invalida est donatio facta de re illicita; cum nemo ad peccandum teneatur &c.

25 Notandum est in super ex hoc ultimo, filios-familias, servos, & etiam uxores de rebus dotalibus, non posse aliquid donare; nisi res illa in aliquibus cadat sub perfectum eorum dominium. Si enim filii familias manentes sub patria potestate habeant bona castrensia, vel quasi castrensia, possunt aliquid ex eis donare, quia hæc bona cadunt sub eorum dominium, de aliis autem rebus non habent verum dominium, nec ea proinde donare possunt. Servi etiam de illis bonis possunt donare, quæ sunt sub eorum dominio. Uxores verò de bonis particularibus facultatem habent donandi, ( exceptis dotibus, quæ dum manent sub potestate viri, non sunt sub uxoris dominio. ) Tandem additur, Religiosos nil posse donare absque Superiorum licentia. Concludo itaque potestatem, & capacitem donandi esse in iis, qui verum habent dominium in illis rebus, quæ donantur; illud autem non habentes in ejusmodi rebus, non possunt eas donare. His itaque tanquam certis apud omnes notatis,

Quod quæritur principaliter in præsentibus est, *An possit ob aliquam justam causam revocari donatio ab aliquo liberaliter facta, etiam si donatio sit juramento firmata, & roborata; ita ut sicut quis liberè donavit, ita liberè possit donationem revocare?* Et hic suppono sermonem esse de donatione facta inter vivos; nam de ultima voluntate erit sermo in sequenti quæstione de testamentis. Unde pro resolutione

*DICO*, posse in aliquibus casibus, ob justam causam, donationem liberaliter factam revocari, etiam juramento firmatam, etiam si in

juramento exprimitur, donatorem nolle oppositum facere, aut revocare, si posita sit illa causa. Conclusio videtur communis inter omnes Doctores. Et deducitur ex Scoto in 4. d. 15. q. 2. art. 1.

26 Probatur primò. Multi assignantur casus, in quibus donatio, etiam juramento firmata, revocari potest; Ergo absolutè, dicendum est, posse revocari donationem factam, & quidem justa de causa. Probatur antecedens primò. Si Donatarius post donationem acceptatam sit ingratus donatori, tunc posset ob talem ingratitude Donator revocare donationem, etiam si expressè juravit, se nunquam revocaturum donationem, si donatarius futurus esset ingratus: Ergo &c. Probatur assumptum: in hoc casu, ratione juris, ex motivo ingratitude contractus gratuitus, & liberalis ex ipso Jure est invalidus: Ergo accedente Juramento non potest validus fieri; sed contractus, qui ipso jure invalidus est, est revocandus: Ergo in illo casu, etiam si Donator expressè juraverit, se non revocaturum donationem, casu quo donatarius esset ingratus; tamen revocari potest donatio. Probatur prima consequentia: contractus, qui ex ipso jure invalidus est, non potest per juramentum validari, ut dixi in calce secundæ quæstionis, quia cum juramentum tantum confirmet contractum validum, neque dare possit contrahentibus peccandi occasionem; ideo posito juramento non revocandi donationem, si donatarius sit ingratus, per juramentum fieri non potest validus contractus: Ergo &c.

Probatur secundò idem antecedens principale: potest revocari donatio ratione proles susceptæ: ut si quis aliquid, putà suam hæreditatem alteri donaverit, cum juramento non revocandi talem donationem, atque post factam donationem prolem susceperit: Ergo hæc etiam ratione poterit revocari donatio; Ergo &c. Probatur assumptum: donans hæreditatem, jurando se non revocaturum donationem, intelligitur excipere casum susceptionis filiorum, cum juramentum ab actu, in quem cadit, non excludat, sed supponat conditiones ex Juris dispositione requisitas ad validam, & licitam donationem; Jus autem suadet, non esse à filiis auferendam hæreditatem eis competentem: Ergo &c.

Probatur tertio idem antecedens: potest etiam revocari, si inofficiosa foret donatio; ut si Pater extraneo, vel Ecclesiæ donaret suam hæreditatem, non relinquendo filiis legitimam; tunc quia pater peccaret contra pietatem, redderetur illa donatio inofficiosa; sed in hoc casu revocari posset donatio, ut communiter jura affirmant, teste Bartholo, & aliis Doctoribus: Ergo &c. Concludo igitur, ex his tribus capitibus, quando scilicet habetur ingratitude in donatario; quando donans prolem suscipit post donationem, & quando dona-

donatio aliis est inofficiosa , tunc omninò revocari potè donationem.

27 Probatur secundò tanquàm per rationem à priori. Illa donatio dicitur omninò irrevocabilis, quæ servat præcipuas conditiones requisitas ad valorem donationis ; sed in aliquibus casibus , ut sunt illi assignati , ratione scilicet ingratitude , prolis susceptæ , & quando est inofficiosa , non servantur præcipuæ conditiones requisitæ ad valorem contractus , aut donationis : Ergo in illis casibus donatio non est omninò irrevocabilis, etiamsi fuerit juramento firmata . Probatur minor: præcipua conditio donationis est liberalis datio ratione gratitudinis , & quidem sine alterius præjudicio ; sed in omnibus illis casibus hoc non servaretur ; cum in duobus posterioribus esset in præjudicium filiorum ; & in primo non haberetur gratitudinis notitium , accedente scientia de ingratitude : Ergo &c. Probatur minor: in tantum in illis casibus adhuc servaretur datio liberalis, in quantum juramentum de servanda donatione, etiamsi oppositum evenerit , haberet vim donationem validandi ; sed quando juramentum cadit supra actum de se invalidum, ex carentia conditionum necessariarum , nullam vim habere potest, illud validandi : Ergo &c. Concludo igitur, donationem, etiamsi juramento firmatâ, posse in illis tribus casibus revocari; sive superveniat ingratitude , quæ de Jure donationem invalidat ; sive superveniat proles , quæ de Jure succedit paternæ hæreditati, saltem legitimæ; sive quando donatio inofficiosa evadit, ut dixi.

*Solvuntur Objectiones.*

28 **O**bjicies primò probando, quòd ratione ingratitude, stante juramento, non possit donatio revocari. In tantum donatio, juramento firmata, posset in sensu conclusionis revocari , in quantum juramentum non est aptum ad validandum contractum, sed solum ad ipsum confirmandum in illo robore, in quo est ; sed etiam hoc dato, adhuc aliqua donatio juramento firmata invalidari, & revocari non potest : Ergo etsi accedat ingratitude, quando donatio est juramento firmata, nequit revocari . Major est conclusionis fundamentum. Probatur minor : posito quòd juramentum tantum confirmet contractum in robore, in quo est ingratitude in donatione remuneratoria non invalidat contractum: Ergo ingratitude non habet vim invalidandi quamcunque donationem juramento firmatâ. Antecedens est certum apud omnes ; quia qui donat ex remuneratione, donat ex debito. Probatur consequentia: ideo per nos Ingratitude invalidat donationis contractum, quia peccaminosa est, & in donatione non debet dari

causa peccandi; sed hac ratione non obstante, in donatione remuneratoria non invalidat contractum: Ergo neque in aliis potest invalidare contractum ; Ergo ingratitude ipsa non est ratio revocandi contractum; adeoque &c.

Respondetur concessa majori, negando minorem , ad cujus probationem concessio antecedenti, nego consequentiam , & paritatem. Disparitas est, quia donatio remuneratoria includit debitum, vel justitiæ, vel gratitudinis relatè ad Jus , quod in altero est . Unde si ego tibi librum donarem , & tu ex hac gratitudine mihi donares vestem, etiamsi ingratus tibi essem, non potest à te hæc donatio vestis revocari ; quia hanc vestem mihi donasti ex debito justitiæ, vel gratitudinis, & pro servanda æqualitate donationis . Ceterum in aliis donationibus, quæ remuneratoriæ nō sunt, quia non includunt debitum morale ex justitia, vel gratitudine, sed tantum sunt donationes liberales, & gratuitæ, ideo ingratitude est causa revocandi contractum donationis . Ratio est, quia ingratitude in hoc casu , cum peccaminosa sit, daret causam contractui : contractus gratuitus est oppositus ingratitude, ideo accedente ingratitude , contractus fit invalidus; & quia contractus , qui ex jure est invalidus, revocari potest, ideo in donatione merè liberali, & gratuita ( de qua loquimur ) contractus revocari potest , accedente ingratitude; & estò juret donator, se non revocaturum contractum, etiamsi donatarius fuerit ingratus , tamen adhuc revocari potest ; quia juramentum non est servandum, quando vergit in detrimentum salutis æternæ , ut esset in casu; quia daret causam peccandi . In remuneratoria verò donatione ingratitude non revocat contractum , estò apponatur conditio de ingratitude, quæ dat causam peccandi; quia in hac remuneratoria donatione non esset nisi secundariò intenta gratitudo donatarii , cum principaliter sit intentum debitum solvendū à donatore. Hoc patet etiam in quolibet contractu mutuo; ut si quis alteri vendat arma offensiva , & postea sciat , vel dubitet , hunc illis esse suum inimicum necaturum : contractus hic revocari non potest , quia adest debitum ex parte venditoris , quatenus pro armis æquivalens accepit , Sic in proposito nostro dicendum est.

Dices: In remuneratoria donatione debiti compensatio est principaliter intenta à donatore, & ideo ingratitude, quæ ex se dat causam peccandi , non invalidat illam donationem : Ergo in liberali donatione manifestatio liberalis animi , qua quis movetur ad donandum, est principaliter intenta : Ergo ingratitude estò daret causam peccandi , non invalidaret contractam . Consequentia hæc probatur ; quia non sunt amplius assignabilia motiva, propter quæ ingratitude posset contractum invalidare, & revocabilem reddere: Ergo &c.

L Re-

Respondetur negando ultimam consequentiam. Ex hoc ergo, quod in liberali donatione animus gratus sit ratio principaliter movens donatorem, ad aliquid alteri donandum, sequitur, quod accedente ingratitude, contractus sit invalidus; & si sic factus, revocari potest. Ratio est, quia etsi ingratitude directè non opponatur debito donationis remuneratoriæ, tamen directè opponitur liberalitati, & gratitudini donationis gratuitæ; & sic, dum quis juret, se non revocaturum illam liberalem donationem, estò fuerit donatarius ingratus, tamen ratio ipsa ingratitude est causa revocandi contractum. Unde ad probationem dico, plures esse à lege assignatas rationes, & motiva, ob quæ ingratitude contractum invalidet, & sic invalidatum sit revocandum. Primum: si donatarius injurias atroces faceret donatori; vel eum percutiendo; vel ex certa malitia ejus bona damnificando. Secundum, si eum poneret in evidenti mortis periculo. Tertium si donator in inopiã inciderit, & donatarius eum non sublevasset; quia in his casibus donatarius ingratum se ostenderet, determinat Jura omnia, ut communiter advertunt Doctores, posse his justis causis positis, donatorem revocare contractum; cum non sit justum, rem suam ingrato dare.

Advertendum est tamen, quod si donatio gratuita facta fuit Ecclesiæ, vel alicui monasterio, & donator juravit, se non revocaturum illam donationem; etiam si Ecclesia, vel monasterium ingratitude ipsi donatori ostendant, tunc donatio ipsa non est revocanda; quia istæ donationes dicuntur directè factæ Deo, & ob gravem causam, secundo adverteudum est, quod quando donator in vita non revocaverit donationem ratione illius ingratitude, non potest ab hæredibus revocari; quando scilicet donator in vita noluit eam revocare. At si donator habuerit ignorantiam ingratitude, & hæredes sciant post donatoris obitum, donatarium fuisse ingratum, tunc possent eum ante Judicem compellere, & sic revocare contractum factum à donatore. Ex hoc ultimo sequitur, donatarium ingratum non teneri ad restitutionem ante Judicis sententiam; quia propter ingratitude datur pœna ingrato ad restituendam rem donatam.

29 Obijcies secundo, probando, quod ratione prolis susceptæ nequeat revocari contractus. Si quis grato animo aliquid alteri donavit, exprimendo, se non revocaturum donationem illam, si filii nascantur; tunc talis donatio cum hac conditione non est revocanda: Ergo ratione prolis susceptæ, posito Juramento de non revocanda donatione, non poterit donatio ipsa revocari, Antecedens debet esse certum, quia juramentum in hoc casu non dat causam peccandi, neque in donante, neque in donatario. Probatur consequentia: in tantum ratione prolis susceptæ revocari posset

contractus donationis, quia Jus suadet, non esse à filiis auferendam paternam hæreditatem; sed hæc ratio etiam militaret, si donatio fieret cum juramento non revocandi, si filii nascantur; & tamen in hoc casu non potest revocari: Ergo neque in aliis absque tali expressa conditione. Probatur ista consequentia, quia in donatione lex excipit Jus filiorum: Ergo si non obstante hac exceptione, expressio conditionis de filiis nascituris facit donationem irrevocabilem, etiam non expressio illius conditionis potest facere donationem irrevocabilem. Consequentia sequitur, quia in Juramento de non revocanda donatione includuntur omnes conditiones expressæ de non revocanda donatione; adeoque &c.

Respond. transacto antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem dico, minorem quoque falsam esse. Quare pro claritate hanc pono doctrinam. Pater dum donat rem suam alteri, jurando absolutè, & simpliciter non esse revocaturum donationem; tunc si post factam donationem filii nascantur, donatio ipsa poterit revocari. Ratio est, quia juramentum illud de non revocanda donatione supponit adimplendas esse conditiones de valida donatione; & quia una ex conditionibus est, quod donatio non sit alteri inofficiosa, & in casu, quo filii post donationem nascerentur, eis propter legitimam, quam perderent à lege concessam, inofficiosa esset donatio alteri à Patre facta; ideo in hoc casu revocanda est donatio. Ceterum quando Pater jurat, se non revocaturum donationem, estò filii nascantur; tunc quia cum juramento exprimit conditionem à lege taxatam (quæ quidem causam peccandi non dat, ut evenit in casu ingratitude) ideo cum poterit Pater renunciare privilegio Legis *Si unquam*, jurando, se non revocaturum donationem, etiam si filii nascantur, ideo quantum est ex se, non potest Pater cum tali conditione adimpleta donationem revocare. Filii verò post donationem nati possunt illam donationem revocare, mortuo Patre, quatenus illa donatio fuit eis inofficiosa. Ratio est, quia filii post mortem Patris Jus acquirunt ad legitimam bonorum Patris, quod Jus tolli non potest per Patris renunciationem.

Dices: dum Pater jurat, se non revocaturum, cum illa conditione, si filii nascantur; non potest Pater donationem revocare, quia cum juramento exprimitur illa conditio, quæ aliàs per leges posset donationem revocare; sed dum non exprimitur illa conditio, si filii nascantur, non est unde rationabiliter revocari possit donatio; Ergo absolutè posito juramento de non revocanda donatione, nullatenus potest revocari. Probatur minor: tunc cum juramento poterit donatio revocari, quando juramentum est ad malum patrandum; sed dum Pater jurat, se non revocaturum donationem

tionem, etiam non exprimendo conditionem illam, malum non committit, nec malum inde sequeretur: Ergo dum non exprimitur illa conditio, non est unde revocari possit illa donatio. Probatior minor: si malum committeret, esset, quia ipso vivente privaretur filii legitima paterna, eis à lege concessa; sed hoc posito, malum non committit: Primò, quia filii, vivente Patre, Jus ad legitimam non habent; secundò, quia in primo casu, dum illam conditionem exprimit, non videtur malum committere, aliàs in hoc casu, etiam ipso vivente, posset donationem revocare: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, & dico, quòd dum non exprimitur illa conditio, si scilicet filii nascantur, nolle Patrem revocare donationem: Pater non videtur, voluntate non revocandi donationem, renunciare privilegio legis concedentis filiis paternam hæreditatem. Quando verò exprimit illam conditionem, tunc expressio illius conditionis est renunciatio privilegii Legis; & sic, stante hac renunciatio, non potest donationem revocare. Ad probationem dico, quòd non solum est revocanda donatio, quando est ad malum patrandum, sed etiam quando est contra privilegium legis: unde dum Pater jurat, se non revocaturum donationem, non exprimendo illam conditionem, estò malum non committat, quia tamen, si non revocaret donationem, faceret contra Legis privilegium, ideò est revocanda: quod non eveniret, dum exprimit illam conditionem; quia dum exprimit, renunciat privilegio legis.

Notandum tamen est, quòd si illa donatio inofficiosa esset filiis, ita ut redundaret in filiorum contemptum, ut ipsi deperderent Jus hæreditarium; tunc actio illa esset mala, quia inofficiosa; & sic, etiam expressa illa conditione, revocanda esset donatio à Patre, etiam si jurasset, se non revocaturum, si filii nascantur; cum nulla ratione sit malum faciendum. Quare in tali casu, saltem quòd ad legitimam filiorum, revocanda est.

Ex his infero, quòd quando Pater jurat, se non revocaturum donationem, etiam si filii nascantur, tunc etiam revocanda est donatio, quantum ex natura sua, cum sit in præjudicium filiorum, quibus de Jure convenit legitima. Non tamen est à Patre revocanda, nam ipso vivente, nullum Jus filii habent in paternam hæreditatem, & sic poterit de sua substantia disponere ad suum beneplacitum. Revocanda igitur est à filiis, mortuo Patre, & quidem quantum spectat ad eorum legitimam, ad quam succedunt, Jure hæreditario, Patre defuncto.

30. *PETES PRIMO'. An si filii post donationem nati moriantur, adhuc vivente Patre, poterit reviviscere donatio à Patre facta, qua per filiorum natiivitatem fuit revocata?*

Respondetur cum communi Doctorum.

opinionem, & præsertim cum Molina, Bonacina, Amico, Mastrio, & aliis, dicendo, donationem illam semel revocatam non reviviscere, si filii moriantur, adhuc vivente Patre. Ratio est, quia donatio semel extincta reviviscere non potest; quia per legis privilegium fuit extincta, & denuò redacta sub dominio prioris domini.

31. *PETES SECVNDO'. An si nascantur filii spurii, & naturales, possit donatio revocari?*

Respondetur dicendo, quòd si filii naturales sint per subsequens matrimonium legitimi, tunc donatio revocanda est; quia filii sic legitimi æquiparantur filiis legitimo matrimonio natis. Si verò sint naturales, & non legitimi per subsequens matrimonium, etiam si Principis auctoritate legitimi sint, tunc donatio non est revocanda. Ratio est, quia non possunt illi privilegio legis gaudere; imò lege *Si totas. C. de inofficiosis don.* tantum mectio fit de filiis natis legitimo matrimonio.

Pro complemento itaque contractus donationis notandum est, quòd quando ad donationem ponitur aliqua conditio, nisi adimpleta sit conditio, donatio valorem habere non potest, imò si sit facta, revocari potest. Quia cum non sit ex absoluto proposito donandi, sed ex proposito donandi cum hac conditione, ideo posita conditione, esset valida donatio; illa non posita, donatio revocatur. Ut do tibi vestem, si eris meus cognatus; tunc non posita hac conditione, revocari potest donatio. Unde concludo, ad revocandam donationem, ratione invaliditatis, observandas omnes condiciones positas in secunda quæstione, & in prima, ac tertia hujus disputationis, ad quas quæstiones me remitto. Cetera dubia de donatione videnda sunt apud Astesianum nostrum, sicut etiam apud alios Canonistas.

## QVÆSTIO QVINTA.

*In qua varia quæsitæ resolvuntur de Testamentis, Commodato, Precario, & Deposito.*

### QVÆRES PRIMO'.

*De Testamentis.*

**I**N hac materia de Testamentis plura pro ejusdem solemnitate adducunt Juristæ, quæ cum ad eosdè spectare videantur, ideò breviter explananda propono ea, quæ ad puros Theologos attinent. Quare ad horum sensum, nil aliud sonare viderur Testamentum, quam ultima mentis voluntas, aut ultima dispositio voluntatis de transferenda re sua ad alium dominum post Testatoris obitum. Non ergo est ita ultima voluntas, ut post eam non possit testamentum revocari ob aliquas justas causas. Definitur itaque Testamentum, *Quòd sit*



*justa sententia nostræ voluntatis de eo, quod quis vult fieri post mortem suam cum institutione hæredis.* Hæc definitio ad explicandam naturam Testamenti videtur aptissima, cum priora verba stent loco generis, ratione convenientiæ hujus cum Codicillo, legato, donatione, & fidei jussione; cetera verba stent loco differentiæ, nam *ly justa* denotat, Testamentum esse legis, & Jurium dispositionibus conformandum; ita ut dum quis contra leges testaretur invalidaret testamentum, ut si aliis, & non filiis relinqueret bona sua. *Ly post mortem* significat, contractum Testamenti transferre dominium in alium post mortem Testatoris, ad differentiam donationis, qua inter vivos transfertur dominium. Tandem additur *cum institutione hæredis*, ad differentiam Codicilli, Legati &c. quibus hæredes non constituuntur. Meo itaque videri, hæc Testamenti descriptio adæquatè ejusdem naturam explicat. Hoc Testamentum duplex est: aliud scripto formatum, quod scilicet fit per scripturas; & aliud per nuncupationem, quod habetur sine scriptura, per solam vocem Testatoris prolatam. Hoc notato,

In præsentī duo quæruntur, primum, *An Testamentum, cui desunt solemnitates à lege taxatæ, sit validum in foro conscientiæ?* Secundum, *An Testamentum juramento firmatum, revocari possit?* Quare pro resolutione

32 Responderetur ad primum dubium cum communi sententia, dicendo, Testamentum validum esse in foro conscientiæ, etiamsi desint solemnitates à Legibus requisitæ; unde licitè retineri potest res ejusmodi Testamento relicta. Ita sentiunt Silvester, Medina, Lopez, Lessius, Mastrius, & alii.

Ratio evidentissima est; quia intantum à legibus Regum, & Principum sunt introductæ solemnitates in Testamentis, ne aliquid falsitatis in testamentum subrepat; sed dum haberi non constat ista falsitas, sed certa habetur voluntas Testatoris, tunc ille, cui relicta fuit res per tale Testamentum, potest in bona conscientia rem ut suam retinere: Ergo in foro conscientiæ validum erit Testamentum, cui desunt solemnitates à legibus taxatæ. Major est fundamentum apponendi solemnitates, ut habetur, *L. Questionem, C. de fideicommissis.*

Confirmari potest; quia ut habetur §. per tradit. instit. de rerum divis. *Nihil est tam conveniens naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi.* Ex quibus verbis constat, satis esse ad valorem Testamenti, Testatorem velle in alium dominium suum transferre: quod haberetur, etiamsi desint solemnitates; Ergo &c.

Responderetur ad secundum cum iisdem, & aliis Doctoribus communiter, dicendo, Testamentum juramento firmatum validè posse revocari, non tamen licitè, nisi in aliquibus casibus.

Ratio est: quia Juramentum non tollit à Jurante dominium rerum, & suæ voluntatis; Ergo cum adhuc res per testamentum relicta, sit in potestate Testatoris, Testamentum revocare potentis; ideo, etsi Testamentum sit Juramento firmatum, tamen revocari potest.

Confirmatur à pari: qui juravit, se nolle alteri quicquam donare, tamen si donat, valida est donatio, estò peccet contra Juramentum factum: Ergo qui juravit, se non revocaturum Testamentum, adhuc tamen si revocat, valida est revocatio, licet revocando peccet. Quòd tamen non possit licitè revocari Testamentum, patet; quia Juramentum, quando non infert peccatum mortale, & est de relicta, semper servandum est: Ergo &c. Poterit tandem in aliquo casu etiam licitè revocari Testamentum Juramento firmatum; quia dum Testator probabiliter prævideret, quòd ex primo Testamento plura mala sequerentur, tunc etiam licitè posset Testamentum revocare; cum Juramentum, quod est de re mala, non obliget.

33 Pro complemento hujus quæstionis notandum est, Religiosos, post professionem emissam, non posse testari, sicut neque Beneficiarios de beneficiis Ecclesiasticis ad Ecclesiam spectantibus. Neque testari possunt Pueri usu rationis carentes, & quidem jure naturæ; quia ad testandum animus deliberatus, & perfectus voluntatis consensus requiritur, absque proprio præjudicio, quod ex carentia rationis accideret. Ita etiam furiosi, & amentes. Jure verò positivo neque testari possunt impuberes, qui ad annum discretionis non pervenerint, qui in masculis est quartus decimus; & in fœminis duodecimus. Insuper est notandum, quòd omnes hæretici, & eorum fautores, & quicumque Apostatæ Ecclesiæ, dicuntur ob delictum inhabiles ad hæreditatē: sicut etiam ratione voti dicuntur ad hæreditatem inhabiles omnes Fratres viventes sub regula Sancti Patris Francisci (exceptis iis rebus, quæ inserviunt pro eorum religiosa sustentatione; quas per modum elemosynæ recipere possunt.) Et tandem notandum est, quòd dupliciter hæres constitui potest: primò ex testamento, quando ei per testamentum est aliquid relictum. Secundò ab intestato, quomodo per legitimam successionem alicui de Jure competit hæreditas. In qua hæreditate, ab intestato primò succedunt filii ejus, qui sic mortuus est. Secundò pater, vel mater. Tertiò Fratres, vel alii consanguinei; semper enim intimior succedit. Quantum ad merè Theologos attinet, satis est de Testamentis; si quis autem aliquid ulterius scire velit de Testamentis, legat Juristas, ad quos spectat præsertim materia hæc.

QUÆ

QUÆRES SECUNDO.

*De Commodato, & Precario.*

34 **I**N superioribus actum est de iis contractibus liberalibus, quibus ab una ad aliam personam transfertur dominium; nunc de reliquis liberalibus contractibus, quibus tantum usus de una ad aliam personam transferitur, agendum est, remanente dominio apud directum dominum. Ubi advertendum est, commodationem recte definiiri per hoc, *Quod sit contractus, quo res alteri gratis conceditur ad certum aliquem usum*. Ex qua definitione colligitur, Commodationem esse liberalem dationem rei quod ad usum, & quidem nullam expectando retributionem, estque ad certum tempus; quare tres ad commodatum requiruntur conditiones; prima, quod commodans sit dominus rei commodandæ, & voluntatem habeat nulli subjectam: secunda, quod commodatarius velit rem commodatam acceptare: tertia; quod non sit aliqua voluntas Legis, vel Principis in contractum. His notatis conditionibus, adverte in super, ad commodatum necessarium esse, ut eadem res restituatur, quæ datur alteri in usum: ut do Tibi commodatum equum, equum debes mihi restituere; aliàs esset mutuum. Ad contractum itaque commodati requiritur capacitas contrahendi, aliàs contractus nullus esset Jure naturæ; undè fit, omnes eos, qui à Jure, vel ab homine sunt incapaces contrahendi, non possent commodare. De incapacibus verò contrahendi me refero ad supra dicta.

Difficultas oritur in præsentia, *An commodatio facta alicui, ante præscriptum tempus revocari possit à commodante ex aliqua causa ab ipso commodante non prævisa, ob quam majus, vel æquale patiatur damnum, si non revocet, quàm accideret commodatio, si restituat*. Ante resolutionem adverte, quod si commodans prævidisset damnum illud, & tamen commodavit, non posset tunc commodatum revocare; quia tunc ex tali prævisione commodans vellet detrimentum illud in gratiam commodatarii ferre.

Respondetur itaque ad dubium illud cum probabiliori opinione Doctorum, scilicet, cum Angelo, Sylv. Molina, Fabro, Maffrio, & aliis, dicendo, posse in tali casu commodantem revocare commodatum. Ratio est, quia dum commodans commodat, non supponitur velle commodare cum tanto suo detrimento, nisi detrimentum præviderit, & nihilominus commodare voluerit: Ergo dum commodans postea sciat, se passurum ex commodato detrimentum antea non prævisum, potest commodatum revocare absque ullo scrupulo. Probatur antecedens: si detrimentum illud secuturum fuisset prævisum, tunc non commodasset, vel si prævidisset, & commodasset cede-

ret Juri suo: Ergo cum conditio de detrimento non ferendo sit prærequisita ad valorem contractus, hincposito detrimento non præviso, poterit contractus commodati invalidari.

Dices: si à Donante non fuisset antea prævisum damnum, quod passurus esset per donationem, sed solum id cognosceret, facta donatione, non posset in majori, vel æquali danno, rem donatam revocare: Ergo neque in majori, vel minori danno poterit commodans postquam præviderit damnum antea non prævisum, commodatum revocare.

Respondetur negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia per donationem transfertur dominium totale, & quod ad usum, & quod ad substantiam à Donante ad donatarium, ita ut donans de illa re amplius disponere nequeat. Ceterum in contractu commodati non transfertur dominium in commodatarium, sed tantum usus, remanente dominio rei commodatæ apud directum dominum, ideoque posita æquali, vel majori necessitate, potest commodans contractum revocare. Ut si ego tibi equum commodarem, ex necessitate, quam habes crastina die eundi Salernum, & ego non cognovissem, me iturum crastina die Romam, tunc possem revocare commodatum ex majori necessitate, quam habeo eundi Romam; vel etiam si iturus sim Salernum: in hac æquali necessitate possem contractum revocare; cum in æquali necessitate potior sit conditio Domini, quàm Usuarii.

35 Precarium tandem ad differentiam aliorum contractuum qui onerosi dicuntur, datio liberalis est; at fieri nequit, nisi aliorum precibus; unde definitur, *Quod sit illud, quod precibus petenti conceditur, quantum is, qui concessit, patitur, seu non revocaverit*. Unde precarium differt à commodato per hoc, quod commodatum fit absque precibus petentis, sed ex mera liberalitate concedentis, & res commodata non potest à commodante peti, & revocari, nisi elapso tempore præscripto à commodante, & commodatario; precarium verò fit precibus petentis, & revocari poterit, quoties concedens voluerit. Ex hac definitione videtur etiam, quomodo precarium à ceteris contractibus differat. Hinc tres conditiones requiruntur ad precariū. Primò consensus dantis, & recipientis. Secundò traditio rei; cum hic contractus fieri nequeat, absque traditione. Tertiò, ut tradens precarium possit quoties voluerit, illud repetere. Ex quo sequitur, non intervenire pactum in contractu precarii, aliàs imponeretur onus, & sic non esset precarium, sed alius contractus.

*Quæritur, an solvatur precarium dum moritur ille, qui rem suam in precarium dedit?*

In hoc dubio variz sunt inter Juristas opiniones, quibus relictis apud ipsos, cum communi sensu

fensu omnium Canonistarum, & Theologorum.

Respondetur, dicendo, non solum precarium per mortem concedentis, quia precarium datur in privilegium personale, quod privilegium non solvitur, nisi per mortem privilegiati: Ergo etiam si concedens precarium moriatur, tamen non solvitur precarium. Possunt tamen solvere precarium illud hæredes concedentis, quia Jus hæreditarium acquirunt in rem illam datam in precarium. De his plura videnda sunt apud Juristas; quantum ad nos, satis sit.

### QVÆRES TERTIO.

#### De Deposito.

36 **D**epositum *L. 1. ff. Depositi*, definitur, *Quod sit contractus, quo sola rei custodia alteri committitur*. Unde in deposito, nec usus, nec usufructus, nec dominiū transfertur, sed solum res unius personæ ab altera custoditur; quare, fit depositum per hoc à ceteris differre contractibus; & primò à mutuo, per quod transfertur dominiū rei mutuatæ in mutuarium: deinde à Commodato, & precario differt, per quæ transfertur usus, ut supra dixi; & tandem à pignore, quod non ad solam custodiam, sed ad creditoris cautionem datur. Advertendum tamen est, quandoque, mutatis conditionibus, posse depositum mutari, & transire in naturam alterius contractus; nam si deponeretur res apud depositarium, quæ non redderetur eadem numero; tunc esset mutuum, & non depositum; ut si deponeretur pecunia, vel res quæcunque comestibilis. Potest insuper transire in locatum, & conductum, quando pro custodia datur pretium. Hoc itaque notato, adverte insuper, ad depositum nedum requiri consensum deponentis, & depositarii, verum etiam traditionem rei depositatæ, cum depositum traditione perficiatur.

Munus ergo depositarii est, rem depositam five implicitè, five explicitè traditam, custodire; quod evenire potest, vel ex officio, ut Nautæ custodientes navim, Aurigæ, stabularii, & similes; cui officio per se implicitè annexa est custodia rerum depositarum: vel potest evenire ex pura conventionione cum deponente; & ad hoc requiritur explicita conventio, ita ut depositarius explicitè acceptet custodiam illius rei ad ipsum non spectantis ex officio. Duplex est depositum, aliud iudiciale, & habetur, quando debitor pecuniam deponit, quam creditor recusat acceptare; vel quando deponitur res pro lite pendente, usque ad litis finem. Et aliud est privatum, & habetur quando apud confidentem res aliqua deponitur.

Notandum deinde est, Depositarium tene-

ri reddere depositum deponenti statim, ac petitur; etiam si deponens dixisset, se deponere per hoc determinatum tempus, & postea ante illud tempus velit rem depositatam. Ita *L. 1. §. est autem, & §. penult. ff. depositi & c. sancitum* est. Idque certum est, apud omnes, exceptis aliquibus casibus, in quibus non debet depositarius reddere deponenti rem depositatam. Quorum primus est, si Depositarius sciat, rem depositatam esse furto sublatam: quo casu directo domino reddi debet. Secundus casus est, si res depositata veniret in præjudicium depositarii, vel alterius personæ, ut si res depositata esset gladius, quo deponens vellet depositarium, vel alium necare; tunc non deberet reddi. Tertius casus est, quando res depositata debetur Fisco, tunc Fisco est reddenda, & non deponenti. Quartus casus est, quando res depositata est versa in litem; in tali casu, terminata lite, reddenda est directo domino per sententiam Judicis determinato. Alii casus similes apponuntur, quibus tamen præcis, semper Depositarius tenetur reddere Deponenti rem sibi ab eo in depositum traditam. Ita determinat *L. 1. §. ad Julianum*.

Notandum tandem est, quòd omnes capaces sunt, ut Depositarii constituantur, etiam Religiosi professi, qui rerum penes ipsos depositarum custodiam habere debent; unde fit, quòd si res depositata propter culpam Depositarii deperderetur; tunc Depositarius ipse teneretur reddere æquivalens deponenti, præsertim quando gravis est culpa. Si verò depositum fieret apud Religiosos, non teneretur Monasterium solvere pro illa re depositata, nisi res depositata sit converta in utilitatem Monasterii, in quo casu Monasterium teneretur incommodum resarcire. Hæc omnia sufficient de natura depositi, & Depositarii. Cetera quæ ad hæc dicta reducuntur, videri possunt apud Bonacinam, Lessium, Molinam, & alios. Quare ad ea, quæ magis necessaria sunt, deveniendum est. Uade fit

### QVÆSTIO SEXTA.

#### De Mutuo, & Usura.

*An ratione mutui licitum sit, aliquid supra sortem accipere?*

**Q**uoniam in superioribus quæstionibus de contractibus gratuitis actum est in sequentibus disputandum occurrit de contractibus onerosis; hinc jure merito à mutuo, & usura incipiam, utpote contractibus onerosis. Hinc

Notandum primò, mutuum definiri, quòd sit rei traditio quoad dominiū, & usum in numero

mero, pondere, & mensura constantis, ad certum tempus, ut statim fiat accipientis, cum obligatione restituendi similem in specie, & qualitate. Hæc tradita est Inst. tit. quibus modis re-  
*contrab. oblig. &c.* Equidem optima definitio est, cum mutuum sit contractus onerosus, qui traditione perficitur, cum translatione domini à mutuante ad mutuatarium, cum obligatione tamen ex parte mutuatarii, reddendi rem mutuam, non eandem numerò, aliàs esset simplex commodatio, sed eandem in specie. Hinc iterum adverto, ad mutuum requiri valorem rei mutuatae in ipsa reddenda, ita ut mutuans non possit à mutuuario aliquid accipere, ultra valorem rei mutuatae (excepto tamen casu locationis, in quo locans potest ratione locationis aliquid annuatim accipere.) Quare mutuum duplex est, aliud expressum, & aliud tacitum. Expressum est illud, per quod quis alteri dat mutuam rem, ipsam mutuuario tradendo: tacitum est illud, quod non servat hanc rei traditionem, & eveniret, quando quis agrum venderet majori pretio, ob dilationem concessam ad solvendum: in hac enim venditione virtualiter includitur mutuum, quod etiam palliatum nuncupatur; nam in hac venditione pretium esset emptori mutuatum. Ex hoc ergo duplici mutuo, expresso scilicet, seu formali, & tacito, seu virtuali, oriri potest usura; quare fit, quod ubi non intervenit mutuum, adesse non potest usura; si mutuum est tacitum, usura est tacita, aut palliata, si verò expressum, usura est expressa. Ex injustitia itaque & illicito mutuo sequitur usura.

Notandum est secundò, quòd ad validum, licitumque mutuum faciendum, ultra principales condiciones requisitas ad quemcunque contractum, assignantur quoque aliæ; quarum prima est, quòd materia mutui sit usu consumptibilis, ut sunt res mobiles, scilicet aurum, argentum, frumentum, oleum &c. Secunda, quòd per mutuum res mutuata transferatur in dominium mutuatarii. Tertia, ut mutuarius maneat obligatus ad reddendam rem illam, non eandem numero, sed in specie, & qualitate. Quarta, quòd intercedat aliquod tempus inter mutationem rei, & solutionem ejus. Quinta tandem conditio à Doctore nostro assignata in 4. d. 15. qu. 2. art. 1. est, quod servetur æqualitas in pondere, & mensura, reddendo tantum, quantum fuit mutuatum; nam cum hoc nomen *mutuum*, idem sit, ac *meum tuum*, id est translatio mei in tuum; in redditione nihil ultra rem traditam reddi debet. Ex hac ergo conditione

Querimus in presenti, an in aliquibus casibus, & in quibus, licitum sit ultra sortem accipere, sive ratione periculi, sive damni emergentis, sive lucri cessantis? Pro resolutione.

*DICO*, licitum esse in mutuo aliquid ultra

sortem accipere, tam ratione periculi amittendi capitale, quam ratione lucri cessantis, & damni emergentis: non quidem regulariter, sed in quibusdam casibus circumstantionatis. Conclusio est Scoti in 4. dist. 15. cit. quòd ad singulas partes, quem sequuntur Faber, Mastrius, & Scotiæ ferè omnes, & extra nostram Scholam Molina, Silvester, Lessius, Card. de Lugo, Bonacina, & plures alii Doctores, contra Navarrum quòd ad primam partem, & Sotum; & quòd ad secundam contra D. Thomam 2. 2. qu. 28. art. 2. ad primum, cum ceteris Thomistis; & quòd ad tertiam partem est contra quam plures Scotistas. Et hæc opinio mihi videtur magis probabilis.

37 Probatur primò, quòd scilicet ratione periculi amittendi capitale, vel cujusvis alterius incommodi circa idem capitale, possit quis aliquid ultra sortem licitè accipere. Quod justitiæ non repugnat, licitum est; sed accipere aliquid ultra sortem, ratione periculi amittendi capitale, (vel etiam expensarum pro sorte principali recuperanda,) non repugnat justitiæ: Ergo licitum esse debet. Probatur minor primò: quòd est pretio æstimabile, pretio exigi potest, absque ulla injustitia; sed dum quis ratione periculi amittendi capitale, aliquid exigit ultra sortem, res ipsa, quæ periculo exponitur, est pretio æstimabilis: Ergo pretio exigi potest, absque ulla injustitia. Probatur minor, quia si accideret periculum, & jam ex mutuatarii infidelitate amitteretur capitale, tunc mutuans magnis expensis prodiret ad capitale recuperandum; sed illæ expensæ ex parte mutuantis sunt pretio æstimabiles: Ergo &c. Probatur secundò eadem minor principalis: non est contra justitiam, in contractu venditionis, quando vendens expectat dilationem temporis accipiendi pretium rei venditæ, si ultra justum pretium, ratione periculi amittendi merces, vel ratione expensarum, pro pretio recuperando, aliquid exigit ab emente: Ergo etiam ratione ejusdem periculi, potest mutuans in mutui contractu aliquid ultra sortem accipere, absque eo, quòd sit contra justitiam. Antecedens est certum, & infra patebit. Probatur consequentia à pari; quia contractus ille venditionis ex dilatione solutionis est tacitum mutuum: Ergo utrobique eadem debet esse ratio. Probatur tertio eadem minor principalis: in contractu fidei jussionis fideiussor potest, non solum ratione obligationis, verum etiam ratione periculi, quod fidejubendo subit, aliquid ultra sortem accipere ab eo, cujus est fideiussor; Ergo idem dicendum est in mutuo. Probatur consequentia, quia cum utrobique periculum rei sit pretio æstimabile, ideo nequit gratis dari: Ergo &c. Probatur quartò eadem minor principalis: In contractu accomodationis, ratione periculi, vel amittendi rem commodatam, vel cum dubio deteriorationis, potest quis ex tali

tali contractu aliquid ultra sortem accipere: Ergo etiam in hoc mutui contractu. Itaque dum quis aliquid ultra sortem accipit, ratione periculi amittendi capitale, vel ratione expensarum pro recuperando capitali, non committit usuram.

Dices ad hoc ultimum pro Soto: In contractu accommodationis non transfertur dominium rei ab accommodante ad comodatarium, sicut neque in locatione a locante ad locatarium; & ideo potest locans, vel accomodans, ratione periculi aliquid ultra sortem principalem accipere, absque usura. Ceterum in contractu mutui transfertur dominium a mutuante ad mutuatarium; & ideo non potest mutuans aliquid accipere ultra sortem.

Contra: licet in contractu accommodationis, sive in contractu locationis non transferatur dominium, sicut transfertur in contractu mutui; tamen in utroque contractu intervenit periculum, & obligatio ex parte contrahentium; sed ubi habetur æqua obligatio, & periculum, eodem modo, qui obligatur, tenetur obligationi satisfacere: Ergo in utroque contractu quis tenetur obligationi satisfacere. Sed ratione obligationis, & periculi in contractu accommodationis, potest accomodans aliquid ultra sortem accipere: Ergo ratione ejusdem obligationis, & periculi, potest etiam mutuans aliquid ultra sortem accipere.

Confirmatur hoc, quia ubi adest majus periculum, ibi major debet esse obligatio ex justitia; sed majus est periculum in contractu mutui, in quo perire potest tota res directo domino; quam sit in contractu accommodationis, in quo non periret tota res, sed solum deterioraretur: Ergo &c.

- 38 Probatur secunda pars, quod scilicet ratione lucri cessantis in quibusdam casibus possit quis aliquid ultra sortem accipere. Lucrum cessans est illud, quod quis non percipit eo, quod alteri mutuum dedit: Ergo ratione hujus lucri cessantis potest mutuans aliquid a mutuuario ultra sortem accipere. Antecedens est certum apud omnes. Probatur consequentia: lucrum, quod cessat in mutuante ex eo, quod alteri suam pecuniam det mutuum, ponit in mutuuario obligationem ex justitia; sed ratione talis obligationis potest mutuans a mutuuario aliquid ultra sortem accipere: Ergo &c. Minor est certa, quia obligatio ex justitia in uno, supponit jus exigendi, & petendi in altero, ut dictum est in disp. de Justitia. Probatur nunc major: quoties adest damnum, & interesse ex parte mutantis, toties insurgit obligatio ex justitia ex parte mutuarii; sed ratione lucri cessantis emergit damnum, & interesse ex parte mutantis: Ergo insurgit obligatio ex justitia ex parte mutuarii. Probatur major; quia mutuans non intendit mutuum dare cum suo damno; neque tenetur mutuum dare cum suo damno: Ergo &c.

Confirmatur hoc. Si Petrus daret Paulo pecuniam mutuum ad certum tempus, deducendo in pactum restitutionem illius pecuniae, quam Petrus pro illo tempore vellet negotiationi applicare; tunc ex pacto inito insurgeret in Paulo obligatio, ratione lucri, quod posset Petrus acquirere, si pecunia fuisset constituto tempore restituta: Ergo Paulus, non restituendo pro illo tempore, esset obligatus ad damnum: Ergo posset Petrus mutuator pecuniae, ratione lucri, quod cessaret, aliquid ultra sortem accipere. Dixi *deducendo in pactum*; quia in tali casu, & similibus, si non adest pactum, præcedens in mutuante, quando pecuniam alteri dat, nulla oritur obligatio in mutuuario, etiam si cesset lucrum, quod aliis mutuans acquireret; & etiam si damnum inferatur.

- 39 Probatur nunc tertia pars, quod scilicet ratione damni emergentis licitum sit in mutuo aliquid ultra sortem accipere. Damnum emergens in mutuo est illud, quod mutuator præcisè ratione mutui patitur; Ergo ratione hujusmodi damni emergentis, potest mutuator licitè a mutuuario aliquid ultra sortem accipere. Probatur consequentia: ratione hujusmodi damni emergentis inferitur injuria mutuatori; sed quoties inferitur injuria, ad illam resarciendam est licitum aliquid ultra sortem accipere: Ergo &c. Prob. primò major: tunc inferitur injuria contrahenti, quando ratione liberalis dationis, resultat damnum in ipso contrahente: Ergo quando damnum est emergens in mutuatore, tunc illi ratione mutui inferitur injuria. Probatur nunc minor: quando alicui inferitur injuria, tunc injuriatus acquirit Jus contra injuriam; sed ratione Juris acquisiti, est licitum aliquid ultra sortem accipere pro injuria compensanda: Ergo &c.

Confirmatur hoc. Nam si Cajus haberet centum pro emendo frumento tempore messis, vel vino tempore vindemiæ, & ipse rogatus a Titio, sibi mutuos daret centum; tunc ratione talis mutui emergeret damnum Cajo, si ei restitueretur centum, elapso tempore messis, vel vindemiæ: Ergo Titius mutuarius, ob dilationem temporis, teneretur ad damnum resarciendum.

- 40 Advertendum est incidentur pro claritate hujus partis, damnum emergens in mutuatore posse multipliciter evenire. Primò post terminum præfixum solutioni rei mutuatæ. Secundò ante terminum solutioni præfixum. Tertiò potest esse damnum post terminum solutioni præfixum, & quod sit deductum in pactum expressum; & quod non sit deductum in pactum expressum. Quartò potest esse damnum emergens ante terminum solutioni præfixum, vel deductum in pactum expressum, vel non deductum in pactum expressum. Si inferatur damnum mutuatori post terminum solutioni præfixum, sive sit hoc damnum deductum in pactum sive non, tunc certum

rum est apud omnes, quod mutuatarius teneatur ex justitia ad damnum illud refarciendum. Et ratio est, quia nemo tenetur alteri subvenire cum suo damno, quod eveniret ex non solutione in termino præfixo. Si verò inferatur damnum ante terminum præfixum, & sit deductum in pactum, etiam communis est opinio Doctorum, quod mutuatarius teneatur ex justitia ad tale damnum; quia tale damnum non solum est à mutuo, & usu pecuniæ distinctum, sed etiam est pretio æstimabile. Si autem damnum emergens est ante præfixum tempus, & non est deductum in pactum; tunc non posset mutuator aliquid ultra sortem accipere. Ratio est, quia si mutuatarius cum onere refarciendi damnum, quod mutuatori inferetur ante terminum præfixum, pecuniam reciperet à mutuatore, fortasse illam non reciperet; ut multoties evenit, quando mutuator se explicat, pecuniam illam sibi inservire ante terminum à mutuatario præfixum.

Ex his colligo, quod tam ratione damni emergentis, quam lucri cessantis potest mutuator absque usura, adeoque licitè, aliquid ultra sortem accipere, post terminum solutioni præfixum, sive damnum, & lucrum cessans sit deductum in pactum, sive non. Sic etiam, quando utrumque est deductum in pactum, ante terminum solutioni præfixum. At quando ante talem terminum damnum, & lucrum cessans non est deductum in pactum; tunc mutuator committeret usuram, aliquid exigèdo.

*Solvuntur Objectiones.*

41 **O**bjicies primò contra primam partem, quod scilicet ratione periculi amittendi capitale non possit quis ultra sortem accipere. Id potest in mutuo licitè fieri, quod non sapit usuram; sed posse ratione periculi amittendi capitale, aliquid ultra sortem accipi, sapit usuram: Ergo nequit mutuator ratione periculi amittendi capitale, aliquid in mutuo ultra sortem accipere. Major est certa. Probatur minor: quod mutuator reciperet ratione periculi amittendi capitale, esset lucrum ex mutuo; sed lucrum ex mutuo est vera usura, ut in sequenti quæstione dicemus: Ergo &c. Probatur major: nemo tenetur dare mutuum alteri, vel pauperi, vel minùs fideli cum periculo amittendi capitale: Ergo dum mutuum dat, recipiendo aliquid ob tale periculum, id quod reciperet, esset lucrum ex mutuo.

Deinde: opposita sententia est contra textum canonicum cap. finali, de Usuris, ubi habentur hæc verba. *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecunia quantitatem, pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus:* Ergo ratione hujusmodi periculi, non potest mu-

tuator licitè ultra sortem aliquid accipere.

Respondetur ad primum, negando minorem, ad cujus probationem nego majorem, cum consequentia probationis. Dico igitur, lucrum illud, quod quis acquireret ratione periculi amittendi capitale, non immediate provenire à mutuo, sed à pacto factò ratione periculi; quod pactum non est illicitum; præsertim quando non cogitur mutuatarius ad acceptandum mutuum cum hoc onere. Usura autem est contractus immediate proveniens ex mutuo, & ideo illicita.

Dices: pactum illud, quod iniretur ratione periculi amittendi capitale, fieret in fraudem mutuatarii; Ergo esset pactum usurarium. Probatur antecedens, quia potest mutuator præfigere periculum, ubi re vera non esset; sed dum præfigitur periculum, ubi re vera non est, pactum iniretur in fraudem mutuatarii: Ergo &c.

Respondetur, negando absolutè antecedens. Nam si esset antecedens absolutè verum, quodcunque pactum, quod non esset præcisè ratione mutui, esset in fraudem mutuatarii; quod est falsum, ut constat in casibus adductis. Immo si pactum incidens in mutuo esset semper in fraudem mutuatarii, ac per consequens usurarium, non daretur locus mutuo; cum nemo teneatur mutuum dare cum suo damno, & interesse. Ad probationem concessis præmissis, negatur consequentia in sensu explicato. Verum est, quod quando periculum non est verum, & reale, sed solum imaginarium, & præfixum; tunc pactum ratione talis periculi esset in fraudem mutuatarii, & sic usurarium. At nos non loquimur de præfixo; & imaginario periculo; sed de vero, ac reali; & ideo pactum illud in suppositione realis periculi non esset in fraudem mutuatarii.

Dices: lucrum acquisitum ex pacto ratione periculi probabilis, quod periculum re ipsa non accidisset; jam esset lucrum immediate à mutuo proveniens; sed lucrum à mutuo immediate proveniens est usura: Ergo &c.

Respondetur negando majorem. In tali casu non proveniret lucrum illud immediate à mutuo, sed à pacto ratione probabilis periculi. Nec est necesse, quod periculum sit certum, ut pactum interveniens non sit usurarium, sed satis est, ut sit probabile; etiam si nullum sequatur damnum mutuatori, *argum. cap. fin. de usuris. §. Ille quoque, & verisimiliter dubitatur.*

42 Respondetur ad secundum dicendo, textum illum citatum, commuiter à Doctoribus exponi de mutuatore cogente mutuatarium ad suscipiendam pecuniam cum hoc onere, ad quam suscipiendam non potest cogi, solvendo certum pretium ultra sortem principalem ratione periculi, cum satis sit mutuatori habere de re sua assecurationem, vel pignus, vel fidejussorem. Non tamen intelligitur de mu-



tuatore non cogente mutuatarium, sed ipsum relincente in sua libertate, an velit iusto pacto assentiri. Quod autem hoc modo sit intelligendus textus ille, patet ex eodem capitulo finali, ubi admittitur exigentia lucri ultra sortem in contractu venditionis, ratione ejusdem periculi, propter dilatam solutionem. Ita discurrendum de lucro in contractu mutui ratione prædicti periculi; adeoque à mutuatore non committeretur usura.

- 43 Obijcies secundò contra secundam, & tertiam partem; quòd scilicet ratione lucri cessantis, & damni emergentis non possit mutuator aliquid ultra sortem accipere. Si ratione lucri cessantis, vel damni emergentis possit mutuator aliquid ultra sortem accipere; tunc possit licitè quis accipere lucrum certum pro lucro incerto; sed nemo potest licitè accipere lucrum certum pro lucro incerto: Ergo ratione lucri cessantis, vel damni emergentis non potest mutuator ultra sortem aliquid accipere. Major est certa, quia lucrum, quod mutuator possit acquirere, si aliàs non mutuum daret, esset incertum; & damnum insuper esset incertum: lucrum verò, quòd acquireret mutuum dando, esset certum. Probatur minor: lucrum certum est pretio æstimabile; lucrum incertum non est pretio æstimabile; sed nemo potest licitè accipere id, quod est pretio æstimabile pro eo, quod non est pretio æstimabile: Ergo &c.

Deinde: tunc possit mutuator licitè exigere aliquid ultra sortem, quando involuntariè, & coactè daret mutuum: Ergo quando liberè dat mutuum (ut supponitur in præsentì) non potest ultra sortem accipere ratione damni, & lucri cessantis. Probatur consequentia: in tantum mutuator coactus, & involuntarius possit ultra sortem accipere aliquid, ratione lucri cessantis, & damni emergentis; quia damnum sibi emergeret, & lucrum cessaret, non ex propria voluntate, sed ex voluntate mutuatarii, vel cogentis ad mutuum dandum; & sic cogens teneretur ex justitia ad damnum resarciendum: Ergo quando dat mutuum ex propria voluntate, liberè debet cedere cui-cunque damno, vel lucro, quod cessaret; quia in tali libera mutuazione cedit juri suo.

Respondetur ad primum dist. majorem, possit quis licitè accipere lucrum certum pro lucro incerto, quod est in potentia proxima, concedo majorem, quod est in potentia remota, nego majorem. Et dist. minorem: sed nemo potest licitè accipere lucrum certum pro lucro incerto, quod est in potentia remota, concedo minorem, quod est in potentia proxima, nego minorem, & consequentiam. Et eodem modo dist. secundam partem majoris probationis, & concessa minori, nego ultimam consequentiam. Si lucrum incertum esset in potentia remota, ita ut mutuator non proximè, sed remotè tantum, vellet suam pecuniam

applicare negotiationi, vel emptioni alicujus agri, vel recuperationi domus &c. quoniam in tali casu nullum eveniret damnum mutuatori, nec ullum lucrum sibi cessaret ex illa pecunia; utique illicitè deduceret in pactum lucrum cessans, vel damnum emergens. At quando pecunia illa mutuata, vel mutuanda esset in potentia proxima, ut mutuator ex illa possit lucrum acquirere ex negotiatione; vel ex illa domum reparare, agrum emere &c. tunc possit mutuator accipere lucrum certum pro incerto, quod est in potentia proxima. Et ita tale lucrum incertum positum in potentia proxima possit devenire in pactum, & esse pretio æstimabile.

Dices: si quis mutuos daret centum, cum pacto, quòd si infra tempus Principis auctoritate præfixum pecunia auferetur ad viginti aureos supra centum, hoc lucrum esset in beneficium mutuatoris; tunc tale pactum esset illicitum, & usurarium: Ergo à fortiori debet esse illicitum pactum, quod mutuator faceret, recipiendi lucrum certum pro incerto, etiam si sit positum in potentia proxima. Antecedens est certum apud omnes (ut notat Tamburinus) quia lucrum illud non esset ex propria industria; nec cogeretur mutuator mutuum dare, si possit lucrum illud pro se acquirere, retinendo suam pecuniam, stante probabilitate, & suspitione illius augmenti. Probatur tunc consequentia: in tantum in primo casu esset pactum illicitum, in quantum lucrum ex incremento pecuniæ esset incertum: Ergo &c.

Respondetur, admissò casu posito in antecedenti, negando consequentiam. Tunc ergo nequit acquiri licitè lucrum certum pro incerto, quando lucrum incertum non stat in potestate acquirentis tale lucrum, nec provenit ex propria industria acquirentis: secus verò quando stat in potestate acquirentis, & oritur ex propria industria. In casu posito in antecedenti, lucrum incertum ex incremento pecuniæ oritur ex voluntate Principis augmentis pecuniam, & non ex industria acquirentis pecuniam. Ceterum in casibus adductis, ubi verum, & reale emergeret damnum, vel cessaret, lucrum, acquisitio lucri certi pro incerto oriretur ex industria acquirentis. Per hoc patet, nullam esse causalem illam positam in probatione consequentis. Causalis enim est, quòd sit acquisitio ex voluntate Superioris; non quòd sit lucrum incertum. Nam si in nullo casu (& quidem regulariter loquendo) possit acquiri lucrum certum pro incerto, tunc in nullo contractu ratione lucri cessantis, & damni emergentis, ubi lucrum esset incertum, possit contrahens petere lucrum certum pro incerto; quod non conceditur à Doctoribus oppositæ sententiæ.

- 44 Respondetur ad secundum, dicendo, quòd si antecedens sumatur cum exclusionem mutui ex

ex propria libertate, est falsum. Ratio est, quia non tantum potest quis ratione lucri cessantis, & damni emergentis aliquid exigere ultra sortem ( attentis conditionibus supra positis ) si coactè, & involuntariè det mutuum; sed etiam si det mutuum voluntariè, præsertim quando cessat lucrum, vel emergit damnum mutuatori ex defectu mutuatarii : nam utrobique lucrum cessans, & damnum emergens est pretio æstimabile.

45 Obijcies tertio, probando, nullo modo posse licitè mutuatore[m] exigere aliquid ultra sortem. Ex illo Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes* : Ergo dum præcipitur mutuum, quod est actus misericordiæ, nequit mutuator aliquid ultra rem mutuatè sperare, & accipere.

Deinde : ex Scoto in 4. dist. 15. qu. 2. art. 3. prope finem, respondendo ad primum, habentur hæc verba : *Si non vult damnificari, pecuniam sibi necessariam reservet ; quia nullus eum necessitat ad faciendam misericordiam proximo : sed si vult misericordiam facere, necessitatur ex lege divina, ut non faciat eam vitiatam*. Sed si ratione lucri cessantis, damni emergentis, & periculi amittendi capitale, vel quocunque alio titulo, posset mutuator exigere ultra sortem, faceret tunc misericordiam vitiatam : Ergo ex his titulis non potest mutuator ultra sortem accipere. Probatur minor ; quia tunc imponeretur onus mutuatario, quod esset contra iustitiam ; Ergo &c.

Tandem : ex opposita sententia potest aperiri janua usuris palliatis ; Ergo &c. Probatur antecedens, quia unusquisque dicere poterit, quod mutuando amitteret lucrum, vel ipsi emergeret damnum ; Ergo &c.

Respond. ad primum dicendo, doctrinam illam à Christo traditam in cap. 6. Lucæ, esse intelligendam de spe lucrandi ex mutuo, & ratione mutui, quod lucrum est prohibitum ; adeoque est illicitum, & usura : non autem esse intelligendam de spe lucri orta ex aliis titulis, scilicet probabilitatis amittendi capitale, vel lucri cessantis, & damni emergentis. Quod constat ex ipsa Christi sententia, quæ dicit, nihil inde, scilicet ex ipso mutuo ; non autem, nihil aliunde, scilicet ex titulis enumeratis. Constat etiam ex definitione usuræ, quæ est lucrum immediatè à mutuo proveniens ; unde generaliter loquendo, quando spes lucrandi non est ex mutuo ratione mutui, non est usura.

46 Responderetur ad secundum dicendo, Scotum loco citato esse intelligendum in illo sensu, quo supra prætenditur à suis adversariis, quod scilicet mutuator possit ex mutuo ultra sortem aliquid accipere, nullo interveniente titulo ex assignatis ; quod est omninò falsum, & damnatum. Quare docet, vel quòd reservet sibi pecuniam, vel quòd faciat misericordiam non vitiatam, quando præcisè ex mutuo intenderet mutuator, vel pactum facere vellet de lucro habendo ; nam tunc certum est, quòd

lucrum illud esset usura, & pactum usurarium. Non tamen loquitur de mutuatore non præfigente damnum ; sed verè, & realiter exprimente damnum emergens, & lucrum cessans ; quia tunc cum damnum emergens, & lucrum cessans sint pretio æstimabilia, ideo licitè posset mutuator aliquid ultra sortem accipere. Quod autem hæc sit mens Scoti, ultra ea, quæ dicunt Expositores, patet ex textu ejusdem dist. q. 2. art. 2. ubi sub litt. O. habet hæc verba : *Debitor, ex cujus non solutione creditor notabiliter damnificatur, tenetur de justitia satisfacere creditori de interesse*. Ex quibus verbis satis constat, Doctorem nostrum non improbare hos titulos damni emergentis, & lucri cessantis.

47 Respondetur ad tertium, negando antecedens. Nam quando dicimus, quòd ratione lucri cessantis, damni emergentis, & periculi amittendi capitale possit ultra sortem accipi, non intendimus asserere, quòd possit mutuator malitiosè hos titulos effugere cum spe aliquid habendi ultra sortem ; quia tunc quodcumque pactum sive impressum, sive expressum, esset usurarium ; quia vellet lucrum de industria alterius ( ut notat Doctor noster loc. cit. §. sequitur, sub litt. S. ) acquirere, seu veriùs usurpare : quod est contra jura, & Sacros. Canones. Non verò quando illi tituli sunt veri, & reales, ut supponimus in conclusione, & explicatum est in casibus adductis in probationibus.

48 Pro complemento hujus quæstionis adverto, quòd in tantum in conclusione apposui illam particulam, *Non regulariter, sed in quibusdam casibus circumstantionatis* ; quia non semper, & in omni casu, ubi intervenire possunt periculum amittendi capitale, damnum emergens, & lucrum cessans, licitum est accipere ultra sortem. Nam quando evitari potest periculum amittendi capitale, ex timore infidelitatis, vel paupertatis mutuatarii, recipiendo pignus pro assecuratione, vel habendo fidejussorem usque ad terminum præfixum à mutuatore ; tunc ratione talis periculi nihil ultra sortem potest mutuator accipere. In damno autem emergente, & lucro cessante solum potest aliquid ultra sortem accipere mutuator, quando patitur damnum evidens ob dilationem solutionis : vel quando non adimpletur pactum factum ante terminum præfixum, in quo termino mutuator indigeret pecunia mutuata, & ex non solutione ipsius grave damnum pateretur, vel eidem cessaret lucrum. In aliis verò casibus, in quibus non interveniunt hujusmodi circumstantiæ, nihil potest licitè mutuator ultra sortem accipere.

Q V Æ R E S.

*An ratione mutui citra usuram possit mutuator à mutuatario exigere aliquod commodum, ratione amicitie, & gratitudinis ?*

49 **A** Nte quæsti resolutionem suppono, commodum aliud esse pretio æstimabile ex sua

natura, vel ex iudicio prudentū, quod pecunia comparari solet: & aliud quod non est pretio æstimabile, nec solet pecunia comparari, sed solum amicitia, & gratitudine. Hoc supposito, solent à quibusdam Doctoribus assignari signa amicitia, & gratitudinis in duplici differentia; alia negativa, ut non nocere, non offendere &c. & alia positiva; & hæc positiva signa adhuc sunt in duplici differentia, alia sunt generalia, ut ostendere se gratum, & amicum benefactori, ubi, & quando præbetur occasio: & alia sunt specialia, & determinata, ut hæc, vel illa signa amicitia, & gratitudinis.

50 Uterius advertendum est, quod exigentia ultra sortem, vel est pecunia, vel æquivalens pecunia: vel est tantum amor, & obsequium. Et ita commodum mutuatoris, vel potest esse pecunia, vel aliquid æquivalens: vel duntaxat obsequium, & amor. Indubitatum autem est apud omnes Doctores, non posse mutuatore in suum commodum sperare, aut exigere, citra usuram, quod est pecunia, vel æquivalens pecunia ultra sortem; quia tunc mutuarius imponeretur obligatio ex iustitia, quod fieri non potest absque usura. Sola difficultas est de commodo, quod est obsequium, vel amor non debitum ex iustitia, sed solum ex gratitudine, & benevolentia. Et insuper, an possit obsequium, & amor in pactum deduci. Pro cuius difficultatis resolutione.

*DICO*, non posse in pactum deduci à mutuatore citra usuram commodum, quod est obsequium, vel amor, etiam prout proveniens ex sola gratitudine, & benevolentia. Ita quamplures Scotista cum Scoto cit. contra Mastrium affirmantem de signis negativis, & generalibus: & contra alios cum D. Thoma qu. 78. art. 2. Quæ opinio nunc est certa, & opposita est damnata ab Inn. XI. nu. 42.

51 Probatum primò, quia non potest in pactum deduci, id quod faciendum est ex solo motivo misericordia; Sed alteri mutuare debet fieri ex solo motivo misericordia: Ergo non potest mutuator deducere rem mutuam in pactum, ut ex ea resultet commodum, quod esset obsequium, vel amor ex sola gratitudine, vel amicitia.

Eò vel maxime, quia per tale pactum imponeretur onus mutuatorio, quod aliàs non haberet citra pactum; sed onus impositum mutuatorio non esset sine usura: Ergo &c. Probatum minor, quia mutuator non potest majorem obligationem imponere mutuatorio, & majus onus ex gratitudine, & benevolentia debitum, obligatione, & onere, quod habet mutuarius ex lege naturali: Ergo dum ponit obligationem, & onus supra naturalem obligationem, hoc facere non potest sine usura.

Confirmatur hoc: Innocentius Undecimus damnavit hanc propositionem, num. 42. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur,*

*tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigitur tanquam ex iustitia debitum:* Ergo Pontifex intendit, usuram committi, si aliquod commodum exigitur debitum ex benevolentia, & gratitudine. Sed amor ex benevolentia, & gratitudine, exigeretur ex pacto: Ergo non potest in pactum deduci à mutuatore citra usuram commodum aliquod, quod est amor, vel obsequium.

Neque valet si dicas, Pontificem damnasse illam propositionem, quatenus ex benevolentia, & gratitudine potuisset exigere aliquid, quod est pecunia, vel æquivalens pecunia; non verò quod non possit exigere amor, vel obsequium. Non valet inquam; quia quoties amor, vel obsequium sint deducta in pactum, toties esset obligatus ex vi mutui, & pactio-nis mutuarius ad præbendum obsequium, & amorem mutuatori; & sic mutuum non esset præcisè ex motivo misericordia; sed præcisè ex motivo habendi obsequium, & amorem.

Nec etiam valet dicere, pactum illud non imponere majorem obligationem, quam quis habeat ex lege naturali; cum enim mutuarius teneatur lege naturali esse gratus, & officiosus suo benefactori; quamvis intercedat pactum, non per hoc ei imponitur major obligatio. Non valet inquam, quia pactum illud imponeret onus supra naturalem obligationem; esset enim mutuarius ex duplici capite obligatus, ex lege naturali præcipiente obsequium, & amorem erga benefactorem, & ex onere imposito ex pacto factio à mutuantem.

Pro majori claritate hujus dubii adverto, quod quando mutuarius liberè, & non coactè præberet mutuatori majus obsequium, & majorem amorè excitatus ex accepto gratis mutuo, tunc quia talis obligatio non est deducta in pactum, non reddit mutuatore usurarium. Quod etiam est certum, si mutuarius ex libera voluntate remitteret injuriam, quam accepisset à mutuatore, antequam recepisset ab ipso rem mutuam; quia tunc mutuarius, cum teneretur remittere injuriam ex Christiana charitate, & ex præcepto Christi Domini dicentis Matth. 5. *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros*, non remitteret ex pacto factio à mutuantem (ut tenent Bonacina, & alii cum Azorio contra eundem Mastrium ex nostris.) Ubi igitur intervenit pactum in mutuo citra præjudicium certum, vel saltem probabile mutuatoris (ut esset in casibus positus in quaestione præcedenti) & ejusmodi pacto imponeretur onus, quod esset gravamen, & obligatio in mutuatorio, semper interveniret usura, & pactum illud esset usurarium.

Ad plures casus conscientie, in quibus  
 intervenit pactum ratione mutui .

52 **P**ETES PRIMO'. An Titius, mutuum dando Principi, vel Reipublice summam aliquam pecunia cum pacto, quod Princeps, vel Respublica faciat ipsum Titium mutuatorem liberum a solvendis tributis, Gabelis &c. donec reddatur ipsi supradicta summa, diceretur usurarius?

Respondetur affirmative; quia tale pactum resultaret in commodum Titii, & in incommodum Principis, vel Reipublice ratione mutui; ergo esset usurarium.

53 **P**ETES SECUNDO'. An qui dat mutuum pecuniam alteri cum pacto, quod res necessarias emat mutuatarius in sua officina, & non alibi, committat usuram?

Respondetur affirmative. Quia tali pacto magnum onus imponit mutuator mutuatario, ipsum privando libertate emendi, ubi vult; ac per consequens ejusmodi mutuator usuram committeret.

54 **P**ETES TERTIO'. An dans mutuum pecuniam femina, cum pacto habendi copulam cum ipsa, committeret usuram?

Respondetur affirmative. Ratio est, quia femina illa mutuataria fortasse non induceretur ad tale peccatum, si illius pecunie mutatione non indigeret. Et aliunde mutuator tali pacto imponeret obligationem, etiam contra preceptum, mutuatariæ; quæ obligatio nequit esse sine usura.

55 **P**ETES QUARTO'. An qui mutuum dat Medico, & Advocato cum pacto, quod Medicus ipsum curare debeat, & Advocatus causam defendat, committat usuram?

Respondetur affirmative. Quia talis mutuator imponeret, tam Medico, quam Advocato obligationem, quam prius neuter habebat, ratione cujus pactum illud redderetur usurarium. Itaque in similibus casibus, ubi pactum novam imponit obligationem mutuatario, & inducit commodum mutuatori, semper committitur usura. Hujusmodi resolutiones sunt communissimæ apud Bonacinam, Layman, Card. de Lugo, Maltrium, Amicum &c.

Q V Æ S T I O S E P T I M A .

An usura mentalis obliget mutuatorem ad restitutionem?

**A**ntequam deveniatur ad resolutionem tituli questionis, opus est definire ipsam usuram in genere. Usura ergo est lucrum immediate ex mutuo proveniens. Hæc

definitio communis est apud omnes Doctores, qui notant, quod si lucrum aliunde proveniat, & non ex mutuo, vel ratione mutui, sed vel ex donatione, emptione, & ex quocunque alio contractu, tale lucrum non diceretur usura. Hæc usura dividitur in realem, seu exteriorem, & in mentalem, seu interiorem. Prima habetur, quando mutuator exprimit pactum aliquid recipiendi à mutuatario ultra sortem. Secunda est, quando mutuator intendit recipere aliquid ultra sortem, absque ullo pacto expresso. Solet etiam usura expressa dici formalis, & impressa virtualis.

Ex his ergo sequitur, in usura mentali nullum intervenire pactum nec expressum, scilicet verbis, nec impressum, scilicet nutibus, vel tignis æquivalentibus. His præhabitis,

56 Notandum est, mutuatorem sine ulla intentione accipiendi à mutuatario aliquid ratione mutui, nullam committere usuram, nec realem, nec mentalem, si mutuatarius aliquid ei liberaliter donet, non intuitu mutui, sed ex mera benevolentia. Si verò aliunde mutuator sciret, mutuatarium non liberè, sed intuitu mutui, & ad ostendendum se gratum, vel ut moveat mutuatorem, ut in alia opportunitate iterum det mutuum, vel ut det aliam dilationem temporis; quia tunc donatio illa facta à mutuatario non esset libera; teneretur mutuator ad restitutionem, quia injustè fuit translatum dominium illius rei donatæ.

Pro questionis decisione adverte, usuram mentalem semper esse peccatum, & illicitam; quia non minus ac usura realis, explicita, & formalis est contra jus naturale, & positivum, tam humanum, quam divinum. His suppositis, pro questionis decisione

**DICO**, usuram mentalem semper esse peccatum, sed non semper obligare ad restitutionem. Conclusio quò ad primam partem est communissima, inmodò oppositum est hæreticum, ut expressè habetur in Clement. de usuris, cap. Sanè. Quò ad secundam partem est Scoti dist. 15. cit. qu. 2. art. 2. quam sequitur major pars Juristarum, & Theologorum contra Sotum, Molinaam, & alios. Et est communior, & probabilior.

57 Probatur prima pars. Actus jure divino, humano, & naturali prohibitus, est lethale peccatum; sed usura mentalis, non minus ac realis est actus tam jure divino, quam humano, & naturali prohibitus: Ergo est lethale peccatum. Probatur minor, & quòd sit prohibitus jure divino patet ex illo Lucæ 6. Mutuum date, nihil inde sperantes; ubi ly sperantes mentalem usuram directè prohiberi significat: Ergo &c. Quòd autem sit actus prohibitus jure naturali, patet, quia jure nature in quocunque contractu debet servari æqualitas inter datum, & acceptum; quæ non servaretur, si quis aliquid ultra sortem acciperet ex mutuo. Hæc eadem ratione à Concilio Viennensi, & decre-

decretis Pontificiis usura est prohibita, non quomodocunque, sed ut aliquod aliàs illicitum, & animarum varaginem, ex cap. *Usurarium de Usur. in 6.* Ergo &c.

58 Probatur secunda pars, in qua stat difficultas. Si semper usura mentalis obligaret ad restitutionem, in quocunque casu quis mutuum daret cum intentione aliquid accipiendi ultra sortem, & revera acciperet, teneretur ad restitutionem; sed non in quocunque casu qui mutuum daret cum intentione accipiendi ultra sortem, & revera acciperet, tenetur ad restitutionem: Ergo non semper usura mentalis obligat ad restitutionem. Probatur minor: dum quis intendit mutuum dare centum, cum intentione recipiendi ultra centum à mutuuario, & mutuarius daret ipsi ultra centum, non vi mutui, sed ex mera sua liberalitate, & solo titulo donationis, tunc quamvis mutuator propter intentionem recipiendi ultra centum peccaret, quia mentalem committeret usuram; non tamen teneretur ad restitutionem: Ergo non in omni casu dans mutuum cum intentione accipiendi ultra sortem, tenetur ad restitutionem. Probatur assumptum antecedentis; quia in tali casu mutuator cum tali intentione, non acciperet invito Domino, sed Domino liberaliter donante, & potente transferre dominium rei suæ in alterum; ac insuper nesciente usurarium intentionem mutuatoris: Ergo &c.

Neque valet, si dicas, quòd in usurario mentali habetur animus recipiendi rem alienam, quam dum actu habet, tenetur restituere. Non valet inquam; quia ut ait Doctor noster loco cit. solus animus habendi rem alienam, non facit mutuantem habere actualiter rem illam, invito Domino; solùm enim facit, eum velle habere, quod non sufficit, ut ad restitutionem teneatur, nisi postea rem ipsam acciperet invito Domino. At quamvis in mutuatore sit animus usurarius accipiendi rem alienam invito Domino, dum tamen actu habet, illam non habet invito Domino: Ergo non tenetur ad restitutionem.

59 Probatur secundò eadem pars: Quando debitor fit liberalis remissio debiti à suo creditore, etiamsi debitor sit paratus debitum solvere, non tenetur debitor ipse ad restitutionem: Ergo estò mutuator intendat, mutuum usurarie dare, seu accipere ultra sortem, tamen, dum mutuarius mutuatori liberaliter donat, non tenetur mutuator usurarie mentaliter ad restitutionem: Ergo &c. Antecedens est certum. Probatur consequentia; quia mutuarius dum liberaliter donat, nescius de intentione mutuatoris ei liberaliter remittit debitum: Ergo in neutro casu erit obligatio restitutionis.

Est vel maxime, quia nulla intervenit læsio juris, ubi liberè fit donatio, sed in casu posito donatio est libera: Ergo nulla habetur læ-

sio juris. Sed ubi nulla habetur læsio juris, non habetur obligatio ad restitutionem: Ergo in usura mentali non semper habetur obligatio ad restitutionem.

Dixi in conclusione, non semper usuram mentalem obligare ad restitutionem; quia quando non est manifesta intentio injusta usuraria, & illicita mutuatoris, potest mutuarius donare ultra sortem ex sua liberalitate. At quòd manifestaretur intentio, & mutuarius deveniret in cognitionem malæ intentionis mutuatoris, tunc posset rem donatam uti suam repetere, & mutuator illam retinendo, contra iustitiam retineret.

### *Solvuntur Objectiones.*

60 **O**bjicies primò contra primam partem. Tunc usura diceretur illicita, & peccaminosa, quando usurarius acciperet ultra sortem pro re mutuata; sed potest dari casus, quo usurarius mentaliter non accipiat ultra sortem pro re mutuata, sed tantùm pro usu illius rei: Ergo in tali casu usura mentalis non esset illicita, & peccaminosa. Probatur minor, quia si quis intenderet accipere ultra sortem non pro re mutuata; sed tantùm pro usu illius, non peccaret: Ergo &c. Probatur assumptum, quia usus rei mutuatæ est pretio æstimabilis; sed qui accipit ultra sortem pro eo, quod est pretio æstimabile, non peccat: Ergo &c.

Deinde: In contractu commodationis potest quis sine peccato aliquid accipere pro Equo V.G. commodato, in quantum ad usum ipsius Equi: Ergo qui mentaliter intendit mutuum dare cum animo accipiendi aliquid à mutuuario in quantum ad usum illius rei, potest sine peccato aliquid accipere ultra mutuum. Quod etiam patet in contractu locationis, ubi locans, in quantum ad usum rei locatæ potest aliquid sine peccato accipere.

Respondetur ad primum, admissa majori, sicuti sonat, dist. minorem: sed tantùm pro usu illius rei, qui sit in potestate mutuatoris, nego minorem: qui non sit in potestate mutuatoris, sed mutuarii, Subdist. & tunc lucrù illius usus esset peccaminosum, concedo minorem, & non esset peccaminosum, nego minorem, & consequentiam, cum antecedenti probationis. Dico igitur, per mutuum ne dum ad mutuarium transferri dominium rei mutuatæ, sed etiam usum illius rei: quapropter in potestate mutuarii est usus rei mutuatæ. Unde fit, quòd sicuti accipiens rem alienam peccat, sic accipiendo pro usu rei alienæ, vel aliquid accipiendo pro usu rei alienæ peccat. Quare usus rei mutuatæ est pretio æstimabilis apud mutuarium, qui est Dominus illius rei, non tamen apud mutuatores,

Dices: si pro usu rei mutuatæ aliquid mutuatur

tuator acciperet, nullam mutuatario inferret injuriam: Ergo non peccaret; ac per consequens usura non semper est peccatum.

Respondetur dicendo, mutuatores usurarie injuriam inferre mutuatariorum, etiam pro usu rei mutuatæ; quia non voluntarie, sed quasi involuntarie dat mutuatariorum mutuatori.

62. Resp. ad secundum, negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est clara, quia in contractu accommodationis, sicut etiam locationis, dominium non transfertur in accommodatarium, & locatarium, sed tantum usus: ac in mutuo transfertur dominium, & usus; & ideo pro usu non potest aliquid accipere mutuator ultra sortem sine peccato. Veritas antecedentis patet, quia si Equus commodatus periret, commodanti periret; & si domus locata deterioraretur, locanti deterioraretur, & ideo licite, & sine peccato potest quis aliquid accipere pro usu rei commodatæ, vel locatæ. At res mutuata periret mutuatariorum, & non mutuatori.

63. Obicies secundò contra secundam partem. In tantum usura mentalis non obligaret ad restitutionem, in quantum mutuatariorum liberè daret; sed hujusmodi libera datio non excusat usurarium mentalem à restitutione: Ergo usura mentalis obligat ad restitutionem. Probat minor: hujusmodi datio, ideo excusaret usurarium mentalem à restitutione, quia esset donatio; sed hoc est falsum: Ergo &c. Major patet inter arguendum. Probat minor: ad contractum donationis, præ ceteris conditionibus, una est hæc, quod requiratur acceptatio ex parte recipientis ex aliquo justo titulo; sed in tali datione non intervenit justus titulus, sed solum mutuum, quod ob usurariam intentionem esset vitiatum: Ergo non esset donatio.

Deinde: Si usura mentalis non obligaret ad restitutionem, sequeretur, quod Usurarius mentalis de re accepta ultra sortem, spontè, & liberè data à mutuatariorum, verum dominium acquireret; sed Usurarius mentalis nequit dominium acquirere de re accepta ultra sortem: Ergo usura mentalis semper obligat ad restitutionem. Probat sequela; quia quilibet tenetur ad restitutionem rei, quæ non cadit sub ejus dominium: Ergo quoties quis non tenetur ad restitutionem alicujus rei, illa res cadit sub ejus dominium. Probat nunc minor principalis ex cap. Consultuit extr. de Usuris, ubi habentur hæc verba: *Qui non aliàs mutuo traditurus, eo proposito mutuum pecuniam credit, ut licet omni conventiones cessante, plus tamen sorte recipiat. . . judicandus est malè agere, & ad ea, que taliter sunt accepta, restituenda*: Ergo cum teneatur ad restitutionem, non habet verum dominium illius rei acquisitæ.

Respondetur ad primum, negando mino-

rem probationis, cum minore alterius probationis. Dico igitur, quod quando mutuatariorum liberè daret, absque eo quod sciat, mutuatores esse usurarium mentalem, tunc talis datio esset vera donatio. Tum quia haberetur ex parte recipientis libera acceptatio; tum etiam quia, talis datio non fieret à mutuatariorum titulo mutui, sed titulo donationis, qui titulus justus est ex parte mutuatariorum. Quod autem non fieret titulo mutui, patet, quia si mutuatariorum certò sciret intentionem mutuatores, fortasse nihil daret ultra sortem, & sic quamvis per usuram illam committeretur peccatum ratione pravæ intentionis in mutuatores; quia tamen ipse nullam faceret injuriam mutuatariorum liberè donanti, non obligaretur ad restitutionem.

64. Respondetur ad secundum dist. majorem: verum dominium acquireret, vi mutui, nego majorem: titulo donationis, & gratitudinis, concedo majorem; & dist. minorem: nequit dominium acquirere, titulo mutui, concedo minorem: titulo donationis, vel gratitudinis, nego minorem, & consequentiam eodem modo dico ad probationem sequelæ. Usurarius, inquam, mentalis nequit de re accepta ultra sortem verum dominium acquirere, titulo mutui; quia tunc certissimum est, quod usura obligaret ad restitutionem. At verum dominium acquirat, titulo donationis, vel gratitudinis: & quia hujusmodi tituli sunt justis, præsertim quia mutuatariorum esset inscius de intentione mutuatores, hinc est, quod non tenetur ad restitutionem. Hoc modo est intelligendus textus ille citatus, quod scilicet Usurarius mentalis, qui accipit lucrum ratione mutui, & mutuatariorum hoc titulo daret, tenetur ad restituendum lucrum, quod accipit per usuram. Hoc exprimit illa ultima verba: *Quæ taliter sunt accepta*; non autem est intelligendus de re, quam accipit alio titulo.

Dices: Usurarius mentalis, quamvis acciperet ultra sortem à mutuatariorum, non titulo mutui, sed gratitudinis, vel donationis, semper esset possessor malæ fidei; sed possessor malæ fidei tenetur ad restitutionem: Ergo Usurarius mentalis tenetur ad restitutionem, etiam si alio titulo quam mutui, acciperet ultra sortem. Minor est certa. Probat major: quia Usurarius mentalis intenderet rem illam habere, quam non posset habere sine usura: Ergo illam possideret mala fide.

Respondetur negando majorem, & dico, aliud esse, intendere rem habendam mala fidei; & aliud esse, habere rem mala fidei. Usurarius, inquam, mentalis, dumquodò mutuatariorum non sit cognita ejus intentio, estò intendat habere rem alienam, ratione mutui, tamen dum illam habet titulo gratitudinis, vel donationis, rem illam non possidet mala fide, sed bona fide; quia justo titulo donatur; & sic non tenetur ad restitutionem. Aliàs si Titius intenderet per furtum habere rem Caii, quam Caius inscius



sciens de prava intentione Titii, ipsi Titio donaret, tunc Titius possidendo rem illam à Caio sibi donatam, diceretur possessor malæ fidei: quod est falsum; nam possessor malæ fidei non est idem, ac intendens mala fide, sed est habens, accipiens & possidens actu mala fide. Quod etiam patet in homicidio; non enim est homicida, qui intendit necare, sed qui necat: sic in proposito discurrendum est.

65 *PETES PRIMO*. Si Usurarius certo sciret, mutuatarium, non ratione gratitudinis, vel titulo donationis, ei dedisse ultra sortem, sed vi mutui; an teneretur ad restitutionem?

Respondetur affirmativè, quod constat ex dictis; quia tunc titulus esset mutuum, quod non est justus titulus, ratione cujus Usurarius possit ultra sortem retinere; & sic teneretur ad restitutionem.

66 *PETES SECUNDO*. An accedente scientia, in mutuatario, quod Usurarius intendisset accipere ultra sortem, dum mutuo dedit; teneretur usurarius ad restitutionem?

Respondetur affirmativè. Quia tunc mutuator posset donationem illam revocare ratione scientiæ, quam haberet de injusta acceptione, & retentione: & etiam quia nequit dominium transferri in usurarium cognitum, quamvis nullum intercedat pactum. Hæc solutio magis patebit in sequenti quæstione.

## QVÆSTIO OCTAVA.

*An in usura transferatur dominium ultra sortem accepti ab usurario?*

**I**N hac quæstione non est sermo de usura mentali, sed de usura reali, & ex pacto explicito, vel implicito adveniente; ratione cujus mutuatarius ultra sortem dat mutuatori absque justo titulo, sed solum ratione mutui præcisè. Unde quæritur, an res ultra capitale data mutuatori usurariè à mutuatario, transeat in dominium mutuatoris, seu usurarii, ita ut statim, ac usurarius illam acceperit, fiat sua? Et pro resolutione quæstionis

*DICO*, in usura non transferri dominium ultra sortem accepti ab usurario. Hæc conclusio est magis probabilis inter Doctores, quam amplectuntur Medina, Sotus, Riccardus, D. Bonaventura, & Scotistæ: ferè omnes cum Scotto in 4. cit. dist. 15. qu. 2. art. 2. contra Navarum, & alios, & ex nostris contra Fabrum. Et

67 Probatur primò. Per contractum irritum, & à lege divina, canonica, & humana prohibitum non potest in contrahentem transferri dominium rei contractæ; sed usura est contractus irritus, & prohibitus à lege divina, canonica, & civili: Ergo per usuram non potest transferri dominium in usurarium contrahentem rei acceptæ ultra sortem. Major

probatur; nam minor est certa, & patet ex dictis: Si per contractum prohibitum à supradictis legibus posset in contrahentem transferri dominium, tunc frustra, & irrationabiliter hujusmodi leges prohiberent, & irritum facerent contractum celebratum cum dolo unius ex contrahentibus; & sic, vendens caro pretio ultra justum, vel vendens rem malam pro bona, acquireret dominium rei ultra justum pretium; nec teneretur vendens ad restitutionem (quod est falsum.) Sed non irrationabiliter, sed ex justo motivo hujusmodi leges prohiberent, & irritum fecerunt contractum cum dolo, ut est contractus usurarius: Ergo &c.

68 Probatur secundò. Ut transferatur dominium de uno in alium, requiritur plena voluntas proprii domini transferentis dominium rei in alium, & auctoritas Principis publica, tanquam duæ causæ partiales integrantes unam totalem. Sed quamvis ex parte recipientis ad usuram sit plena voluntas transferendi dominium; non adest tamen Principis publica auctoritas: Ergo dum recipiens ad usuram vellet liberè dare ultra sortem, non per hoc transferretur dominium rei, quæ Usurarius acciperet ultra sortem. Major patet ex dictis de conditionibus requisitis ad contractum. Probatur minor: tunc non adest publica Principis auctoritas, quando Princeps prohibet, illud non esse faciendum; sed habetur prohibitio non recipiendi ultra sortem usurariè: quod patet ex Sacris Canonibus fundatis super illud Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*: Ergo &c.

Neque dicas, sufficere ad translationem domini plenam voluntatè dantis, & recipientis, quæ utraq; haberetur in cōtractu usurario. Ne inquam, dicas; quia voluntas inferioris continetur in voluntate Superioris, tanquam in causa principaliori; ut patet in physicis de causa secunda in causa prima contenta: Ergo quoties causa Superior, sive sit Deus, cujus est præceptum illud Lucæ, sive sit Princeps; sive Ecclesia, prohibet contractum usurarium; toties per talem contractum, res accepta ultra sortem non potest transire in dominium Usurarii; adeoque &c.

### *Solvuntur Objectiones.*

69 **O**bjicies primò: si per usuram non transferretur dominium rei ultra sortem acceptæ in Usurarium, sequeretur, quod Usurarius non teneretur ad restitutionem illius rei ultra sortem acceptæ, si periret; sed hoc est falsum: Ergo per usuram transfertur dominium rei ultra sortem acceptæ à mutuatario ad Usurarium. Minor patet, quia pecunia accepta ultra sortem ab usurario, si perit, etiam absque culpa usurarii, est semper mutuatario restituenda. Probatur ma-

jr:

for: quod perit absque culpa retinentis, proprio domino perit; ut patet de equo commutato, vel de domo locata: Ergo quoties usurarius non esset dominus rei acceptæ ultra sortem, si hæc periret absque culpa usurarii, non teneretur usurarius ad restitutionem. Probat consequentia. Ille tenetur ad restitutionem, qui fit dominus rei injustè acceptæ, vel possessæ: Ergo quoties usurarius non fieret dominus illius rei injustè ultra sortem acceptæ, non teneretur ad restitutionem.

Respondetur negando sequelam majoris, ad cuius probationem dist. antecedens: quod perit absque culpa retinentis justè, & licitè, proprio domino perit, concedo antecedens: absque culpa retinentis injustè, & illicitè, nego antecedens, & consequentiam. Dico igitur, quòd estò absque culpa usurarii res accepta ultra sortem periret, usurarius teneretur ad restitutionem, quamvis non esset dominus illius rei. Ratio est, quia retineret rem illam, injustè, & illicitè; quod sufficit ad obligandum usurarium, ut restitutionem faciat. Quod patet etiam de re furtivè ablata, quæ etiam si periret absque culpa furis, semper à fure restituenda esset; quia rem illam injustè, & illicitè retinet. Ita discurrendum de re usurariè retenta. Per hoc patet de re locata, & commodata, quæ si periret absque culpa locatarii, & commodatarii, proprio domino periret; quia res locata, & commodata justè, & licitè retinetur; quod non evenit in re usurariè accepta.

70 Objicies secundò. Ratione vis, & metus potest ab uno transferri dominium in alterum; Ergo etiam per usuram potest de re ultra sortem accepta transferri dominium in Usurarium. Antecedens patet, & habetur in text. cap. *Abbas extr. de his, qua vi*: ubi Glossatores dicunt, quòd ea, quæ fiunt vi, & metu, non sunt de jure irrita, sed possunt irritari, & revocari. Probat consequentia: magis tollit voluntarium vis, & metus, quàm coactio, qua quis solvit ultra sortem pro usura: Ergo si transfertur dominium in alterum ex vi, & metu, etiam per usuram transferri debet dominium in Usurarium.

Deinde: si Usurarius nõ haberet dominium de re usurariè accepta, sequeretur, quòd omnes contractus, qui fieri possent cum illa pecunia usuraria, essent invalidi, & irriti; sed hoc est falsum: Ergo &c. Probat major, nam illa pecunia usurariè accepta non esset sua; sed nemo de pecunia non sua potest contractum validum facere: Ergo &c.

Respondetur ad primum dist. antecedens: quando adest justus titulus, concedo antecedens: quando non adest justus titulus, nego antecedens, & consequentiam. Si ergo Princeps vi, & metu vellet centum à Paulo, absque ejus notabili incommodo, pro sublevanda Republica; vel ut ipsi remittat pœnam pro aliquo patrato delicto, tunc transfertur domi-

nium, quod prius Paulus habebat in suam pecuniam ad ipsum Principem justo titulo, vel humanæ politicæ, vel satisfactionis juris. At quando vi, & metu titulo injusto quis accipit ab altero; quia injustè accipit, & retinet, non transfertur dominium in accipientem. Textus ille citatus, non est intelligendus de contractibus irritandis, qui re vera ex natura sua non forent irriti; sed est intelligendus de contractibus declarandis irritis, quatenus ab initio ipsorum irriti fuerunt, & invalidi, ex deficientia conditionis requisitæ ad valorem contractus, vel ratione injusti tituli. Et quia etiam injustus titulus habetur in re usurariè accepta, ideo nequit dominium illius in Usurarium transferri.

71 Respondetur ad secundum dist. sequelam majoris: sequeretur, quòd omnes contractus &c, essent invalidi, si fierent inter eos, qui sciunt pecuniam illam esse usurariam, concedo sequelam; si nesciunt pecuniam illam esse usurariam, nego sequelam majoris, & distincta minori in eodem sensu, nego consequentiam. Dico itaque, quòd quando alter contrahentium ignorat esse usurariam pecuniam, qua Usurarius emit rem aliquam, panem, vinum &c. tunc contractus ille est validus, saltem ex parte venditoris. Quod etiam patet de re furtivè sublata, quòd si quis vendat argentum furtivè sublatum, & emptor credat, argentum illud esse venditoris, tunc contractus est validus ex parte emptoris; neque per hoc res furtivè ablata transfertur in dominium Furis. Ita pariter quamvis validus sit contractus factus per pecuniam usurariam ex parte alterius contrahentium, non per hoc transfertur dominium rei usurariè acceptæ in ipsum Usurarium.

72 *PETES PRIMO*. Consequenter ad supradicta. *An Usurarius teneatur restituere tantum rem ultra sortem acceptam, an etiam id, quod per rem illam acquisivit?*

Ante resolutionem dubii noto, quòd res, quam acquirit Usurarius per id, quod ultra sortem accepit à mutuuario, potest esse in duplici differentia: vel est res acquisita per industriam Usurarii, ut si esset V.C. negotiatio-ni applicata; & hoc modo res illa esset lucrum industria Usurarii acquisitum; vel esset res, aut lucrum naturaliter proveniens à re ultra sortem accepta: ut essent fructus Agri, vel domus, si domus, vel Ager acciperetur ab Usurario ultra sortem, ratione mutui. Nulli dubium est apud omnes Doctores, quòd lucrum proveniens naturaliter à re ultra sortem accepta ab Usurario, ratione mutui, debet mutuuario restitui simul cum re ultra sortem accepta. Ratio est; quia, cum fructus illi sint effectus immediatè provenientes à re ultra sortem accepta, cadunt etiam sub dominium mutuuaris, sicut cadit res illa ultra sortem accepta. Advertendum est tamen, quòd restitutio fru-

N

ctus

ctus fieri debet, deductis expensis, & laboribus Usurarii; Nam sicut est contra iustitiam retinere fructus spectantes ad mutuatarium; etiam est contra iustitiam usurpatio laborum, & expensarum Usurarii, quia huiusmodi expensæ, & labores cadunt sub Usurarii dominium. Sola difficultas est de lucro acquisito propria industria Usurarii ex re ultra sortem accepta. Et pro dubii resolutione

Respondetur dicendo, lucrum, quod Usurarius acquirit propria tantum industria ex re ultra sortem accepta, non esse restituendum; ac per consequens nullam obligationem ex iustitia Usurario imponere. Est communis apud Doctores. Et

- 73 Probatur: Pecunia, quam Usurarius accipit ultra sortem, ratione mutui, est ex natura sua sterilis, & non fructifera, nisi industria alterius detur fructificanda: Ergo quoties acquiritur lucrum ex ipsa pecunia usurariè accepta, non tenetur Usurarius illud lucrum restituere. Antecedens est certum. Consequentia probatur, tam ab opposito de lucro, quod est fructus naturaliter proveniens à re ultra sortem accepta; quam ex eo, quod si quis uteretur terra V.G. ad secundum, invito Domino, & per illam aliquid acquireret fur, solum teneretur hic ferram restituere, non lucrum, acquisitum per talem ferram (nisi fortasse aliquod damnum fuisset Domino illatum, vel lucrum cessans, in quo casu teneretur fur etiã ad damnum.) Ergo à consimili, dum nullum damnum eveniret in mutuatario, ratione rei ultra sortem datæ, posset Usurarius, qui rem illam accepit, aliquid ex ea lucrari, absque obligatione restitutionis.

Dices: ex dictis, res ultra sortem accepta non potest in dominium usurarii transire; Ergo neque lucrum proveniens ex ipsa, quamvis acquiratur industria usurarii. Probatur consequentia, quia usus sequitur ad dominium; Ergo quoties res usurariè accepta non cadit sub dominium usurarii, neque usus illius, ratione cuius acquiritur tale lucrum; Ergo &c.

Respondetur negando consequentiam, & ad probationem dico, quod sicuti pecunia ex sua natura sterilis est, & per industriam alterius fit lucrativa, ita usus illius non sequitur ad dominium pecuniæ, sed ad industriam humanam. Unde fit, quod estò res ultra sortem accepta, & etiam damnum emergens, & lucrum cessans ex parte mutuatarii dantis ultra sortem, debeat restitui, non tamen lucrum, ex propria usurarii industria proveniēs. Quod patet etiam de fure, qui tenetur tantum restituere rem furtivè sublatam cum damno emergente, & lucro cessante, non verò id, quod per rem furtivè sublatam propria industria acquisivit.

- 74 *PETES SECUNDO*. An peccet mortaliter mutuatarius, petendo rem sub usura?

Advertendum est, aliud esse, mutuatarium petere ab usurario absolute propter suam utilitatem, vel necessitatem, sive gravissimam, sive gravem; & aliud esse petere præcisè sub usura. Mutuatarium primo modo petendo, estò certò sciat, usurarium non daturum, nisi sub usura, vel fore paratum ad dandum cum usura, & certò etiam sciat, usurarium nullo modo daturum, nisi sub usura; tunc non peccat petendo, & accipiendo, sed licitè ex parte sua accipit sortem principalem. Si verò petat secundo modo, id est sub usura, illam reducendo in pactum, est sola difficultas. Et pro eisdem resolutione

Respondetur ad dubium, dicendo, mutuatarium mortaliter peccare, si sub usura petit ab usurario. Hæc opinio est communis apud omnes. Et ratio est evidens; nam nemo potest sine peccato inducere alium ad peccandum; sed dum mutuatarium petit ab usurario aliquid sub usura, inducit illum ad peccandum: Ergo petendo sub usura peccat mortaliter. Major est certa ex regula communissima, quod qui dat causam peccato, peccat; quia qui ad peccatum cooperatur, est quasi causa motiva peccati. Et hoc valet etiam si sit paratus usurarius ad non dandum, nisi sub usura, propter eandem rationem.

- 75 *PETES TERTIO*. An peccet mortaliter, petendo sub usura, si mutuatarium esset in gravi, vel saltem extrema necessitate?

Respondetur dicendo, non peccare mortaliter, si petat sub usura in extrema necessitate omninò inevitabili. Et probabiliter etiam, si recipiat sub usura in gravi necessitate. Prima pars patet ex eo, quod ubi duo interveniunt mala, quorum utrumque non potest simpliciter evitari, sed alterutrum committere necesse est, tunc potest quis ad majus malum vitandum, minus malum committere, quod quidem in ea circumstantia jam non esset formaliter malum; sed tam usura est mala, quam permissio interitus hominis positi in extrema necessitate; & majus malum est permissio interitus hominis, quam usura: Ergo potest committi usura, non quidem dando ad usuram, sed petendo sub usura, ad majus malum vitandum, sine peccato. Dixi (in extrema necessitate) quando scilicet mutuatarium non potest aliunde damnum imminens reparare, nec aliunde habere. Secunda pars de necessitate gravi, probatur, quia in tali casu objectum petitionis factæ ab usurario non est usura, quamvis mutuatarium petat sub usura, dicendo, da mihi centum, ut reddam tibi centum, & decem; sed objectum ejus esset mutuum ad providendum suæ necessitati. Sed tantum usura est peccatum, & non mutuum præcisè: Ergo petens sub usura, etiam in sola gravi necessitate, non peccat.

- 76 *PETES QUARTO*. Quæ pena debeat usurariis, & cooperantibus ad usuram, & quanam sit eorum obligatio? Re-

Respondetur cum communi Doctorum consensu, usurarium non manifestum, ac ejus hæredes ad restitutionem teneri, sicut etiam cooperantes ad usuram positivè, & efficaciter, ut Notarii, Judices, Advocati, Domini temporales, & Famuli. Usurarium verò publicum, & notorium nec posse absolvi, nec admitti ad fidelium communionem, neque sepeliri in loco Sacro, nisi prius restituat. Hoc secundum fuit determinatum à Concilio Lateranensi sub Alex. III. & habetur in cap. 3. & 5. de usuris. Primum etiam patet, quia tam usurarii, quam cooperantes ad usuram, & eorum hæredes injustè retinent rem alienam. Aliæ difficultates, aut casus occurrentes in materia mutui, & usuræ per ea, quæ usque nunc dicta sunt, facilè solvantur.

Q V Æ S T I O N O N A.

De Contractibus Emptionis, & Venditionis.

*An sit licitum emere minori pretio anticipata solutione: & vendere caro pretio dilata solutione ad tempus.*

77 **C**ertissimum est ex dictis, hujusmodi contractus emptionis, & venditionis esse onerosos, & esse titulos, quibus transfertur dominium à venditore in emptorem, & ab emptore in venditorem. Quare definiri solet contractus emptionis: *Quod sit contractus constans consensu pretii pro merce. Venditio verò est contractus constans consensu mercis pro pretio.* Ex his definitionibus, quæ in unam plures restringunt Doctores, quatenus hujusmodi contractus indivisè procedant; constat, necessarium esse ad hos contractus faciendos mutuum contrahentium consensum, & omnes alias condiciones requisitas ad contractum in communi, notatas in prima quæstione hujus disp. num. 3. Ex quibus breviter infero, ad validitatem contractus emptionis, & venditionis, requiri necessariò, quòd tam emens, quam vendens sint domini rei: unde fit, quòd tam Fratres Minores, qui sunt domini incapaces, quam fures de re furtivè sublata, quæ non est in dominium furis, non possunt emere, nec vendere licitè. Insuper requiritur, quòd tam emptor, quam venditor sint liberi. Et tandem, quòd non adsit dolus, & fraus, nec ex parte vendentis, nec ex parte ementis; & quòd contractus fiat intra latitudinem justii pretii; ita quòd nec venditor possit vendere caro pretio supra latitudinem justii; nec emens possit emere vili pretio infra latitudinem justii.

78 His itaque prænotatis, tanquam necessariis ad valorem contractus emptionis, & venditionis, quæritur in præsentem primò, an sit licitum emptori emere minori pretio (intra tamen latitudinem justii) anticipata solutione? V. G. Petrus nunc solvit centum pro frumento accipiendo à Paulo post quatuor menses, quòd frumentum post quatuor menses valet plusquam centum. Et estò nunc Petrus emptor non dicatur dominus illius frumenti, quia tunc fit dominus, quando per traditionem frumenti transfertur dominium in ipsum, tamen in sua libertate stat solvere pecuniam anticipatè. Secundò quæritur è contrariò an venditor possit vendere cariore pretio propter dilatam solutionem? Vt V. G. Petrus venditor det nunc frumentum Paulo, quòd valet decem carolenis, & propter dilationem solutionis faciendæ à Paulo, Petrus petat majus pretium, Pro resolutione utriusque dubii, quia æquè pro uno, ac pro alio sunt eadem rationes,

*DICO*, non esse licitum emere vili pretio ex anticipata solutione: neque esse licitum vendere caro pretio ex dilata solutione, præcisè, & absolutè spectatis titulis anticipatæ, & dilatæ solutionis. Hæc conclusio est Scoti in 4. dist. 15. qu. 2. art. 2. litt. P. & cum eo fere omnes Theologi, & Canonistæ cum Navarro, Soto, Lessio, Amico, Caspense, &c.

79 Probatur prima pars: contractus, ratione cujus contrahens committit usuram, saltem virtualem, est illicitus; sed emptio vili pretio, præcisè ex anticipata solutione, est contractus, ratione cujus emens committit usuram: Ergo emptio vili pretio, ex anticipata solutione præcisè, non est licita. Major est certa ex dictis. Probatur minor: emptio vili pretio, præcisè ex anticipata solutione, non fit pretio justo, & ipsa anticipata solutio esset mutuum cum spe habendi lucrum ex vi ipsius anticipatæ solutionis; sed ubi non habetur justum pretium in tota latitudine justii, & aliunde habetur mutuum cum spe lucrandi, ibi insurgit usura: Ergo &c. Major est certa, quòd ad primam partem. Probatur nunc quòd ad secundam partem: Emptor, anticipando solutionem, intenderet lucrum pro tempore traditionis rei emptæ, quòd justum non est, intra latitudinem justii: Ergo idem esset solvere anticipata solutione, ac mutuare cum spe lucrandi ex vi ipsius anticipatæ solutionis.

Confirmatur hoc: Si licitè posset quis emere vili pretio ex anticipata solutione, posset etiam mutuans ultra sortem accipere, expectando tempus, quatenus pecunia præsens sit majoris valoris, quam pecunia numeranda, seu furto sublata; sed hoc est damnatum ab Innoc. XI. num. 47. ubi habetur: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris facit pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid*

*ultra sortem à mutuario exigere, & eo titulo ab usura excusari: Ergo &c. Probatur major: emptor tradens pecuniam anticipatè, intendit lucrum pro re tradenda à venditore, magis æstimando pecuniam præsentem, quam tradit, quàm rem illam sibi tradendam à venditore: Ergo pari ratione posset mutuans ultram sortem accipere, expectando tempus.*

- 80 Probatur secunda pars à consimili. Omnis contractus usurarius, etiam usura palliata, & virtuali, est illicitus; sed venditio caro pretio excedente latitudinem justì, propter dilatam solutionem, esset contractus usurarius, usura saltem palliata, & virtuali; Ergo vendere cariori pretio supra latitudinem justì, propter dilatam solutionem, non est licitum. Probatur minor: Vendere caro pretio excedente latitudinem justì propter dilatam solutionem, idem est ac si emptor nunc solveret pretium de re empta, & illud pretium solum à venditore mutuo daretur ipsi emptori, ut ex eo venditor aliquid ultra sortem acciperet pro sola temporis dilatione; sed hic esset contractus verè usurarius: Ergo &c.

Confirmatur hoc ex doctrina scoti loc. cit. sub litt. P. ubi assignaturus condiciones permutationis, ait: *Prima est, quòd commutans non commutet, vel vendat tempus, quia tempus non est suum. Secunda, quòd non ponat se in tuto de lucrando, & illum, cum quo commutat, de damno: intelligo de tuto semper, vel ut in pluribus.* Ex quibus verbis subsumo: sed vendens cariori pretio excedente latitudinem justì, ob dilatam solutionem, venderet tempus, & poneret se in tuto de lucrando, & emptor acciperet damnum ex pretio excedente latitudinem justì; Ergo non potest licitè quis vendere caro pretio ob dilatam solutionem.

Ex hac doctrina sequitur justè fuisse damnatam ab Alex. VII. propositionem illam positam num. 42. ubi habetur: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Nam quando quis vendit caro pretio ultra latitudinem justì ob dilatam solutionem, se obligat ad expectandum tempus solutionis: quod est committere usuram virtualem, & palliatam.

- 81 Advertendum est tamen, quòd in tantum in conclusione dixi, *præcisè, & absolutè spectantis titulis anticipatæ, & dilatæ solutionis;* quia si aliunde oriretur pretium excedens latitudinem justì, tam vendendo pretio caro, quàm emendo vili pretio, tunc tam vendens caro pretio dilatæ solutione, quàm emens vili pretio anticipatæ solutione, possent contractum licitum facere. Etenim si quis emeret anticipatæ solutione, & propter talem solutionem ei emergeret damnum, vel lucrum cessaret, quod posset acquirere per illam pecuniam, quam teneretur tradere tempore traditionis rei emptæ, tunc posset emptor vili

pretio emere supra latitudinem justì; & quidem licitè: præsertim quia nullum damnum inferret venditori. Vel ratione periculi, quia probabiliter existimat emptor, venditorem non esse traditurum mercem pro illo tempore, & ipse emptor se exponeret periculo amittendi capitale, ad cujus recuperationem plures requirerentur expensæ. Eodem modo est discurrendum de venditore ob dilatam solutionem, qui potest ex illis motivis caro pretio vendere. Quod est etiam probatum in 6. quæstione hujus disputationis.

### Solvuntur Objectiones.

- 82 **O** Bicies primò contra primam partem. Emens anticipatæ solutione, ratione damni emergentis, & lucri cessantis, potest licitè emere viliori pretio, quo emeret tempore traditionis rei: Ergo etiam præcisè, & absolutè ex vi anticipatæ solutionis potest emere vili pretio excedente latitudinem justì. Antecedens patet ex supradictis num. 81. Probatur consequentia: in tantum in primo casu potest licitè emere, in quantum damnum emergens, & lucrum cessans sunt pretio æstimabilia; Sed anticipatæ solutio potest esse pretio æstimabilis; Ergo &c. Probatur minor, nam si Titius V. G. anticipatè solveret Cajo venditori centum pro frumento valituro centum, & decem post sex menses, hujusmodi anticipatæ solutio potest esse Titio pretio æstimabilis; quia posset illam alteri negotiationi applicare, ratione cujus posset lucrum acquirere: Ergo &c.

Respond. concessio antecedenti, negando consequentiam. Ad cujus probationem dist. majorem: anticipatæ solutio potest esse pretio æstimabilis, præcisè, & absolutè ut anticipatæ solutio est, nego minorem: conditionatè, & ex causa adjacente, concedo minorem, & consequentiam. In tantum ergo ratione lucri cessantis, & damni emergentis potest emens licitè emere vili pretio, ultra latitudinem justì; in quantum emens in tali casu non intenderet primò, & per se lucrum certum futurum, quod haberet, præcisè, & absolutè vi anticipatæ solutionis: sed solum intendit lucrum ex damno, quod in sui præjudicium emergeret, vel ex lucro, quod cessaret, anticipatè solvendo. Et quia nemo potest licitè, & sine usura intendere, & recipere lucrum certum pro incerto, idcirco ex vi solius anticipatæ solutionis, citra rationem damni emergentis, vel lucri cessantis, non potest emens emere vili pretio licitè, & absque usura. Per hoc patet ad probationem consequentiæ, nam anticipatæ solutio non est pretio æstimabilis ex natura sua, & absolutè; sed tantum conditionatè, & ex apposita causa, scilicet damni emergentis, vel

vel lucri cessantis. Quapropter ad casum propositum, dico, quod eito Titius emens, & anticipatè solvens possit illam pecuniam alteri negotiationi applicare, quia tamen in tali contractu præcisè, & absolutè emit vili pretio supra latitudinem iusti, ex vi ipsius anticipatæ solutionis, ideo lucrum illud, non spectatis supradictis conditionibus, esset palliata usura; ac per consequens injustum, & restituendum.

Advertendum est pro claritate solutionis hujus argumenti, quòd lucrum cessans, & damnum emergens in tantum sunt pretio æstimabilia, & excusant ab usura, in quantum sunt præter intentum ementis, & oriuntur à venditore exigente pecuniam anticipatè pro sui comodo. At lucrum, quòd emens haberet pro emptione rei vili pretio ex anticipata solutione, oritur ex voluntate ementis, qui intendit illud, & ideo tale lucrum nec est licitum, nec excusat ab usura.

83 Obijcies secundo contra secundam partem. Vendens ex dilata solutione magnum recipit incommodum; ergo debet pecunia compensari: Ergo ex dilata solutione potest, ultra pretium iustum, vendere. Probatur primò antecedens; nam si ad tempus determinatum acciperet iustum pretium, illo uteretur pro alia sua necessitate; Ergo ex dilata solutione magnum recipit incommodum, Probatur nunc consequentia; tale incommodum est in damnum, & præjudicium venditoris: Ergo pretio æstimabile; sed quòd est pretio æstimabile debet pecunia compensari: Ergo &c.

Deinde impugnari potest hæc secunda pars objectione posita contra primam partem.

Respondetur dist. antecedens; magnum incommodum recipit involuntariè, nego antecedens: voluntariè, subdist. ex vi præcisæ dilatæ solutionis, nego antecedens: ex vi causarum annexarum ipsi dilatæ solutioni, concedo antecedens, & nego consequentiam, in sensu distinctionis, cum ultima consequentia, Incommodum, quòd reciperet vendens ex dilata solutione, potest dupliciter accipi; vel involuntariè, & coactè: & hoc modo dilata solutio ferret magnum damnum venditori, quòd non nisi pecunia compensari potest; immò contractus hic, ex defectu libertatis ex parte venditoris, est omnino invalidus: vel voluntariè, & ex libertate vendentis; & hoc modo etiam dupliciter: vel tale incommodum præcisè oritur ex dilata solutione; vel oritur ex causis annexis, scilicet damno emergente, vel lucro cessante; si solum oritur ex dilata solutione, non potest pecunia compensari, neque est pretio æstimabile; quia vendens, ut vendat, liberè expectat dilationem temporis. Si verò oritur ex causis annexis, est utique incommodum pecunia compensandum, & pretio æstimabile; quia nemo cum suo damno potest contractum facere, & factum in irritum

revocare (excepto contractu matrimonii, ut dictum est in questione secunda hujus disputationis.) Per hoc patet, quid sit dicendum ad probationem consequentiæ.

84 *PETES PRIMO*, pro resolutione casuum conscientiarum. *An sit licitum, tempore magnæ sterilitatis, vendere rem juxta prudentum æstimationem; vel servanda sit lex, seu pragmatica, præsertim loquendo de re comestibili?*

Advertendum est, quòd in venditione frumenti multoties adest pragmatica, seu taxa Principis, vel Reipublicæ, ob bonum commune servandum, quòd bonum semper præferendum est bono particulari, præsertim quando lex est iusta, & intra latitudinem iusti pretii habiti ex prudentum æstimatione. Hoc autem iustum pretium esse potest supremum, infimum, & medium. Pretium supremum intra latitudinem iusti, est illud, quo res venditur carius in uno tempore, & loco, quam venderetur in alio, ob abundantiam in tali loco, & tempore, & penuriam in alio loco, & tempore, Vt si quis venderet frumentum mercato Junii cariori pretio, quo valet mensè Augusti; vel venderet Neapoli frumentum cariori pretio, quo valet Apuliæ; tunc pretium hoc supremum diceretur, variato loco, & tempore, vel ex lege, & taxa Principis, vel ex prudentum æstimatione, Pretium infimum est, quando ob inopiam pecuniæ, vel ex carentia emptorum, vel ex proxima, & certa abundantia sequenti, venditor vendit frumentum V.G. viliori pretio, quam fuit taxatum, vel æstimatum. Pretium verò medium est, quo neque carius, neque vilius res venditur. His notatis,

Quòd nunc quæritur, est, an ut frumentum V.G. vendatur licitè tempore magnæ sterilitatis, servanda sit lex illius regionis, ubi frumentum venditur; vel tantum vendi debeat juxta prudentum æstimationem? Et pro resolutione

85 Respondetur ad quæsitum, dicendo, ut licitè vendatur res comestibilis, puta frumentum, tempore magnæ sterilitatis, attendendam esse prudentum æstimationem, & non legem juxta taxam factam, tempore abundantia. Hæc opinio est Navarri, Caspensis, Molinæ, & aliorum. Et ratio hujus opinionis est, quòd licet non sit præferendum bonum particulare bono communi, & publico, tamen quando lex ob aliquas circumstantias, ut esset sterilitas ex defectu pluvia, vel inopia &c. incipit esse injusta, non est pretium attendendum ex lege, & taxa, sed ex prudentum æstimatione. Sed ratione magnæ sterilitatis, si frumentum venderetur juxta Principis, vel Reipublicæ taxam antea factam tempore abundantia, jam lex illa inciperet esse injusta; Ergo tempore magnæ sterilitatis, ut licitè frumentum vendatur, attendenda est æstimatio prudentum. Probatur minor: tunc lex incipit esse injusta, quan-



quando pretium per ipsam taxatum non correspondet valori rei, quæ vendi debet secundum loca, & tempora; sed quando frumentum V.G. venderetur juxta Principis legem, aut taxam, quæ facta, & emanata fuit tempore abundantia, jam tempore sterilitatis pretium non corresponderet valori rei; nam res plus valet tempore sterilitatis, quam tempore abundantia: Ergo &c.

Neque valet, si dicas, quod in tali casu leges, & taxæ mutarentur contra bonum publicum, in favorem boni privati.

Non valet, inquam; quia leges, & taxæ non dicerentur in tali casu mutari, sed tantum dicerentur emendari, & interpretari ratione circumstantiarum. Neque ista legis emendatio, & interpretatio præcisè respiceret bonum privatum, & commodum venditoris, sed potius bonum publicum, ne populus, ob carentiam frumenti, pereat. Multoties etiam possunt leges mutari, quando notabiliter variantur circumstantiæ: ut si Princeps esset notabiliter negligens pro bono publico ad procurandum id, quod est victui necessarium pro Republica servanda.

86 *PETES SECUNDO*. *An licitè quacunque res vendi possit majori pretio, ex concursu emptorum, juxta prudentum æstimationem: vel possit licitè emi viliori pretio ex carentia emptorum, & deficientia pecunia.*

Respondetur affirmativè. Et ratio est, quia sicut in prudentum æstimatione stat pretium cujuscunque rei, intra latitudinem justitiae, ita in eorundem æstimatione stat crescere, vel decrescere ratione circumstantiarum. Nam emere viliori pretio rem, quam prius valebat ex carentia emptorum, & deficientia pecuniae, nec est in præjudicium justitiae; neque charitatis: non justitiae, quia juxta prudentum æstimationem servatur æqualitas: neque in præjudicium charitatis, quia cum ex parte tam emptoris, quam venditoris sit libera traditio, servatur charitas. Ita etiam discurrendum est de vendente cariori pretio, ex concursu emptorum.

87 *PETES TERTIO*. *An ubi adest dolus, possit licitè vendi cariori pretio, quam res valet; vel vendere viliori pretio, quam res valet?*

Respondetur juxta ea, quæ dicta sunt de circumstantiis ad valorem contractus, negativè. Ratio est; quia dolus est una ex conditionibus reddēribus contractum illicitum, & invalidum; præsertim, quando dolus est circa substantiam rei, quia tunc non servatur æqualitas juxta datum, & acceptum; & is, qui ponit dolum peccat, & ad restitutionem tenetur. Ut V. G. si quis venderet gemmam pretiosam viliori pretio, quam gemma valet existimans illam non plus valituram, quia ignorat pretium ejus; quia tunc emptor dolum facit in venditorem; præsertim si certò sciat, gemmam illam esse plus valituram, non potest licitè gemmam

illam emere vilii pretio. & semper teneretur ad restitutionem. Et similiter etiam teneretur ad restitutionem, si quis venderet gemmam pretiosam, dicendo emptori, quod tantum valet, quantum ipse dicit, & re vera illo pretio non valet; tunc enim ratione doli, qui poneretur in emptore, illicitè venditor venderet, & teneretur ad restitutionem.

Hac etiam ratione possunt resolvi omnes casus conscientia, ubi adest dolus, vel fraus ex parte venditoris. Ut si venditor certò sciat, Equum esse defectuosum, pannum adustum, oves morbidas, frumentum vetus &c. tunc teneretur defectum rei vendendæ manifestare emptori; præsertim si est occultum, ut non possit oculis emptoris patere. Et si aliàs faceret venditor, tunc quia fraudaret intentionem emptoris, teneretur ad restitutionem, ratione fraudis, & damni inde secuti. Ceterum, ubi non adest fraus, vel dolus; potest carius vendere rem, præsertim si illam venderet in parva quantitate, & minutim, & non in magna quantitate. Sic etiam à pluribus Doctōribus excusantur stabularii in venditione avenæ, fæni, paleæ &c. si carius quam alii ea vendant; quia in his attendendi sunt majores labores, diligentia, & expensæ, quæ sunt pretio æstimabilia, & ut pretio æstimabilia, & absque fraude, & dolo emptoris, excusant venditorem à peccato, & à restitutione.

88 *PETES QUARTO*. *Cui post celebratum contractum res vendita pereat, vel fiat deterior, vel melior?*

Pro clariori notitia hujus dubii advertendum est, rem venditam posse esse in duplici differentia, vel indeterminatam in individuo, vel determinatam. Si res vendita est indeterminata in individuo, ut si quis venderet viginti boves, vel oves ex suo grege; tunc si oves, vel boves perirent, vel meliorarentur, aut deteriorarentur, Venditori perirent, meliorarentur, vel deteriorarentur. Et ratio est; quia cum ante traditionem res illa vendita indeterminata in individuo, sit adhuc sub dominio venditoris, tunc perit, melioratur, & deterioratur suo domino, nempe venditori. Quod patet ex lege *Quod sape 35. §.* In his: nam hujusmodi rei indeterminatæ venditio est conditionalis, quæ reddit venditionem non completam, nisi res tradatur emptori. Si verò res vendita est determinata in individuo, ut si quis venderet domum, agrum, hunc equum, hos determinatos boves &c. tunc res illa vendita perit, deterioratur, & melioratur emptori. Ratio est, quia estò ante rei vendita, & emptæ traditionem non transferatur dominium in re illa determinata in individuo, transfertur tamen dominium ad rem, quod dominium jure gentium est acquisitum statim, ac ex mutuo contrahentium consensu fuit celebratus contractus. Hoc notato, pro resolutione dubii

Respon.

Respondetur, quod si res vendita pateat post traditionem, sive sit indeterminata in individuo, sive determinata, semper emptori perit. Si verò res vendita perit ante traditionem, & est determinata in individuo, etiam perit emptori. At si est indeterminata in individuo, perit venditori. Hæc opinio ferè communis est inter Doctores. Et ratio primæ partis est; quia post traditionem res est jam sub dominio emptoris, & sicuti si fructificat, & melioratur, emptori fructificat, & melioratur, ita si perit, & deterioratur, Domino perit, & deterioratur: Ergo &c. Probatur assumptum, quia per traditionem translatum fuit omnè dominium, sive ad rem, sive in re: Ergo jam res illa vendita post traditionem cadit sub emptoris dominium.

Ratio verò secundæ partis est; quia postquàm emptor dedit consensum Venditori de re illa vendita, domo, Equo &c. transfertur dominium ad rem illam in emptorem; & contractus est jam celebratus ex mutuo Emptoris, & Venditoris consensu; quod dominium facit, ut sicuti si res melioretur, & fructificet Emptori fructificet; ita si pereat aut deterioretur, emptore pereat, & deterioretur; Ergo &c.

Ratio tandem tertiæ partis est, quia res vendita, & non determinata in individuo, ante traditionem, stat adhuc sub dominio Venditoris, & illius rei indeterminatæ, nec est translatum dominium in re, nec ad rem in emptorem: Ergo &c. Probatur assumptum; quia indeterminatio rei venditæ est contractus conditionalis, & incompletus, qui contractus non est translatus dominii, nisi adimpleta conditione: Ergo &c. Hæc doctrina est benè notanda, ad agnoscendum, quâdo contractus venditionis sit licitus, & quando non sit licitus; nam semper ac est translatum dominium, saltem ad rem, & venditio sit iusta, absque dolo, & fraude; contractus est licitus: Si verò non sit translatum dominium, vel interveniat dolus, & fraus; contractus est illicitus.

Q V Æ S T I O D E C I M A.

*An sit licitum emere, & vendere cum pacto de retrovendendo?*

89 **P** Actum de retrovendendo quandoque potest esse in favorem venditoris, quandoque in favorem solius Emptoris, & quandoque in favorem utriusque. Tunc pactum est in favorem solius venditoris, quando Venditor obligat emptorem, ut rem venditam ei revendat, quando ipsi Emptori restituitur pretium: & in hoc habetur gravamen in Emptore. Tunc verò pactum est in favorem Empto-

ris cum gravamine Venditoris, quando Emptor obligat Venditorem, ad sibi redimendam rem venditam. Tunc tandem est in favorem utriusque, quando Venditor, & Emptor ad invicem se obligant liberè ad rescindendum contractum, quâdocunque noluerint. His notatis, suppono tanquam certum, quòd quando pactum est in favorem, tam Venditoris, quàm emptoris, tunc pretium variari non debet, cum, non nisi invariato pretio, servetur æqua conditio utriusque contrahentis; & hoc modo est licitum emere, & vendere cum pacto mutuo de retrovendendo. Quando verò pactum est in favorem Venditoris cum gravamine Emptoris, tunc Venditor debet vendere minus, quàm res valet, juxta prudentum æstimationem; & quâdo est in favorem Emptoris, & in gravamen Venditoris, debet, plusquam res valet, emi, etiam attentata prudentum æstimatione.

Quæstio nunc procedit de pacto retrovendendi in favorem solius Venditoris, & gravamen Emptoris; & de pacto in favorem solius Emptoris, & gravamen Venditoris. Nam de pacto retrovendendi in favorem utriusque, nulli dubium est, quòd sit licitum emere, & vendere cum tali pacto, cum nemini inferatur præjudicium, & gravamen. Et pro resolutione

*DICO*, licitum esse emere, & vendere cum pacto de retrovendendo in favorem Venditoris, & gravamen Emptoris; vel è contra in favorem Emptoris, & gravamen Venditoris, si tale gravamen iustè compensetur; & aliunde fructus ab Emptore percepti non computentur in sortem. Conclusio hæc est juxta legem *Quod si nolit. ff. de ædificio edicto*: & juxta legem *2. Cod. de pactis inter emptorem, & venditorem*: & tenetur à Lessio, de Lugo, Bonacina, Maltro, Caspense, & aliis. Et deducitur ex Scoto in *4. dist. 15. qu. 2. art. 2.*

Probatur primò, de pacto retrovendendi in favorem Venditoris, & gravamen Emptoris. Quando pactum in contractu venditionis servat æqualitatem inter contrahentes, licitum est; sed estò pactum de retrovendendo sit in favorem Venditoris, & gravamen emptoris, tamen servat æqualitatem inter Venditorem, & emptorem: Ergo licitum est emere, & vendere cum pacto de retrovendendo in favorem venditoris, & gravamen emptoris. Probatur minor: tunc servatur æqualitas inter contrahentes, quando gravamen ex parte unius contrahentis pecunia compensatur ab altero contrahente; sed quando pactum de retrovendendo est in favorem Venditoris, & gravamen Emptoris, tunc gravamen Emptoris pecunia compensatur; quia tunc Venditor cum tali pacto minori pretio venderet, quàm res valet, ratione gravaminis, quod acciperet Emptor: Ergo &c.

91 Probatur secundò eadem pars: Qui vendit

dit, ita vendit, ut possit non vendere: Ergo potest liberè etiam venditionem limitare; sed potens liberè venditionem limitare, potest illam limitare cum pacto retrovendèdi, cõpensando gravamen emptoris: Ergo &c. Probatur prima consequentia, Potest Venditor ita vendere rem, domum, vel agrum V. G. cum hoc onere Emptori, ut illam non possit alienare, aliàs venditio ipsi facta esset nulla: Ergo utcunque poterit Venditor pro suo libito venditionem limitare. Antecedens probatur, quia quando limitatio illa imponit onus, & obligationem Emptori cum minoratione pretii pro compensando gravamine, tunc talis limitatio non est injuriosa emptori: Ergo &c.

- 92 Probatur secunda pars, iisdem rationibus positis pro prima parte. Nam sicuti est justa, & licita venditio cum pacto retrovendendi, compensando gravamen Emptoris per diminutionem pretii, juxta prudentum æstimationem, & hujusmodi compensatio facit, quòd servetur æqualitas inter Emptorem, & Venditorem: Ita pari ratione, ex incremento pretii compensativi gravaminis Venditoris pro pacto retrovendendi, & ex qua compensatio resultat æqualitas inter Emptorem, & Venditorem; potest quis licitè emere pacto retrovendendi, estò sit gravamen ex parte Venditoris.

Non irrationabiliter apposui illam particulam in conclusione ( si tale gravamen justè compensetur ); Nam si non compensaretur, tunc tale pactum de retrovendendo non esset licitum, imò usurarium, proveniens ex mutuo virtuali. Quod meliùs patebit ex solutione objectionum. Hinc

### *Solvuntur Objectiones.*

- 93 **O**bjicies primò contra utramque partem. Ille contractus, qui non servat æqualitatem inter contrahentes, non est licitus; Sed contractus cum pacto de retrovendendo non servat æqualitatem inter contrahentes: Ergo non est contractus licitus emere, vel vendere cum pacto de retrovendendo. Major est certa. Probatur minor: tunc non servatur æqualitas inter contrahentes, quando uni ex contrahentibus fit injuria; sed quando adest pactum de retrovendendo, uni ex contrahentibus fit injuria: Ergo contractus emptionis, & venditionis cum pacto de retrovendendo non servat æqualitatem. Probatur minor; nam in contractu cum tali pacto, ille, qui obligatur ad retrovendendum, recipit gravamen; si enim obligatur emptor ad retrovendendum, tunc ei ex tali obligatione fit injuria; si obligatur venditor ad redimendam rem, fit ei injuria: Ergo &c.

Resp. dist. minorem: non servat æqualitatẽ, si non compensetur, concedo minorem; si compensatur, nego minorem, & consequentiam; & dist. majorem probationis: quando uni ex contrahentibus fit injuria justè compensanda, nego majorem: quando fit injuria non justè compensanda, concedo majorem, & è converso distincta minori, nego consequentiam. Utique verum est, quòd in venditione cum pacto de retrovendendo, uni ex contrahentibus fit injuria, illi scilicet, cui imponitur obligatio: at hæc injuria, aut gravamen justè compensatur pretio minori ex parte ejus, cui imponitur gravamen; nam hujusmodi compensatio est pretio æstimabilis, & ut talis ponit æqualitatem inter contrahentes. Quod patet hoc exemplo: si Petrus venderet Cajo domum mille aureis, quod est justum pretium, cum pacto illam retrovendendi majori pretio, juxta prudentum æstimationem; tunc quia tale pactum obligat Cajum ad retrovendendum, ponit gravamen in ipso Cajo, quod gravamen justè compensatur ex majoritate pretii, quo Cajus revenderet. Vel si Cajus emeret domum valituram mille aureis, minori pretio quàm mille, cum pacto retrovendendi, tunc minoritas pretii, quo illam Cajus emeret, compensaret gravamen ab ipso receptum, ratione pacti de retrovendendo.

- 94 Objicies secundò: omnis contractus usurarius, proveniens ex mutuo, etiam virtuali, est illicitus; sed emptio, & venditio cum pacto de retrovendendo, sunt contractus usurarii provenientes ex mutuo virtuali: Ergo non est licitum vendere, & emere cum pacto de retrovendendo. Major patet ex dictis. Probatur minor: emptio, & venditio cum pacto de retrovendendo, sunt tales contractus, ut emptor usque ad tempus, quo recipit pretium solutum pro re empta, accipiat fructus provenientes à re empta, quibus fructibus privatur venditor; sed ex hoc quod accipiat fructus provenientes à re empta, ultra pretium solutum pro re empta, emptio deprehenditur usuraria, ex mutuo virtuali: Ergo &c. Probatur minor; nam nil aliud est mutuum virtuale, nisi interpedere aliquid ultra sortem principalem, ratione mutui: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dist. minorem: accipit fructus à re empta cadentes sub ejus perfectum dominium, concedo majorem: non cadentes sub ejus perfectum dominium, nego majorem; & eodem modo distincta minori, nego consequentiam. Dico igitur, quòd estò emptor emat cum pacto de retrovendendo, absque temporis limitatione, sed pro venditoris opportunitate; tamen pactum illud nequit esse usurarium, cum nullum interveniat mutuum. Primò, quia fructus illi percepti ab emptore cadunt sub plenù dominium emptoris, etiam si fuerit pactum de retrovendendo rem; nam si-

cuti

cuti tale pactum non impedit translationem dominii Venditoris in emptorem; ita nec impedit, quin cadant etiam fructus sub dominium Emptoris. Secundò, quia ut habeatur intentum adversariorum, Venditor in tali casu deberet se habere ut mutuatarius, & Emptor, ut mutuator; neque enim aliter, ex fructibus perceptis ab emptore supra sortem principalem, constitui posset usura: at venditor nulla equidem ratione dici potest mutuatarius; quia mutuatarius tenetur, etiam invitus, sortem reddere, etiam si illa fors periret absque ipsius culpa. Venditor autem, si nolit, non tenetur sortem reddere, etiam posito quocunq; pretio; nec emptor posset arctare venditorem, ut rem suam redimat; & ulterius si res empta perit, non perit venditori post traditionem, sed emptori, (ut dictum est). Quare nullus videtur locus asserendi, cum tali pacto de retrovendendo, contractum illum esse usurarium.

Dices, hæc responsio est contra determinationem Inn. III. ubi Pontifex declarat, cap. *Ad nostram, De empt. & cap. Illo vos, De pignoribus*, contractus cum pacto de retrovendendo esse usurarios: Ergo quomocunq; explicentur, sunt illiciti.

Respondetur, dicendo, in illis locis Pontificem affirmasse, emptionem, & venditionem cum pacto de retrovendendo esse usurariam, non ex natura sua, sed ratione doli, & fraudis. At nos non absolute affirmamus, licitum esse emere, & vendere cum pacto de retrovendendo, non posita satisfactione, & compensatione gravaminis ex parte unius contrahentis; quia tunc haberetur dolus. At posita justa compensatione gravaminis, nullus apparet dolus, nec fraus; adeoque nullum haberet locum usura.

## Q U Æ R E S.

*An sciens rem brevi minus valituram, possit licite vendere pretio currenti, quando hoc soli venditori est notum?*

95 **N**Otandum est, scientiam de futura abundantia posse esse, vel in solo venditore, vel tam in venditore, quam in emptore. Si scientia illa est in utroque, nulli dubium est, quod licite pretio currenti possit vendi res; quia tunc nec læderetur lex à Principe lata de justo pretio, nec communis Prudentum æstimatio, neque emptor, qui scienter emeret justo pretio. Sola igitur difficultas est, si scientia futuræ abundantia sit apud solum venditorem. Ubi

Adverto, quod eodem modo potest moveri dubium, si quis emat currenti pretio, & certo sciat, rem brevi plus valituram ex superventura inopia. Quibus notatis, pro resolutione

*DICO, scientem rem brevi minus valituram,*

posse licite vendere pretio currenti. Ita pariter, posse licite emere currenti pretio scientem rem brevi plus valituram, licet hoc soli venditori, vel soli emptori sit notum. Conclusio est communis, & probabilior apud Doctores, cū Caspense, Mastrio, Molina, Lessio, & aliis. Et 96. Probatur; qui faciunt contractum iusto pretio, & nullam committunt fraudem, vel dolum, licite contrahunt; sed tam sciens, rem brevi minus valituram, quam sciens rem brevi plus valituram, dummodo vendant, vel emant pretio currenti, faciunt contractum iusto pretio, & nullam committunt fraudem, vel dolum; Ergo tam sciens rem brevi minus valituram potest licite vendere pretio currenti, quam sciens, rem esse plus valituram, potest licite emere pretio currenti. Probatur minor, quia pretium currens conformatur legi Principis, vel æstimationi Prudentum: Ergo in quocunq; casu, nisi fuerit variatum ab habente auctoritatem, semper est iustum; adeoque licitum facit contractum.

Eò vel maxime, quia pretium currens non variat, ob solam scientiam Venditoris, legem Principis, & communem æstimationem; sicut neque ob solam scientiam Emptoris: Ergo contractus ille erit licitus, etiam stante sola scientia Venditoris, vel sola Emptoris, dummodo sit pretium currens à lege taxatum: Ergo &c.

Dices: Si emptor certo sciat, pretium fore augendum; aut Venditor certo sciat, pretium rerum fore minuendum, tempore traditionis rei; tunc contractus factus inter emptorem, & venditorem esset injustus, & illicitus; cum non servaretur æqualitas inter utrumque: Ergo similiter emptor sciens, rem brevi plus valituram, non potest currenti pretio licite emere; neque Venditor certo sciens rem brevi minus valituram, post licite pretio currenti vendere.

Respondetur negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia certo sciens pretium fore augendum tempore traditionis; vel Venditor certo sciens tempore traditionis esse minuendum, faciunt contractum injustum, & illicitum, cum ex parte unius habeatur lucrum in re, & ex parte alterius lucrum incertum: & juxta regulam Scoti traditam qu. 9. hujus-disp. num. 8. in confirmatione, non potest in contractu Emptionis, & venditionis, sicut etiam commutationis, unus se ponere in tuto de lucrando, relicto altero, cum quo commutat, in dubio de damno. Exemplifico hanc doctrinam. Si Titius certo sciat, rem plus valituram post sex menses, & Cajus nesciret rem plus valituram, tunc si Titius solveret Cajo centum pro re plus valitura post sex menses, est pretium currens sit centum, emptio illa esset injusta, & illicita, si post sex menses traderetur Titio res illa; quia tunc Titius esset certus de lucro, non obitante anti-

cipata solutione; & Cajus esset incertus: immò Titius se poneret in tuto de lucro, & Cajum relinqueret in damno. Vel si Cajus certò sciat rem minùs valituram post sex menses, & nunc Titio currenti pretio venderet illam, tradendam ipsi Titio post sex menses; tunc Cajus se poneret in tuto de lucro, ac Titium in damno relinqueret. In proposito verò nostro non ita contingit; quia estò pretium sit in re, & non in spe, tamen lucrum esset tantum in spe, & pretium esset justum tempore venditionis, & emptionis, quia pretium, vel res empta traderetur eodem tempore, quo currit ut justum illud pretium; non autem traderetur illo tempore, quo pretium est adauctum, vel imminutum, ut accideret in primo casu.

### QVÆSTIO VNDECIMA.

*An credita possint minori pretio emi anticipata pecunia?*

**C**redita possunt esse in duplici differentia: alia sunt certa, & liquida; & alia sunt dubia, licigiosa, & periculosa. Prioris generis sunt illa, quæ absque ulla difficultate exigi possunt, præsertim si adest obligatio debitoris. Posterioris generis sunt illa, quæ difficulter exigi possunt, & ut exigantur, plures requiruntur labores, & expensæ. De creditis litigiosis, dubiis, & periculosis, nulli dubium est, quòd anticipata pecunia, minori pretio, quàm valent, emi possunt; & quidem licitè, quia labores, expensæ, & induitria, quæ occurrunt ad credita illa recuperanda, sunt pretio æstimabilia, & pecunia compensari debent. Sola difficultas est de creditis certis, & liquidis. Horum autem alia sunt, in quibus exigendis interveniunt lucrum cessans, & damnum emergens ex parte Emptoris: alia verò, in quorum exactione nullum tale lucrum cessat, vel emergit damnum. Si fuerint prioris generis, est etiam certum, quòd ratione lucri cessantis, & damni emergentis potest emi creditum certum, & liquidum minori pretio ex anticipata pecunia: immò potest etiam Debitor licitè suum debitum emere anticipata solutione minori pretio. Ut V. G. si Petrus post annum deberet solvere Titio quinquaginta, & nunc Titius vellet vendere Petro tale creditum, & jus, quod habet post annum contra Petrum; posset Petrus suum debitum emere licitè minori pretio, juxta prudentum æstimationem. Ratio est, quia Petrus infra hunc annum applicando pecuniam illam negotiationi, acquireret lucrum ex ea. Tota igitur difficultas est de creditis liquidis, & certis, nullis intervenientibus conditionibus lucri cessantis, & damni emergentis.

Ante resolutionem adverto, hanc quæstio-

nem pendere ex illa 6. ubi discussus, an citra usuram possit mutuator aliquid exigere ultra sortem, ratione damni emergentis, & lucri cessantis. Et quia ibi determinatum fuit cum probabiliori classicorum Doctorum opinione, quòd ex his justis titulis possit mutuator ultra sortem accipere; ideo consequenter ad ea, quæ ibi dicta sunt, possunt credita eisdem titulis, minori pretio emi, quàm valeant. Solùm controvertitur de emptione crediti certi, & liquidi, nullo interveniente titulo ex assignatis. Et pro resolutione

*DICO*, non posse emi licitè credita minori pretio, quando sunt liquida, & certa, nullo interveniente damno emergente, & lucro cessante. Conclusio est Scoti loc. sup. cit. lit. P. & tenetur ab omnibus Scotistis, & ab aliis extra nostram Scholam. Et

97 Probatur: si possent credita liquida, & certa emi minori pretio, quando nullum intervenit damnum emergens, vel lucrum cessans, posset etiam esse licitum mutuum virtuale, ex quo oriatur usura; sed hoc, ex dictis, est falsum. Ergo non potest licitè emi creditum liquidum, & certum minori pretio, nullo interveniente damno emergente, vel lucro cessante. Probatur major: si possent minori pretio emi credita liquida, in tali emptione interveniret mutuum virtuale, ex quo oriretur usura: Ergo si esset licitum emere minori pretio credita liquida, esset etiam licitum mutuum virtuale, ex quo oriretur usura. Probatur antecedens: in tali contractu emptionis minori pretio, tempore solutionis crediti acciperetur major pecunia, quàm solvitur ab emente tempore emptionis crediti; sed ista major pecunia, seu major summa supra pecuniam solutam, esset in Emptore lucrum ortum ex mutuo virtuali; quia tunc emptor, quasi mutuum daret pecuniam venditori illius crediti certi, & liquidi: Ergo &c.

98 Probatur secundò. In nullo contractu potest licitè vendi tempus; sed dum quis minori pretio emeret creditum liquidum, & certum, nullo interveniente damno emergente, vel lucro cessante, jam venderetur tempus: Ergo hic contractus nequit licitè fieri. Major est Scoti, & patet; quia nemo potest vendere licitè quod non est suum: at tempus non est vendentis creditum, nec ementis: Ergo &c. Probatur nunc minor. Tunc venderetur tempus in aliquo contractu, quando ratione dilatae acceptionis rei, solvens anticipatè, plus reciperet quàm daret; sed emens creditum liquidum futurum, ratione dilationis acceptionis rei, plus acciperet, quàm daret: Ergo &c. Totum hoc non eveniret, si ex parte ementis interveniret damnum emergens, vel lucrum cessans; nam hujusmodi condiciones, sicuti excusant ab usura, quia sunt pretio æstimabiles, ita propter eandem rationem excusant ab injuria contracti, de quo loquimur.

*Solvuntur*

*Solvuntur Objectiones.*

69 **O**bjicies primò . In tantum non posset licite emi creditum minori pretio , quando est certum , & liquidum , nullo interveniente damno emergente , vel lucro cessante , in quantum ex tali emptione resultaret usura ex mutuo virtuali ; sed hoc est falsum : Ergo licitum est emere minori pretio creditum liquidum , & certum , etiam si nullum interveniat damnum emergens , vel lucrum cessans . Major deducitur ex prima probatione . Probatur minor . Ut constituat usura ex mutuo virtuali , debet interponi pactum ex parte mutuatoris ; sed emens creditum minori pretio nullum interponit pactum : Ergo non resultaret usura , vitalis emptiois , ex mutuo virtuali .

Respondetur negando minorem , & majorem probationis . Nam ut dixi in 7. quaestione in mutuo virtuali , & implicito , & ex quo intenditur lucrum ultra sortem , nullum intervenit pactum , nec expressum , scilicet verbis , nec impressum , scilicet signis , & nutibus ; sed pactum solum intervenire in mutuo formali ; & nihilominus uterque contractus est illicitus , & usurarius . Quare est in emptione crediti liquidi , & certi nullum interveniat pactum de lucro certo ; quia tamen re vera emens certum lucrum acquirit ex mutuo virtuali , jam usuram palliatam , & virtualem committeret .

100 **O**bjicies secundò . Si quis emeret creditum liquidum , & certum minori pretio , est nullum interveniat damnum emergens , vel lucrum cessans , acquireret tantum jus ad rem illam futuram , vel ad pecuniam solvendam ; sed hujusmodi jus ad pecuniam solvendam , & futuram minus valet , quam pecunia presentis : Ergo posset emens licite emere creditum liquidum minori pretio . Probatur minor primò ex *Lege minus* , ff. *de regulis juris* , ex qua colligitur , plus valere pecuniam presentem , quam jus ad pecuniam futuram : Ergo &c . Probatur secundò eadem minor , Jus illud ad pecuniam futuram potest esse periculis expositum ; sed quod est periculis expositum minus valet , quam res presentis , & possessa : Ergo &c .

Respondetur negando minorem : Propositio hæc , quæ est Cajetani , Navarri , & aliorum , fuit damnata ab Innocentio XI. num. 41. his verbis : *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda , & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam presentem , quam futuram ; potest creditor à mutuatario aliquid ultra sortem exigere , & eo titulo ab usura excusari* . Ex cujus propositionis damnatione , patet falsitas minoris , & quod emens minori pretio creditum certum absque ullo sui damno , non possit ab usura excusari .

Vel dist. minorem : Jus ad pecuniam non certam , & difficilem recuperatu , minus valet , quam pecunia presentis , concedo minorem : Jus ad pecuniam certam , & liquidam , & non difficilem recuperatu , nego minorem , & consequentiam . Patet ex initio hujus quaestiois , credita alia esse periculosa , & difficiliora recuperatu , ac incerta ; & alia certa , liquida , & faciliora recuperatu . Credita primi generis utique sunt minoris valoris , sicut & jus ad illa , quam sit pecunia presentis ; & ideo hujusmodi credita , ratione expensarum , & laborum , possunt minori pretio emi , At credita certa , & liquida , vel jus ad illa , non minus valet , quam pecunia presentis . Et in hoc sensu est intelligenda lex illa citata , ut docent Bartholus , & Baldus . Quod expressè innuit arguens in secunda probatione minoris principalis , ubi dicit , quod jus ad pecuniam futuram potest esse periculis expositum : tunc enim talis jus exponitur periculis , quando est ad rem incertam , & recuperatu difficilem ; secus verò , quando est ad rem certam , & liquidam ,

QVÆSTIO DVODECIMA.

*In qua varia dubia resolvuntur de contractibus illicitis.*

QVÆRES PRIMO.

*An sit illicitum monopolium plurium emendi vili , vel currenti pretio , ut alii ab unitis in monopolium cogantur cariori pretio emere ?*

**A**n te hujus dubii resolutionem notandum est , tunc haberi monopolium , quando unus , vel plures conveniunt , ut certas merces in Civitate vendant , impediendo ceteros ab emptione talium mercium , ut cogantur Emptores ab ipso , vel ab ipsis tantum emere cariori pretio . Certissimum autem est , monopolia esse illicita , quando fiunt in damnum Reipublicæ , & praesertim si fiant , ut merces vendantur pretio supra latitudinem justii . Immò Doctor noster in 4. cit. dist. 15. qn. 2. s. sequitur , sub litt. V , ait , facientem monopolium esse exterminandum à Republica , & in exilium relegandum , propter damnum , quod ceteris mercatoribus , & Reipublicæ infert . His notatis ,

Suppono , pretium carius , vel esse in totalitate justii pretii , licet dicatur supremum , vel supra latitudinem justii pretii . Pretium supremum , quod est intra latitudinem justii pretii , est illud , quod lege Principis , & prudentum aetimatione est taxatum ; & dicitur supremum , quia respicit tempus , loca , conditiones abundantiae , vel inopiae . Pretium verò su-



pra latitudinem iusti pretii est illud, quod sola mercatorum voluntate taxatur, absque Principis auctoritate, & Prudentum æstimatione. Nulli dubium est, quod monopolæ vendentes merces supra latitudinem iusti pretii, faciunt contractum illicitum. Sola difficultas est, an monopolæ ementes viliori pretio, vel currenti, tempore messis V.G. vel vindemiæ, aut pretio quovis alio tempore currenti, possint licitè vendere cariori pretio intra latitudinem iusti pretii, Et pro resolutione

**DICO**, quod quando monopolæ emunt tempore messis, vel vindemiæ pretio viliori, vel currenti, ut ab ipsis ceteri emant cariori pretio intra latitudinem iusti pretii, ut res illas non immediatè revendant, nec in eodem loco, sed ut meliorent, & asportent ad alium locum, tunc huiusmodi negotiatio, quamvis in monopolium facta, est licita. At si emant, ut ceteris vendant immediatè, & in eodem loco absque ulla melioratione, tunc talis negotiatio est illicita. Conclusio quoad utramque partem est Scoti loc. cit. Et tenetur à Lugo, Lessio, Mattio, & aliis. Et

101 Probatur prima pars: Monopolæ ementes vinum, vel frumentum tempore messis, vel vindemiæ, ut revendant in alio loco, & post longum tempus, facta melioratione, nullam iniustitiam committunt jure naturæ: Ergo licitè post aliquod tempus, & in alio loco possunt res illas vendere cariori pretio intra latitudinem iusti pretii. Probatur antecedens, quia monopolæ sic ementes non se ponunt in tuto de lucrando, sed se exponunt periculo de non lucrando, si res deterioretur, vel si ab aliis mercatoribus in illum locum similis res asportetur vendenda minori pretio. At quando mercator non se ponit in tuto de lucrando, sed periculo se exponit de non lucrando, non committit iniustitiam; Ergo &c.

Eò vel maxime, quod huiusmodi negotiatio est in praxi in quacunque Republica; licet in aliquibus Regnis, lege particulari prohibeatur tantum de frumento, ob commodum illius regionis; Ergo &c.

102 Probatur secunda pars: Monopolæ ementes vilii pretio, ut immediatè ceteris vendant in eodem loco, nulla facta melioratione, damnum inferunt Reipublicæ; sed quoties contractus aliquis est in damnum Reipublicæ, non est licitus: Ergo quando Monopolæ emunt, ut ceteris vendant immediatè, & in eodem loco, absque ulla melioratione, tunc talis negotiatio est illicita. Probatur major: ex tali venditione pretio cariori, quamvis in latitudine iusti pretii, impediuntur pretia viliora, quibus ob copiam mercium vendi possent ab extraneis in illo loco, & tempore: Ergo ex tali venditione inferitur damnum Reipublicæ. Probatur antecedens, hoc exemplo. Sint Petrus, & Paulus monopolæ, qui omne frumentum, & vinum in Apulia factum emant, ut in Apulia

ipsa cariori pretio vendant, absque ulla facta melioratione. Sit insuper manifestum Venetis, in Apulia vinum, & frumentum cariori pretio vendi, & ipsi vinum, & frumentum Venetiis in Apuliam asportent, ea vendendo cariori pretio, quæ viliori pretio venderent, si ibi non venderentur istæ merces à monopolis pretio cariori; tunc damnum inferretur Apuliæ propter ipsos monopolæ, seu *Regratiers* (ut gallice nuncupantur à Scoto) Ergo &c.

Ex his infero primò, quod quoties ratione meliorationis resultantis etiam in bonum publicum, Monopolæ emunt, ut in alio tempore, & loco vendant, tunc possunt intra latitudinem iusti pretii, cariori pretio vendere, & quidem licitè, nec peccarent contra charitatem, nec contra iustitiam, Secus verò si Monopolæ emant viliori pretio, ut statim, & in eodem loco vendant cariori pretio.

Infero secundò ex doctrina Scoti loc. cit. sub litt. Q. ad evitandum peccatum, vel contra charitatè, vel contra iustitiam in monopolio attendendum esset, an talis negotiatio congregandi merces fiat in utilitatem, & commodum Reipublicæ; & iterum, quod mercatores in monopolium uniti in venditione accipiant aliquod lucrum juxta prudentum æstimationem, propter omnia pericula, damna, labores, & expensas, quæ passi sunt. Si aliter faciunt, semper peccant contra charitatem, & iustitiam.

### QUÆRES SECUNDO.

*An sit licita conventio de non vendendo, nisi pretio supremo in latitudine iusti?*

**I**n conventione, aut monopolio facto inter venditores de non vendendo, nisi pretio supremo in latitudine iusti, potest scandalum oriri in Republica, ex eo, quod emptores, qui sciunt factum fuisse monopolium inter venditores, possunt etiam convenire, & monopolium facere de non emendo, nisi pretio medio, vel infimo; in quo casu vexarentur monopolæ uniti ad non vendendum, nisi pretio supremo. Et hoc concederetur à Republica, & à Prudentibus ad destruendam venditorum aviditatem, & tenacitatem. Hoc præmissis, pro dubii resolutione

**DICO**, monopolium, seu conventionem de non vendendo, nisi pretio supremo non esse licitam; imò esse peccatum, nedum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam. Est etiam Scoti loc. cit. quem sequuntur Scotistæ contra Lessium, Bonacinam, de Lugo, & alios; & tenetur à Soto, Medina, Caspense, & aliis. Estque magis probabilis.

102 Probatur. Monopolium, seu conventio de non vendendo, nisi pretio supremo, licet in latitudini iusti, est contra jus eminentium, quod isti habent emendi, vel pretio infimo, vel saltem

tem medio ; Sed quod est contra tale jus , non est licitum , imò est peccatum : Ergo hujusmodi monopolium de non vendendo , nisi pretio supremo , non est licitum . Probatur primò major . Ementes , præciso tali monopolio , possent emere merces minori pretio ex eorum libertate ; posito autem tali monopolio coguntur emere supremo pretio , quia aliunde non possent habere rem pretio minori : Ergo tale monopolium lædit jus ementium . Probatur nunc minor principalis ; quod est contra jus ementium infert damnum Reipublicæ ; sed quod infert damnum Reipublicæ , nequit licite fieri ; imò si fiat , est peccatum : Ergo &c. Eò vel maximè , quia damnificatur Respublica , quando pretium , quod esse debet divisibile in supremum , medium , & infimum , remanet indivisibile , scilicet tantum supremum ; Ergo &c.

Dices : per tale monopolium , & conventionem vendendi pretio supremo in latitudine justis , vendentes non utuntur fraude , quæ possit reddere venditionem illam injustam , & illicitam : Ergo tale monopolium est licitum . Probatur antecedens ; quia ementes adhuc sunt liberi ad emendum , vel non emendum illo pretio supremo : Ergo vendentes non uterentur fraude ad vendendum tali pretio supremo .

Respondetur negando antecedens . Cum monopolium ex sua natura sit injustum , propter damnum , quod infert , tum Reipublicæ , tum privatis personis , semper est cum fraude ementium ; ratione cujus fraudis à lege prohibetur . Ad probationem dist. antecedens : ementes adhuc sunt liberi ad emendum , & non emendum simpliciter , concedo antecedens ; ad emendum , & non emendum cariori , vel viliori , vel medio pretio , nego antecedens , & consequentiam . Vt non sit fraudata ementium voluntas , nedum requiritur ex parte ipsorum libertas ad simpliciter emendum , vel non emendum ; sed ulterius requiritur , quòd sit in eorum potestate emere hoc , vel illo pretio , intra latitudinem justis : & quia posito monopolio , coguntur ementes , ex defectu aliorum mercatorum , emere tantum pretio supremo ; & non est in eorum potestate emere hoc , vel illo pretio , ideo sic vendentes fraude uterentur .

Q V Æ R E S T E R T I O .

*An possit Princeps licite concedere privilegium , ut certi mercatores certas in suo Regno vendant merces ?*

**S**uppono , privilegium à Principibus posse concedi ex justa causa , & ex causa injusta . Si privilegium concederetur ex causa injusta , tunc tam venditores , quibus conceditur privilegium , tenerentur ad restitutionem de dam-

no illato ementibus , quatenus injustè privilegium impetrassent in damnum aliorum ; quàm Princeps teneretur ad restitutionem , tale privilegium concedendo . Si verò privilegium sit concessum ex justa causa , ut esset ad refarciendas expensas , quas venditores fecerunt , vel ad providenda necessaria , & utilia Reipublicæ , tunc privilegium licite concedi potest , imò sunt , qui dicunt , quòd facientes contra tale justum privilegium peccant mortaliter , & tenentur ad restitutionem ; quia fraudem ponunt privilegiatis ( quam opinionem alibi tangendam relinquo . ) His suppositis ,

*DICO* , quando privilegium ex injusta causa conceditur , non posse Principem illud licite concedere certis mercatoribus , aliis relictis ; si verò ex justa causa conceditur , possunt tunc Principem illud licite concedere . Conclusio tenetur à principalioribus Doctoribus contra Cajetanum , Sotum , & alios absolute negantes , posse licite Principem hujusmodi privilegia concedere . Estque probabilior .

103 Probatur prima pars . Quando privilegium conceditur ex causa injusta , ut V.G. ex motivo lucrandi , vel privatos subditos fraudandi , tunc Princeps ferret injuriam ceteris mercatoribus impeditis per tale privilegium à libertate vendendi ; sed quando privilegium infert alteri injuriam , non potest à Principe licite concedi : Ergo quando privilegium conceditur à Principe ex causa injusta , nequit concedi licite . Probatur major : per tale privilegium impediuntur ceteri mercatores à venditione suarum mercium ; & etiam ementes ab emptione viliori pretio : Ergo ferret injuriam ceteris mercatoribus , & etiam ementibus ,

104 Probatur secunda pars : Privilegium concessum ex justa causa , præsertim providendi Regno de necessariis , resultat in bonum commune Reipublicæ ; sed privilegium , quod resultat in bonum commune Reipublicæ , est licite concessum : Ergo quando conceditur ex justa causa , est licite concessum . Major probatur , quia Princeps concedendo tale privilegium , taxaret etiam pretium intra latitudinem justis , absque damno subditorum , & solum bonum publicum respiceret : Ergo &c.

Eò vel maximè , quia hujusmodi privilegia videntur in dies concessa Bibliopolis in impressione , & venditione librorum , & authoribus eorundem librorum ; & etiam illis , qui se obligant ad providendum Universitati de vino , frumento , oleo , carne &c. Ergo justa de causa sunt concessa ; ac per consequens licite .

Dices : privilegium uni concessum , non debet aliis nocere ; & quando aliis nocet non est licite concessum ; sed estò sit ex justa causa concessum , tamen aliis nocet ; quia , nocet ceteris Venditoribus , & Emproribus qui possent viliori pretio emere : Ergo non potest licite concedi .

Re.

Respondetur dist. majorem: si est concessum ex causa injusta, non debet aliis nocere, concedo majorem: si est concessum ex causa justa, nego majorem, & concessa minori, nego consequentiam. Quamvis ergo privilegium concessum ex justa causa sit in damnum, & præjudicium, tam eminentium, quam Vendorum; quia tamen tale damnum, & præjudicium, ac nocumentum est particulare, & non est præferendum bono communi Reipublicæ, & Principis authoritati, hinc est quod est inferat privatis personis nocumentum tamen dum est ex justa causa concessum, est licite concessum. Secus verò dicendum, si est concessum ex causa injusta, ut in prima probatione dictum est.

#### QVÆRES QVARTO.

*An sit licitus contractus mohatra?*

**O**mnis contractus, quo præcisè intenditur lucrum ex mutuo, vel ex aliquo injusto titulo, est injustus, illicitus, & peccaminosus. Et quia contractus Mohatra, sic à quibusdam dictus, intendit lucrum ex mutuo, vel ex aliquo injusto titulo, hinc est quod debet censeri illicitus, & peccaminosus. Ex exemplo hujus contractus, ejus natura explicatur. Si Titius mutuo peteret à Cajo centum, & Cajo fingeret non habere centum, sed tantum quinquaginta, & pro complemento summae exhiberet eidem Titio merces pretio summo, vel pretio currenti, & Titius merces illas acciperet: tunc si Titius minori pretio revenderet Cajo easdem merces à Cajo acceptas majori pretio, Cajo faceret cum Titio contractum mohatra; accipiendo nimirum lucrum à suis mercibus minori pretio retrovenditis, & quidem mutuo datis. Hic contractus potest etiam dici retrovenditio rei respectu ejusdem personæ, à qua res fuit vendita cum damno ementis, & lucro venditoris. Quæritur nunc, an possit hujusmodi contractus justè, & licite celebrari? Et pro resolutione

*DICO*, contractum mohatra illicitum esse, & damnatum. Conclusio est certa contra quosdam antiquos Doctores. Et

Probatur primò ex quadam damnata propositione à felic. mem. Innocentii XI. posita num. 40. *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inuito cum intentione lucræ: Ergo &c.*

105 Probatur nunc ratione deducta ex Sacris Canonibus. Omnis contractus usurarius est illicitus, & ut talis damnatus; sed contractus mohatra est usurarius: Ergo est illicitus. Major patet ex dictis in quætionibus de usura. Probatur minor: contractus, ratione cujus intenditur absque justo titulo lucrum, est usurarius; sed ratione contractus mohatra intenditur lucrum absque justo titulo: Ergo &c. Probatur minor ex expressa damnata propositione. Secundò ex exemplo allato; nam qui fingeret non habere pecuniam, & pro ipsa

rem daret cum animo retroemptionis minori pretio, quam illam vendiderat, intenderet lucrum ex mutuo; sed mutuum non est justus titulus lucri: Ergo &c.

Pro complemento hujus quæstionis notandum est, quod quando in contractibus onerosis, qui sunt lucrativæ negotiationis, non interveniunt conditiones assignatæ pro validitate contractus in genere, & pro quocunque contractu in specie particulares conditiones, semper contractus sunt illiciti, & invalidi. Ut si in contractu esset usura, dolus, metus, & vis injustè incussa, mendacium, libertatis, & domini rei carentia. Et aliunde, si finis non sit justus; ut si quis contractum faceret præcisè propter lucrum, & ex inordinato affectu ad lucrum; tunc semper contractus sunt illiciti. Sic etiam sunt illiciti, si fiant die festo, vel in loco sacro, vel de rebus sacris, & à lege prohibitis; ut si venderentur idola, libri prohibiti, & cetera hujusmodi; semper ratione temporis, loci, vel materiæ contrahendæ, habetur contractus illicitus. Quare ut fiant liciti, nulla ex his conditionibus debet interponi.

Notandum est insuper pro exacta noticia illius damnatæ propositionis, quod quando quis venderet supremo, vel medio pretio intra latitudinem justii pretii, si illæ merces revenderentur ab emptore pretio infimo, necessitate ducto; (sicuti ceteri mercatores possent licite merces illas emere, quia supponitur pretium esse justum, quamvis infimum,) posset etiam illas tali pretio emere primus venditor, & quidem licite, non incurrendo in illam damnatam propositionem. Ratio est, quia tunc emeret merces illas absque pacto præviè inuito retrovenditionis; quod pactum esset usurarium, quia ordinaretur ad lucrum acquirendum. Sed tantum diceretur tunc emere in concursu aliorum emptorum: quod licite fieri potest.

### QVÆSTIO TERTIA DECIMA

#### De Cambio.

*Utrum quæcunque Cambia licite fieri possint?*

**C**ambium generaliter sumptum, sicut ceteri contractus, ratione quorum res, quæ erat manens sub dominio unius, transferuntur in dominium alterius, est permutatio unius rei in aliam. Quare fit, quod permutatio sit cuilibet contractui annexa, ad differentiam specialis permutationis, quæ specialem constituit contractum, ut habetur ex Scoto loco supra cit. dist. 15. q. 2. Qui specialis contractus sic exponitur: ut si quis permutaret pro oleo vinum, pro frumento oleum &c. attendendo valorem, & pretium rei commutatæ in commuta-

mutatam, ut inter contrahentes servecur æqualitas. Cambium verò specialiter sumptum non est permutatio rei cum re, sed est permutatio pecunie cum pecunia. Et hoc modo à Doctoribus definitur. Unde qui dat ad cambium dicitur Campfor; qui ad cambium recipit dicitur Campfarius.

106 In præfenti non est sermo de cambio generaliter sumpto, sed de cambio sumpto specialiter, prout à ceteris contractibus differt, Et hoc cambium est duplex; verum, seu reale, & ficcum, seu fictitium. Cambium reale, & verum est illud, quo una pecunia revera cum alia commutatur, servata æqualitate juxta datum, & acceptum; & hoc cambium dicit certam, & realem solutionem pecunie, quam Campfor dat ad cambium. Ficcum, & fictitium est illud, quo fingitur solutio pecunie facienda alibi per fidas litteras transmittendas, quæ vel non transmittuntur, vel si transmittuntur, nullum sortiuntur effectum, & inanes, & vacuæ revertuntur; & tamen solutio pecunie fit in illo eodem loco, ubi à Campfario recipitur. Hoc cambium dicitur ficcum, quia caret humore fructificandi: dicitur fictum, quia induit speciem cambii, sed revera est mutuum palliatum, seu virtuale cum certo lucro ex dilata solutione. Cambium reale, & verum etiam est duplex, aliud est minutum, & aliud est locale, seu per litteras. Primum est illud, quo major pecunia cum minori commutatur, vel minor cum majori; ut cum commutatur pecunia aurea cum argentea; argentea cum ærea; vel è contra. Cambium locale, seu per litteras est illud, quo permutatur pecunia de uno loco ad alium: ut si hic solvatur pecunia, alibi accipienda; vel hic accipiatur alibi solvenda. Dicitur etiam per litteras, quia plerumque mittuntur litteræ, ad alibi accipiendam, vel solvendam pecuniam.

107 Cambium verò ficcum, seu fictum potest pluribus modis exponi. Primò, ut si Campfor det pecuniam Campfario, ut eam alibi solvat, quæ solutio re vera alibi non fit, sed ubi Campfarius accipit pecuniam, cum uterque certò sciat, alibi Campfarium non habere pecuniam; & post temporis dilationem solutio fit Campfari in illo ipso loco, ubi pecunia recipitur. V.G. fit Titius Campfor, & Cajus Campfarius: det Titius in nundinis Salerni centum Cajo, ut pecuniam illam Romæ per suam correspondentem solvat, & uterque sciat, Cajum non habere pecuniam Romæ; accipit Titius à Cajo litteras cambii, quæ Romam non mittuntur, vel si mittuntur, inanes, & vacuæ revertuntur; unde fit, quòd post temporis dilationem Cajus Campfarius solvit Titio centum Salerni, ubi pecuniam à Titio accipit.

Secundo modo. Si Campfor det Campfario pecuniam ad certum tempus solvendam in nundinis celebrandis Aversæ illo pretio, quo pecunia currit in illis nundinis,

Tertiò modo, si tant Campfor, quàm Campfarius se concordent ad dandam, & recipendam pecuniam ad cambium, utroque fingente, Campforem accepturum pecuniam Romæ V.G. & Campfarium soluturum pecuniam illam Romæ, quæ revera non Romæ, sed Salerni, ubi taxato, cum fuit recepta, post longum tēpus, vel tēpore lucro restituitur. Hoc modo exercendo fictum cambium ex utriusq; scientia, ex parte Campforis oritur usura, & ex parte Campfarii peccatum; quia accipit ad usuram ( dummodo tamen Campfarius non acciperet ratione gravis, vel extremæ necessitatis, quomodo posset à peccato excusari, ut dictum est n. 75. hujus disp. )

108 Pro cambio reali, & vero, sive sit locale, & per litteras, sive minutum, plures sunt notandæ conditiones, Prima, quòd cambia realia non fiant aliter, ac sunt promissa; ut si quis cambium faceret solvendum in nundinis proximè celebrandis Salerni, si aliter solutio eveniret, contractus diceretur illicitus.

Secunda, quòd juxta prudentum æstimationem, & ratione propinquitatis, & distantia; vel meliorationis, & minorationis pecunie, taxari debet lucrum accipiendum per tale cambium.

Tertia, quòd sit attendendus valor pecunie datæ, & accipiendæ: nam si quis vellet accipere centum Romæ, ubi valor pecunie est major, & moneta ipsa melior, quàm Neapolitana, deberet, ad faciendum cambium reale, solvere hic Neapoli plusquam centum pro cambio, ultra pecunie assecurationem, & virtualem asportationem. Si verò quis ab Urbe Roma vellet facere cambium solvendum Neapoli, & daret Romæ centum, tunc Campfor ultra lucrum, ex asportatione virtuali monete, & ejusdem assecuratione, & majori valore monete Romanæ, deberet Neapoli accipere plusquam centum.

109 Insuper est notandum, hoc cambium reale, quod est locale, & per litteras, posse dupliciter evenire. Primò quando Campfor hic Neapoli tradit pecuniam solvendam Romæ ab ipso Campfario; secundò quando Campfor accipit hic pecuniam à Campfario solvendam Romæ ipsi Campfario, vel creditori ipsius Campfarii: ( dicitur enim Campfor, tam qui dat pecuniam alibi solvendam, & restituendam, quàm qui recipit pecuniam alibi creditori Campfarii restituendam, nomine ipsius Campfarii. ) His notatis, quod quaeritur in præfenti est, an tam cambia realia localia, sive pecunia detur Campfario, sive Campfari; sive fiat realia minuta, sive tandem sint sicca, & fictitia, possint licite fieri; & sic Campfor possit justum lucrum acquirere. Et pro resolutione

DICO, omnia cambia realia localia, seu per litteras, sive Campfor det pecuniam, sive accipiat pecuniam à Campfario, posse licite fieri, & ex eis certum lucrum acquiri ( attentis con-

conditionibus supra expressis) Idem asserimus de cambiis minutis. Non tamen esse licita, imò expressè prohibita, & damnata cambia sicca. Communissima est hæc conclusio apud omnes, quoad singulas partes. Et ex Scoto deducitur in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. ubi loquitur de commutationibus.

¶ 110 Probatur primò prima pars de cambio locali, quo Campsor dat pecuniam Campsario. Quoties contractus aliquis celebratur cum lucro acquisito iusto titulo, toties contractus ille est licitus; sed cambium reale, seu per litteras, quo Campsor dat pecuniam Campsario, celebratur cum lucro acquisito iusto titulo: Ergo cambium locale, quo Campsor dat pecuniam Campsario, est licitus, & licitè ex eo potest lucrum acquiri. Probatur minor: Campsor dans pecuniam Campsario sublevat Campsarium onere transferendi suam pecuniam distantem ad locum, ubi ipse Campsarius manet; Sed sublevatio oneris transferendi pecuniam distantem ad locum, ubi Campsarius manet, est iustus titulus acquirendi lucrum: Ergo &c. Probatur primò major, idem enim est dare Campsario pecuniam hic, ac si sua translata fuisset à loco distante ad locum, ubi manet Campsarius; nam solutio illius pecuniæ idem esset, ac virtualis translatio propriæ pecuniæ Campsarii: Ergo dum Campsor dat hic pecuniam, sublevat Campsarium onere, quod subiret, si sua pecunia à loco distante huc transferretur. Probatur nunc minor: sublevatio illius oneris est pretio æstimabilis; quia, nisi usura accedat, minus valet pecunia absens, propter onera eam recipiendi, & propter incommoda, quam pecunia præsens: Ergo talis sublevatio oneris est iustus titulus acquirendi lucrum.

¶ 111 Probatur secundò eadem pars, de cambio locali, & per litteras, quo Campsor accipit pecuniam à Campsario. In tali cambio interveniunt duo iusti tituli acquirendi lucrum; Ergo cambium locale, & per litteras, quo Campsor accipit pecuniam à Campsario, potest licitè fieri, & ex eo lucrum aliquod acquiri. Probatur antecedens: In tali cambio, quo Campsor accipit pecuniam à Campsario, intervenit titulus sublevationis oneris, quod onus esset in Campsario, si deberet pecuniam illam transmittere ad locum distantem; & intervenit titulus assecurationis; sed huiusmodi tituli sunt iusti tituli acquirendi lucrum; quia sunt pretio æstimabiles: Ergo &c. Minor patet ex alia superiori probatione. Probatur major. Si Titius Campsor acciperet centum à Cajo Campsario, quam pecuniam deberet Cajo transferre Romam suo creditori, in tali translatione pecuniæ Cajo constituitur sub onere transferendi per seipsum, ut debitum solvat; & insuper si per seipsum pecuniam transferret, posset subire periculum illam pe-

cuniam amittendi: Ergo dum Titius Campsor accipit pecuniam à Campsario, sublevat Campsarium illo onere; & assecurat ipsum Campsarium de pecunia: Ergo &c.

Èd vel maximè, quia si pecunia, quam accipit Campsor à Campsario, periret, non periret ipsi Campsario, sed Campsori; quia Campsor tutum faceret Campsarium de sua pecunia, Romæ V. G. solvenda: Ergo ratione talis assecurationis, quæ esset iustus titulus acquirendi lucrum, posset Campsor iustè, & licitè recipere lucrum, & licitè cambite: adeoque &c.

¶ 112 Probatur nunc secunda pars, quòd scilicet cambium reale minutum possit licitè fieri. Quæcunque pecunia, ultra valorem extrinsecum taxatum Principis autoritate, habet etiam valorem intrinsecum, ratione raritatis, puritatis, nobilitatis, & commoditatis in ea ferenda, & asportanda; sed ratione intrinseci valoris orti ex ejus raritate, puritate &c. Campsor (sive sit publicus, à Principe ad hoc munus institutus; sive sit persona privata) à Campsario dante monetam intrinsecè ignobiliorem, potest lucrum licitè acquirere: Ergo cambium reale minutum potest licitè fieri. Major est certa, quia quamvis Princeps determinet, hanc numerò monetam auream æquivalere huic summæ monetæ argenteæ, tamen ipsa aurea moneta ratione puritatis, raritatis, & nobilitatis habet valorem intrinsecum excedentem monetam argenteam. Probatur minor: valor intrinsecus nobilioris monetæ est pretio æstimabilis: Ergo de tali valore intrinsecò potest quicumque Campsor, sive publicus ex autoritate Principis, sive privatus; acquirere lucrum aliquod: Ergo &c.

De Campsore publico, qui alio nomine dicitur Bancharius, non est tanta difficultas; sed solum contendit Cajetanus, non posse hoc cambium minutum licitè fieri à Campsore privato non habente Principis autoritatem. At eadem ratio, quæ militat de Campsore publico, militat etiam de privato: probo; nam utrobique in moneta adest valor intrinsecus, sive sit apud Campsorem publicum, sive privatum; & in Campsario, sive accipiat à publico, sive à privato Campsore, adest major commoditas monetæ aureæ, quam argenteæ: Ergo &c.

¶ 113 Probatur nunc tertia pars, quòd scilicet cambia sicca, & fictitia sint illicita. Ille contractus, ratione cuius oritur usura ex vi mutui virtualis, est illicitus; sed hoc modo se habent cambia sicca, & fictitia: Ergo huiusmodi cambia sunt illicita. Probatur minor: per cambium siccum, & fictitium campsor acquirit lucrum ob dilatam temporis solutionem; sed lucrum acquisitum ob dilatam temporis solutionem est usura (ut dictum est in superioribus questionibus) Ergo cambia sicca, & fictitia sunt talia, ut ex illis oriatur usu.

usura, vi mutui virtualis. Probatur major: si Campfor tradit pecuniam Campfario, fingendo solutionem fiendam Romæ, ubi Campfarius pecuniam non habet, sed post aliquod tempus solutio fit in eodem loco, ubi Campfarius illam accepit; tunc lucrum, quod Campfor accipit à Campfario, nonnisi ex temporis dilatione accipit: Ergo &c. Idem probatur exemplis adductis num. 107.

114 Confirmatur hoc ex expressa Bulla Pii V. damnantis huiusmodi cambia sicca. Ibi: *Primum igitur damnamus omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita coniunguntur, ut contrabentes ad certas nundinas, seu ad alia loca cambia simulant celebrare, ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambii tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, ut transfacto tempore, unde processerunt inanes revertantur, & referantur; aut etiam nullis huiusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, ubi contractus fuerat celebratus; nam inter dantes, & recipientes usque à principio ita convenerat, vel certè talis intentio erat; neque quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradiçtis, huiusmodi litteris receptis, solutionem faciat. Cui malo etiam illud simile est, cum pecunia, sive Depositi, sive alio nomine ficti cambii traduntur, ut postea eodem in loco, vel alibi cum lucro restituantur. Sed & in ipsis cambiis, quæ realia appellantur (ut ad Nos perfertur) Campfores præstitutum solutionis terminum, lucro ex tacita, vel expressa conditione recepto, seu etiam tantummodo promisso, differunt. Quæ omnia nos usuraria declaramus, & ne fiant, districtius prohibemus. Ex quibus verbis præfati Pontificis constat, cambia sicca, & ficticia (quæcunque sint) esse nedum illicita, sed tanquam usuraria damnata. Quare concludimus, omnia cambia, præter sicca, & ficticia, posse licitè fieri.*

*Solvuntur Objectiones.*

115 **O** Bijcies primò contra primam partem: sive Campfor det pecuniam Campfario, ut alibi eam recipiat; sive à Campfario accipiat pecuniam, ut alibi eam solvat, nullus esse potest justus titulus acquirendi lucrum ex cambio: Ergo cambia realia, sive Campfor priùs det pecuniam, sive pecuniam accipiat à Campfario, non possunt licitè fieri. Probatur antecedens: justus titulus acquirendi tale lucrum, essent sublevatio oneris in Campfario, & assecuratio monetæ ejusdem Campfarii; sed isti tituli nõ sunt justis, ut campfor acquirat lucrum ex cambio: Ergo &c. Probatur minor: potest Campfarius suam pecuniam absentem facere præsentem, absque ullo periculo, & absque expensis, & labori-

bus per suos amicos, & correspondentis, quos habet in illo loco, ubi manet tua pecunia: Ergo illi tituli assignati non sunt justis, saltem quando Campfarius, & oneris sublevationem, & assecurationem pecuniæ potest aliunde gratis habere.

Respondetur negando antecedens, & minorem probationis. Quamvis ergo ex industria Campfarii, ejusque bona fortuna possit ipsius pecunia fieri præsens per suos correspondentes, & amicos; hoc tamen est tantum per accidens; quatenus correspondentes, & amici Campfarii, ratione amicitia, gratis transferant de longinquis pecuniam ad Campfarium. Neque talis gratuita translatio per se facit, quòd Campfarius, ut velit suam pecuniam absentem facere præsentem, non habeat propriis expensis, & cum magno onere illam asportare ad locum, ubi manet. Ratione igitur hujus oneris, à quo Campfarius sublevatur, & expensarum; & periculi, ac factæ assecurationis à Campfore, potest Campfor lucrum accipere, sive pecuniam dando Campfario hic, ut alibi Campfor recipiat, sive accipiendo hic pecuniam, ut alibi solvat. Quæ oneris sublevatio, & pecuniæ assecuratio sunt justis tituli in Campfore acquirendi lucrum, ut probatum est.

Dices: lucrum, quod Campfor acquireret, sive priùs dando pecuniam Campfario, sive priùs accipiendo à Campfario pecuniam, esset ob dilationem temporis; sed quoties acquiritur lucrum ob dilationem temporis, committitur usura: Ergo tale lucrum esset usura; Ergo &c.

Respondetur negando majorem. Si hoc enim verum esset in cambiis veris, & realibus, huiusmodi cambia, ut illicita, & usuraria forent damnata, sicuti cambia ficta, seu sicca. Imò tolleretur negotiatio justa inter mercatores unius Regni cum mercatoribus alterius Regni. Nam inter istos mercatores translatio pecuniæ quotidie evenit per reale cambium locale, seu per litteras, ratione cujus cambii pecunia absens fit virtualiter præsens. Itaque lucrum, quod cambiendo Campfor acciperet, non esset intentum præcisè ob temporis dilationem, sed ob justos titulos assignatos: & quia in se suscipit obligationem facienda pecuniam absentem virtualiter præsentem.

116 Obijcies secundò contra secundam partem; & primò de cambiis realibus minutis factis à Campforibus publicis. In tantum posset publicus Campfor, aut Bancharius in minutis cambiis aliquod lucrum acquirere, quia una moneta ob nobilitatem, raritatem, & majorem commoditatem, habet valorem intrinsecum ratione materia, qui valor superat valorem alterius pecuniæ; sed hæc ratio est nulla: Ergo non potest publicus Campfor in cambiis minutis aliquod lucrum acquirere.

P. Proba-



Probat̄ur minor: hic valor intrinsecus monetæ aureæ V.G. consistit̄ in indivisibili cum valore extrinsecō à Principe taxato; sed ratione valoris extrinseci non potest̄ lucrum acquiri licitè ex pecunia nobiliori pro ignobiliori, & Princeps possit̄ justè punire Campforem, qui eo prætextu lucrum exigeret; Ergo neque ratione valoris intrinseci, Probat̄ur major. Nam pecunia aurea taxata à Principe decem nummos aureos, seu ducatos, est eadem indivisibilis materia, ratione cujus Princeps ob raritatem, & nobilitatem taxavit illam valituram decem ducatos; Ergo &c.

Resp. negando minorem, cum antecedente probationis. Dico igitur, Principem taxando pretium pecuniæ, non habere respectum ad intrinsecum valorem illius, sed ad usum pecuniæ pro rebus venalibus; quatenus scilicet hæc pecunia sit tanti pretii, hæc alia tanti &c. Neque enim Princeps habet respectum, in taxando pecuniam, ad hoc, ut inserviat, & necessaria sit ad omnem usum. Quare est pecunia aurea decem ducatorum, quatenus pecunia est, consistat̄ in indivisibili; nec plus valet ad usum expendendi, quàm argentea totidem ducatorum; tamen plus valet ex naturali, & intrinsecō valore, ut est confecta ex metallo nobiliori, & rariori. Hoc autem pretium ortum ex valore intrinsecō facit, ut si aurea commutetur cum argentea, possit̄ licitè à commutante, seu à Campfore commutari cum acquisitione lucri, ex titulis supra assignatis.

117. Obijcies tertio contra eandem partem, de Campfore privato. Quamvis in Campfore publico valeant illi tituli, valoris scilicet intrinseci, & laboris in pecunia numeranda (ut de hoc secundo titulo plures Doctores affirmant, esse titulum pretio æstimabilem) hoc tamen non valet de privato Campfore: Ergo Campfores privati non possunt licitè lucrum acquirere ex cambio illo minuto. Probat̄ur assumptum primo, quia hujusmodi labores in numeranda pecunia possunt fieri gratis, & possit̄ compensari ex mutua numeratione, quæ etiam à Campfario fit; nam Campfor V.G. numerat auream pecuniã, & Campfarius argenteam: Ergo per illos labores non potest̄ licitè aliquod lucrum exigi. Probat̄ur secundo idem assumptum, nam in tantum publici Campfores possunt licitè lucrum exigere ex cambio minuto, quia talem facultatem habent à Principe, ratione cujus subiiciuntur pluribus laboribus, & oneribus; sed hoc non evenit in Campforibus privatis: Ergo &c.

Respondetur negando assumptum antecedentis, ad cujus primam probationem dist. antecedens: illi labores possunt fieri gratis, & gratis tenetur Campfor exhibere, nego antecedens: & non tenetur gratis exhibere, concedo antecedens, & nego consequentiam. Quamvis ergo ob benevolentiam Campfores

possent gratis exhibere labores in numeranda pecunia; sicut etiam donare, & remittere Campfariis valdrem intrinsecum pecuniæ; non tamen tenentur, labores illos gratis exhibere, sicut etiam pecuniæ intrinsecum valorem: quæ omnia, cum sint pretio æstimabilia, potius obligant Campfarios ad conferendum lucrum Campforibus pro cambio, quàm Campfores, ut lucrum non accipiant. Hoc etiam potest contingere in cambiis localibus, & per litteras, ubi Campfores possunt gratis donare, & nullum lucrum accipere à Campfariis; at per hoc non tollitur, quin possunt Campfores in cambiis localibus justum lucrum acquirere: nec quia gratis donant tenentur gratis donare; ita ut ponatur obligatio in Campforibus faciendi cambia gratis.

Ad secundam probationem assumpti dico, ex hoc, quod publici Campfores habeant facultatem à Principe cambiendi, & ratione talis officii publici subsint quibusdam oneribus, & laboribus, solum sequi, quod isti possunt in minutis cambiis plus accipere, quàm Campfores privati; quod non tollit omnimodam facultatem à privatis Campforibus huiusmodi cambia faciendi cum lucro licitè acquirendo.

Contra tertiam partem possunt militare omnia argumenta in favorem usuræ virtualis (& videri possunt in superioribus quæst.)

118. *PETES PRIMO. An si Campfor cambi-  
ret gratis, teneretur in se suscipere periculum,  
quod posset evenire in tali cambio?*

Hic casus potest ita intelligi, vel quod Campfor dum gratis cambiaret, pactum iniret de non suscipiendo damno in seipso; vel quod nullum interveniret pactum. Si primo modo accipiatur, tunc certissimum est, quod si nulla sit fictio ex parte Campforis (quomodo cambium illud esset potius fictum, quàm reale; licet non usurarium, quia esset absque lucro) non teneretur Campfor in se suscipere periculum, quod posset evenire in tali cambio. Ut si Titius Campfor litteras cambii traderet Cajo Campfario, ut Cajo Romæ centum accipiat, quæ summa fuit hic Neapoli Titio Campfario data. Mittat Cajo Campfarius litteras Romam, quæ vel per viam amittuntur, vel Romæ non inveniatur illa persona, ad quam transmittuntur literæ; & pecunia Cajo Campfario non est soluta, nisi post aliquod tempus, vel expectando alias literas, vel expectando regressum illius personæ, ad quam fuerunt litteræ transmissæ. In hoc casu ex pacto facto inter Titium Campforem, & Cajum Campfarium, & ratione cambii gratis facti à Titio, non teneretur Titius satisfacere damno, quod ob dilationem solutionis reciperet Cajo Campfario. Si verò nullum est pactum de non subeundo damno ob solam temporis dilationem, idem est asserendum; quia tunc Campfor subiicitur damno, quando accipit lucrum ex cambio. Quis

Quia verò Campfarius ultra damnum dilata-  
tionis, potest alia damna subire, ut si  
per viam expoliaretur à latronibus illis litte-  
ris cambii, & solveretur Romæ pecunia ipsis  
latronibus, & non Campfario, Vel si persona  
illa, ad quam missæ sunt litteræ cambii, pro il-  
lo tempore lapsa fuisset in paupertatem, absq;  
scientia Titii Campforis; vel si nollet litteras  
illas ratas habere, seu pecuniam tradere, vigo-  
re illarum literarum. In his damnis, (quæ ma-  
xima sunt) si Campfarius expoliaretur à la-  
tronibus exigentibus pecuniam vigore litte-  
rarum, non teneretur Campfor ad damnum,  
quia non causa sui fuit Campfarius expolia-  
tus, sed ob hujus pravam fortunam; neque  
poterat Campfor ejusmodi damnum impedi-  
re. Si verò damnum evenit ob paupertatem, vel  
ob pravam voluntatē illius personæ, ad quam  
missæ sunt litteræ; quia hoc damnum de sorte  
principali potest Campfor reparare, vel sol-  
vendo hic Neapoli pecuniam acceptam à Cā-  
pfario, vel remittendo alias litteras ad alium  
suum correspondentem, tunc teneretur Cam-  
pfor pecuniam reddere, & damnum subire.  
Hic casus, ut plurimum evenit, & in secundo  
damno, quod potest reparari à Campfore, Ju-  
dices, & jura stant pro Campfario.

119 *PETES; quid sit dicendum, si postquam  
litteræ cambii fuerunt acceptatæ, data respon-  
sione Campfori de acceptatione, ille, ad quem fue-  
runt transmissæ litteræ fugeret, vel incideret in  
paupertatem?*

Respondetur dicendo, hunc casum posse  
dupliciter intelligi, vel quòd ille, ad quem  
fuerunt transmissæ litteræ, illas accipiendo,  
præfixit terminum, seu diem solutionis; & ip-  
so die, seu termino elapso, Campfarius, vel  
Procurator Campfarii non accessit ad cor-  
respondentem Campforis, ut pecuniam acci-  
peret, ipsam compellendó, ut solveret; & tunc,  
quia defectus proveniret à Campfario, vel à  
Procuratore Campfarii non accedentis pro  
solutione pecuniæ, deperderetur pecunia ip-  
si Campfario, & non Campfori. Ratio est, quia  
qui est causa damni, damnum pati debet: &  
quia Campfarius, vel Procurator ipsius de-  
dit causam tali damno, quatenus non acces-  
sit die præfixo, & non compulit correspon-  
dentem Campforis pro illo die; ideo damnum  
inde secutum post terminum, & diem præfi-  
xum debet esse contra ipsum Campfarium.

Vel potest casus intelligi, quòd ille, ad quem  
fuerunt transmissæ litteræ, illas acceptando,  
data etiam responsione ad Campforem, quòd  
pro tali die solveret pecuniam vigore litte-  
rarum; ante talem diem præfixum correspon-  
dens Campforis fugeret, vel in paupertatem  
incideret: tunc damnum esset contra ipsum  
Campforem. Ratio est, quia licet Campfor  
non fuisset causa talis damni, tamen antequam  
pecunia pro die præfixo sit apud Cāpfarium,  
tempore Campfarius ipse habet jus ad pecuniã

illam prius solutam. Et ulterius pecunia ante  
diem præfixum solutionis deperditur proprio  
domino, qui in tali casu esset Campfor, & non  
Campfarius; nam dominium Campfarii in-  
cipit à die præfixo solutionis faciendæ; & non  
ante diem præfixum solutionis. Idem ergo  
est non acceptare literas cambii, ac non solve-  
re pro die præfixo faciendæ solutionis; sed in  
casu, quo litteræ cambii non forent acceptatæ  
à correspondente Campforis, Campfor tene-  
retur reddere pecuniam Campfario, & omne  
damnum inde secutum resarcire: Ergo etiam  
si ante diem præfixum solutionis fugeret, aut  
in paupertatem incideret correspondens Cā-  
pforis, teneretur Campfor pecuniam reddere  
Campfario.

Idem casus potest efformari de Campfario  
accipiente pecuniam à Campfore: quòd scili-  
cet, si in prima expositione ob defectum  
Campforis, vel ejus correspondentis non fue-  
rit factus accessus ad personam illam, ad quam  
fuerunt missæ litteræ cambii pro die præfixo solu-  
tionis, supposita acceptatione, damnum inde se-  
cutum pati debet à Campfore. Si verò ante ter-  
minum solutionis persona illa, ad quam fuerunt  
transmissæ litteræ cambii, fugeret, vel incide-  
ret in paupertatem, tunc damnum pati debe-  
ret à Campfario, qui prius accepit pecuniam.  
Eadem rationes militant, utrobique, & etiam  
tam si Campfor non accipiat lucrum pro cá-  
bio, quàm si pro cambio lucrum accipiat.

## Q U Æ R E S.

*An sit licitum cambium cum recambio?*

**S**uppono ex dictis, cambium reale locale, seu  
per literas, esse licitum, dum quantitas  
lucri non excedat æquitatis limites in inju-  
stum Campfarii præjudicium. Quod quæri-  
tur nunc est, an cambia possint licite fieri cum  
recambio. Et ad intelligentiam hujus dubii  
duo pono exempla. Primum sit: Titius Cam-  
pfor manens hic Neapoli facit cambium  
solvendum Romæ; hoc cambium Romæ  
suum sortitur effectum: deinde Romæ fiunt  
aliæ litteræ cambii, nomine ipsius Titii Cam-  
pforis mittendæ Mediolanum, quæ etiam  
suum sortiuntur effectum. Ratione hujus cam-  
bii, & recambii Titius Campfor duplex lu-  
crum acquirit: unum propter onus, quo sub-  
levatur Campfarius, & propter assecuratio-  
nem monetæ Romam transferendæ; & aliud  
propter onus, & propter assecurationem mo-  
netæ Mediolanum transferendæ. Sit secundum  
Exemplum. Cajus Campfarius debitum ha-  
bet Romæ solvendum certo die, vel in certis  
mundinis: rogat Titium Campforem, ut per  
suum Procuratorem, vel correspondentem,  
solvatur pecunia Creditori ipsius Caii, Qui  
Procurator Titii solvit litteras Cambii, &

iterum mittit alias litteras ad Campforem, ut exigit à Cajo pecuniam Romæ solutam. Ratione hujus cambii, & recambii, habetur lucrum à cambio. Quæritur nunc, an in his casibus adductis cambium cum recambio sit licitum, & ex eo possit Campfor lucrum acquirere. Pro resolutione

*DICO*, cambium cum recambio in primo casu expresso, cum sit reale, & suum in utroque loco sortiatur effectum, esse licitum, & ex eo posse Campforem lucrum acquirere tot vicibus, quot cambium celebrat. Cambium verò cum recambio factum in eodem loco, expressum in secundo casu, nisi accedat justus titulus acquirendi lucrum, vel damni emergentis, & lucri cessantis, non posse licite fieri, neque posse ex eo lucrum acquiri. Conclusio quò ad primam partem est ferè communis inter Doctores, & tenetur à Lessio, Emm. Sà, Filliuc. Bonacina, & aliis. Quò ad secundam partem est Medina, Salas, & aliorum, contra citatos Doctores pro prima parte. Et mihi videtur magis probabilis, propter rationem infra adducendam,

120 Probatur prima pars: Ex illo cambio potest Campfor licite lucrum acquirere, ratione cujus sublevat Campfarij onere asportandi pecuniam; & insuper assecratur Campfarius de sua pecunia; sed per cambium cum recambio in primo casu expressum, Campfarius sublevat onere asportandi pecuniam; & insuper de sua pecunia assecratur: Ergo cambium cum recambio in primo casu expressum, potest licite fieri, & in eo lucrum acquiri. Major patet ex dictis; quia sublevatio oneris, & assecratio monetæ sunt duo justus tituli acquirendi lucrum ex cambio, & sunt pretio æstimabiles. Probatur minor: per cambium cum recambio in primo casu expressum, jam Campfor hic Neapoli sublevat Campfarij onere, & periculo illam pecuniam Romam asportandi, & etiam tutum facit de sua pecunia, quam revera Romæ accipit à Correspondente Campforis: Sicut pariter sublevat onere suæ pecuniæ accipiendæ Mediolani per recambium ejusdem pecuniæ factum nomine ipsius Campforis: Ergo &c.

Dixi, quòd Campfor possit lucrum acquirere tot vicibus, quot cambium celebrat; quia cambium cum recambio in hoc sensu, æquivaleret pluribus cambiis realiter localibus, sive celebratis cum pluribus personis, sive cum una tantum persona; sed idem Campfor per plura cambia realia potest plura lucra acquirere, juxta locorum distantiam: Ergo etiam per cambium cum recambio, respectivè ad diversa loca, potest Campfor plura lucra acquirere: vel saltem majus lucrum acquirere propter duplicem assecrationem, & majus onus, quo sublevat Campfarius, propter majorem loci distantiam.

Neque valet, si dicas ad hoc ultimum, quòd sit eadem moneta, quæ recambitur, & ad plu-

ra loca transfertur; adeoque debet esse idem lucrum, quod acquiritur per primum cambium, & non plura lucra, vel majus lucrum.

Non valet, inquam; quia estò sit eadem moneta, quæ recambitur; tamen est æquivalens pluribus, & Campfarius sublevat duplici onere, uno in asportando monetam Romam, & alio in transportando illam Mediolanum.

Estò vel maxime, quia tale cambium est reale, & ex nulla parte fictum; neque ratione dilationis temporis Campfor acquirit lucrum, sed justis titulis supra expositis: Ergo &c.

121 Probatur secunda pars. Ex cambio æquivalenti mutuo, non potest licite Campfor lucrum acquirere; sed cambium illud cum recambio, ratione cujus, post acceptas litteras recambii, solvatur pecunia Campfori, est cambium æquivalens mutuo; imò est ipsum mutuum virtuale: Ergo ex tali cambio cum recambio, ratione cujus, post acceptas litteras recambii, solvitur pecunia Campfori, non potest Campfor licite lucrum acquirere (nisi aliunde Campfor ex justis titulis lucri cessantis, & damni emergentis lucrum petat) Major patet, quia ex mutuo, & ratione mutui non potest lucrum acquiri licite; quia tale lucrum est usura orta ex mutuo virtuali. Probatur minor. Dum Cajo petit à Titio Campfore, ut per suum Procuratorem solvat Petro creditori Caji centum; & deinde Procurator Titii recambit litteras ad Titium, ut exigit centum à Cajo, pro quo ipse solvit Romæ; tunc idem esset, ac si Cajo mutuo peteret à Titio centum, ut satisfaciat suo creditori: Ergo tale cambium cum recambio esset mutuum virtuale. Probatur assumptum antecedentis: tunc à cambio tollitur mutuum de medio, quando pecunia hic numeratur, ut alibi per litteras cambii solvatur, & insuper quando lucrum non acquiritur ob dilationem solutionis; Sed in tali cambio cum recambio non numeratur hic, ut alibi solvatur per litteras cambii; sed alibi numeratur, ut hic solvatur: & insuper cambiens, seu Campfor acquireret lucrum potius ob dilationem solutionis, quàm ex assecratione monetæ: Ergo &c.

Confirmatur hoc: estò in tali cambio habeatur realis solutio Romæ, & extinctio debiti Caji, & insuper ex recambio realis solutio hic Neapoli à Cajo Campfario facta Titio per litteras recambii; tamen primum cambium est fictè factum à Campfore. Non enim videtur Campfor tantæ bonitatis, qui alibi faciat solvere pecuniam ad extinguendum debitum alterius, nisi pro sua securitate, & indemnitate prius hic pecuniam accipiat, ut alibi solvere faciat. Vel si hoc evenit; tunc non ratione cambii facit, sed ratione mutui: Ergo quoties reciperet lucrum, & hoc esset ratione mutui, non licite tale lucrum reciperet.

Estò vel maxime, quia tunc Campfor fingeret,

ret, suum Procuratorem esse simul correspondentem Campforis, & Campfarii: Campforis, quia nomine suo tradit pecuniam Creditori Campfarii; & Campfarii, quatenus recambit pecuniam solutam, solvendam hic Neapoli à Campfario; quod fieri non potest, nisi fingendo in una persona duplicem personam, vel saltem duplex munus: Ergo &c.

122. Probatur secundò directè impugnando rationem Bonacinae, & aliorum. In tantum tale cambium cum recambio non esset illicitum, in quantum estò Campfarius non habeat pecuniam Romæ actù, habet tamen illam in potentia, & in credito apud correspondentem Campforis; sed hæc ratio non tollit de medio cambii cum recambio mutuum cum usura; Ergo tale cambium cum recambio non potest licitè fieri. Major est ratio potissima, quam adducit Bonacina, Probatur minor: in cambio ficto, estò Campfarius non habeat alibi pecuniam actù, habet tamen illam in potentia, & in credito apud Campforem; & tamen cambium fictum non tollit de medio mutuum cum usura, ut dictum est: Ergo quamvis Campfarius habeat tantum in potentia, & in credito correspondentis Campforis Romæ pecuniam, non per hoc tollitur de medio talis cambii mutuum cum usura. Probatur consequentia; nam idem esset pecuniam Campfarii esse in potentia, & credito correspondentis Campforis, ac in potentia, & credito ipsius Campforis; quia pecunia illa, quam Romæ solvit respondens Campforis, & recambit, est ipsamet pecunia Campforis: Ergo &c.

Neque obstat, quòd in tali casu Campfor non acciperet lucrum ob dilatam solutionem; adeoque neque ratione mutui; sed solum quia sublevat Campfarium ab onere transferendi pecuniam, & ob assecurationem Campfario præstitam. Non valet, inquam, nam prius Doctores oppositæ opinionis debent tollere mutuum virtuale de medio cambii, & postea ostendere, titulos illos esse justos acquirendi lucrum. Ex doctrina inter arguendum adducta, satis, & efficaciter probatur, in tali cambio, & recambio intervenire mutuum. Neque illi tituli, scilicet sublevatio oneris, & assecratio pecuniæ, sunt justis, quando contractus est illicitus, sed solum sunt justis in contractu licito. Si objectio adversariorum valeret, posset Campfor in quocunque cambio ficto licitè acquirere lucrum ex illis titulis; quia Campfor fictè cambiendò sublevat Campfarium onere alibi solvendi pecuniam, ubi revera non habet, & etiam eundem assecurat de ipsa pecunia, si alibi esset solvenda; & tamen nemo dicit, hujusmodi titulos liberare Campforem in fictis cambiis ab usura. Idem etiam dicendum est in casu nostro.

123. Ex his doctrinis facile colligi potest, quando cambium cum recambio sit licitum,

& quando non sit licitum, Tunc est licitum, quando interveniunt omnes conditiones supra recensitæ, & nulla sit fictio ex parte Campforis, sive dantis, sive recipientis pecuniam. Illicitum est, quando tales conditiones non interveniunt, & insuper sit fictio ex parte Campforis. Et ex iisdem doctrinis bene consideratis facile solvuntur omnes casus conscientie in hac materia cambii.

## QVÆSTIO QVARTADECIMA.

### De Censu.

*An census licitè emi, vel vendi possit?*

UT naturam, & quidditatem census clariùs examinemus, supponendum est, censum à Doctoribus definiri, *Quòd sit Jus percipiendi pensionem aliquam ex re alterius utili, & fructifera.* Census hic essentialiter differt à mutuo, & usura; quia per mutuum transfertur tum dominium, tum usus ad mutuatarium, retento jure à mutuatore exigendi rem ipsam mutuatam, elapso tempore contituito ad reddendam pecuniam mutuatam; & ne sit usurarium, exerceri debet absque lucro, usque ad tempus redditionis rei mutuatae inclusivè. Usura est lucrum acceptum ex mutuo, vi mutui, sive pactum interveniat, sive non. Census verò, quamvis dicat lucrum annuale, tamen censualista non retinet dominium rei, sed solum ex re alterius, in qua census est fundatus, habet jus percipiendi, & percipit pensionem aliquam. Unde propriè census diceretur emptio, & venditio, seu commutatio pecuniæ, non in ipsam rem, sed in fructus alterius rei. Ex hoc etiam, quòd censualista non habeat dominium, nec proprietatis, nec utile supra rem, ubi fundatus est census, sed solum jus exigendi pensionem ex illa re, habet differre à contractu emphyteutico; nam hic contractus relinquit dominium directum, & proprietatis apud concedentem, solo dominio utili, & usufructu retento ab emphyteuta.

124. Ex eo autem, quòd censuarius dominium tam utile, quàm directum habeat rei, supra quam fundatus est census, & solum jus exigendi pensionem ex illa re sit apud censualistam, deducimus, quòd si res melioratur, domino illius rei melioratur. Si verò deterioratur, utriusque deterioratur; & si perit, utriusque perit; quia censualista non habet jus in personam censuarii, neque in aliam rem censuarii, sed solum habet jus exigendi pensionem ex illa re, in qua fundatus est census. Propter hanc etiam rationem ab aliis contractibus seceratur census; præsertim ab emptione, & mutuo; ab emptione, quia facta translatione domini per tradi-

traditionem à venditore ad emptorem, si res perit, emptori perit; si melioratur, emptori melioratur. Secernitur à mutuo, quia si res mutuata perit, non perit mutuatori, sed mutuuario, & si melioratur mutuuario melioratur; & ulterius, quia mutuum respicit personam, & res omnes mutuarii. Et tandem à mutuo differt, quia in potestate mutuantis est, pecuniam mutuo datam, quodcumque voluerit, recipere: non sic in potestate censualistæ est, petere summam solutam pro censu ab ipso empto; sed in sola potestate vendentis census est, reddere summam illam acceptam pro venditione census.

125 Advertendum est tamen, quòd si census sit consignativus realis, non respicit personam, sed solam rem, supra quam fundatus est census: Secus verò dicendum si est personalis, vel mixtus, ex quo fit, tripliciter sumi posse censum consignativum (de quo in præfenti est sermo.) Alius est census realis, qui fundatur supra rem aliquam, ut domum, vineam &c. Alius personalis, qui est supra personam, non præcisè ut persona est, sed quatenus sua industria potest aliquid lucrari. Et alius est mixtus, qui est super rem, & personam, ita ut, si res pereat, remaneat persona obligata ad solvendam pensionem. Hi duo ultimi census, personalis scilicet, & mixtus, quamvis jure naturæ tenebantur ut validi à Doctoribus, jure tamen Canonico sunt omninò invalidi: ut patet ex Bulla Pii V. Romæ publicata die 29. Januarii 1569. quæ incipit *Cum omnis*: quam Bullam relinquo videndam in Bullario Romano, & solùm ex ea hic appono condiciones requisitas ad valorem census, ne fiat usurarius, contentas in præfata Bulla.

126 Prima conditio est, quòd census constituatur super re immobili, vel habita pro immobili: Et ex hac prima conditione invalidantur census personales, & mixti; qui non fundantur super re immobili.

Secunda, quòd census non possit celebrari, nisi à censualista numeretur pecunia pro census emptione, & quidem in actu celebrationis instrumenti coram Notario, & Testibus.

Tertia, quòd censualista non possit pactum inire, ut censuarius anticipatè solvat censum; sed solùm pensio census solvenda est, vel elapsò anno, vel post semestre.

Quarta, quòd si res, in qua fundatus est census, perit casu fortuito, etiam census pereat; nec possit obligari censuarius ad casus fortuitos, ut si res perit, teneatur censuarius solvere pensionem; quia hoc expressè damnatur in Bulla citata.

Quinta, quòd non fiat pactum cum censuario restringens ipsius libertatem, ut non possit rem illam, in qua fundatus est census, alienare.

Sexta, quòd dominus rei, in qua fundatus est census, volens rem illam vendere, debeat

admonere censuatorem, qui, si velit rem illam emere, præferendus erit ceteris emptoribus. Hæc conditio fuit appositæ in favorem censualistæ.

Septima, quòd non fiat pactum, quòd si censuarius non solvat tempore præfixo, teneatur solvere interesse, & lucrum cessans; aut amittat rem censui subjectam. Et hoc fecit supradictus Pontifex, ad tollendam occasionem damni, & injuriæ, quam patiebantur censuarii non solventes censum. Vbi est notandum, quòd nõ posito pacto expresso, & aliunde si culpabiliter censuarius sit in mora solvendi pensionem, teneatur ad damnum, & interesse, & possit à Censualista compelli. Hoc tenetur à Fabro, Navarro; Bonacina, & aliis.

Octava, quòd pretium semel constitutum de pensione accipienda non possit quacumque de causa augeri, vel minui, vel per meliorationem, vel deteriorationem rei, supra quam fundatus est census.

Nona, quòd censuarius habeat libertatem pro suo libito redimendi censum, restituito eodem pretio (quocumque pacto non obstante) Per hanc conditionem excluduntur census irredimibiles; sicut etiam census perpetui, ubi à censualista fiat pactum cum censuario de nunquam redimendo censum: & hoc ad removenda jurgia, & lites, quæ oriri possunt in futurum.

Decima, quòd censuarius non possit arctari ad restituendum censum, quamvis possit ipse pro suo libito censum redimere. Ubi ad redimendum censum tenetur censuarius monere Censualistam per duos menses ante redemptionem census, se velle censum redimere.

Undecima, quòd non constituatur novus census supra eandem rem, aut aliam pro censibus temporis præteriti, vel futuri. Ex quibus conditionibus

Advertendum est, omnes illos census aliter celebratos, in quibus istæ conditiones non interveniunt, esse omninò usurarios, quòd patet ex illa clausula præfate Bullæ: *Contractusque sub alia forma posthac celebrandos fœneratios judicamus*. Quapropter, ut census sit validus, supradictæ conditiones omninò servandæ sunt.

His omnibus notatis, quòd quæritur in præfenti est, an licitè possit census emi, vel vendi. V. G. sit Titius censualista habens censum, seu pensionem super domum Caii, quæritur, an Titius possit hujusmodi pensionem vendere, & alius possit licitè eam emere. Et pro resolutione

*DICO*, attentis conditionibus supra expositis in bulla Pii V. posse censum licitè emi, & vendi. Conclusio hæc est contra antiquos Theologos, & Juristas, & est communis inter doctores, & probabilior.

127 Probatur primò. Quando quis licitum jus habet exigendi aliquid, in ejus potestate est tale

tale jus alienare per venditionis contractum; & tale jus ab alio licite emi potest; Sed censuator habet licitum jus exigendi censum fundatum in re immobili alterius personæ; Ergo potest illud jus licite vendere, & alius licite emere. Minor patet; quia census est jus exigendi pensionem ex re immobili alterius. Probatur major primo; quando quis habet jus licitum exigendi aliquid ex aliqua re, in ejus potestate est, tale jus alteri donare, & in potestate alterius est, illam donationem acceptare; sed quando in potestate alicujus est jus donare, in ejus potestate est etiam illud vendere; & in potestate alterius est illud emere: Ergo &c. Probatur minor, quia sicuti jus non potest vendi, nisi sit proprium venditoris, ita neque potest donari, nisi sit proprium donatoris: Ergo quando quis habet potestatem donandi jus, quod est suum, habet etiam potestatem illud vendendi. Probatur secundo eadem major: potest quis vendere jus, quod habet in fructus, & redditus provenientes ex propria re, ut patet de fructibus provenienti- bus ex proprio agro, vinea &c. Ergo etiam potest vendere jus, quod habet in fructus rei alienæ. Probatur consequentia, quia vendendo fructus ex propria re, vendit tantum jus ad fructus illius rei, retento dominio rei: Ergo vendendo fructus alterius, ad quos jus habet, vendit Jus ad fructus, salvo dominio apud dominum illius rei; Ergo &c.

128 Probatur secundo. Omnis ille contractus, qui ex natura rei est licitus, & servat omnes condiciones requisitas ad valorem contractus, nec est jure Canonico prohibitus, licite potest emi, & vendi; Sed contractus censuali in quo servantur omnes condiciones ad valorem contractus, non est jure Canonico prohibitus; imò admissus (servatis conditionibus expositis in Bulla citata, & aliorum Summorum Pontificum): Ergo contractus censuali potest licite vendi, & emi.

Eò vel maxime, quia census, qui est jus ad aliquam utilitatem percipiendam, est pretio æstimabilis; sed jus, quod ex natura sua est pretio æstimabile, & non prohibitum jure Canonico, potest licite emi, vel vendi: Ergo &c.

### Solvuntur Objectiones.

129 **O**bjicies primo: Illud Jus, quod quis acquirit ex usurario contractu, non potest licite emi, & vendi; sed Jus, quod habet censuator circa fructus rei manentis sub dominio alterius, provenit ex contractu usurario: Ergo non potest tale jus licite vendi, & emi. Major patet in quaestionibus de usura. Probatur minor: Jus, quod habet censuator circa fructus rei manentis sub dominio alterius, est Jus acquisitum ex usura ultra sortem principalem datam censuario: Ergo est jus

proveniens à contractu usurario. Probatur antecedens, nam si quis daret centum Cajo supra agrum, vel domum ipsius Caji, & pro fructibus illius pecuniæ accipiat quinque annuatim; intra triginta annos, ultra centum, quod est fors principalis, accipit alia quinquaginta aurea; sed accipere ultra sortem est usura: Ergo Jus ad illa quinque annuatim, est Jus proveniens ex usura: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, & antecedens probationis, ad cujus probationem admissio casu, distinetur, minorem: sed accipere ultra sortem, ex mutuo, & vi mutui, est usura, concedo minorem; accipere ultra sortem ex contractu censuali, nego minorem, & consequentiam. Certissimum est, & constat ex dictis de usura, Jus, quod quis acquirit ad fructus, ultra sortem principalem ratione mutui, esse Jus usurarium; ac per consequens non posse licite emi, & vendi; quia cum tale Jus esset lucrum, vel ex lucro acquisitum vi mutui; esset usura: Et idcirco Pius V. in sua Bulla apposuit illa verba: *Contractus sub alia forma celebrandos, fœneratios judicamus*. Ac quando Jus acquiritur ex contractu censuali, servante omnes condiciones requisitas ad valorem contractus, & illas positas in supradicta Bulla, Jus illud non est usurarium: Et tunc potest à proprio domino rei vendi Jus, quod ex natura rei habet circa fructus illius rei, & ab alio licite emi; ita poterit ab acquirente Jus ad tales fructus licite tale Jus vendi.

Dices: hujusmodi contractus in prima sui emptione, est usurarius; Ergo semper Jus ad fructus rei manentis sub alterius dominio est usurarium. Probatur antecedens: hujusmodi contractus in prima sui emptione involvit lucrum supra sortem principalem datam censuario, quasi ex mutuo; ut si Petrus daret Cajo centum supra suam domum, si Petrus acciperet fructus à Cajo, hujusmodi fructus in Petro essent lucrum, quasi ex mutuo: Ergo &c.

Respondetur negando antecedens, cum antecedente probationis. Unde dico, quòd dum Petrus tradit centum Cajo fundandum in sua domo, vel vinea, vel agro (quod est dare ad censum); non tradit talem summam ad mutuum, vel quasi ad mutuum: nam dare ad censum non est idem, ac dare ad mutuum. In mutuo namque, ut dictum est, liberè potest mutuator petere à mutuatario sortem principalem, non solum post terminum præfixum, sed si mutuator sua pecunia indigeat, etiam potest petere ante terminum præfixum. Ac non ita evenit in contractu censuali; nam estò sit liberum censuario redimere censum supra rem suam, tamen non potest censuator pro quacunque sua necessitate petere sortem principalem; & idcirco dicimus, posse Jus ad pensionem illam proveniente ex contractu censuali licite vendere. Et ulterius, si perit res, in qua funda-



fundatus est census, perit ipsi censuatori, quoad exigendam pensionem, & non censuario, At in mutuo res mutuata non perit mutuatori, sed mutuatario: & semper est obligata persona cum omnibus rebus suis, ad reddendam sortem principalem.

130 Obijcies secundo ad idem: In tantum non interveniret mutuum virtuale in contractu censuali, in quantum mutuum servat diversas condiciones à contractu censuali; sed hæc diversitas conditionum non variat quoad substantiam contractum censualem à mutuo usurario: Ergo census non differt essentialiter à mutuo; sed quando ex mutuo, & vi mutui acquiritur lucrum ultra sortem, contractus est illicitus: Ergo contractus censualis est illicitus. Probat minor: diversitas illa conditionum non facit, quin uterque contractus intendat lucrum acquirendum ultra sortem; sed lucrum acquirendum ultra sortem non habet variare substantiam utriusque contractus: Ergo &c. Probat major, quia tam usurarie mutuans intendit lucrum, quam qui dat ad censum; cum hoc solo discrimine, quod mutuator constituit tempus mutuatariorum solvendi, & reddendi sortem principalem, eamque repetendi; censuator vero non potest petere sortem principalem, nec constituere tempus: hæc autem circumstantiæ solum variant mutuum ad tempus indeterminatum, vel determinatum; Ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dist. majorem: quod uterque contractus non intendat lucrum ultra sortem, eodem titulo, nego majorem: diverso titulo, concedo majorem, & eodem modo distincta minori, nego consequentiam. Et eodem modo dico ad probationem. Potest dupliciter lucrum intendi, vel vi mutui præcisè, vel titulo emptionis. Si lucrum intendatur vi mutui præcisè, tunc tale lucrum est usura, & contractus, unde oritur, est usurarius. Si vero non intendatur præcisè vi mutui, sed titulo emptionis, tunc lucrum illud non est usura; aliàs nullus contractus emptionis, & venditionis posset licitè fieri; neque contractus cum pacto de retrovendendo posset licitè celebrari: quod est falsum, ut proprio loco dictum est. Et quia tituli acquirendi lucrum habent variare contractus quoad substantiam, hinc est, quod titulus emptionis, vi cuius censualista emit pensionem, seu censum supra rem alterius, variat substantialiter censum à mutuo usurario, quod lucrum intendit vi mutui præcisè. Ultraquamquod illæ conditiones inter arguendum assignatæ etiam habent variare contractus illos substantialiter, ut supra num. 124. dictum est.

### QUÆRES PRIMO.

*An si res, in qua est fundatus census, sit divisa in duos dominos, possit Censualista in solidum ab utroque exigere pensionem; vel medietatem ab uno, & medietatem ab alio?*

**A**nte hujus dubii resolutionem, notanda sunt verba illa Bullæ Pii V. *Vbi autem res vendenda sit, volumus dominum census omnibus aliis præferri.* Ex quibus supponunt Doctores omnes, quod si Censuarius velit vendere rem illam, supra quam est fundatus census, debeat admonere Censualistam de tali venditione, & ipsum præferre, si velit rem illam emere. Unde deducunt, quod si non admoneat Censualistam, tunc possit hic compellere Censuarium in judicio, & ab eo exigere censum. Hoc enim facere potest, ratione prælationis, quam habet in illam, tum jure naturæ, ob majorem congruitatem ortam à fructu, quem habet supra rem illam, tum jure canonico expresso in illis verbis Bullæ.

Suppono insuper, Censuarium (admonito prius Censuatore, & hoc recusante emere rem, supra quam sit fundatus census) posse licitè non solum uni, sed pluribus vendere rem illam, imposito eumentibus onere solvendi annualem pensionem. In quo casu Censuarius eximeretur à solutione census. Solum quod quæritur est, an si ad duas personas sit translatum dominium illius rei, in qua est fundatus census, debeat Censualista ab utraque persona exigere censum in solidum, vel partem census ab una, & partem ab altera. Pro hujus dubii resolutione

*DICO*: quando census est fundatus supra totam rem indivisibiliter, tunc Censualista debet petere pensionem ab utraque persona in solidum (quævis personæ) illæ re illam dividerent, ita ut una pars sit unius, altera alterius. Si vero non est fundatus census supra totam rem indivisibiliter, sed divisibiliter, tunc Censualista ab una persona debet exigere partem census, & alteram partem ab altera persona. Conclusio hæc habet conciliare duas oppositas Doctorum opiniones. Et

131 Probat prima pars: Jus, quod habet Censualista supra fructus rei indivisibiliter inspectæ, est jus indivisibile; sed quando Jus est indivisibile, indivisibiliter exigitur à Debitore; & si plures efficiuntur Debitores, in solidum tenentur: Ergo in tali casu Censualista potest petere pensionem ab utraque persona in solidum. Major patet, quia tale Jus est apud unum dominum utilem, seu Usufructuarium, ac Censualistam. Probat minor, & simul explicatur hoc exemplo: Petrus Censualista fundavit censum ex numerata pecunia supra domum Caii cõpositam ex duabus habitationibus; & quidem censum fundavit supra omnia membra illius domus. Dum Caius venderet unam habitationem illius domus Titio, & supra

alteram Martino; tunc Jus censuale fundatum supra totam domum indivisibiliter inspectam obligat in solidum Titium, & Martinum ad satisfaciendum Juri, quod ad fructus illius domus Petrus habet: Ergo &c, Probatur assumptum; nam si non obligaret in solidum Titium, & Martinum, posset habitatio superior illius domus deteriorari, vel dirui, cum partiali damno censualistæ; quia perderet partem pensionis; Ergo cum hoc evenire non possit per venditionem rei divisæ ad dominium duarum personarum; deberet in tali casu petere totum censum à domino alterius habitationis illius domus: Ergo &c.

Propter hoc dixi in conclusione (præsertim si res empta à duabus personis divideretur in duplex dominium) quia tunc, estò domini totius domus sint divisi, debitum tamen est in tota domo indivisibiliter, & sic erit in solidum. Ut patet de duobus Mercatoribus ementibus credita pecunia rem aliquam à Cajo, cum obligatione in solidum reddendi justum pretium, ita ut si unus ex illis Mercatoribus deficeret, teneretur alter reddere totum debitum, seu pretium venditori. Ita etiam in casu nostro, quia censualistam dando ad censum, contractu emptionis emeret illam pensionem; adeoque &c.

Confirmatur hoc: Si multiplicarentur hæredes illius domus, supra quam est fundatus census, omnes simul, & in solidum hæredes tenerentur solvere pensionem censualistæ: Ergo idem dicendum, si multiplicatis personis illa domus venderetur. Antecedens est consonum Leg. 2. §. ex his fide verborum significatione. Consequentia probatur, quia illi hæredes se haberent, imò essent plures domini, & possent inter se domum illam dividere: Ergo idem dicendum est in casu nostro.

133 Probatur secunda pars: Quando census est fundatus supra partem rei, tunc pro illa parte rei tenetur dominus pensionem solvere: Ergo quando tota res simul venditur à censuario pluribus personis, non potest censualista ab illis in solidum pensionem exigere. Probatur consequentia: vel Ementes rem illam, V. G. domum, simul emerent, vel unus unam partem, & alter aliam partem. Si primum, quia in una parte est fundatus census, non posset in solidum pro tota domo solvere pensionem, sed deberent solvere eo modo, quo se se concordarent. Si verò unus emit unam partem, & alter alteram partem, tunc tantum teneretur solvere pensionem ille, qui emit illam partem, in qua fundatus est census: Ergo &c. Adverto tamen, quòd si census est fundatus in tota domo divisibiliter, ita ut pars census sit in una parte domus, & pars altera in altera parte, quando tota domus transit in dominum duorum, tunc unus debet solvere pro rata suam partem, & alter alteram partem. Ut V. G. Si Titius acciperet à Cajo centum pro fundo

suæ domus; & post aliquod tempus aliã summã centenariam, eam fundando supra superiorem partem suæ domus; tunc Cajus pro prima summa ceteraria debet pensionem exigere supra fundum domus, cui correspondet pars inferior domus; & pro alia summa deberet exigere pensionem supra partem superiorem. Ex quo fit, quòd si à Titio domus illa venderetur (admonito prius censualista, & ipso recusante, & nolente domum illam emere) & quidem pluribus personis, tunc Cajus censualista partem census deberet ab una persona exigere, & partem alteram ab altera persona. Ratio est, quia sicuti Jus Caji ad exigendam pensionem fuit divisibile, imò divisum in duas partes domus, ita etiam debitum fuit divisum: Ergo dum illa domus trãsit in dominium duorum, non potest censualista ab illis pensionem exigere in solidum, sed partem pensionis ab una persona, & partem ab altera.

Ex his, conciliatis Doctorum opinionibus, facile poterit quis solvere omnia argumenta contra utramque partem conclusionis.

QUÆRES SECUNDO.

*An Mons Pietatis sit licitus?*

**D**E Monte Pietatis plures olim ortæ fuerunt controversiæ inter Doctores. Nam quidam affirmabant, esse omninò illicitum, & usurarium; quia non obitante pignore accepto à mutuante pro assicuranda sorte principali, & ad præfixum tempus, acciperet etiam lucrum. At pro intelligentia hujus Montis Pietatis, & ejusdem validitate, recursum habuerunt Doctores ad plures summos Pontifices, & præsertim ad Leonem X. qui cognita validitate, justitia simul, & pietate hujus Montis, in constitutione, quæ incipit *Inter multiplices*, decrevit, hunc Montem esse licitum, & ex nulla parte usurarium; damnando insuper eos, qui oppositum affirmaverint in posterum, vel publicè prædicaverint, eos excommunicando excommunicatione late sententiæ. Tenor præfatæ Bullæ se habet, ut sequitur:

133 *Sacro approbante Concilio declaramus, & definimus, Montes Pietatis antedictos per Respublicas institutos, & auctoritate Sedis Apostolicæ hæcenus probatos, & confirmatos, in quibus pro eorum impensis, & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, & altarum rerum ad illorum conservationem (ut præfertur) pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat, ultra sortem, absque lucro eorundem montium, recipitur: neque speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare, neque ullo pacto improbari, quinimò meritorium esse, ac laudari, & probari debere, tale mutuum minimè usurarium putari, licetque illorum pietatem, & misericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentiis, à Sancta Sede Apostolica eam ob causam concessis*

Q

siis

fis ; ac deinceps alios etiam similes Montes cum Apostolica Sedis approbatione erigi posse . Multò tamen perfectius, multòque sanctius fore , si omnino tales Montes gratuiti constituerentur , hoc est, si illos erigentes , aliquos census assignarent, quibus si non omni, saltem vel mediâ ex parte, hujusmodi montium ministrorum solverentur impenſe, ut ad levioſerem aris solvendi portionem, medio hoc, pauperes gravari contingat; ad quos cum hujusmodi census assignatione pro impensarum supportatione erigendos, Christi fideles majoribus indulgentiis invitandos esse decernimus ; omnes autem Religiosos, & Ecclesiasticos, ac seculares personas, qui contra presentis declarationis, & Sanctionis formam de cetero predicave, seu disputare, verbo, vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis lata sententia pœnam, privilegio quocunque non obstante, incurrere volumus . Non obstantibus &c.

134 Ex his verbis supradictæ Bullæ colligitur tres conditiones requiri, ad hoc, ut Mons Pietatis sit licitus . Prima, ut pecunia, quæ datur indigentibus, sit determinatæ summæ, & ad determinatum tempus reddenda . Secunda, quòd si talis pecunia certo tempore non sit restituta, poterit Mons Pietatis vendere pignus, recipiendo pro seipſo pretium cum intereſſe; & quòd de pignore superest, restituatur Domino pignoris . Tertia est, quòd mutuarius, qui pecuniam à Monte accepit, aliquid singulis mensibus, vel annis solvat pro expensis ipsius Montis . Hæc ultima conditio est expressè deducta ex supradicta Bulla . Prima verò, & secunda ponuntur à Doctõribus, ad salvandam indemnitate Montis, quem vult Pontifex indemnem servari . Itaque Mons Pietatis nil aliud est, quàm summa pecuniæ, vel frumenti, olei &c. publicè deputatæ ad subveniendum pauperibus; cum hoc tamen, quòd pauperes accipiant à Monte ad mutuum, tradendo ipsi Monti, seu administratoribus Montis pignus ad certum, & determinatum tempus, aliquid lucri conferendo ministris pro eorum laboribus ; His notatis, pro quæſiti resolutione

DICO, Montem Pietatis esse licitum, servatis conditionibus in citata Bulla expressis . Conclusio est juxta mentem citati Pontificis; & oppositum est damnatum . Tenetur ab omnibus Doctõribus, & Canonistis, qui scripserunt post illam Bullam, & à multis aliis ante emanationem Bullæ.

135 Probatum primò, verbis expressis in citata Bulla . Secundò ratione deducta ex illis verbis: Ille contractus est licitus, & non usurarius, estò ex mutuo proveniat, in quo non acquiritur lucrum præcisè vi mutui, & propter dilationem temporis in solvendo ; sed in Monte Pietatis non acquiritur lucrum præcisè vi mutui, & propter dilationem temporis in solvendo ; Ergo Mons Pietatis est licitus contractus, & non Usurarius . Major patet ex dictis.

de mutuo, & usura . Probatum minor : lucrum, quod accipitur in Monte Pietatis, est propter impensas ministrorum, ut colligitur ex citata Bulla, & non ad augendum Montem ipsum; sed quoties acquiritur lucrum propter impensas, & labores ministrorum, non acquiritur vi mutui præcisè, & ob dilationem solutionis; Ergo &c.

Est vel maximè, quia hujusmodi impensæ, & labores sunt pretio æstimabiles ; sed pro eo, quod est pretio æstimabile, potest lucrum acquiri; Ergo in Monte Pietatis pro impensis, & laboribus ministrorum potest lucrum acquiri . Advertendum est, quòd hoc lucrum taxari debet à Principe, juxta prudentum æſtimationem.

Dices : si mutuator daret mutuos centum, animo recipiendi lucrum, nullo interveniente titulo lucri cessantis, damni emergentis, vel periculi amittendi capitale, etiam si nullum apud se retineret pignus pro sortis assecuratione, sed tantum scripturam receptam à mutuuario, committeret usuram, ex sola lucri acquisitione ; Ergo multò magis in Monte Pietatis committitur usura . Probatum consequentia, quia in hujusmodi Monte non possunt illi tituli lucri cessantis, & damni emergentis intervenire ; cum pecunia illa non sit negotiationi applicanda, sed tantum mutuo tradenda ; neque potest intervenire periculum amittendi capitale ; quia pro ejus assecuratione à ministris Montis accipitur pignus superans in pretio pecuniam à mutuuario receptam ; Ergo semper lucrum, quod acquireretur per Montem Pietatis, esset usura ; Ergo &c.

Respondetur dist. antecedens ; & lucrum illud esset ob mutuuum præcisè, concedo antecedens ; & esset ob alios justos titulos, nego antecedens, & conseq. Ad cujus probationem dico, quòd in Monte Pietatis, si lucrum, quod acquireretur esset ad augendum Montem, tunc certissimum est, tale mutuuum Montis esse usurarium, ut colligitur ex Bulla . Ac illud lucrum non acquiritur ad augendum Montem, sed tantum ad satisfaciendum laboribus, & impensis ministrorum ; Ultraquamquòd mutuans cum acquisitione lucri vi mutui, intendit lucrum in suum commodum, & est dominus rei mutuandæ; ceterum ministri, qui dant mutuam pecuniam Montis, non sunt domini Montis, seu pecuniæ mutuandæ, sed tantum administratores, qui ad hoc officium sunt positi à Republica, vel à Principe, ut ex ipſo Monte mutuando acquirant lucrum pro impensis, & laboribus ipsorum . Si tandem ministri lucrum acciperent, mutuam dando pecuniam Montis pro ipsius Montis augmento, tunc utique Mons esset usurarius.

136 Ex his infero, ultra Montem Pietatis simplicem, & purum, qui conflatur ex pecunia, vel aliis rebus traditis in elemosynâ ad subvenien-

veniendum pauperibus, dari etiam Montem Pietatis mixtum, ex collectione scilicet pecuniarum, & rerum in elemosynam traditarum, atque ex collectione pecuniarum particularium personarum, quæ conferunt illas, ad augendum Montem, pro majori pauperum concursu. Hic autem Mons mixtus licitus est, juxta doctrinam Azorii, Molinæ, Bonacinæ, & aliorum. Et ratio est, quia qui dant pecuniam Monti, ut præcisè augeatur ob sublevationem pauperum, quando præsertim pecunia gratis donata in erectione Montis, nõ esset sufficiens, propter pauperum concursum, non intendit præcisè lucrum ex mutuo, sed pauperum sublevationem. Ultraquamquod in tali mutuo duo alii justii tituli possunt intervenire, scilicet lucrum cessans, & damnum emergens; & quia hujusmodi tituli excusant ab usura, ideo non committeretur usura ab illo, qui pecuniam deponeret in loco Montis; adeoque licitè constitui potest, Mons Pietatis mixtus modo supra explicato.

137 Pro complemento tandem hujus contractus censualis adverto, quod si Princeps, vel Communitas egerent pecunia subditorum, vel particularium personarum, vel pro bellantium sustentatione, vel pro alia necessitate, tunc posset Princeps, vel Communitas cogere subditos, & particulares personas, ut solvant pecuniam, qua Princeps, vel Communitas egeret, dando ipsis subditis quatuor, vel quinque pro centum, usque ad restitutionem capitalis. Hoc autem idem esset, ac si subditi super rebus immobilibus Principis, aut Communitatis suam pecuniam traderent ad cæsum (servatis tamen omnibus conditionibus positis in Bulla Pii V.) Neque coactio illa facta à Principe, vel Communitate tolleretur omnimodam libertatem subditorum requisitam ad validitatem contractus: tum quia subditi tenentur pro necessitate Principis, & Reipublicæ. Tum etiam quia recipiunt justam pensionem annualem ex pecunia data, ac solvunt quod salvat libertatem in tali contractu. De hac materia, sicut de Monte Pietatis, plurimè videnda sunt apud Azor. Navarrum, & Lessium: quæ tamen omnia ex doctrina nunc usque tradita facillè intelliguntur, & si quæ alia sunt objecta, solvuntur.



QVÆSTIO QVINTADECIMA.

De Societate.

*An contractus societatis sit licitus, quando, affe-curata Sorte unius Socii, alter teneatur certum lucrum minus, pro majori incerto solvere?*

AD hujusmodi Societatis contractum licitè faciendum, ultra tres condiciones communes omnibus contractibus (quod scilicet contrahentes sint domini rerum, quæ contrahuntur; quod non sit dolus, vel fraus ex parte ullius ex contrahentibus; & quod servetur æqualitas inter ipsos contrahentes) requiruntur ulterius aliæ condiciones speciales. Prima conditio est, ut pecunia exposita maneat periculo exponentis, si casu fortuito pereat; quia suæ pecuniæ dominus est, quamvis sit posita in Societatem; licet, dum pecunia illa manet in Societate, usum illius non habeat, sed maneat penes omnes socios, ad commune lucrum. Secunda conditio est, quod singuli Socii conferant aliquid de proprio in commune pro exercenda negotiatione, sive hoc proprium sit pecunia, sive labor, sive industria. His positis, deducunt Doctores ex L. I. ff. Pro Socio, & inst. de Societate, Societatem definiri, *Quod sit Contractus seu duorum, vel plurium conventio, contribuendi aliquid ad commune lucrum.*

138 Notandum est, ad divisionem lucri faciendam inter Socios hunc modum servandam esse, quod nempe, deductis expensis, & damnis passis, & sorte principali restituenda propriis dominis, lucrum, quod superest, pro æquali parte dividendum sit; servata tamen geometrica proportione, ut inter Socios servetur æqualitas; ita ut qui plus dedit in Societatem plus lucri accipiat, & qui minus dedit, minus accipiat. V. G. sint Titius, & Cajus in Societatem uniti pro aliqua negotiatione facienda. Ponat Titius bis mille aureos; Cajus verò mille. Si ex ter mille aureis in Societatem positis acquiratur lucrum tercentum aureorum, tunc ut inter ipsos servetur æqualitas, facienda est divisio ex proportione geometrica; quod scilicet Titius, qui posuit pro capitali bis mille aureos accipiat bis centum pro sua parte lucri; & Cajus, qui posuit tantum mille, accipiat pro sua parte tantum centum. Si aliter fiat divisio, Titius gravamè pateretur, nam si in tali contractu evenisset damnum, fuisset magis damnificatus Titius, quàm Cajus, quia Titius majorè summam posuit in Societatem. Hæc doctrina colligitur ex L. Si non fuerit.

rit. ff. pro Socio . Et ex inst. de Societ. vers. Et quidem .

- 139 Notandum est insuper, damnum, & expensas, quæ occurrere possunt in contractu societatis, posse dupliciter considerari: vel ut causantur ab uno ex consociis; vel ut fortuito eveniunt. Damnum, & expensæ, quæ fortuito occurrunt (vel ratione inevitabilis periculi in mercibus è longinquo asportandis, ad quod magnæ requiruntur expensæ in conferendo stipendium famulis pro mercibus assecurandis, ne ipsas Latrones furentur) utrisque sociis communia sunt. Si verò causantur ab uno ex consociis, ut si causa sui, quam posset, vel potuisset, & debuisset evitare, merces pereant; vel magnæ expensæ pro sua majori commoditate impendantur; tunc damnum pati debet ab illo ipso socio tale damnum causante, & non ab aliis. Ita etiã dicendũ de expensis. Adverto tamen, hoc totum de damno, & expensis esse intelligendum ex natura ipsius contractus societatis; non verò, si aliter inter se convenirent socii, iuxta locorum consuetudinem, & Regnorum pragmaticas. His omnibus prænotatis.

Quod quæritur in præfenti est, an sit licitus contractus, in quo, assecurata sorte unius socii, alter teneatur certum lucrum minus pro incerto majori solvere. Et pro hujus dubii claritate, suppono ex supra notatis num. 138. in divisione lucri inter socios servandam esse geometricam proportionem. In præfenti verò potest efformari casus, quod duo æqualiter ponant pecuniam in societatem. V. G. Titius mille, & Cajus mille; & sit lucrum bis centum, quod debet utrisque dividi: quæritur, an Titius, salva sua sorte principali, possit relinquare tres partes incertas lucri, & unam tantum certam pro seipso; & in hoc casu contractus sit licitus? Vel Titius ponat centum aureos, & Cajus suam industriam, suumque laborem, & ex illo contractu acquiri possit lucrum duodecim aureorum: quæritur, utrum, salva sorte principali Titii cum certo lucro tantum quartæ partis, possit licitè Titius contractum hunc facere cum socio?

- 140 Verum estò hujusmodi contractus oriatur à societate, tamen est contractus Trinus (sic à Bonacina, & aliis vocatus) quatenus involuit tres contractus, scilicet societatis, assecurationis, & venditionis: societatis, quia celebratur ex communi pecunia inter socios: assecurationis, quatenus unus ex sociis sibi assecurat sortem principalem, tradendo duas partes lucri alteri consocio, & unam pro seipso incertam (sicut etiam incertæ essent duæ partes pro altero socio); & tandem venditionis, quatenus unus socius majus lucrum incertum venderet pro minori certo. Ut evidenter demonstraretur hic trinus contractus, sit exemplum. Titius dat Cajò mercatori mille aureos ad societatem, ex qua negotiatione singuli possent spera-

re lucrum centum quinquaginta aureorum. Hic contractus est societatis, quia Titius, & Cajus stant pro lucro, & pro damno. Deinde Titius init contractum cum eodem Cajò, ut assecuret suum capitale indemne, & pro tali assecuratione dat Cajò de illo lucro futuro duas partes, scilicet bis centum. Hic contractus est assecurationis. Tandem init Titius alium contractum cum Cajò, ut emat lucrum illud incertum, quod pro ipso remanet, assecurata sorte principalis, pro lucro certo minori, quod esset pro Titio quinquaginta, vel sexaginta tantum aureorum. Hic contractus à Titio factus cum Cajò esset venditionis; quia venderetur lucrum majus incertum pro minori certo. In hoc casu, ex lucro incerto in solidum tercentum aureorum, solum cum sorte principali essent quinquaginta, vel sexaginta aurea certa pro Titio, & reliqua pro Cajò, licet incerta. His positis, pro quæritiois resolutione

*DICO*, posse licitè fieri contractum societatis, quando, assecurata sorte unius, alter teneatur certum lucrum minus pro majori incerto solvere. Conclusio hæc est plurimum Doctorum, & Canonistarum, Mastrii, Navarri, Molinæ, Lessii, Bonacina, & aliorum, contra Cajetanum, Sotum, Conradum, & alios. Estque magis probabilis inter Doctores, & deducitur ex Scoto in 4. cit. q. 2. art. 2.

- 141 Probatur primo: contractus, qui virtualiter involuit plures contractus, quorum singuli seorsim accepti sunt liciti, dummodo non sit dolus, vel fraus, debet esse contractus licitus; sed hic contractus, ratione cujus unus socius, assecurata sua sorte principalis, alter teneatur certum lucrum minus solvere pro majori incerto, est contractus virtualiter involvens plures contractus, quorum singuli seorsim accepti sunt liciti: Ergo licitè potest fieri contractus societatis, quo, assecurata sorte unius, alter teneatur certum lucrum minus pro majori incerto solvere. Patet major, quia hic contractus est Trinus, virtualiter involvens contractum societatis, assecurationis, & venditionis. Probatur major: eandem naturam. (quando nulla adest ratio, & conditio irritans, & invalidans) quam servant contractus divisivè, & seorsim sumpti, debent etiam servare, dum in uno copulantur contractu; sed nulla esse potest ratio, aut conditio irritans, & invalidans contractum compactum ex pluribus, quorum singuli seorsim sunt liciti: Ergo quando contractus involuit plures contractus, ex quibus copulatur, & singuli seorsim sunt liciti, etiam licitus debet esse contractus ex pluribus compositus, aut plures involvens contractus. Probatur minor: si aliqua esset ratio, aut conditio irritans, & invalidans contractum sic copulatum, hæc esset pactum, quod unus socius iniiret cum alio socio de non recipiendo damno, cui subesset alter socius; & de recipiendo lucro certo, quamvis minori, pro incerto majori;

ris;

ri; sed hæc ratio non probat: Ergo &c. Probatur minor: hoc pactum non interveniret vi simplicis contractus societatis, sed ratione contractuum assicurationis, & venditionis, qui adiuncti sunt contractui societatis: Ergo &c.

Confirmatur hæc ratio, & simul protenditur argumentum. In casu explicato Titius dat mille aureos Cajo ad societatem, & ratione contractus societatis Titius, & Cajo stant ad commune lucrum, & ad commune damnum. Dum deinde Titius inquit pactum de assicurando capitali, pro qua assicuratione relinquit Cajo duas partes incertas pro una incerta contractus hic est assicurationis, qui ut dicemus, licite potest fieri: ut evenit in uno mercatore assurante alterum de sua merce, ratione cuius assicurationis accipit lucrum. Dum tandem inquit pactum vendendi lucrum majus incertum pro minori certo, hic contractus est venditionis, & quidem licitus; cum spes futuri lucri possit licite vendi minori pretio certo: Ergo tamen in exposito casu interveniat pactum, hoc non erit ratione simplicis contractus societatis, sed ratione aliorum contractuum cum societate annexorum; Ergo &c.

142. Probatur secundò. Quando contractus servat æqualitatem ortam ex commutativa iustitia inter contrahentes, est contractus licitus; sed hic contractus, quo, assicurata sorte unius, alter tenetur pro majori lucro incerto minus certum solvere, est contractus servans æqualitatem ortam ex iustitia commutativa inter contrahentes: Ergo talis contractus erit licitus. Probatur minor. Hic contractus, pro ut est societatis, servat proportionem geometricam, quæ facit æqualitatem inter rem, & rem, quæ contrahuntur: pro ut est assicurationis, servat etiam æqualitatem de majori lucro sperando pro minori etiam in speposito; & pro ut est venditionis, servat insuper æqualitatem, quia in contractu venditionis servatur æqualitas, dum lucrum majus incertum venditur pro minori certo; Ergo in tali contractu involvente tres contractus servatur æqualitas orta ex commutativa iustitia.

Confirmatur: quia si isti contractus celebrarentur cum pluribus personis, jam servaretur æqualitas rei ad rem: Ergo etiam dum fiunt inter duas solum personas. Probarur consequentia, quia iustitia commutativa non respicit æqualitatem inter personas, sed solum inter rem, & rem: Ergo quamvis in tali contractu tantum duæ personæ intervenirent, quarum ambæ contrahunt in societatem, deinde una alteram asscurat, & tandem una alteri vendit; jam æqualitas servatur rei ad rem.

143. **O**bjicies primò. In contractu valido, & licito societatis, sicut simul socii stare debent ad commune lucrum, ita etiam stare debent ad commune damnum; sed posito, quod assicurata sorte principalis unius, alter teneatur certum lucrum minus pro majori incerto solvere, jam ambo socii non starent ad commune lucrum, & ad commune damnum: Ergo contractus societatis, in quo, assicurata sorte unius, alter teneatur certum lucrum minus pro majori incerto solvere, non est licitus. Minor patet; nam unus staret pro assicuratione sortis principalis, & certi lucri, licet minoris; & alter pro lucro incerto, & damno. Probatur major: quoties in contractu societatis non deberent socii stare ad commune lucrum, & ad commune damnum, toties variaretur contractus societatis essentialiter; cum illud requiratur ad contractum societatis: Ergo semper socii stare debent ad commune lucrum, & commune damnum.

Responderetur dist. majorem: in contractu valido, & licito societatis, si est simplex, socii stare debent ad commune lucrum, & ad commune damnum, concedo majorem: in contractu societatis, qui non est simplex, sed mixtus, & compactus ex aliis contractibus, nego majorem; & dist. minorem: jam non starent ad commune lucrum, & commune damnum, & hoc esset ratione aliorum contractuum, qui cum contractu societatis copulantur, concedo: & hoc esset ratione simplicis societatis, nego minorem, & consequentiam. Verum est, quod, ut contractus societatis simplex, non admixtus cum aliis sit licitus, & validus, debent socii stare ad commune lucrum, & commune damnum: tamen quando non est simplex, sed mixtus cum aliis contractibus, ut est in proposito, non debent socii stare ad commune lucrum, & commune damnum. Ratio est, quia per secundum contractum, qui est assicurationis, jam alteri socio licite concederetur majus lucrum incertum, vel futurum in spe, pro assicuratione capitalis: & per tertium, qui est (quod licite fieri potest) venditionis, venderetur alteri majus lucrum incertum pro minori certo. Quare ratione contractuum assicurationis, & venditionis non debent socii stare ad commune lucrum, nec ad commune damnum.

Dices: Ergo ratione aliorum contractuum variaretur contractus societatis essentialiter. Probatur consequentia: ratione aliorum contractuum socii non deberent stare ad commune lucrum, & commune damnum; sed contractus societatis essentialiter consistit in hoc, quod, ut servetur æqualitas, socii debeant stare ad commune lucrum, & commune damnum: Ergo jam variaretur essentialiter contractus societatis. Re-



Respondetur negando assumptam consequentiam. Ad cuius probationem dist. majorem: & lucrum esset variatum, quò ad modum participandi tantum, concedo majorem: quò ad substantiam, nego majorem, & dist. minorem: consistit &c. quòd locii debeant stare ad commune lucrum &c. quò ad substantiam, concedo minorem: quò ad modum, nego minorem, & consequentiam. Ne varietur essentialiter contractus societatis, etiam admixtus cum aliis contractibus, assicurationis scilicet, & venditionis, sufficit, ut lucrum sit commune utriq; socio, licet varietur quò ad modum ipsum participandi, quatenus unus socius participet de lucro in minori summa certa, & alter in majori incerta. Participare nanque de lucro communi certè, & incertè, non est variare substantiam contractus societatis, quatenus præscindit à simplici, & à complexo cum aliis contractibus; enimverò sic genericè sumptus essentialiter consistit in consensu mutuo duorum, vel plurium, ad aliquid contribuendum in commune lucrum, & præscindit à participatione pluris, vel minoris, certi, vel incerti; & quidem, si remanet simplex, determinatur ad æqualem participationem; si verò cum assicuratione, & venditione copuletur, justam patitur inæqualitatem, ut evenit in casu.

Dices: Ergo saltem locii non starent ad commune damnum; & ita non servaretur æqualitas geometrica requisita ad contractum societatis; quia unus ex sociis esset assicuratus de capitali, & de lucro certo, & alter staret ad damnum.

Respondetur negando consequentiam; quia quoties socius unus esset assicuratus de capitali, & de parte lucri certi; posita acquisitione majoris lucri ab altero; jam damnum pateretur, nam minoritas illa lucri comparata majoritati ex parte alterius, est damnum tali socio assurato: sicut incertitudo majoritatis lucri est damnum alteri socio assicuratione danti. Servaretur etiã æqualitas geometrica circa lucrum, & damnum; quia spes majoris lucri æquivaleret certo lucro minori; & lucrum minus certum æquivaleret damno incerto ex parte alterius. Quod hæc æqualitas servetur in casu, patet ulterius in contractu emptionis, & venditionis: ut si Titius venderet Cajo merces, quas habet Januæ minori pretio certo, quo valituræ essent hic; tunc periculum, & damnum incertum, quibus posset subijci Cajo, æquivaleret minori pretio certo; sicut etiam lucrum incertum, quod posset Cajo acquirere, lucro certo minori Titii æquivaleret. Ita dicendum est in casu nostro.

144 Obijcies secundò. Contractus, quo, assicurata sorte unius, teneatur alter certum lucrum minus solvere pro majori incerto, est usurarius; sed contractus usurarius est illicitus: Ergo ille contractus trinus, quo scilicet asse-

curata sorte unius, alter teneatur certum lucrum solvere pro minori incerto, non est licitus. Probatur major: Contractus, qui essentialiter est mutuum virtuale, ratione cujus accipitur lucrum, est usurarius; sed mutuum virtuale esset ille contractus: Ergo &c. Probatur minor: per mutuum virtuale transfertur dominium rei in mutuatarium; sed per talem contractum, quo, assicurata sorte unius, alter certum lucrum minus teneatur solvere pro majori incerto, transferretur, dominium rei positæ in societatem ad assicurantem, & non remaneret in contribuyente: Ergo &c. Probatur minor; nam dominus rei censendus est ille, cui perit res, quando contingit, ut pereat; sed si pereat res assicurata, perit assicuranti: Ergo assicurans esset dominus illius rei: Ergo &c.

Deinde: Hæc opinio est contra constitutionem Sixti V. quæ incipit: *Detestabilis avaritia*: Ubi Summus Pontifex determinat, sortem reddendam esse, finita societate, si extet, ei qui eam in commune dedit, & periculum habet, an eadem remaneat; sed hoc nõ eveniret, si assicurata sorte unius, alter teneatur certum lucrum minus pro majori incerto solvere: Ergo &c.

Respondetur ad primum negando majorem, cum minori probationis, & minorem alterius probationis. Unde dico, talem contractum, quo, assicurata sorte unius, alter teneatur minus lucrum certum solvere pro majori incerto, non esse mutuum virtuale, sed verum contractum assicurationis annexum cum societate, & venditione. Verum est, inquam, quòd per mutuum transferatur dominium in mutuatarium, quia hic potest pro libito suo de pecunia, mutuo accepta, disponere; non autem assicurans potest de pecunia in commune lucrum posita pro suo libito disponere. Ad ultimam probationem dico, quòd res, quæ perit, domino perit, quando habetur translatio domini unius in alterum; non verò quando habetur sola assicuratio rei; quia sicuti assicurans stat pro majori lucro, licet incerto; ita ratione assicurationis, si res perit, non perit domino, sed assicuranti; neque per hoc, quòd assicuranti pereat, hic diceretur dominus rei positæ in societatem. Quòd etiam patet in contractibus Depositi, & Commodati: in quibus dominium est apud commodantem, & deponentem; & tamen si res depositata, & commodata pereat, non istis perit, sed perit Depositario, & commodatario: Ita à pari, potest remanere dominium apud dantem ad societatem, licet si res pereat, alteri consocio pereat propter lucrum sperandum, vi assicurationis.

145 Respondetur ad secundum, Pontificem in tali Constitutione loqui de contractu simplici societatis, ubi periculum debet esse commune, etiam quò ad participationem: non verò.

verò de contractu societatis admixto cum alijs contractibus, ratione quorum unus contrahens licetè potest se eximere à damno, & periculo aliquid solvendi pro tali exemptione; quod fieret ratione contractus assicurationis jure communi liciti. Neque Pontifex intendit damnare contractum jure naturæ licitum. Damnat itaque contractum illum, qui communiter dicitur *ad caput saluum*, quo unus socius est tutus de capitali, & damnum pati non videtur; ex quo alter socius gravamen reciperet: ut si Titius daret Cajo centum oves pascendas ab ipso Cajo, & vellet saluum capitale; quia tunc Titius staret pro lucro, & non pro damno, & Cajo pro lucro, & damno, contractus hic esset in damnum Caji; & ideo ut usurarius damnatus fuit in citata Bulla Sixti V. quæ videri potest in Bull. Rom. vel apud Quarant. verbo *Contractus ad caput saluum*.

Dices: quando tres contractus unum componunt, quorum unus est illicitus, licet ceteri sint liciti, complexum est simpliciter illicitum; sed ita se haberet hujusmodi contractus: Ergo &c. Patet major de contractu mohatra supra explicato, qui etiam componitur triplici contractu, scilicet mutui, emptionis, & venditionis; & quia mutuum in tali contractu causaret usuram, ut illicitus fuit damnatus. Probat minor; nam quamvis ex natura sua contractus societatis sit licitus, quando scilicet servat omnes condiciones requisitas, tamen quando intervenit certum lucrum pro incerto, est contractus usurarius: Ergo adjunctus alijs contractibus, habet ceteros contractus sibi adjunctos viciare.

Respondetur negando minorem, & ad probationem dico, in contractu societatis nullum pactum lucri certi pro incerto intervenire, si sumatur seorsim à ceteris, sed si pactum ali-quod interveniret, esset solum de communi lucro incerto, & communi damno, servata geometrica æqualitate. Unde pactum, quod intervenit in casu posito, est ratione aliorum contractuum ipsi societati adjunctorum, in quibus vi assicurationis potest fieri pactum de majori lucro incerto pro indemnitate capitalis; & ratione venditionis potest fieri pactum de venditione majoris lucri incerti pro minori certo. Hoc non evenit in contractu mohatra; cum hic contractus à principio sit illicitus, quia oritur ex mutuo cum usura, & alii quoq; contractus annexi ab usura oriuntur.

146 *PETES. Quomodo facienda sit distributio inter socios, quando unus in societatem posuit tantum labores ex propria persona, & alter totam pecuniam?*

Respondetur dicendo, quod qui posuit totam pecuniam debet totam suam pecuniam accipere, facta separatione societatis, & deinde æqualiter lucrum dividendum est inter socios. Ratio est, quia si aliter fieret distributio, non servaretur æqualitas inter socios; nam

tota summa ab uno posita æquivaleret omnibus laboribus proveniencibus à persona illa, quæ tantum industriam, & laborem posuit.

Eò vel maxime, quia sors principalis, quæ segregari debet, dissoluta societate, est tantum unius personæ, & non alterius. Verum hoc valet de rigore justitiæ, & ad servandam æqualitatem inter socios, Potest tamen aliter evenire juxta usum Regnorum, & Provinciarum, & etiam juxta conventionem factam inter socios.

## QVÆSTIO SEXTADECIMA.

### De Emphyteusi, & Feudo.

#### QVÆRES PRIMO.

*Quæ condiciones requirantur ad valorem Emphyteusis; & quomodo à ceteris contractibus distinguatur?*

**Q**uanquam contractus emphyteuticus, sicut etiam feudalis, ad contractum locationis, & conductionis reducatur, de quo in sequenti quæstione; tamen ab eodem locationis, & conductionis contractu uterque distinguitur; cum speciales ad utrumque contractum concurrant condiciones. Hinc legitur *L. 1. C. de jure emphyteutico*, definiunt emphyteusim, *Quod sit contractus rei immobilis, cujus tantum utile dominium transfertur in accipientem, retento directo apud concedentem, cum pacto certa pensionis proprietario solvenda, in recognitionem domini directi*. Hac definitione admittitur apud omnes Doctores, ratione cujus hic contractus cum ceteris convenit, & à ceteris distinguitur, colligitur ex ea, non esse prorsus idem, contractum emphyteuticum, & feudale.

147 Ex conditionibus specialibus requisitis ad valorem contractus emphyteutici patet differentia inter hunc contractum, & feudalem. Ut sit validus contractus emphyteuticus, requiritur primò, quòd emphyteuta quotannis solvat domino directo rei immobilis acceptæ in emphyteusim, certum canonem, seu pensionem. Secundò requiritur, quòd emphyteuta sit tantum obligatus ad hanc realem pensionem solvendam, & ad meliorationem rei, domus V. G. agri, vineæ &c. in emphyteusim acceptæ. Hæ condiciones sunt speciales pro emphyteusi, & non interveniunt in feudo; cum feudatarius tantum teneatur præstare obsequium personale directo domino, seu proprietario feudi, absq; ulla annua pensione; vel obligatione ad meliorandum feudum. Conveniunt namque hujusmodi contractus emphyteusis, & feudalis in hoc, quòd uterque sit in re immobili cum translatione domini utilis. Et differunt, quia per emphyteusim ponitur obligatio pensionis annuæ

annuæ in emphyteuta, quæ pensio non ponitur in feudo, sed tantum personale obsequium, quatenus est subditus proprietario.

148 Ex hac differentia inter utrumque contractum plura infero in favorem Canonistarum, ex iisdem Canonistis deducta.

Primo, quod diversa sit origo emphyteusis à feudo; & diversus finis; emphyteusis ortum ducit ab infæcunditate, & sterilitate rei traditæ in emphyteusim; & ad finem meliorandi rem illam traditur in emphyteusim: ceterum feudum non ducit ortum ab hac sterilitate, sed conceditur in recognitionem laborum, vel expensarum feudatarii exhibitarum Regi, vel Principi; & ob finem recognoscendi Principem, aut Regem tanquam ejus dominum, cui in perpetuum præstare debet obsequium.

Inferitur secundo, emphyteutam posse alienare, & etiam vendere dominium utile, quod habet in rem acceptam in emphyteusim (dummodo directus Dominus de tali venditione admonetur) quia potest cedere juri suo, & non est subditus Domino directo, seu proprietatis. At feudatarius nec alienare, nec dare in pignus, nec vendere potest feudum, contradicente Domino directo; quia ut subditus, nequit cedere juri suo, sine Proprietarii consensu.

Inferitur tertio, feminam posse succedere in emphyteusim; quia non fit subdita, ut debeat præstare obsequium Proprietario rei acceptæ in emphyteusim: & rursus, quia femina potens est solvere pensionem annualem Proprietario. At feudatarius, cum debeat Principi obsequium præstare, quod non est licitum, ut à femina præstetur, hinc ad feudum femina succedere non potest. Verum si apponatur pactum in collatione domini utiliter in feudo, quod femina succedere possit, tunc non ex natura contractus posset succedere, sed tantum ex pacto expresso.

Inferitur quarto, Proprietarium rei acceptæ in emphyteusim, non posse judicare de controversiis ortis inter emphyteutas (si plures essent res ejusdem Dni in emphyteusim datæ); quia emphyteuta non sunt subditi. At de controversiis ortis inter feudatarios potest Proprietarius feudorum judicare, quia subditi sunt; & cum tales sint, iudicium spectat ad Dominum proprietarium.

149. Quantum spectat ad primam quæsti partem, dico, quod ad valorem hujus contractus emphyteutici, ultra illas condiciones universales ad valorem omnium contractuum requisitas, quod scilicet dans in emphyteusim sit Dominus rei: quod uterque ex contrahentibus sit liber ad faciendum contractum: quod non sit dolus, & fraus in contrahendo: quod nemo ex contrahentibus sit à lege prohibitus; & tandem, quod inter contrahentes servetur æqualitas juxta prudentis arbitrium, & locorum consuetudinem; requiruntur aliæ condiciones particulares.

Prima est, quod emphyteuta certam pensionem solvat annualem directo domino: quæ pensio, si saltem non offeratur, tunc cadit emphyteuta à dominio utili, propter non solutam pensionem, & contractus invalidaretur: Hæc pensio solvitur ex fructibus perceptis à re data in emphyteusim. Ubi notandum est, quod à re Ecclesiastica cadit directus Dominus post biennium à non facta solutione pensionis: & quidem de hac mora non solvendi per biennium, standum est arbitrio judicis in iudicando, an emphyteuta incidit in caducitatem. Si verò res data in emphyteusim est secularis, tunc emphyteuta cadit ab emphyteusi post triennium; & quidem per iudicis sententiam, non ante iudicis sententiam; cum nemo possit pœnam subire ante sententiam iudicis. Hoc tamen intelligendum est, si non solverit, præter legitimum impedimentum, vel invincibilem ignorantiam, quæ à caducitate emphyteutam excusant. Hoc sancitum est utraque lege, civili, & canonica.

150 Secunda conditio est, quod emphyteuta ob non solutam pensionem proprietario incidens in commissum, seu caducitatem, solvere debeat tributum Fisco; quod tributum etiam tenetur solvere emphyteuta, quando res in emphyteusim data notabiliter sit deteriorata in substantia: non in fructibus; quia isti utili domino pereunt.

Tertia conditio est, quod emphyteuta, si velit jus suum utile vendere, & alienare, sicut omnes meliorationes factas: hoc facere debet de consensu expresso proprietarii; & si aliter faceret, caderet in commissum, & amitteret jus emphyteuticum cum omnibus melioramentis; ut pat. in l. 3. C. de jure emphyteutico.

Quarta tandem conditio est, quod dum emphyteuta, habito consensu à domino directo, velit alienare jus suum utile, novus emphyteuta teneatur directo domino reddere laudemium, id est quinquagesimam partem pretii rei; & hoc propter investituram, quam Dominus directus dat novo emphyteuta. Quod laudemium solvendum est tantum, quando novus emphyteuta non sit hæres primi emphyteutæ, vel dominium utile non tradatur in dotem filię emphyteutæ. Et quidem debet solvi, etiam si non queratur à domino directo. Sunt quædam aliæ condiciones ad valorem hujus contractus emphyteutici, quæ ad has assignatas reducuntur. His notatis conditionibus, facile solvuntur quicunque casus occurrentes in hac materia, præsertim quantum ad valorem hujus contractus.

151 Quantum verò spectat ad secundam quæsti partem, dico, emphyteusim differre à contractibus venditionis, & emptionis, per hoc, quod per emphyteusim tantum dominium utile transfertur in emphyteutam, remanente proprietate apud dominum directum: in venditione verò, & emptione transfertur tam dominium

minium utile, quàm proprietatis. Differt etiam à censu propter eandem rationem; quia censuarius utrunque dominium retinet; & ad censualistam solum jus exigendi pensionem transfertur. Differt insuper à locatione, & conductione. Primò, quia locatio fieri potest etiam in re mobili; ac emphyteusis tantum in re immobili. Secundò, quia per locationem tantum transfertur usus rei locatæ ad conductorem, & nullum dominium transfertur. Tertio, quia locatio nequit fieri ad longum tempus, sed infra decennium; emphyteusis verò non potest fieri, nisi ad minus per decennium. Differt tandem à Libello, seu Livello; quia Libellarius, idem est ac Subemphyteuta de consensu Domini directi: & evenit quando primus emphyteuta alienat alteri rem in emphyteusim acceptam. De hoc contractu libellario, seu livellario plura dicunt Doctores spectantia ad jus, tum civile, tum canonicum; apud quos ea omnia videnda sunt.

QUÆRES SECUNDO

*Quid sit feudum, & quid requiratur ad valorem ipsius?*

**F** eudum non distat ab emphyteusi, ut dictum est supra, nisi solum per conditiones positas numero 148. Et communiter definitur, quòd sit contractus, quo quis tradit feudatario rem suam immobilem quoad dominium utile tantum, cù onere obsequii, & servitutis præstanda directo domino. Unde patet, quòd sola differentia inter unum, & alterum contractum, est, quòd emphyteuta debeat pensionem solvere directo domino; & feudatarius solum obsequium, & servitutem.

152 Quantum ad condiciones requisitas ad valorem hujus contractus, dico, omnes illas generales, & communes omnibus contractibus, & speciales pro contractu emphyteutico, requiri ad contractus feudalis valorem; & ultra has, etiam esse necessarias alias; quarum conditionum prima est, quòd feudatarius teneatur præstare personalem servitutem Proprietario feudi, & ab illo judicari circa lites, & controversias ortas inter feudatarios. Secunda est, quòd feudatarius non possit feudum alienare, contradicente domino directo, ad quem spectat investire subditos ad utile dominium feudi. Quare fit, quòd si feudatarius vendat, vel alienet feudum absque licentia Domini directi, cadit in commissum, seu cadit à dominio utili feudi; etiam si feudatarius protestetur, se alienare, salvo consensu domini directi; quia hujusmodi protestatio est contraria factò. Ita jura decernant.

153 *PETES 1. In quibus casibus possit feudatarius amittere dominium utile feudi?*

Respondetur, dicendo, in pluribus casibus;

præsertim si sit ingratus domino directo; vel contra dominum directum moveat, & excitet tumultum, & rebellionem in offensionem Principis. Secundò si hæres feudatarii non petat investituram, quæ necessaria est ad novam possessionem in feudo.

154 *PETES Secundò quinam possint in feudum succedere?*

Respondetur, dicendo, omnes filios legitimos feudatarii posse in feudum succedere, secus verò illegitimos, & adoptivos; cum isti nullum jus habeant ad paternam hereditatem. Loquimur hic de illegitimis non legitimatis per subsequens matrimonium: nam si sunt legitimati, Jure Canonico acquirunt jus. Et de legitimis est sensus, etiam si sint muti, cæci, claudi &c. Vel si sint clerici, sive ante, sive post receptam investituram (ut putant Bonacina, & alii). Femina tandem, nisi aliter sancitum sit in quibusdam Regnis, & Provinciis, non potest feudo succedere; cum illicitum sit, faminam obsequium, & servitutem præstare Domino directo. Postremò, Religiosi, & præsertim ad votum strictum paupertatis ligati, quamvis sint filii legitimi feudatarii, non possunt feudo succedere; cum tale jus sit contra votum paupertatis. Secus dicendum de Religiosis non ita voto paupertatis ligatis; ut sunt Equites Melitenses Ordinis Sæcti Joannis Baptistæ; & alii vitam monasticam ducentes. De hoc contractu feudali plura videnda sunt apud Juristas, & Canonistas; ad quos me refero.

QVÆSTIO DECIMA SEPTIMA

De Locatione, & Conductione.

QUÆRES PRIMO.

*Quid sit locatio, & quid conductio: & quanam sint locatoris, & conductoris obligationes?*

145 **Q** uantum ad primam quæsti partem, communiter à Doctoribus definitur locatio, quòd sit contractus, quo res, vel persona ad usum, vel fructum pro pretio accipitur. Ex qua definitione colligitur primò, tam rem mobilem, ut sunt panni, equus, instrumenta, &c. Quàm rem immobilem, ut sunt domus, ager, vinea, &c. posse locari; quàm personam, scilicet labores, & opera, quæ à persona proveniunt.

Colligitur secundò, solam differentiam esse inter locationem, & venditionem, conductionem, & emptionem; quòd per venditionem, transfertur tam usus, seu jus utendi, & usufructus, quàm dominium in emptorem, qui est correlativus venditoris; at per locationem tantum usus, si res est mobilis, & usufructus, si est

R

si est

si est immobilis, transfertur in conductorem, & non dominium.

Colligitur tertio, omnem rem, quæ vendi, & alienari potest, posse etiam locari: non verò è contra, quæ scilicet potest locari, potest etiam vendi; nam res pupillorum possunt locari, & tamen vendi non possunt. Item res dotales possunt à marito locari, non tamen vendi. Ita etiam res ecclesiasticæ, quæ non possunt vendi, nisi debita Juris Solemnitate, & tamen possunt locari, saltem ad breve tempus.

Colligitur quarto, illas res, cujus usus juxta legem Civilem non est distinctus à dominio, ut sunt frumentum, vinum, oleum &c. posse vendi, non tamen posse locari. Quare inferitur, magis late patere venditionem, quàm locationem. Quapropter valet hæc illatio: *Omne locabile est vendibile*; non verò valet hæc alia: *Omne vendibile est locabile*.

Ex his deducit Doctor noster Subtilis in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. litt. N; quòd omnes conditiones requisitæ ad valorem venditionis, requiruntur etiam ad locationem; & omnes requisitæ ad emptionem, requiruntur etiam ad conductionem: quæ conditiones videndæ sunt in nona quæstione hujus disputationis.

156 Quantum ad secundam partem quæsitæ, & primò de obligationibus locatoris, dico, Locatorem teneri ad omnes expensas necessarias à Conductore factas in re locata: ut si à Titio conductore pro domo sibi locata refarcienda expensæ fuerunt plures pecuniæ. Ita communiter tenent Doctores in L. 1. cap. *Locati*. Ratio est, quia cum expensæ illæ sint ad commodum Dñi, debet etiam hic incommodum pati. Adverto tamen, quòd hoc est verum, quando inter locatorem, & conductorem non fuit aliter determinatum per expressum pactum.

Secunda obligatio locatoris est, quòd teneatur ad omnia onera, & tributa imposita in re locata; secùs dicendum in fructibus à re locata provenientius; quia fructus sunt conductoris, non locatoris. Et in hac secunda obligatione etiam standum est pacto facto inter locatorem, & conductorem.

Tertia obligatio est, quòd locator absque fraude, & dolo locet rem suam, & teneatur etiam aperite conductori occultum vitium rei locatæ: ut si locet vasa infecta pro vino conservando; vel equum claudum, & ineptum ad iter longum faciendum. Quòd si locator non aperiat occultum vitium, tenetur ad restitutionem damni, quod passus est conductor.

Quarta tandem obligatio est, quòd locator teneatur continuare locationem rei Conductori usque ad tempus præfinitum. Ratio est, quia conductor jus acquisivit ad usum rei locatæ, à quo non potest absque injustitia removeri, ipso invito. In hac ultima obligatione excluduntur quatuor casus. Primus: si conductor non solveret pensionem post biennium,

Secundus, si re illa locata utatur Conductor ad inhonestos actus. Tertius, si locatori accidat improvisus casus, ob quem res illa locata, seu conducta sibi sit necessaria. Quartus tandem casus est, si Dominus necessitetur ad rem refarciendam. Hi casus juxta communem opinionem Doctorum excipiunt locatorem ab obligatione, quam aliàs haberet, non rescindendi contractum factum cum conductore.

157 Quantum nunc spectat ad obligationem Conductoris, dico, teneri conductoremolvere locatori pensionem tempore constituto, juxta eorum conventionem; vel juxta locorum consuetudinem, per semestre, vel tertium seu per quatrimestre.

Secundò tenetur conductor non uti re illa conducta ad alium usum, quàm ad illum, in quo convenit cum locatore; nam conductor tenetur stare conventioni, & pacto; & aliter faciendò, teneretur ad restitutionem damni, quod locator reciperet: & hoc intelligitur, invito Domino rei.

Tertio tenetur stare contractui circa terminum præfixum, ita ut non possit ante tempus reddere rem conductam proprio domino, absque jura causa aprobanda à judicio prudentum: ut si in domo locata deficeret aliquid ex necessariis, & nollet locator refarcire domum, tunc posset conductor ante tempus illam dimittere.

Quarto tandem, quòd elapso tempore locationis, teneatur conductor eandem rem integram, & non per notabilem suam culpam deterioratam, reddere locatori. Ubi adverto, quòd si res locata perierit absque culpa levi conductoris, hic non tenetur ad damnum, & interesse.

Ex his obligationibus ex parte utriusque contrahentis, locatoris scilicet, & conductoris, omnes casus conscientiæ resolvi possunt, applicando superiorem doctrinam.

### QUÆRES SECVNDO.

*An sit licitum locare domum meretricibus, & quidem absque peccato?*

**D**ICO, quòd quando locator non habet finem cooperandi ad peccatum, quod commissuræ sunt meretrices, sed tantùm habet finem indifferentem, tunc potest siue scrupulo, licitè domum meretricibus locare. Hæc conclusio, est Lessii, Fabri, Maltzii, & aliorum contra Navarrum.

158 Probat. Tunc locator locando domum suam meretricibus, illicitè, & cum peccato illam locaret, quando posset, & teneretur peccatum ipsarum impedire; sed locator habendo finem indifferentem, & jus suam domum locandi, nec potest, nec tenetur peccatum ipsarum impedire: Ergo locare potest licitè, & sine pec-

peccato domum suam meretricibus. Probatur minor, & primò, quod non potest; nam Respublica, in locis præsertim magni populi, introduxit meretrices ad majora damna vitanda; scilicet ad vitanda adulteria, stupra &c. Sed nemo potest minus damnum impedire, ex quo impedimento evenire posset majus damnum; aliàs Summi Pontifices ab Urbe Roma expellerent meretrices; Ergo &c. Probatur eadem minor per idem; nam nemo tenetur facere contra permissionem Reipublicæ, præsertim, quando Respublica intendit impedire majus malum: Ergo &c.

Eò vel maximè, quia locator non est causa proxima, cur meretrices in domo locatoris peccent; cum hic per se primò intendat uti suo jure locandi: Ergo &c.

Confirmatur hoc, doctrina, quam tradit Lessius lib. 2. de Just. & Jure, dub. 8. §. Dico primò ubi ait, id esse illicitum, si vel fiat elocatio in illum finem; vel elocator possit, & teneatur peccatum alterius impedire. Et in fine §. dicit: si loces domum tuam meretricibus, vel usurariis, qui alibi domum commodam non inveniunt: idque eo loco, ubi nullo modo expediebat tales permitti. Per hunc Doctorem hoc modo illicita est locatio domus meretricibus. Et subdit §. dico secundò. Si locatio fiat ob finem indifferentem (v. g. ad commodandum duntaxat de habitatione) & locator non possit, aut non teneatur impedire illa peccata, quæ ibi committentur, non peccat talibus elocando, seposito scandalo. Ita Lessius: Ergo quando locator non potest, nec tenetur impedire peccatum illarum, nec locat ad finem, ut in sua domo peccata committantur, tunc hujusmodi locatio licitè fieri potest.

Dices: locator, locando domum meretricibus, dat occasionem peccandi; sed dans occasionem peccandi, peccat: Ergo locator peccat, locando domum meretricibus.

Eò vel maximè, quia locator non potest locare domum ei, quem scit, ibi exercere usuram; ut patet ex cap. 1. de usuris in sexto: Ergo neque potest locare domum meretricibus. Probatur consequentia, quia tam usurariis est annexum peccatum, quam meretricibus: Ergo &c.

159 Respondetur ad primum negando majorem. Nam locatio domus meretricibus non est inductiva peccati per se; cum locator tantum intendat exercere jus suum, quod habet. Peccatum nanque sequitur ex malitia utentis domo illa ad peccandum, non ex malitia locatoris; quia hic tantum habet exercere actum indifferentem.

Respondetur ad secundum negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia de publicis usurariis adest specialis prohibitio; ut constat ex lege, citata. Prohibitio tamen est usurariorum alienigenarum, non verò indigenarum, ut constat ex Glossa ibi v. Alienigenas; &

est ad finem, ne hoc pessimum malum non introductum in aliqua civitate, & vitandum, introducatur. At de meretricibus nulla adest prohibitio; imò sunt permissæ ad majus malum vitandum, ut asserit D. Augustinus lib. de ordine, his verbis. *Aufer meretrices de rebus humanis, omnia turbaveris libidinibus.*

161 PETES primò. An locator licitè possit locare domum majori pretio intra latitudinem justis meretricibus, quam ceteris personis honestis?

Respondetur affirmativè. Ratio est, quia domus illa conducta à meretricibus redditur infamata, ita ut probabiliter propter talem infamiam non possit pro longo tempore alius locari.

162 PETES secundò. An si fortuitò supervenerit sterilitas, absque negligentia scilicet Conductoris, teneatur hic integram pensionem solvere locatori?

Respondetur, dicendo, quòd quando non est in pactum deducta hujusmodi sterilitas superveniens (in quo casu standum est pacto) tunc nullo inito pacto, distinguendum est inter sterilitatem. Vel enim sterilitas est ita gravis, ut conductor nullum fructum accipiat ex agro V. G. locato; & tunc nihil ex pensione tenetur conductor solvere locatori. Hoc sancitum est L. de Conducto. ff. locati. Et ratio est, quia conductor non nisi ex fructibus ex agro perceptis tenetur solvere pensionem; & quia in tali casu nullum fructum perciperet, ideo non teneretur pensionem solvere. Vel sterilitas non est ita gravis quin conductor aliquos saltem fructus ex agro percipiat; & tunc tenetur solvere pro rata: ut si perciperet medietatem fructus, medietatem pensionis deberet solvere; si tertiam partem, deberet tertiam partem pensionis solvere. Dicitur autem magna sterilitas, quando deductis expensis, & laboribus, fructus non sufficiunt ad dimidiam partem pensionis solvendam; Nam si fructus percepti, sint supra dimidiam partem, Conductori nulla fieri debet compensatio.

163 PETES tertio. An conductor, qui ob impedimentum non potuit uti re locata, teneatur pensionem solvere?

Respondetur, dicendo: si impedimentum, hoc fuerit ex causa ipsius conductoris, tunc tenetur solvere pensionem. Ratio est, quia nequit locator damnum pati in recipienda pensione propter culpam Conductoris: sicut ab opposito, damnum pati non potest Conductor, si ob culpam locatoris non possit uti re locata. Si verò impedimentum non est ex culpa Conductoris, sed vel propter bellum, vel alium casum fortuitum, tunc conductor pro tempore, quo uti non potuit re locata, non debet pensionem solvere. Ratio hujus est, quia Conductor non intendit in contractu facto, se obligare ad casus fortuitos, ratione quorum non possit uti re illa. Hoc decernitur L. si fundus. ff. locati, quam legem ferè omnes Juristæ,



& Canonistæ sequuntur.

164 *PETES* quærit. *An possit licitè res locari ad fruendum? quòd vulgò dicitur godere à godere.*

Respondetur dicendo, posse licitè res locari ad fruendum, quando res ab utroque data non sit pecunia, in qua dominium directum est distinctum ab utili. Explico casum. Titius V.G. locat domum Cajo, ut illa fruatur: deinde pro pensione Cajus tradit Titio vineam. Tunc dum Cajus fruitur domo Titii, Titius fruitur vinea Caii, absque eo, quòd unus alteri pensionem solvat. Hic contractus locationis est licitus, quia tam Titius de sua domo habet dominium directum, distinctum ab utili, quàm Cajus de sua vinea. Ceterum si Titius V.G. daret Cajo domum, & reciperet à Cajo pecuniam ad fruendum, tunc contractus esset illicitus, imò usurarius; quia de pecunia illa haberet Cajus dominium directum indistinctum ab utili, & vi mutui transfret in dominium Titii: & in tali casu Cajus committeret usuram, quia acciperet lucrum, non solvendi scilicet pensionem domus, qua fruitur, donec Titius pecuniam ei redderet. Excipitur tamen casus lucri cessantis, & damni emergentis.

## QUÆSTIO DECIMA OCTAVA, ET VLTIMA.

De Afsecuratione, Fidejussione, Pignore, & Hypotheca.

### QUÆRES PRIMO.

*De validitate contractus Afsecurationis; & quænam conditiones requirantur ad hujusmodi contractum?*

**C**ontractus hic afsecurationis potest esse gratuitus, & lucratiuus. Tunc est gratuitus, quando quis gratis, absque ulla spe lucri, rem alienam proprio domino afsecurat, suscipiendo in se periculum, si res pereat: qui contractus afsecurationis gratuitus dicitur gratuita promissio. Tunc verò est lucratiuus, quando quis rei alienæ periculum in se suscipit, se obligando pro certo pretio ad illam rem compensandam, & hic contractus lucratiuus afsecurationis est quasi emptio. Ut si Titius afsecuraret Cajo rem, vel merces, quas habet supra navim in Sicilia manentem, suscipiendo in se periculum perditionis earum; tunc Titius posset à Cajo accipere certum pretium pro tali afsecuratione, quasi emendo merces illas, ut ibi manentes. Talis contractus, nedum licitus est, ut omnes Doctores fatentur, sed etiam valde utilis Reipublicæ; nam si nemo afsecuraret merces, vel pecunias de uno loco ad alium, multæ negotiationes ratione periculi non fierent.

165 Circa conditiones ad valorem hujus contractus, dicendum est, omnes illas intervenire, quæ interveniunt ad justam venditionem, & emptionem; nam iste contractus afsecurationis semper stat cum emptione, & venditione. Et ultra illas, quòd scilicet pretium sit justum, & quòd nulla sit fraus, vel dolus; requiruntur etiam aliæ speciales. Prima, quòd res afsecuranda sit periculo exposita, ita ut afsecurans non sit certus, quòd merces, aut res afsecuranda sit in tuto; aliàs si certus esset, quòd res afsecurata sit in tuto, non posset pretium justè exigere; & si exigeret, teneretur ad restitutionem, quia nullum suscipit periculum, qui certò scit, rem esse in tuto.

Secunda, quòd afsecurans habeat bona in tanta copia, ut si res afsecurata pereat, possit mercator pretium mercium ab afsecurante accipere.

Tertia tandem, quòd servetur æqualitas inter pretium, & periculum susceptum pro afsecuratione: quare quò majus est periculum in afsecuranda re, eò majus debet esse pretiù. Hæc ultima conditio magis spectat ad justitiam hujus contractus afsecurationis, quàm ad validitatem. Ex his infero primò, quòd si plures concurrant ad integram rem afsecurandam; tunc non insolidum tenentur pati damnum, ita ut uno, vel duobus non solventibus pro damno secuto, alii debeant in integrum refarcire damnum, & restitutionem facere: sed pro rata tantum singuli tenentur; quia singuli pro rata susceperunt in se periculum.

Infero secundò, quòd si res afsecurata periret tota, tunc afsecurans teneretur ad restitutionem totius rei: si tantum periret in parte, partem tantum deperditam deberet afsecurans restituere. Ex his, quæ dicta sunt possunt plures casus conscientie efformari, & facile solvi.

### QUÆRES SECUNDO.

*Quid, & quotuplex sit fidejussio: & an possit licitè fidejussor aliquid accipere à Debitore?*

**C**irca primam quæsti partem, dico cum communi Doctorem opinione, fidejussionem esse contractum, quo quis in se suscipit obligationem alterius, promittens sub fide sua illius adimpletionem. Hæc fidejussio alia est judicialis, & alia civilis. Judicialis est illa, quæ pertinet ad causam criminalem: ut quando quis fidejubet ad constituendum Reum sub pœna pecuniaria, ita ut si reus fugiat, fidejussor teneatur solvere pœnam. Civilis verò, est inter creditorem, & debitorem: ut si orta esset lis inter Titium creditorem, & Cajum debitorem, & accederet Petrus, suam jubendo fidem pro debito Caii; ita ut si Cajus non solveret, teneatur Petrus solutionem facere. Ex hoc nota, quòd distincta est obligatio Caii debitoris ab obligatione Petri fidejussoris; ex quo fit, quòd

quòd tunc solùm Titius creditor potest petere rem suam à Petro , quando Cajus , qui est debitor non solverit pro tempore statuto: unde quamvis obligatio ex æquo sit, tam scilicet ex parte Caii, quàm Petri fidejussoris, tamen repetitio crediti prius est faciendà à Cajo debitore , qui si non solveret , teneretur fidejussor solvere.

Plures requiruntur speciales condiciones ad fidejussionem. Prima , quòd contractus factus inter creditorem , & debitorem sit validus, ita ut creditum , & debitum sint liquida; aliàs si contractus est invalidus , non tenet obligatio facta à fidejussore.

Secunda, quòd fidejussio sit accessoria, supponens primum contractum factum inter creditorem, & debitorem; aliàs si fidejussor nunc se obligaret simul cum debitore, diceretur potius Condebitor , quàm fidejussor.

Tertia , quòd fidejussor non ad plus possit se obligare , quàm ad debitum , quod debitor contraxit.

Quarta tandem est, quòd non possit fidejussor conveniri , nisi facta excussione in bonis Debitoris principalis : & hoc est in favorem ipsius fidejussoris ; imò hæc excussio in bonis debitoris potest etiam fieri ad instantiam ipsius fidejussoris. Hoc deducitur ex pluribus legibus , & tenetur ferè ab omnibus Doctõribus.

166 Quantum spectat ad secundam quæstionem partem ,

*DICO*, posse licitè fidejussorem aliquid accipere à Debitore pro fidejussione, sive patiat periculum, sive non. Ita Faber, Mastrius, Bonacina, Sotus, Azorius, & alii.

Probatur . Fidejussor in fidejubendo se exponit periculo solvendi debitum contractum à Debitore; sed ratione hujus periculi, sive eveniat, sive non, potest aliquid licitè exigere à Debitore : Ergo fidejussor fidejubendo potest licitè aliquid exigere à Debitore . Probatur minor : periculum , cui fidejussor se exponit, est pretio æstimabile; sed ratione ejus, quod est pretio æstimabile, potest licitè quis aliquid lucri accipere: Ergo &c. Major patet ex iis, quæ dicta sunt in mutuo, quòd scilicet ratione periculi, mutuans potest aliquid à mutuatario ultra sortem accipere . Probatur nunc major : est æquè pretio æstimabile periculum , quo quis se exponit, mutuando pecuniam , quàm fidejubendo pro Debitore ; nam in primo casu mutuans stat in periculo suam pecuniam perdendi ; sicut etiam in secundo casu fidejussor stat in periculo suam pecuniam solvendi pro debitore : Ergo utrobique periculum est pretio æstimabile.

De hoc contractu fidejussionis plura dubia Doctores agitant, quæ ex dictis facilè solvantur.

QUÆRES TERTIO.

*Quanam sit differentia inter pignus , & hypothecam? & qua nam possint pignori, & hypothecari?*

**P**ignus, pro ut est contractus, differt à pignore sumpto pro te, quæ pignori traditur. Et pro ut est contractus definitur : *Quodd sit contractus , quo res traditur alteri, ad securitatem crediti.* Hic contractus comitatur mutuam; quia multoties mutuans, ad sui crediti securitatem, accipit pignus à mutuatario . Insuper noto , quòd hoc contractu pignoris traditur res, quæ manere debet apud creditorem, ad securitatem crediti . Et per hoc differt ab hypotheca ; nam hypotheca *Est contractus , quo res est obligata creditori, ad securitatem crediti.* Ita Juristæ omnes. Unde fit , quod estò quandoque ea, quæ possunt oppignorari, possint etiam hypothecari , & è contra ; non per hoc sequitur , quòd sint idem prorsus contractus , ut patet ex definitionibus utriusque contractus; nam per pignus traditur res creditori in securitatem, & per hypothecam res ad securitatem tantum obligatur à Debitore , eam penes se retinente.

167 Plures obligationes oriuntur ex pignore, & hypotheca , quarum aliæ sunt ex parte Creditoris, aliæ ex parte debitoris. Ex parte creditoris sunt sequentes. Prima, ut creditor curet, ne pignus deterioretur , vel pereat ; aliàs creditor teneretur ad damnum, & interellè.

Secunda, quòd creditor nequeat uti pignore cum damno debitoris (nisi ad sit illius consensus ; quia tunc cederet Juri suo ) Quod autem requiratur hæc obligatio ex parte creditoris, patet, quia creditor non habet jus utendi re aliena cum damno domini .

Tertia est, ut creditor computet in sortem principalem omnes fructus , quos percipit ex re pignoriata ; ut si ei traderetur vinea , à qua perciperet fructus: isti, quia cadunt sub dominium Debitoris , computari debent pro sorte principali .

Quarta , quòd statim , ac solutum est debitum, absque dilatione teneatur creditor reddere pignus debitori. Ita sentiunt omnes Juristæ, & Doctores.

Ex parte tandem debitoris aliæ quatuor obligationes interveniunt .

Prima est , quòd debitor teneatur solvere debitum , etiam si pignus pereat absque culpa creditoris ; nisi aliter fuerit conventum inter creditorem, & debitorem.

Secunda, ut debitor non possit pignus petere, donec integrum debitum sit solutum.

Tertia , ut teneatur debitor solvere creditori omnes expensas factas ad conservandum pignus, ne deterioraretur, vel periret.

Quarta, ut res pignori data, alteri creditori non detur , nisi res esset tanti valoris , ut pluribus

ribus possit pignorari . Hæc ultima conditio potius est in re hypothecata , quã oppignorata; nam quod datur pignori , traditur creditori , & ab illo non potest pars aliqua exigi , ut tradatur alteri creditori . Res verò hypothecata , quia est penes Debitorem , posset hic fraudulenter eandem rem pluribus hypothecare , invito primo creditore , cui fuit primò hypothecata . Hoc autem est quoque legibus sancitum .

168 Quantum ad secundam quæstionem partem , recolenda sunt ea , quæ nunc usque dicta sunt in tota hac disputatione de conditionibus validantibus contractum . Unde brevis dico , quòd ad pignorandum , vel hypothecandum requiritur plena libertas eorum , qui dant pignori , vel hypothecæ ; quapropter pupilli sine consensu Tutoris : filii familias manentes sub patria potestate , etiam de rebus adventitiis , & profectitiis : Religiosi manentes sub obedientia Superiorum de bonis monasterii , vel de bonis etiam proprio labore acquisitis , non pos-

sunt pignori tradere , nec hypothecare ; quia illi plenam non habent libertatem . Insuper res , quæ non cadunt sub dominium , saltem utile , debitoris nec possunt pignorari , nec hypothecari , Et tandem res omnes , quæ vendi , & quocumque modo alienari possunt , etiam possunt pignorari , & hypothecari . Secus è contrarium dicendum , quod scilicet ea omnia , quæ possunt pignorari , & hypothecari , possunt etiã vendi , & alienari ; nam illæ res , quæ cadunt sub dominium utile , ut sunt fructus agri , census &c . possunt pignorari , & hypothecari ; Ager verò ab usufructuario , qui non est dominus directus illius Agri , non potest vendi , & alienari ; quia Ager non est res usufructuarii , sed directi domini . Circa pignus , & hypothecam plura dicunt Doctores , quæ ad hanc brevem notitiam reducuntur . Et hæc satis sint dicta de hac materia ; ad laudem Omnipotentis Dei , Beatæ Mariæ Virginis sine labe conceptæ , ac omnium Sanctorum , qui in Cælis vivunt , & regnant . Amen .



# DISPUTATIO QUARTA

## De Restitutione in Communi.

### QVÆSTIO PRIMA.

*Aqua Virtute oriatur Restitutio? & an quis obligetur ad restituendum ex præcepto affirmativo, vel ex negativo?*



On aliena à tractatu de Justitia, & Jure est præsens materia de restitutione; nam cum ad justitiam spectet servare æqualitatem, sive inter datum, & acceptum, si est commutativa; sive inter personas, si est Justitia distributiva: Et insuper ex Justitia unusquisque teneatur nemini damnum inferre, & illatum refarcire; hinc est, quod tradita jam notitia de Justitia in communi, & de Jure, ac speciebus Juris, tractandum occurrit de restitutione; & primò in communi, deinde in particulari.

1. Quamquam varias soleant Theologi assignare definitiones restitutionis, tamen hæc, quæ magis communiter est recepta, proponitur; quòd scilicet restitutio sit *actus Justitiæ, quo reparatur damnum proximo illatum per injuriam, ad æqualitatem rei*, Et hæc definitio est propria restitutionis strictè sumptæ, de qua in præsentem est sermo.

Quantum spectat ad primam quæstionis partem, noto cum Scoto in 4. dist. 15. q. 2. art. 4. s. *consimiliter*. Restitutionem in multis differre à satisfactione. Primò, quia satisfactio, quæ est tertia pars pœnitentiæ, non requiritur ante alias partes pœnitentiæ, scilicet confessionem, & contritionem; at restitutio fieri debet de congruo, vel in re, vel in voto, ante omnem partem pœnitentiæ; sicuti cessatio, voluntate, vel factò à peccato. Secundò, satisfactio injungitur à Sacerdote; restitutio verò est præcepta lege divina.

Tertiò, per satisfactionem remittitur peccatum; at per restitutionem non remittitur peccatum, sed à peccato cessatur. Has tres differentias assignat Doctor loco citato inter satisfactionem propriè sumptam, quæ est tertia pars pœnitentiæ, & restitutionem, quæ est actus rigorosæ Justitiæ.

2. Quantum spectat ad secundam quæstionis partem, suppono, restitutionem necessariam esse

ad salutem animarum, non necessitate mediæ, quatenus sine ipsa absolutè loquendo, nequeat quis salvari; sed tantum necessitate præcepti. Dixi, non necessitate mediæ; quia si quis esset impotens ad restituendum, vel tempus non haberet restituendi, & voluntatem haberet restituendi, dum furatus est aliena, vel ea possidet mala fide; adhuc posset salvari. Et sicut restitutio cadit sub illud præceptum, *non furaberis*; ita tantum necessitate præcepti obligat eum, qui aliena tenet. An hoc præceptum sit positivum, vel negativum, est inter Doctores controversia.

3. Pro cujus intelligentia adverto, obligationem ad restituendum posse oriri ex triplici capite, scilicet ex injusta acceptione rei alienæ, etiam si consumpta fuerit: ex ipsa re aliena, etiam si nesciveris, esse alienam; & ex utraque simul, nempe injusta rei alienæ acceptione, & ipsa re aliena; quando scilicet quis rem abstulit à proprio Domino, & eam retinet injustè. Primum caput obligans ad restitutionem, quæ est injusta acceptio rei alienæ, multoties intervenit in contractibus; quando nimirum quis ex contractu, injustè rem alienam accipit; quapropter qui per injustum contractum rem alienam accepit, tenetur ad restitutionem, non ex contractu injustè celebrato, sed ratione injustæ acceptionis. Adverto insuper, quòd qui est obligatus ad restitutionem ex injusta acceptione rei, semper tenetur restituere, etiam si res injustè accepta pereat; & insuper satisfacere omnibus damnis, quæ emerferunt, & lucris, quæ cessaverunt Domino rei. Obligatus autem ad restitutionem ex sola re aliena accepta, neque ad damna emerfa, neque ad lucra cessata damnificato refarcienda tenetur. Imò, si res accepta fuerit bona fide, & pereat, bona fide durante; domino perit, & ad nihil tenetur bonæ fidei possessor. Obligatus tandem ex re aliena accepta, & ex injusta rei alienæ acceptione, etiam tenetur ad restitutionem rei, damni, & lucri cessantis, & hæc obligatio habet locum in possessore malæ fidei, & in retinente

nente mala fide quantumvis bona fide rem accepisset. Hic tamen damnum, & lucrum cessans debet resarcire à die, qua incæpit fieri possessor malæ fidei: ut si quis emisset equum furto sublatum, putans non esse sic sublatum, & post aliquod tempus noverit illum furto fuisse sublatum; & hoc non obstante illum apud se retinuisse; tunc à die, qua accessit mala fides, esset de damnis Domino equi illatis obligatus; & sic diceretur obligatus, tam ex re aliena, quàm ex injusta rei alienæ acceptione, Quibus omnibus notatis, pro resolutione utriusque partis quæstionis

*DICO*, restitutionem esse actum solius Justitiæ commutativæ: & præceptum de restituendo esse negativum, & non affirmativum. Conclusio quò ad utranque partem est Scoti loc. cit. cum omnibus Scotistis (Vulpio excepto quò ad primam partem). Prima namque pars est omnium Doctorum. Secunda verò est contra Sotum, Valentiam, Poncium ex nostris, & alios, ac etiam contra Bonacinam; & est probabilior.

- 4 Probatur prima pars: Primò, restitutio illius virtutis est actus quæ habet servare æqualitatem ex stricto jure inter datum, & acceptum, quæ est æqualitas arithmetica; sed sola Justitia commutativa habet servare hanc æqualitatem: Ergo solius Justitiæ commutativæ est actus ipsa restitutio. Minor patet ex discrimine, quod assignavimus in prima disputatione inter justitiam distributivam, & commutativam; quòd scilicet distributiva tantum servat æqualitatem inter personas, quæ est geometrica; commutativa verò servat æqualitatem inter datum, & acceptum, quæ est æqualitas arithmetica. Probatur nunc Major: restitutio est actus, quo quis obligatur ad reddendum alteri, quod suum est, ex stricto jure acquisito circa suum: Ergo illius virtutis est actus, quæ inclinatur ad reddendum alteri, quod suum est ex stricto jure acquisitum; sed virtus inclinans ad reddendum alteri, quod suum est ex stricto jure, servat æqualitatem inter datum, & acceptum: Ergo &c.

Confirmatur hæc ratio; quia restitutio respicit, & intendit eundem finem, quem intendit, & respicit sola Justitia commutativa: Ergo solius Justitiæ commutativæ est actus. Probatur antecedens: restitutio intendit reddere alteri, quod suum est, vel resarcire damnum illatum proximo, propter injuriam, ad æqualitatem rei; sed sola Justitia commutativa intendit redditionem alteri faciendam ob damnum proximo illatum: Ergo &c.

Eò vel maxime, quia restitutio specificatur à jure, quod est dominium proprietatis; sed ad solam Justitiam commutativam spectat jus, quod est dominium proprietatis: Ergo &c.

- 5 Probatur secundò eadem pars. In tantum restitutio non esset actus solius Justitiæ commutativæ, in quantum posset ab alia speciali

virtute oriri; sed à nulla virtute (dempta Justitia commutativa) potest oriri: Ergo est actus solius Justitiæ commutativæ. Probatur minor: si posset oriri ab alia virtute, vel hæc esset Justitia distributiva; vel Justitia manifestior quàm sit commutativa, ut ait Vulpus; Sed à neutra ex his oriri potest: Ergo &c. Probatur minor primò, quòd non oriatur à Justitia distributiva; nam Justitia distributiva, cum inclinet potentiam ad servandam æqualitatem proportionis inter personas, seu geometricam, non habet ex sua natura obligare ad restitutionem: quod patet; si Episcopus V. G. conferret beneficium aliquod personæ minus dignæ, postposita digniori, quia non servaret æqualitatem meritorum inter personas ad tale beneficium concurrentes, estò peccaret mortaliter contra Justitiam distributivam, non per hoc teneretur ad restitutionem (Si aliàs beneficium non esset Parochiale, aut curæ animarum; ubi persona dignior ex duabus concurrentibus acquirit strictum jus ad redditus Parochiæ; & quidem hoc jus spectat ad Justitiam commutativam ut dicemus): Ergo &c. Probatur secundò eadem minor, quòd scilicet non oriatur à Justitia manifestiori. Primò, quia hæc Justitia est innominata, quam nunquam nominavit Vulpus, & si nominaretur, non posset esse alia à Justitia commutativa: Ergo &c. Secundò, quia restitutio non semper fieri debet per eandem rem numero injustè receptam; vel per eandem rem numero retentam, & bona fide possessam; sed sufficit, ut fiat per rem æquivalentem: ut centum recepisti, centum reddere debes, non eandem numero pecuniam, sed aliam æquivalentem, vel aliquid aliud æquivalens huic summæ centenariæ: Ergo quomodocumque nominetur hæc nova species Justitiæ à solo Vulpio inventa, semper est ipsa commutativa Justitia; adeoque &c.

- 6 Probatur secunda pars: idem est præceptum de restituendo; ac præceptum de non furando; sed præceptum de non furando est negativum: Ergo etiam præceptum de restituendo. Probatur major: idem est non furari, seu non furtum facies, ac aliena non retinere, invito domino; sed per præceptum de non retinenda re aliena invito domino, præcipitur etiam, ut res, invito Domino retenta, restituatur: ergo idem est præceptum de restituendo, ac præceptum de non furando. Probatur major: in tantum non esset idem non furari, ac aliena non retinere, invito domino, in quantum per non furari præcipitur non usurpare rem alienam, invito domino, & per restitutionem solum præcipitur de concomitanti, non retinere rem alienam, invito domino, & de primario præcipitur redditiō rei faciēda proprio domino; sed hoc secundum est falsum: Ergo &c. Probatur minor: hoc præceptum de redditione faciēda, fundatur supra materiam negativam præceptam, quæ est non retentio, aut

aut non usurpationis rei alienae ; ratione cuius præcipitur , faciendam esse redditionem : Ergo &c.

Ultraquamquod , in præceptis Decalogi non ponitur expressè hoc præceptum de redditione facienda, sed reducitur ad præceptum de non furando; cum ex lege divina sit facienda restitutio: Ergo cum præceptum de non furando sit negativum , etiam præceptum de redditione facienda est negativum : quod prorsus idem præceptum est, quando habetur retentio rei ex furto.

Dices pro Thomistis , & aliis , præceptum de restitutione facienda esse simul affirmativum, & negativum : Affirmativum , quatenus est quædam actio positiva reddendi debito tempore , & loco, ac certæ personæ : negativum, quatenus huiusmodi actio positiva continuata prohibetur, ne injustè res aliena detineatur.

Contra, tum quia : hæc responsio potius asserere debet nobiscum , præceptum de restituendo esse per se primò negativum , & tantum de concomitanti affirmativum , & solum quò ad formam verborum , quam debeat asserere, esse simul affirmativum, & negativum: Ergo nulla est . Probatur assumptum primò: quia patet etiam in physicis, idem non posse simul constitui ex affirmativo, & negativo per se ; cum ad invicem se habeant , ut duæ differentiarum essentialis : quare omnes communiter dicunt, hominem per se primò constitui per affirmativum rationalitatis, ex quo sequitur negativum irrationalitatis ; Ergo &c. Secundò probatur idem assumptum ; nam præceptum de restituendo respicit objectum per se primò præceptum; sed objectum per se primò, præceptum in restitutione facienda, est negativum : Ergo præceptum est tantum per se negativum , & de concomitanti positivum, seu affirmativum. Probatur minor : objectum per se primò præceptum in restitutione , est non retentio rei alienae, invito domino ; nam idem est dicere ( ut notat Maltrius ex Doctore nostro loco cit.) *Restitue*, ac dicere, *ne retineas rem alienam, invito domino*: Ergo &c.

Tum etiam quia : Præceptum de jejunando, quod est Ecclesiasticum , estò habeat formam positivam , seu affirmativam , tamen est præceptum negativum: quod explicatur per hoc, *Ne comedas bis in die*: Ergo idem dicendum est de præcepto restituendi.

Tum tandem ab opposito : quamvis præceptum de non omittendo Sacrum in die festo, sit per formam negativam , tamen est præceptum positivum, & affirmativum, quia objectum, quod præcipitur, est affirmativum, scilicet auditio Sacri: Ergo estò per formam positivam exprimat præceptum restitutionis, debet tamen per se primò esse negativum; quia objectum, quod præcipitur, est negativum. Hinc Scotus loco cit. art. 4. *De primo*, ait: *Sic ut auferre alienum est peccatum mortale contra*

*præceptum divinum negativum, ita & tenere alienum.*

7 Deinde contra hanc Thomistarum opinionem sic insurgo . Quoties idem actus est præceptus duplici præcepto per se primò, toties idem actus involuit duplex peccatum mortale contra utrumque præceptum : Ergo si restitutio esset ex æquo per se primò præcepta duplici illo præcepto affirmativo , & negativo; qui non restitueret, duplex committeret peccatum ( quod non est dicendum ). Probatur antecedens: actus specificatur à præcepto; nam in tantum est culpa mortalis, quia est contra præceptum : Ergo quando duobus præceptis præcipitur aliquis actus, tunc duo committuntur peccata, ex non adimpletione utriusque præcepti .

*Solvuntur objectiones.*

8 **O**bjicies primò contra primam partem, probando, restitutionem esse etiam actum justitiæ distributiæ. Justitia distributiva inclinat voluntatem, ad servandam æqualitatem inter merita personarum; sed restitutio fit, nedum ad servandam æqualitatem inter rem, & rem præcisè, sed etiam ad servandam æqualitatem meritorum inter personas : Ergo restitutio erit etiam actus justitiæ distributiæ. Probatur minor : dum servatur æqualitas meritorum inter personas, satisficit juri, quod una persona acquirit, ad beneficium V. G. obtinendum : Ergo restitutio etiam fit ad servandam æqualitatem meritorum inter personas . Probatur assumptum antecedentis hoc exemplo : si Titius relinqueret vi suæ ultimæ voluntatis decem aureos annuatim conferendos meliori grammatico hujus Neapolitani Seminarii, & quidem per manus Rectoris ejusdem Seminarii judicantis, hunc esse meliorem ceteris ; tunc meliori grammatico acquireretur jus ad illos decem aureos ; ita ut Rector debeat satisfacere juri, quod hic acquisivit : Ergo dum servatur æqualitas meritorum, satisficit Juri, quod una persona acquirit ad beneficium.

Respondetur negando absolutè minorem, ad cujus probationem dist. antecedens: satisficit juri, quod una persona acquirit ad beneficium &c. iuri, inquam, orto ex justitia distributiva, nego antecedens : juri, orto ex justitia commutativa, concedo antecedens, & nego consequentiam. Dico igitur, quòd multoties simul stant justitia distributiva, & commutativa, ut est in exemplo inter arguendum allato: unde dum in distributione servatur æqualitas meritorum, quando quis acquirit jus ad aliquid proveniens titulo donationis, vel legati, tale jus non respicit justitiam distributivam, sed commutativam annexam cum distributiva. Et estò meritum inducat jus, imò sit ipsum jus

S con-



contra distributorem, tamen non habet hunc obligare ad restitutionem, ut distributor præcisè est, sed quia derogator est, & præjudiciū inferens juri stricto alterius: quod præjudiciū infert obligationem ex justitia commutativa, non ex distributiva.

Dices: in exemplo allato, Rector, si non exerceret justam distributionem, sed præ meliori grammatico cōferret decem illos aureos inferiori, teneretur ipse refarcire damnum illatum meliori grammatico, qui jus ad illam pecuniam acquisivit: Ergo teneretur ipse restituere; sed hoc esset falsum, si restitutio non esset actus Justitiæ distributiæ: Ergo &c.

Respondetur negando minorem subsumptam. Sicut nanque meliori grammatico acquireretur Jus ad pecuniam illam, ratione donationis, qui est titulus spectans ad Justitiam cōmutativam; ita si damnum ei inferretur ex violatione sui Juris, oriretur ex parte distributoris obligatio refarciendi damnum illatum, non ex Justitia præcisè distributivæ, sed ex commutativa.

Dices: ad illam virtutem spectat refarcire damnum, ad quam spectat non inferre damnum; Sed illo casu adducto damnum inferitur ex violata Justitia distributivæ: Ergo refarcire damnum debet spectare ad ipsam Justitiam distributivam. Probat minor, quia Rector male distribuendo, infert damnum benemerenti: Ergo &c.

Respondetur negando majorem. Falsum est, quòd ad eandem virtutem, ad quam spectat non inferre damnum, spectet etiam refarcire damnum. Nam si quis peccando contra diversas virtutes, inferat damnum alteri; ut peccando V.G. contra charitatem, vel contra pietatem &c. refarcire damnum non spectat ad illas virtutes, sed ad virtutem pœnitentiæ, qua refarciuntur damna aliis illata. Quare in proposito casu Rector duplex incurreret debitum: unum in servanda æqualitate meritorum inter personas; & aliud in adimplenda voluntate donatoris: ex primo debito non oritur obligatio restitutionis, quod est debitum spectans ad justitiam distributivam; & ex secundo debito oritur obligatio restituendi, & hoc debitum spectat ad justitiam commutativam. Ex quo sequitur, quòd restitutio sit actus solius justitiæ commutativæ, quæ habet ponere, vel reponere Jus strictum in altero.

9 Objicies secundo probando, restitutionem esse etiam actum spectantem ad aliam virtutem à commutativa justitia. Quando quis obligatur ad refarciendum damnum alteri illatum, ipsum actualiter refarciendo, facit actum restitutionis; sed potest quis refarcire damnum, non ex justitia commutativa, sed ex alia virtute ab hac distincta: Ergo restitutio non est actus solius justitiæ commutativæ. Probat minor: si quis alium contumeliis affecisset, esset obligatus ad refarciendum dam-

num illi illatum, petendo V.G. veniam; sed hic actus petitionis veniæ, quo damnum illud refarciret, non est actus justitiæ commutativæ, sed alterius virtutis, quæ dicitur observantiæ: Ergo potest quis refarcire damnum, non ex justitia commutativa, sed ex alia virtute.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dist. majorem: & hæc obligatio oritur ex justitia commutativa, concedo majorem: & oritur ex alia virtute, nego majorem, & minorem. Quando quis alium afficit contumeliis, licet illi damnum inferat, hoc damnum tamen non refarcitur per virtutem observantiæ, sed per virtutem justitiæ commutativæ; nam jus, quod aliquis habet ad proprium honorem, est jus spectans ad justitiam commutativam; quia est jus ad se servandum indemnem à quacunque contumelia, & dehonoratione.

Dices: actus honorandi alium est illi debitus ex virtute observantiæ: Ergo actus refarciendi damnum pro injuria illata, debet spectare ad eandem virtutem observantiæ. Probat consequentia; nam ad eandem virtutem, ad quam spectat actus honoris, debet spectare redditio pro honore læso: Ergo si actus honorandi est debitus ex virtute observantiæ, & ad hanc spectat; etiam actus refarciendi tale damnum, ad eandem virtutem observantiæ spectare debet. Probat antecedens; nam, alias quis haberet jus strictum, & rigorosum ad proprium honorem, si redditio honoris non spectaret ad eandem virtutem, ad quam spectat actus honoris: Ergo &c.

Respondetur negando consequentiam, cum antecedente probationis. Licet ergo actus honoris sit debitus ex virtute observantiæ, quæ hæc virtus inclinat potentiam ad alium honorandum; tamen dum idem actus debet refarciri per damnum illatum, non inclinatur potentia ad id faciendum à virtute observantiæ; sed à justitia commutativa, ad quam spectat reddere æquivalens pro ablato: unde si ablatum est honor, hic redditur per veniam honori æquivalentem. Hinc ad ultimam probationem dico, quòd quamvis verum sit, neminem habere jus strictum ad positivum honorem, habet tamen unusquisque jus strictum ad servandum se indemnem ab omni dehonoratione. Itaque licet ex argumento sequatur, quòd honor sit debitus ex virtute observantiæ, læsio autem honoris est actus contra justitiam commutativam; ac per consequens restitutio, quæ fieri debet per veniæ petitionem, est actus solius justitiæ commutativæ.

10 Objicies tertio contra secundam partem, probando, præceptum de restituendo esse positivum. Præceptum negativum per hoc ab affirmativo secernitur, quòd negativum obligat semper, & pro semper; affirmativum vero obligat non pro semper; sed præceptum, quo præcipitur restitutio, non obligat pro semper:

semper: Ergo præceptum de restituendo non est præceptum negatiuum, sed affirmatiuum. Probatür minor: in multis casibus, in quibus non interveniunt circumstantiæ ad statim faciendam restitutionem, præceptum de faciendâ restitutione excusat debitorem ab illa statim faciendâ, licet non simpliciter illum excuset à restitutione faciendâ. Patet hoc in eo, qui debitor est alicui, vel per furtum, vel per contractum, sive validum, sive invalidum, qui si in extremam incidit paupertatem, ea durante, non esset obligatus ad restituendum, idque ratione hujus circumstantiæ paupertatis; licet remaneat simpliciter obligatus, ut si pervenerit ad pinguiorem fortunam, deberet tunc restitutionem facere: Ergo &c.

Respondetur ex doctrina Scoti loc. cit. distin. majorem: præceptum negatiuum obligat semper, & pro semper, quantum ad voluntatem exequendi actum exteriorem, concedo majorem: quantum ad ipsum actum exteriorem executioni mandatum, nego majorem, & dist. minorem: sed præceptum, quo præcipitur restitutio, non obligat semper, & pro semper, quantum ad ipsum actum exteriorem executioni mandatum, concedo: quantum ad voluntatem exequendi, nego minorem, & consequentiâ. Ad cujus probationem concedo assumptum, cum casu proposito, in sensu distinctionis. Ad hoc ergo, ut præceptum negatiuum obliget semper, & pro semper, non est necesse, quod obligatus statim ponat actum exteriorem; sed sufficit, ut semper, & pro semper voluntatem habeat exequendi actum exteriorem. In proposito præceptum de restituendo obligat semper, & pro semper, quantum ad voluntatem exequendi actum exteriorem; licet non pro semper obliget, quantum ad exercitium ipsius exterioris actus; quia ratione plurium circumstantiarum executio actus impediri potest, vel ex consensu domini rei, vel ex justa rei retentione, durante scilicet bona fide, qua res possidetur; aut impediri, vel suspendi ex actuali physica impotentia retinentis, vel ex alijs circumstantijs. Hinc Scotus loco cit. in 4. art. de 4. ait: *Necessarium est, non tenere alienum, Domino invito; & per consequens, vel actum statim reddere, vel saltem velle reddere, cum fuerit opportunitas.* Per quæ ultima verba satis constat, quod ad constituendâ restitutionem sub præcepto negatiuo, satis sit, ut obligatus habeat pro semper voluntatem reddendi, quamvis non reddat, nec debeat re ipsa reddere pro semper, sed cum fuerit opportunitas. Et idem Scotus loc. cit. §. de quinto plures adducit casus, in quibus rationabiliter quis excusatur à statim faciendâ restitutione exteriori; licet nullus sit casus excusans ab interiori actu restitutionis, qui est voluntas restituendi, nisi casus simpliciter excuset à restitutione, vel ex jure non læso, vel ex parvitate materiæ, vel ex metaphysica impotentia.

11 Ex dictis dubium occurrit necessariò resolvendum, pro quæstionis complemento. *An scilicet restitutio cadat sub præcepto negatiuo non furandi, vel etiam cadere possit sub alijs præceptis?*

Pro cujus dubii resolutione Respondeo, dicendo, quod si restitutio est faciendâ in bonis fortunæ, tunc præceptum, quo ipsa præcipitur, est idem, ac præceptum non furandi; nam sicuti materia restitutionis in talibus bonis est pecunia, vel æquivalens pecuniæ, quæ pecunia spectat ad bona fortunæ, ita præceptum restitutionis pecuniæ, vel æquivalentis esset idem, ac præceptum non furandi; ut dixi in probatione secundæ partis quæstionis, n. 6. Si verò restitutio est in bonis famæ, tunc præceptum restitutionis est idem cum præcepto, *non infamandi*. Si tandem restitutio fieri debeat ex falsa doctrina promulgata; quia quisque tenetur ex iustitia, veram pronunciaré, & docere doctrinam; tunc præceptum de restituendo, seu se retractandi à falsa doctrina, ad præceptum decalogi, *non mentiendi*, reducitur. Ex his infero, restitutionem in communi non ad unum, sed ad plura præcepta negativa spectare; cum plura præcepta includant commutativam iustitiam, ratione cujus præcipitur restitutio.

12 *PETES primò, unde oriatur obligatio ad restituendum?*

Non loquimur hic de radice obligationis; quæ triplex est, ut supra diximus; & prima, quidem, iniusta rei alienæ acceptio, invito Domino: altera, res ipsa aliena accepta, invito Domino: tertia, iniusta simul acceptio rei alienæ, & res aliena accepta; ut explicavi in initio præsentis quæstionis num. 3. Sed de origine, seu culpa causata ab his radicibus. Hæc namque culpa potest esse gravis, & cum dolo; levis, & levissima sine dolo. Tunc est gravis, quando grave damnum proximo infert; tunc levis, quando leve damnum infert: tunc levissima, quando levissimum infert alteri damnum, & hoc intelligitur theologice. Insuper culpa potest sumi theologice, & legaliter. Theologice sumpta est ipsam formalissimè peccatum, vel mortale, vel veniale: legaliter est ipsam damnum alteri illatum. Ex quo fit, quod si culpa sumatur theologice pro ipso peccato, si est gravis, est mortale peccatum; si levis, est veniale peccatum: si sumatur legaliter, culpa gravis est talis à gravi damno illato; est levis, & levissima à levi, & levissimo damno illato. Hac præmissa doctrina,

13 Respondeo nunc ad quæsitum, dicendo, neminem obligari ad restitutionem ex levi, & levissima culpa, sumpta culpa pro damno illato. Ita ferè communiter Doctores. Ratio est, quia nemo tenetur esse valde prudens, vel prudentissimus in rebus propriis, sed sufficit, si adhibeat diligentiam moraliter sufficientem, ad sciendum, si res sit sua, vel non; sed si quis esset

effet obligatus ad restitutionem ex levi, & levissima culpa, jam teneretur esse valde prudens, vel prudentissimus in rebus propriis: Ergo ex levi, & levissima culpa nemo tenetur ad restitutionem. Hoc intelligitur in foro conscientiae, non in foro externo.

14 *PETES* secundò. *An hac doctrina valeat etiam in contractu?*

Respondetur negativè. Nam si ratione contractus, vnus ex contrahentibus se obligaverit ad damnum refarciendum, etiam ob eius leuem, vel levissimam culpam teneretur. Quare ex solo pacto inito inter contrahentes oritur obligatio in contractu ex levi, & levissima culpa, si omittit diligentiam, quam prudentiores, & prudentissimi viri tenentur adhibere. Ubi noto, quòd sumpta culpa levi, aut levissima legaliter, pro ut hic eam sumimus, consistit in omissione diligentiae faciendae, siue ex contractu, siue extra contractum: quare si quis aliquam adhibeat diligentiam, & non omnem requisitam; tunc culpa dicitur levis; si omnem adhibet diligentiam, licet possit maior methaphysicè, & moraliter adhiberi; tunc culpa est levissima.

15 *PETES* tertio. *An culpa lata, & ex dolo, ut obligat ad restitutionem, debeat esse culpa mortalis, vel sufficit, si sit venialis?*

Respondeo ad dubium ex præmissa doctrina posita numero 12. De culpa theologice sumpta, & legaliter, dicendo, culpam latam, & ex dolo, ut obliget ad restitutionem, debere esse culpam mortalem. Ita communiter Doctores cum Salas, Navarro, Mastro, Lessio, & aliis. Ratio est, quia ut aliqua culpa obliget ad restitutionem, debet esse actus perfectus in ratione injuriae; sed sola culpa mortalis, & non venialis, est actus perfectus in ratione injuriae: Ergo sola culpa lata, & ex dolo, quae est mortalis obligat ad restitutionem. Ex his noto, culpam latam, seu nullam adhibere diligentiam; culpam ex dolo, scilicet, machinationes unius, ut alter rem suam perdat, & culpam fallaciae, quandoque esse peccatum mortale, quandoque veniale: mortale, si grave damnum infert proximo; veniale, si leve damnum infert.

## QVÆSTIO SECVNDA.

*An ad restitutionem teneantur, nedum qui causant efficaciter damnum, verum etiam qui obligati sunt vitare damnum, & non vitant?*

**S**cotus articulo citato de 4. Postquam egit de præcepto obligante ad restitutionem, alia quatuor quærit. Primò quis te-

netur ad restitutionem. Secundò quid tenetur quis restituere. Tertio, cui facienda sit restitutio. Quarto, quando facienda sit restitutio. Quantum ad primum de eo, qui tenetur restituere, exagitur præfens quæstio. Et

In primis suppono tanquam certum, nedum teneri ad restitutionem, qui rem alienam injustè accipit, invito domino, siue hæc sit consumpra, siue adhuc permanens penes accipientem; verum etiam teneri ad restitutionem illum, qui injustè damnum intulit, invito domino, siue damnum sit per se illatum, ut à causa principali, siue per alios. Ad majorem hujus suppositionis intelligentiam ponit Doctor noster duos versus sequentes, quos etiam reperit apud alios Doctores.

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, Participans, mutus, non obstans, nõ manifestans.*

16 Quæ carminum verba tum à Thomistis, tum à Scotistis, ita exponuntur. *Jussio*. Id est jubendo, ut filii, vel servi, vel subditi damnum alteri inferant.

*Consilium*. Id est consulendo, vel suadendo precibus, ut damnum alteri inferatur.

*Consensus*. Id est præbendo consensum, ut unus alteri damnum inferat.

*Palpo*. Id est adulando damnificantem, laudibus eum excitando, vel excusationes prætexendo, ne timeat inferre damnum alteri; seu qui approbat illationem damni.

*Recursus*. Id est tribuendo, & præbendo refugium ei, qui alteri damnum intulit: & hoc evenit, tuendo, & receptando fures, & damnificantes, vel rem ablatam abscondendo.

*Participans*. Id est participando, seu coagendo ad actionem illam damnosam contra proximum illatam.

*Mutus*. Id est non corrigendo, terrendo verbis, vel minis eum, qui damnum vult alteri inferre. Et hoc spectat ad superiores, Reges, & ad quoscunque justitiae ministros.

*Non obstans*. Id est non obstando, & impediendo eum, qui vult proximum damnificare, Et hoc etiam spectat ad eos, qui funguntur officio spectante ad justitiam.

*Non manifestans*. Id est non manifestando damnum, siue illatum, siue inferendum, Principi, vel ei, ad quem spectat, ut damnum futurum vitari possit; & pro damno illato exercentur justitia. His novem modis sic explicatis, & in supradictis carminibus inclusis, habetur cooperatio ad damnum. Et de his, sicut etiam de illis, qui principaliter, effectivè, & efficaciter propria actione proximum damnificant, est sermo in præfenti.

17 Ubi notandum est cum eodem Doctore, quòd quando non habetur efficax consensus ex parte cooperantium ad damnum, siue consensus sit realis, & expressus, siue interpretatius, ex quo infallibiliter sequetur effectus, ita ut, eo non posito, probabiliter non sequeretur effectus; tunc cooperantes ad damnum tenentur.

nentur ad restitutionem; secus verò dicendum est, quando non fuerunt causa efficax, vel interpretativa, ita ut, tali consensu non posito, adhuc secutus fuisset effectus. V. G. si Titius efficacem voluntatem haberet comburendi vineam Caii, quam voluntatem Petro manifestaret; tunc, etiam si Petrus consensum præberet, non teneretur hic ad restitutionem, et tò mortaliter peccaret; quia consensus Petri est post efficacem, & determinatam voluntatem Titii damnificantis. Quare loquimur de movente, & impellente ante determinationem efficacis voluntatis Titii: cujus impulsu, etiam si Titius consensum antea non præbuisset, adhuc moveretur ad vineam Caii comburendam, seu ad inferendum damnum tertio.

18 Suppono insuper tanquam certum ex sæpe dictis, omnes illos ad restitutionem teneri, qui rem alienam possident, vel ex injusta acceptione rei, invito Domino, quomodo evenit in possessoribus malæ fidei: vel ex re accepta, licet bona fide, sed invito domino: vel si res venit ad possessionem alicujus bona fide, & deinde mala fides accesserit: vel si fuerit ex contractu cum dolo, & metu; vel ex contractu licito, & non restituta tempore præfixo, ut evenit in mutuo, deposito, pignore &c. Quoniam verò non minus obligat ad restitutionem acceptio rei alienæ, quam damnificatio; queritur, an ad restitutionem teneantur, ne dum qui causant efficaciter damnum, verum etiam qui possunt damnum vitare, & non vitant. Et pro quæstionis resolutione

*DICO*, ad restitutionem teneri, ne dum qui causant efficaciter damnum, verum etiam illos, qui damnum impedire debent, & non impediunt; & quidem si tenentur impedire ex officio. Conclusio est communissima apud omnes Doctores, & tenetur à Scoto loco supra citato.

19 Probatur prima pars: Qui lædit jus, quod alter habet in suas res, tenetur ex justitia commutativa ad restitutionem, reddendo illi, quod suum est; sed qui causat efficaciter damnum alteri, lædit jus, quod alter habet in suas res: Ergo qui causat efficaciter damnum alteri, tenetur ad restitutionem &c. Major patet ex definitione justitiæ commutativæ, & justitiæ ut sic. Probatur minor: qui injustè retinet rem alterius, lædit jus quod alter habet in illam rem, atque ideo ex commutativa justitia ad restitutionem tenetur; sed qui causat efficaciter damnum alteri, injustè retinet rem alterius, vel perinde se habet, ac si rem alterius injustè retineat; (vel enim damnificat furando rem alterius, vel comburendo, dispergendo, devastando, aut alio æquivalenti modo, qui perinde se habeat): Ergo qui causat efficaciter damnum alteri, lædit jus, quod alter habet in suas res, atque ideo ex justitia commutativa tenetur ad restitutionem, sive ad resarciendum damnum illatum.

Confirmatur ex communi modo loquendi Doctorum. Qui causam damni dat, damnum resarcire tenetur: Ergo quando quis efficaciter, damnum causavit, ad restitutionem tenetur. Hæc prima pars non indiget majori probatione: præsertim quia, in hac re oppositum damnavit Innocentius XI. numero 39.

20 Probatur secunda pars. Qui damnum, quod vitare tenetur, vitare potest, & non vitat, perinde se habet, ac si juberet; sed qui juberet inferri damnum alicui, cui re ipsa inferretur, ad restitutionem teneretur, ut dictum est in principio quæstionis: Ergo qui debet ex officio vitare damnum, illudque vitare potest, & non vitat, tenetur ad restitutionem. Probatur major: qui vitare potest damnum, quod ex officio vitare tenetur, & non vitat, consensum præbet, saltem interpretativum in damnum inferendum; sed qui præbet ejusmodi consensum perinde se habet, ac si juberet, ut damnum illud inferatur: Ergo &c. Probatur major: Si Princeps, vel Custos, aut Rector hujus Civitatis certò sciret, Titium hac nocte devastaturum Agrum Caii, vel ipsum Agrum combusturum; si non impediret, ut ex officio tenetur, tunc vellet damnum illud venturum; sed quando quis vult damnum aliquod venturum, consensum saltem interpretativum præbet ad tale damnum; quia unusquisque posset interpretari ex notitia, quam habuit Princeps, vel Rector hujus Civitatis de tali devastatione, vel combustione non impedita, quod consensum præbuerit ad tale damnum: Ergo &c.

Confirmatur. Qui peccata impedire tenentur in aliqua Republica, & non impediunt, peccata ipsa permittunt, & ea permittendo, peccant: Ergo qui damna impedire tenentur in eadem Republica, & non impediunt, damna permittunt, & ea permittendo resarcire tenentur; sed resarcitur damnum per restitutionem: Ergo qui ex officio tenentur vitare damnum, & non vitant, tenentur ad restitutionem. Antecedens est fundatum in doctrinis Sanctorum Patrum. Probatur consequentia. In tantum peccant non impediendo peccata, in quantum peccata permittentes influunt moraliter in illa, ut causa permissiva; sed non impediendo damna ventura, dum ex officio tenentur, & permittentes illa damna, influunt in illa, ut causa permissiva moralis; (Nam non magis illa damna evenirent ex causa positivè influente, quam ex causa permissiva; sicut non magis eveniunt damna ex faciente, quam ex consentiente; & tamen ex communi Doctorum sensu, cum Scoto nostro loc. cit. facientem, & consentientem par pœna constringit): Ergo qui damna impedire tenentur, & non impediunt, damna permittunt, & ea permittendo resarcire tenentur. Ex solutione objectionum magis patebit conclusio.

Solvuntur

*Soluntur Objectiones.*

11 **O**bjicies primò, probando, non omnes causantes damnum teneri ad restitutionem. Ille duntaxat ad restitutionem damni tenetur, qui damnum infert proximo ex sua deliberata, & prava voluntate: Ergo etiam si accedat consilium, jussio, adulatio, vel quæcunque alia voluntas alterius ad damnum inferendum, alter ille non tenetur ad restitutionem. Probatur antecedens: qui ex deliberata, & prava voluntate operatur, producit effectum, etiam si nulla alia causa coadjuvans, & movens concurreret: Ergo dum producit effectus damnificationis ex prava voluntate damnificantis, hic solus tenetur ad restitutionem damni. Consequentia sequitur, quia etiam si illæ causæ non concurrerent, adhuc sequeretur effectus ex prava damnificantis voluntate.

Deinde: quamvis plures concurrerent ad idem damnum inferendum, ille solus tenetur ad restitutionem damni, qui fuit causa principalis, vel jubendo: si est Superior, vel Pater, vel Dominus; vel movens, & impellens alios ad damnum inferendum, si est vir alicujus autoritatis: Ergo quamvis ceteri effectivè concurrant ad damnum illud, non tamen tenentur ad restitutionem. Probatur assumptum, quia alii damnificarent, adimplendo voluntatem causæ principalis moventis, impellentis, & jubentis: Ergo &c.

Respondetur ad primum dist. antecedens: si deliberata, & prava voluntas est antecedens consilium, jussionem, consensum &c. alterius, tunc ille duntaxat tenetur ad restitutionem, qui damnum infert, concedo antecedens: si est concomitans, vel certè subsequens ad consensum, consilium, jussionem, &c. alterius, nego antecedens, & eodem modo distinguitur consequens; & concessio antecedente probationis, nego ultimam consequentiam in sensu distinctionis. Dico igitur, jussionem, consilium, consensum, &c. posse dupliciter sumi. Primo modo, ut præcedunt deliberatam, & pravam voluntatem operantis ad damnum, ita ut ex tali consilio, jussione, consensu, &c. sequatur efficaciter illa deliberata voluntas, & subinde effectus damnificationis; & siue ipsis nullus sequatur effectus, Secundo modo, ut concomitantur pravam, & deliberatam voluntatem operantis ad damnum; ita ut etiam non positus consilio, jussione, & consensu, adhuc effectus damnificationis sequeretur. In posteriori sensu, utique verum est, solum damnificantem teneri ad restitutionem damni; quia hic solus fuit efficax causa damni; consulentes autem, & jubentes perinde se haberent, ac si non præbuisent consilium, consensum, &c. quia adhuc ex vi solius pravae, & deliberatae voluntatis,

secuta fuisset damnificatio. At in priori sensu, quia jussio, consilium, & consensus antecedunt ipsam pravam, & deliberatam operantis voluntatem, ratione quorum interpretativè saltem, sequitur effectus damnificationis; ideo omnes ad restitutionem tenentur.

Dices: ex hac doctrina sequeretur, quòd damnificans ex jussione, consilio, &c. alterius, non teneretur ipse ad restitutionem, estò habeat pravam, & deliberatam voluntatem damnificandi. Sed hoc est falsum: Ergo falsa est doctrina supra assignata. Probatur sequela primò, quia posset pro damnificante militare interpretativa voluntas, quòd ipse damnum intulerit, ut motus ab alio; & sic excusari à restitutione; Secundo, quia is tenetur ad restitutionem, ratione cujus sequitur damnum, & quo ablato, damnum non sequeretur: Ergo sicuti consensus, jussio &c. forent concomitantes pravam, & deliberatam voluntatem operantis, consentientes, jubentes &c. non tenerentur ad restitutionem, quia adhuc ex illa prava, & deliberata voluntate sequeretur effectus; ita si voluntate deliberata, & prava operantis damnum, esset concomitans jussionem, consilium &c., excusaretur à restitutione: Ergo &c.

Respondetur negando sequelam, ad cujus primam probationem dico, quòd loquendo de foro externo, nequit militare interpretativa voluntas; nam forum externum debet judicare de damno alteri illato. Loquendo verò de foro interno, siue habuerit motu proprio pravam voluntatem, & deliberatam, siue ut motus ab alio, nunquam posset excusari à restitutione damnificans; quia efficacem consensum præbuit ad damnum illud jam effectuum.

Ad secundam probationem nego consequentiam. Quando ergo jussio, consilium &c. concomitantur pravam voluntatem, & deliberatam operantis, non agunt ad actum illum damnificationis, consentiendo efficaciter; quia etiam si quis non juberet, nec consilium daret &c., adhuc ex deliberata voluntate operantis sequeretur effectus. (Secus dicendum si est antecedens ad voluntatem pravam, & deliberatam; quia Titius V.G. deliberaretur ad comburendum Agrum Caii, vel ad furandum, vel aliud damnum inferendum, ut motus à consilio, vel jussione Petri: & voluntas deliberaretur vi talis consilii, & jussionis.) At non excusatur à restitutione, qui damnum infert alteri vi jussionis, consilii &c. Quia cum ipse sit, qui physicè ponit effectum damnificationis, proculdubio consensum habuit efficacem operandi.

22 Respondetur ad secundum negando antecedens; ad cujus probationem nego antecedens. Qui enim alium damnificant, adimplendo consilium, jussionem &c., alterius, ex efficaci sua ipsorum voluntate operantur. Et quia ad restitutionem tenentur omnes illi, qui efficaci-

caaciter operantur ad damnum, ideo est vñus ex consilio, & jussione alterius damnum intulit, uterque tamen ad restitutionem tenetur. Hoc etiam est certum, tam in mandante, quàm in mandatario ad aliquod homicidium patrandum; ubi nedum in foro externo, verùm etiam in foro interno uterque ad damnum refarciendum tenetur; quia uterque cooperatus fuit efficaciter ad tale homicidium.

23 Objicies secundo contra secundam partem, probando, potentem ex officio prohibere, & non prohibentem damnum, non teneri ad restitutionem. Ille obligatus est ad restitutionem damni alteri illati, qui ratione talis damni illati peccat contra justitiam; sed qui tenetur ex officio vitare damnum, & non vitat, non peccat contra justitiam: Ergo iste talis non tenetur ad restitutionem. Patet major; nam nemo obligari potest ad restitutionem, nisi ex peccato commisso contra justitiam. Probatur minor: qui ex officio tenetur vitare damnum, & non vitat, peccat tantum contra charitatem; quia quilibet ex præcepto charitatis, scilicet *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, tenetur impedire damnum, quod pro se ipso nollet: Ergo non peccaret contra justitiam; ac per consequens non teneretur ad restitutionem.

Deinde: qui potest vitare damnum, & non vitat, dum est persona privata, non tenetur ad restitutionem, quamvis peccet contra charitatem: Ergo etiam qui potest vitare damnum, & non vitat, est ex officio tenetur, non per hoc esset ad restitutionem obligatus. Probatur consequentia; quia officium illud non habet variare præceptum, nec mutare virtutem: Ergo utrobique est eadem ratio.

Respondetur ad primum negando minorem, & antecedens probationis. Unde dico, quod non ex solo præcepto charitatis, quod quis tenetur, alteri non facere, quod pro se ipso non vult, tenetur impedire damnum inferendum proximo, quando est obligatus ex officio, si est Princeps, Rector, Governator &c. sed insuper ex virtute justitiæ, qua tenetur expellere, & castigare malefactores. Quare in eo, qui tenetur ex officio, est obligatio restituendi, quando non impedit damnum illud; quæ obligatio insurgit, non ex charitate, sed ex justitia. Injustum nanque est, Principem, vel Rectorem, quibus incumbit expellere malefactores, illos non impediendo, permittere; nam posset rationabiliter damnificatus ante Supremum Judicem conqueri contra Principem, vel Rectorem, quod Justitiam executus non fuerit contra malefactores.

24 Respondetur ad secundum dist. antecedens: qui potest vitare damnum, quod resultaret contra Rempublicam, & non vitat, si est persona privata, non tenetur ad restitutionem, nego antecedens: si damnum non resultaret contra Rempublicam, sed tantum contra privatam personam, concedo antecedens, & ne-

go consequentiam. Persona privata, cui non incumbit ex officio vitare damnum, potest considerari, vel in ordine ad damnum publicum, vel ad damnum privatum, seu personæ privatæ. Si consideretur in ordine ad damnum publicum secururum, tunc certissimum est, quod nedum ex charitate, sed etiam ex justitia, quatenus est Reipublicæ membrum, tenetur illud impedire, si potest; imò magis damnum publicum tenetur impedire, quàm proprium; sicuti est quis obligatus magis ad bonum publicum tuendum, quàm proprium. Et iste talis ad restitutionem tenetur damni Reipublicæ illati, dum potuit impedire, & non impedivit. At si persona privata consideretur in ordine ad damnum alterius privatæ personæ, tenetur damnum illud vitare, & non vitando peccat tantum contra charitatem, absque obligatione restituendi. Quare est falsum antecedens probationis; nam sicut officium est directum à justitia, ita ultra præceptum charitatis involuit etiam præceptum justitiæ. Hæc expositio fundatur in doctrina Scoti loc. cit. s. *consimiliter*.

25 Ex his omnibus quantum spectat ad resolutiones casuum conscientie, infero plura.

Primo, personas privatas, quibus ex officio incumbit, puta satellites, milites; & etiam publicas, ut sunt Principes, Rectores &c. si non impediunt damnum proximo inferendum, dum impedire possunt, teneri ad restitutionem illius damni. Ratio est, quia tunc quisque posset interpretari, tales personas præbuisse consensum.

Infero secundo, personam privatam relatè ad damnum publicum inferendum, etiam teneri ad restitutionem, si possit tale damnum vitare, & non vitet. Ratio est, quia ut membrum Reipublicæ debet quodlibet damnum contra bonum publicum vitare.

Infero tertio, personam privatam peccare contra charitatem, sed non teneri ad restitutionem, non impediendo damnum proximo inferendum, quando impedire potest. Ratio est, quia adest præceptum, *Quod tibi non vis alteri ne feceris*.

Infero quarto, quod illi, qui dant consilium, consensum, vel jubent, &c. ac movent ad damnum inferendum, tenentur ad restitutionem. Ratio est, quia sunt causa movens, & impellens ad tale damnum; habentque efficacem voluntatem, ut damnum sequatur.

Infero quinto, quod illi, qui tantum dederunt consilium, consensum, &c. post deliberatam voluntatem damnificantis, ita ut, etiam si non dedissent consensum, consilium, &c. adhuc damnificatio secuta fuisset ex sola prava voluntate damnificantis, isti non tenentur ad restitutionem, sed solum peccant contra charitatem. Ratio est, quia posita deliberata, & prava voluntate damnificantis, consilium, consensus, &c. inde sequentes, non essent causa



sa efficax, ita ut ipsa non posita, non sequeretur effectus. Dubia, quæ occurrere possunt, tam de iis, qui moverunt, & explicitum consensum præbuerunt, quàm de iis, qui non impedierunt, ex his, quæ dicta sunt facile solvuntur.

### QVÆSTIO TERTIA.

*An liceat recuperare, & surripere rem suam furtivè, & per vim?*

**N**Otandum est, rem alienam posse ab altero dupliciter detineri, justè scilicet, vel injustè. Primo modo detinetur, quando apud alium res datur pignori, accomodato, vel deposito; vel etiam datur ad utendum; ut res, quæ locatur. Secundo modo, quando detinetur per furtum patratum; per liquidum debitum; vel per injustam rei alienæ emptionem. Hoc notato, non est sermo in præsentem, an liceat Titio V.G. rem suam recuperare per furtum, aut rapinam, vel per violentiam, quando justè à Cajo V.G. possidetur; præsertim, quando res illa fuit locata; quia tunc usus illius rei est translatus in possidentem. Sed solum est sermo de re injustè ab altero possessa. Ubi

26. Advertendum est, quòd plures conditiones requiruntur, ut unus licitè, & absque obligatione restitutionis, possit rem suam per furtum recuperare. Prima, & principalis est, quòd res sit certè sua, & non dubiosè; ita ut si est debitum in possidente rem illam, debeat esse liquidum, & non dubium; nam in rebus dubiis melior esset conditio possidentis, quàm surripientis. Et insuper, quòd accipiat, surripiendo non plus, quàm sit debitum.

Secunda, ut recuperata re sua, faciat pervenire ad notitiam Debitoris, vel hæredum, debitum fuisse jam solutum.

Tertia, ut rationabiliter credat, Debitorem non fore solutum debitum.

Quarta, ut surripiendo rem suam furtivè, nullum ex hoc scandalum oriatur, ita ut Debitor, cui fuit res ablata, non putet, rem illam fuisse sibi sublata à propriis famulis, vel domesticis.

Quinta, ut surripientis non incurrat periculum amittendi famam.

Sexta tandem, quòd surripientis furtivè certò sciat, non posse rem suam per sententiam Judicis recuperare; vel quia ei desit necessaria scriptura; vel quia deficiunt Testes; vel quia Judex magis inclinet ad favorem præstandum debitori, quàm creditori. His itaque notatis conditionibus, pro quæstionis resolutione

*DICO*, servatis omnibus conditionibus supra positis, posse licitè creditorem rem suam, injustè ab altero retentam, furtivè recuperare, absque ulla restitutionis obligatione: & etiam per vim, absque temporis interruptione. Hæc

conclusio quòdam primam partem est plurimum antiquorum Doctorum, quos refert Matrius, & præsertim Paludani, Gabrielis &c. contra alios. Et quòdam secundam partem de recuperanda re per vim, est Alexandri de Ales, Navarri, Aretini, & aliorum; estque probabilior, contra Sotum, Bannes, & alios. Deducitur ex Scoto in 4. dist. 15. q. 2. art. 4.

27. Probatur prima pars: Quando aliquis actus nemini infert injuriam, neque est legi obnoxius, potest licitè fieri; sed servatis supradictis conditionibus, actus quo quis furtivè recuperat rem suam, nullam infert injuriam alteri; neque legi prohibendi est obnoxius: Ergo potest creditor licitè rem suam furtivè recuperare, servatis supradictis conditionibus. Probatur minor, & primò quòd nemini inferat injuriam: si alicui inferret injuriam, maxime inferret debitori; sed huic nulla fieret injuria: Ergo &c. Probatur minor: dum supponitur debitum esse liquidum, & certum, & creditorem non plus furtivè surripere quàm suum creditum, vel suo credito æquivalens, nullam creditor ita surripiendo, infert Debitori injuriam. Primò, quia rem suam surripit. Secundò, quia certò scit, non posse illam alio modo recuperare. Tertiò, quia creditor non agendo contra justitiam, nullam debitori potest injuriam inferre: & in casu, quo creditum est liquidum, & non plus quàm suum creditum surripit, non agit contra justitiam: Ergo &c. Probatur nunc eadem minor principalis; quòd scilicet talis actus non sit legi obnoxius. In tantum talis actus surripienti rem suam, injustè ab altero detentam, esset legi obnoxius, in quantum aliquam perturbationem Reipublicæ inferret; & aliunde per Judicem posset creditor rem suam recuperare: sed positis illis conditionibus, supponimus, creditorem non posse aliunde per Judicem rem suam recuperare; & surripiendo occultè, absque scandalo, & periculo suæ famæ, nullam perturbationem, & incommodum affert Reipublicæ: Ergo &c.

28. Probatur secunda pars: Quando quis per rapinam, hoc est, per violentam extractionem, rem alienam rapit, & retinet injustè, injuriam infert domino illius rei: Ergo statim, absque temporis interruptione, dominus illius rei potest licitè à se injuriam illam repellere; sed non posset à se talem injuriam repellere, nisi per vim factam ei, qui rem suam abstulit: Ergo potest quis licitè, per vim, absque temporis interruptione, rem suam ab altero recuperare. Probatur major; quia quilibet tenetur se tueri, sive in vita, sive in fama, sive in re: Ergo potest per vim auferre à se injuriam, dum illam in re accipit.

Confirmatur hoc, & pono casum. Transit per aliquam viam Cajus cum suo equo, accedit Titius, & à Cajo rapit equum; potest statim Cajus per violentiam equum illum à Titio recuperare.

cuperare. In quo casu, cum Cajus maneret in periculo amittendi equum suum, nec aliunde posset illum recuperare, idcirco se tuendo, nullam Titio rapienti inferret injuriam: Ergo licite per vim rem suam recuperare potest. Probat- tur assumptum; quia tunc Titius esset invalor, & iniq̄, ac injuste possideret equum Caji; sed invalori quis potest vim inferre, ad suam rem recuperandam, ( sicut etiam ad suam vitam salvandam, ut infra dicemus ) quando aliunde periculum vitari non potest: Ergo &c.

*Solvuntur Objectiones.*

29 **O**bjicies primò contra primam par- tem. Nemo potest licite furtum committere; sed dum quis per rapinam rem suam recuperaret injuste ab alio detentam, furtum committeret: Ergo nemo potest rem suam ab alio retentam injuste, licite per rapinam recuperare. Probat minor: si Titius V. G. à Cajo furriperet centum per rapinam, quæ summa centenaria esset creditum ipsius Titii, tunc quia illa summa transiret in dominium Titii, invito Cajo, jam Titius fur- tum committeret: Ergo &c.

Deinde: quod vertitur in perniciem, & in incommodum Reipublicæ, non potest licite fieri; sed furripere furtive rem suam ab alio injuste retentam, vertitur in perniciem, & in incommodum Reipublicæ: Ergo non potest licite fieri. Probat minor: actio, quæ est contra legem, est in perniciem, & in incommodum Reipublicæ; sed furripere rem suam furtive, injuste ab alio retentam, est agere contra legem; nam lex prohibet, neminem esse Judicem in propria causa: Ergo &c.

Respondetur ad primum negando mino- rem, ad cujus probationem nego, quòd in illo casu Titius furtum committeret, non obitan- te, quòd summam illam centenariam furriperet furtive, invito Cajo; quia supponimus, Cajum non esse dominum illius rei injuste de- tentæ; nam non posset assignari justus titulus retentionis illius summæ, quæ injuste retine- tur. Et insuper supponimus, creditum Titii esse certum, & liquidum, & non plus furripere quàm sit ejus creditum. Ut autem committa- tur furtum, requiritur quòd res, quæ furripit- tur, non sit sua, nec æquivalens suæ, sed suam superans; & quòd res furripiatur, invito Do- mino rei. Unde licet in casu Titius rem à Cajo furriperet, invito ipso Cajo, tamen quia Ca- jus non esset dominus illius rei, non posset Ti- tio imputari ad furtum, rem à Cajo injuste detentam furripere.

Dices: Ergo saltem diceretur Titius furtum committere, si pro re sua furriperet aliquid æquivalens rei suæ. Probat minor: ista consequen- tia; quia hoc aliquid æquivalens maneret sub Dominio Caji; & dum furriperetur, invito

Cajo, jam furriperetur, invito domino: Ergo Titius illud æquivalens furripiendo, furtum committeret.

Respondetur negando consequentiam, ad cujus probationem nego antecedens. Debitum nanque quod Cajus haberet Titio solven- dum, non est in tali re numerica, sed in re spe- cifica ascendente ad summam centenariam; cumque Titius creditor jus habeat contra Cajum ad centum, sive hoc centum sit in pe- cunia, sive in æquivalente pecuniæ, semper Ti- tius jus ad centum habet. Et quia Cajus de- bitor tenetur reddere centum, vel æquivalenti dum manet sub tali debito, non est dominus summæ centenariæ, vel æquivalentis summæ centenariæ. Sit exemplum pro claritate. Ha- beat Cajus pro tota sua facultate mille, in qua habeat debitum cum Titio summæ centena- riæ, talis summæ centenariæ Cajus non est dominus, sed illius summæ est dominus Ti- tius creditor. Quare si Titius aliunde non posset à Cajo rem suam certam, & liquidam recuperare; absque labe furti, posset illam à Cajo furtive furripere; & non diceretur, Cajo domino invito furripere, quia illius summæ Cajus non esset dominus.

30 Respondetur ad secundum negando mino- rem. Attentis nanque supradictis conditio- nibus, & præsertim, quòd res furripiatur abs- que scandalo, & detrimento alterius, & famæ ipsius furriipientis, non verteretur in perni- ciem, & in incommodum Reipublicæ furripe- re furtive rem suam occulte ab injuste reti- nente illam. Unde ad probationem dico, non esse contra legem, recuperare rem suam mo- do, quo potest illa recuperari. Nam quando lex præcipit, neminem fieri judicem in pro- pria causa, sensus est, quando creditor posset rem suam aliunde per judicis sententiam re- cuperare: non verò, quando aliunde recupe- rare non posset, nisi illam furripiendo furtive ( dummodo tamen nullum inconveniens se- quatur.)

Dices: est actio illa furripiendi furtive rem suam non sit contra legem, nec ullum in- commodum afferat Reipublicæ, quantum ad substantiam rei, quæ est furriipientis ( ut suppo- nitur de credito certo; ) tamen quantum ad modum furripiendi, qui est furtivus, est in præjudicium legis, & afferat incommodum Rei- publicæ: Ergo saltem quantum ad hoc, non potest licite fieri.

Respondetur negando assumptum. Nam supponimus ex dictis num. 26. assignando conditiones requisitas ad licite furripiendam rem suam injuste ab alio detentam, quòd fur- ripiens ita occulte furripiat rem suam, ut nullum scandalum oriatur, cum ceteris aliis conditionibus servandis: & quòd non possit furripiens alium modum invenire, quàm il- lum furtive furripiendi, ut rem suam recupe- rare possit. Quare modus ille recuperandi fur-

tivè, sicut excusat surripientem à furto, ita nullum legi affert præjudicium, neque Reipublicæ perturbationem, Multò magis, quando creditum est certum, & liquidum. Ubi *Mastrius* noster notat, quòd surripiens rem suam furtivè, servando primam conditionem, quòd scilicet creditum sit certum, & liquidum, & non plus surripiat, quàm suum creditum, non tenetur ad restitutionem, nò servando ceteras conditiones; quia tunc rem suam recuperaret; sed addit, tantùm peccare mortaliter, non servando singulas conditiones; quia scandalum inferret Reipublicæ.

Contra hanc doctrinam *Mastrii* posset argui. Dum creditor surriperet rem suam furtivè, Debitor posset dubitare, rem illam fuisse ablatam à familiaribus domus ejus, & sic eos compellere apud Judicem, ut carcerentur, & eis pœnæ infligerentur, quòd damnū eveniret à surripiente: Ergo non servando singulas conditiones, non solum surripiens peccaret mortaliter, sed etiam contra justitiam, propter damnum aliis illatum; ac per consequens nullo modo est licitum rem suam ab alio surripere furtivè, & qui hoc faceret, teneretur ad restitutionem.

Respondetur, coherendo doctrinæ *Mastrii*, quòd in tali casu damnum illud familiaribus ejus, à quo surrepta est res, non eveniret ex intentione surripientis, sed præter ejus intentionem. Nam surripiens principaliter intendit rem suam recuperare, quando aliunde recuperare non potest, ut diximus supra. Quare ad damnum illud referendum non teneretur ipse surripiens; quia surripiendo furtivè rem suam, non peccaret contra justitiam, quæ obligat ad restitutionem; cum suam, & non alienum accipit. Et propter tale damnum tantùm mortaliter peccat contra ordinem Juris. Ex quo fit, quòd non servata illa conditione, non licitè tunc surriperet rem suam, & solum à restitutione excusaretur; Nam actio licita nequit stare cum peccato. Addo tamen ad hoc, quòd dum pervenerit ad notitiam surripientis, familiares sui Debitoris injustè pati, teneretur in conscientia (servando suam famam, & evitando periculum suæ vitæ) se conducere ad prudentem confessorium, ipsum rogando, ut se conducatur ad Judicem, & dicat, illos familiares esse innocentes de delicto, aut furto eis imposito. Nec est verum, tunc surripientem teneri ad restitutionem damni; quia cum res accepta furtivè, fuerit surripientis, eam justè abstulit à debitore: solus modus accipiendi fuit illicitus, quantum ad ordinem juris non servatum, ex quo damnum alteri evenit.

31 Obijcies secundo contra secundam par. probando, quòd per vim non possit quis rem suam recuperare. Si quis posset per vim rem suam injustè ab alio acceptam recuperare, nulla habita temporis interruptione, unusquisque posset esse Judex in propria causa; sed nemo po-

test esse Judex in propria causa: Ergo etiam si nulla adsit temporis interruptio, non potest quis rem suam per vim recuperare. Minor patet; quia tunc præcluderetur locus justitiæ à Judicibus exercendæ, & contra malefactores infligendi pœnas. Probat major; recuperare rem suam per vim, est facere sibi Jus: Ergo iste talis esset Judex in propria causa.

Deinde: posita temporis interruptione, non potest quis rem suam per vim recuperare, sed debet se ad Judicem conducere, ut per ejus sententiam eam recuperare possit: Ergo neque statim, & nulla habita temporis interruptione. Patet antecedens, quia si *Titius V. G.* cui fuit ablatus equus, post longum tempus vellet per vim equum suum recuperare, potius exerceret vindictam, quàm defensionem. Probatur consequentia: In tantùm post temporis dilationem nequit quis per vim rem suam recuperare, in quantum læderetur jus Judicis, quòd habet in decernendo, & malefactores castigando; sed idem jus læderetur, si nulla posita interruptione quis rem suam per vim recuperare vellet: Ergo &c.

Respondetur ad primum dist. majorem: posset esse Judex in propria causa, in se defendendo, concedo majorem: in non se defendendo, nego majorem, & dist. minorem: sed nemo potest esse Judex in propria causa, in se defendendo, nego minorem, in non se defendendo, concedo minorem, & nego consequentiam. Dico igitur, neminem posse esse Judicem in propria causa, quantum ad modum accipiendi rem suam; qui modus spectat ad Judicem, nedum decernentem rem esse hujus, vel illius; sed etiam punientem malefactores: At quilibet potest esse Judex in propria causa ad se defendendum. Unde si quis vellet rem suam recuperare per vim, statim, ac res fuit ablata, quia tunc justè se defenderet, poterit ceteri Judex in propria causa, & facere sibi jus; nam defensio est de Jure naturæ; & idcirco, nulla posita temporis interruptione, potest quis vim inferre, ad rem suam recuperandam. Quòd etiam patet de eo, qui ob defensionem suæ vitæ, quando scilicet vitam suam aliunde salvare non potest, occidit invaluorem, faciendo sibi jus contra eundem.

32 Respondetur ad secundum, negando consequentiam; ad cujus probationem dico, quòd posita temporis interruptione, non solum ideo deberet quis se ad Judicem conducere, ut rem suam recuperet, quia aliter faciendò læderetur jus Judicis; sed etiam quia, si violentiam inferret usurpatori rei suæ post longum tempus, non exerceret defensionem, sed vindictam; & ideo posita dilatione temporis, teneretur Judicem adire, ut sibi justitiam faciat. At nulla posita temporis interruptione, quia unusquisque tenetur se defendere, ideo potest statim ac injuriam accepit per furtum, violentiam inferre furi, vel invaluori.

Pro

Pro complemento hujus quæstionis pluradubia solvuntur spectantia ad casus conscientie.

33 **PETES PRIMO**. *An quando creditum est dubium, possit quis licite surripere rem suam?*

Respond. negativè. Ratio est, quia in rebus dubiis melior est conditio possidentis; quare surripens peccaret contra justitiam, & ad restitutionem teneretur. Ita communiter Doctores.

34 **PETES SECUNDO**. *An familiares possint licite à Domino aliquid surripere, pro compensatione suorum laborum, quando excedunt premium, & stipendium collatum?*

Respondetur cum distinctione. Vel familiares injerunt pactum cum domino de tanto stipendio eis conferendo, vel nullum cum eo pactum injerunt. Si nullum injerunt pactum, & dominus non tradit stipendium in latitudine justiprecii, usurpando mercedes, & labores eorum; & insuper familiares conquesti sunt de parvitate stipendii; tunc possent furtivè aliquid pro compensatione suorum laborum surripere (attentis tamen conditionibus supra positis num. 26.) Ratio est, quia tunc familiares jus habent ad justam mercedem exigendam, præsertim quando nullum fuit pactum, & de accipiendo justo pretio conquesti sunt apud ipsum dominum.

Si verò fuit factum pactum inter familiares, & dominum, etiam respondeo cum distinctione: vel dominus tradit stipendium juxta pactum, vel non. Si non tradit stipendium juxta pactum, sed minus; tunc posset licite familiaris surripere aliquid ad compensationem; propter eandem rationem; quia jus habet ad rem illam suo labore acquisitam. Si tandem dominus tradit stipendium juxta pactum, quamvis labores familiaris excedant stipendium, non potest licite rem pro compensatione surripere. Ratio est, quia stante pacto, nullum habet jus ad rem illam; cum ex pacto cesserit juri suo. Et in hoc habetur sequens damnata propositio Innocentii XI. *Famuli, & famula domestica possunt occultè heris suis surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

35 **PETES TERTIO**. *An si plures concurrant ad unum damnnum inferendum, omnes insolidum teneantur ad restitutionem?*

Respondetur dicendo, quòd plures possunt concurrere ad unum damnnum inferendum alteri, vel consulendo, vel jubendo, vel alio modo ex explicatis in illis duobus carminibus positis num. 16. efficaciter scilicet operando ad illam pravam actionem; vel immediatè operando ex propriis voluntatibus, absque impulsu alterius. Utroque modo, quia habetur efficaciter effectus damnificationis, omnes damnificantes tenentur insolidum ad restitutionem. Ratio est, quia illi plures non se habent, ut divisivè causæ partiales, relatè ad

illud damnnum, sed unitivè, ut causa una totalis: & jus damnificati est contra causam totalem damnificantem. V. G. si Titius, Cajus, Petrus, & alii devastarunt Agrum Pyrrhi, tunc quia Pyrrhus jus habet contra istos unitivè sumptos, omnes illi insolidum tenentur damnnum Pyrrho illatum resarcire. Ita communiter Doctores.

36 **PETES QUARTO**. *An, si unus ex his restituat, ceteri solvantur à debito restituendi?*

Respondetur cum Doctore nostro in 4. cit. §. Istorum, dicendo, *Quòd tunc uno restituente, omnes alii liberantur à debito in comparatione ad illum damnificatum: tamen alii tenentur pro rata portione, quæ eis contingit, illi, qui pro omnibus satisfecit.* Hæc sunt apertissima verba Scoti. Ubi noto, quòd damnificantes possunt duplicem habere respectum, unum ad damnificatum, & alium ad se invicem. Quando est solutum debitum, & resartum damnū illatum damnificato, tunc cessat respectus ad ipsum damnificatum, remanente respectu ad invicem; quia tunc ille, qui pro omnibus damnnum resarsit, acquirit jus contra Socios criminis.

Neque valet arguere contra doctrinam Scoti, quæ etiam est D. Thomæ; quòd scilicet, ubi est par causa turpitudinis, non resultat actio unius contra alium; ac per consequens uno solvente, ceteri non teneantur pro rata illi reddere.

Non valet, inquam; quia lex illa valet, quando ille, qui restitutionem fecit, fuit totalis causa damni: vel quando ipse totam rem alienam accepit. Ut si plures damnnum intulerunt Titio ad furandum equum V. G., & unus tantum illum pro se accepit, tunc alii à restitutione solvuntur, non solum facienda accipienti pro rata, sed etiam facienda proprio domino; quia quando quis non est rei alienæ possessor, non tenetur ad restitutionem. Quare si de re illa unusquisque partem accepit, uno restituente, tenentur reliqui huic pro rata solvere. Hoc quidem valet de re retenta, & inutilitatem damnificantium transacta. At loquendo de re damnificata, ut est primus casus positus de devastatione Agri, tunc estò alii sint inducti ad damnnum patrandum, ut moti à principali, tamen principale solvente, resultat in hoc actio contra ceteros; nam agentes, & consentientes pari pœna puniuntur.

Possent in hac quæstione plures casus conscientie resolvi de furtis, qui cum spectent ad materiam de furto in præceptis decalogi, ideo ad illam materiam in secundo tom. videntur me refero, sicut etiam in 6. disp. hujus libri.

## QVÆSTIO QVARTA.

*An possint dari casus excusantes à restitutione, & quinam sint?*

**N**ON est sermo in præsentì de causis excusantibus à restitutione faciendâ ad tempus, cum de his causis agemus in ultimis quæstionibus hujus disputationis, sed tantum hic loquimur de causis simpliciter, & absolutè à restitutione excusantibus, quatenus nullum possessoribus imputetur debitum restituendi. Et istæ causæ spectant ad quæsitum à Scoto factum de eo, qui tenetur ad restitutionem.

37. Causæ ergo totaliter excusantes debitorem à restitutione sunt quatuor. Prima est rei præscriptio, quæ est acquisitio dominii rei alienæ per possessionem rei, certo temporis spatio definito continuatam, ut dixi in secunda disputatione de dominio acquisito juris præscriptione.

Secunda est compensatio creditoris ex bonis debitoris: ut si Titius debeat Cajo centum, & Cajo à Titio accipiat æquivalēs, huic summæ, solutus est Titius à debito reddendi centum Cajo: & pro hac causa justificanda, sunt necessariæ omnes illæ conditiones positæ in antecedenti quæstione num. 3.

Tertia causa est omnimoda physica impossibilitas, ratione cujus impossibilitatis solent aliqui cedere in bonis suis, ut creditoribus ex eo, quod debitores possiderent, satisfiat, & de reliquis debitis, ad quæ non possunt, & omnimodam in posterum habeant impossibilitatem, non teneantur ad restitutionem.

Quarta tandem causa est remissio debiti facta à creditore, quæ remissio æquivaleret restitutioni. Notandum est tamen, quod ad validitatem hujus remissionis faciendæ à creditore, tres requiruntur conditiones. Prima, ut sit liberè, & non coactè, & per metum facta remissio. Secunda, ut talis remissio non sit à jure prohibita; ut esset remissio crediti facta à pupillis; nam sicut isti non possunt donare, ita neque possunt creditum remittere. Tertia, ut qui remittit, potestatem habeat remittendi; unde nec Curator, nec pupillus validè remittunt, quia potestatem non habent remittendi.

His notatis, quod quæritur in præsentì est, an hujusmodi causæ assignatæ excusent debitorem, tam in foro conscientiarum, quam in foro externo à totali restitutione faciendâ? Et pro resolutione

*DICO*, Præscriptionem rei; compensacionem creditoris ex bonis debitoris; physicam impossibilitatem debitoris; & remissionem debiti liberè factam à creditore, excusare debitorem à restitutione simpliciter faciendâ. Quò ad omnes, & singulas partes conclusio

est ferè communis inter Doctores.

38. Probatum primam partem, quod scilicet præscriptio rei excuset debitorem à restitutione. Quando debitor bona fide possidet rem alienam, putans esse suam per donationem, successorem, emptionem, vel per quemcumque alium justum titulum, post elapsum tempus à lege præscriptum (ut trium annorum in rebus mobilibus, decem in rebus immobilibus, vel viginti, vel triginta annorum, juxta varias Doctorum opiniones): res illa, quæ possidetur, fit possidentis, jure præscriptionis; Sed quando res aliquo jure fit possidentis, jam possidens excusatur absolutè à restitutione: Ergo præscriptio rei excusat debitorem à restitutione. Major est certa, & patet ex eo, quod dictum est quæstione cit. de dominio acquisito jure præscriptionis. Tum quia præscriptio fuit à lege communi justè posita ad lites, & jurgia removenda inter creditores, & debitores: ut dicebat Tullius. *Usucapionem esse finem solutionis, & litium omnium*. Tum etiam, habetur in lege 1. de usurp., & usucap. *Ne dñi, & ferè semper quarundam rerum dominia incerta essent*: ad quam incertitudinem dominii tollendam, introducta est præscriptio, ratione, cujus res fit possidentis. Probatum nunc minor: quando res aliquo jure fit possidentis, tunc ad possidentem est translatum dominium illius rei; sed quando dominium est translatum ad possidentem, quamvis possidens ante præscriptionem fuisset debitor, non tenetur ad restitutionem: Ergo &c. Probatum minor: posita præscriptione, jam possidens non amplius est putandus debitor; cum per tale jus præscriptionis sit à debito solutus; sed nemo tenetur ad restitutionem, nisi sit formaliter, & actualiter debitor: Ergo &c.

39. Probatum secundam partem, quod scilicet compensatio creditoris ex bonis debitoris excuset debitorem à restitutione. Quando creditor furripit rem suam, vel æquivalentem à debitore, deperdit jus, quod habet contra debitorem; sed quando creditor non habet jus contra debitorem, hic excusatur à restitutione: Ergo compensatio creditoris ex bonis debitoris excusat debitorem à restitutione. Major patet, quia quando debitum est solutum, sive ex voluntate debitoris, sive præter ejus voluntatem, nullum restat jus exigendi: neque debitum remanet solvendum ex involuntaria solutione debitoris. Probatum minor: quando creditor non habet jus contra debitorem, non habet jus exigendi; sed quando in creditore, nullum est jus exigendi, in debitore nulla restat obligatio reddendi; cum jus, & debitum sint correlativa, quorum uno deficiente, deficit aliud: Ergo &c.

40. Probatum tertiam partem, quod scilicet physica impossibilitas debitoris excuset à restitutione. Illa censenda est physica impossibilitas in debitore, quæ reddit debitorem quocunque

tem.

tempore vitæ suæ, tum præfenti, tum futuro, impotentem reddere debitum, facta, & facienda quacunque industria ad reddendum; sed quando est ita impotens debitor, ut nullo pacto possit debitum solvere, excusatur à restitutione: Ergo physica impossibilitas excusat debitorem à restitutione, Probatur minor; ad impossibile nemo tenetur; nec ullum præceptum obligare potest tum in foro externo, tum interno, ad impossibile; Ergo &c.

Dixi, quando debitor quocunque tempore vitæ suæ redditur impotens, tunc non teneri solvere debitum, & à restitutione excusari: nam si pro aliquo tempore sequenti posset, deveniendo scilicet ad pinguiorem fortunam, tunc teneretur restituere, ut infra dicemus.

- 41 Probatur quarta pars, quod scilicet per remissionem debiti liberè factam à creditore, debitor excusatur à restitutione. Contractus donationis, quo quis alteri rem suam donat, est licitus, & insuper est translativus domini donatoris in donatarium; sed remissio debiti liberè facta à creditore, reducit ad contractum donationis; imò est ipsa donatio rei: Ergo huiusmodi remissio debet esse licita; sed non esset licita, si non excusaret debitorem à restitutione: Ergo remissio debiti liberè facta à creditore excusat debitorem à restitutione. Minor subsumpta probatur, quia omnis actio illicita est contra iustitiam; sed qui remittit liberè debitum, non agit contra iustitiam: neque ille, qui talem donationem acceptat; quia non coarctat, neque merum inquit, neque vim facit creditori remittenti, ut supponimus ex num. 37. de conditionibus requisitis ad remittendum debitum: Ergo &c.

### *Solvuntur Objectiones.*

- 42 **O** Bijcies primò contra primam partem. Restitutio non solum obligat in foro externo, sed etiam in foro interno; sed jus præscriptionis, quamvis tollat obligationem in debitore restituendi in foro externo; non tamen tollit obligationem restituendi in foro interno: Ergo jus præscriptionis absolute non excusat debitorem à restitutione, sed adhuc remanet in conscientia obligatus. Probatur minor; jus præscriptionis est introductus per legem communem iustam à Principe latam, ad lites removendas, & ut ipsis finis imponatur; sed per huiusmodi legem communem non excusatur debitor, nisi solum in foro externo, & non in foro interno, à restitutione: Ergo jus præscriptionis, etsi tollat obligationem restituendi in foro externo, non tamen illam tollit in foro interno. Probatur minor: finis introducendi hoc præscriptionis jus, est ad imponendum terminum licibus, easque removendas; sed remota litium spe-

ciat tantum ad forum externum, ad quem se extendit autoritas Principis, quæ non se extendit ad forum internum; Ergo &c.

Respondetur negando minorem, & minorem probationis, cum ultima minore alterius probationis. Quia ergo plures Doctores dixerunt, Doctorem nostrum Subtilem inclinasse in illam partem, qua asseritur, jus præscriptionis tantum valere in foro externo, & non in foro conscientie, & interno; idcirco animo tuendi doctrinam tanti Doctoris, hic referam verbatim, quæ ipse habet in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. §. de prima translatione, *Lex iusta potuit jusse determinare prima dominia; & non minor est auctoritas legis, vel Principis, quod habeo hoc pro eodem, post divisionem dominiorum, quam ante: Ergo propter eandem causam, & eundem finem potest iuste transferri dominium, postquam fuerit alicui appropriatum.* Quod etiam Doctor noster probat per plures rationes, semper inferendo iustam domini translationem unius in alterum per Principis auctoritatem, ad perpetuas lites removendas, & ad pacem inter subditos statuendam; & insuper ad auferendam perturbationem in Republica. Ex his Scoti doctrinis infero; quod sicut lex Principis, quatenus iusta in prima dominiorum divisione, qua determinabatur, hoc esse meum, hoc tuum &c. ne dum lex illa ad forum externum, verum etiam ad forum internum spectabat; ita etiam lex iuste à Principe introducta, qua præscriptum fuit tempus transferendi dominium in possidentem, nedum ad forum externum, sed etiam ad forum internum spectat. Quia quoties res aliqua sit mea, auctoritate Principis, ratione divisionis domini; eam iuste possideo, tum in foro externo, tum in foro interno: ita ut si, me invito, à me iniuste auferretur, auferens teneretur tum in foro externo, tum interno, illam mihi restituere. Ita pariter dicendum est, quod si sit mea res aliqua iure præscriptionis, quia iuste auctoritate Principis illam possideo, quamvis alterius fuisset ante præscriptionem; sequitur, me illam iuste possidere, tam in foro externo, quam interno, seu conscientie. Ex quo fit, quod sicut iusta præscriptio reddit me dominum, & iustum possessorem illius rei; ita etiam à me auferit obligationem, quam ante præscriptionem habebam, restituendi, tum in foro externo, tum etiam in foro interno.

- 43 Obijcies secundò contra secundam partem, probando, compensationem creditoris ex bonis debitoris non excusare debitorem à restitutione. Per talem compensationem debitor acquirit jus contra creditorem: Ergo per talem compensationem debitor non amittit jus contra debitorem; sed quando debitor non amittit jus contra debitorem, debitor non est solutus ab obligatione restituendi: Ergo per talem compensationem debitor non excusatur à restitutione. Probatur antecedens; quia cre-



creditor supponitur hic surripuisse æquivalens suo credito à debitore, ipso invito; Ergo debitor acquirit jus contra creditorum surripientem: in quo casu unus tenetur alteri, proprio juri satisfacere.

Respondetur negando antecedens; ad cuius probationem dico, juxta dicta in præterita quæstione; quòd estò creditor surripierit rem suam, vel æquivalentem à debitore, ipso invito, non tamen ipso invito ut domino; quia supponitur, non surripuisse rem debitoris, sed suam, & sic furtum non commississe (servatis illis conditionibus positis num. 26.) Et hoc modo creditor excusatur à furto. Si igitur creditor per talem compensationem, & quidem justam, ut probavi, excusatur à furto, nullum insurgit jus in debitore contra creditorem surripientem, sed deperditur jus creditoris contra debitorem: at quando deperditur jus creditoris contra debitorem, nulla remanet obligatio, neque in foro externo, neque in foro interno in ipso debitore; ideoque debitor per talem compensationem excusatur à restitutione.

- 44 Obijcies tertio contra tertiam partem, probando, physicam impossibilitatem non excusare debitorem à restitutione. Impossibilitas physica debitoris, excusat debitorem à restitutione facienda statim, ac ponitur obligatio; Ergo non excusat simpliciter, & in quocunque tempore debitorem à facienda restitutione. Probarur antecedens: si Titius V. G. extreme indigens, & physicè impotens ad restituendum, in alio tempore deveniret ad pinguiorem fortunam, teneretur restituere pro illo tempore, pro quo potest: Ergo impossibilitas physica solum excusat debitorem à restitutione statim facienda, & pro tempore, quo non potest. Consequentia sequitur, quia jus creditoris exigendi licet sit sopitum, pro tempore, quo Titius debitor non potest restituere, non est tamen extinctum, ita ut pro alio tempore non reviviscat, pro quo Titius solvere possit; Ergo idem dicendum est de debito Titii sopito, pro tempore, quo Titius non potest restituere, quòd reviviscat pro tempore, quo potest.

Respondetur dicendo, hoc argumentum procedere ex falsa suppositione. Quando nos loquimur de impossibilitate physica, non est sensus, quòd debitor sit impotens pro hoc determinato tempore, sed pro quocunque futuro usque ad vitæ suæ terminum. Unde si debitor pro aliquo tempore deveniret ad pinguiorem fortunam, tunc certissimum est, quòd teneretur restituere; & in tali casu militaret ratio inter arguendum adducta; quòd scilicet debitum esset sopitum, sicut etiam jus in creditore; & utrumque revivisceret tempore, quo debitor perveniret ad pinguiorem fortunam. Quare in forma, negatur antecedens, cum supposito jam assignato; & idem

dicendum est ad probationem. Impotentia illa in debitore pro hoc statu, & tempore, & non pro alio, non est impotentia physica, sed tantum moralis; quatenus scilicet ab omnibus existimatur, neminem teneri ad id, quod non potest; quæ moralis impotentia tollitur pro alio statu, & tempore, quo potest; quia tunc existimatur, quemlibet teneri, ad quod potest: adeoque &c.

- 45 Obijcies quarto contra quartam partem, probando, remissionem debiti liberè factam à creditore non excusare debitorem à restitutione. Ut sit justa remissio debiti facta à creditore debitori, debet hic habere paratam pecuniam ad debitum solvendum; sed in casu, quo non habeat paratam pecuniam ad solvendum debitum, non excusatur à restitutione; Ergo saltem in tali casu debitor per remissionem debiti liberè factam à creditore non excusatur à restitutione. Probat major: si non requireretur, ut debitor habeat pecuniam paratam ad solvendum debitum, dubitari posset de libera remissione, imò posset rationabiliter credi, coactè, ex negatione scilicet debiti, vel ex impotentia debitoris moveri creditorem ad debitum remittendum; Ergo ut habeatur libera remissio, requiritur, ut debitor pecuniam paratam habeat ad solvendum debitum.

Respondetur negando majorem, cum antecedenti probationis. Ut ergo remissio sit libera, satis est, ut non ex impotentia debitoris, vel motus ab alio auctoritatem habente, remittat debitum; sed motus sua liberalitate, quia vult, debitorem solutum à debito, illi donando quod ipsi creditori de justitia debetur: quapropter non est necesse, ut debitor sit pecunia paratus ad debitum solvendum, & quamvis ab aliis credatur, debitum non fuisse liberè remissum, sufficit tamen, ut ipse creditor ex sua liberalitate debitum remiserit, & debitor, ut sit à restitutione excusatus, acceptaverit remissionem debiti, & certò sciat, creditorem ipsi debitum remisisse.

Pro resolutione casuum conscientiarum, plura dubia resolvenda sunt.

- 46 *PETES PRIMO*. An, quando debitor haberet animum nunquam solvendi, & creditor liberè ei remitteret debitum, diceretur tunc debitor solutus à restitutione?

Respond. affirmativè cum Amico, Soto, Valentia, & aliis. Ratio est, quia animus nunquam solvendi in debitore, cum non foret manifestus creditori, non coarctaret ipsum creditorem ad remittendum debitum; sed supponitur creditum fuisse liberè remissum. Ex qua libera remissione creditor cessit juri suo; & dum creditor cedit juri suo, debitor est à debito restituendi solutus quanquam prauum animum habuisset nunquam solvendi.

- 47 *PETES SECUNDO*. An qui manifestavit suam impotentiam actualcm restituendi per cessionem

QVÆSTIO QVINTA.

tionem bonorum, absque ulla sui ignominia sit excusatus à restitutione, tum in foro externo, tum in foro conscientiae?

Respondetur dicendo, impotentiam actualem excusare debitorem à solutione debiti in foro tantum externo, dum manet sub actuali impotentia; cum non possit Judex eum obligare, dum manet sub actuali impotentia; sed tantum potest illum obligare ad solvendum debitum, cum venerit ad pinguiorem fortunam. Et stante tali obligatione restituendi, cum poterit, non remanet in foro conscientiae à debito restituendi solutus. Hoc sancitum fuit L. 1. cod. *Qui bonis cedere possunt.*

48 **PETES TERTIO.** *An qui cogitur cedere bonis suis, possit tuta conscientia abscondere, & retinere pro seipso, & pro eis, quos alere tenetur, aliquid pro eorum sustentatione?*

Respondetur affirmativè. Ratio est, quia nemo tenetur ad restitutionem cum tanto suo incommodo: quod ei evenire posset, si omnes omnino facultates creditoribus distribueret, incidendo in notabilem miseriam; ut fame perire posset ipse, & sua familia.

49 **PETES QUARTO.** *An, qui publica ignominia cessit bonis suis, ut concutiendo lapidem in foro mercatorum; vel verenda monstrando in columna marmorea, teneatur ad restitutionem, cum pervenerit ad pinguiorem fortunam?*

Respondetur dicendo, quod quamvis opinio affirmans, talem debitorem non teneri ad restitutionem, cum pervenerit ad pinguiorem fortunam, sit æquitati humanæ conformis, & juri naturali; ex eo quod fama, & honor sint altioris ordinis, quam sint bona fortunæ; tamen magis conscientiae consentaneum est, asserere, quod debitor cedendo bonis suis cum publica ignominia, si pervenerit ad pinguiorem fortunam, teneatur in foro, saltem interno, ad restitutionem. Debitum enim restituendi in foro conscientiae, est sub divino præcepto, quod est altioris, imò altissimi ordinis, quam sint ipsa fama, & honor. Et hoc etiam est sancitum lege illa cit., & est opinio magis communis inter Doctores.

50 **PETES QVINTO.** *An excusetur à restitutione damni, qui non damnificavit, sed tantum movit, & induxit alios, ad damnum inferendum proximo?*

Respondetur dicendo, resolutionem hujus dubii pendere ex iis, quæ dicta sunt in secunda quæstione hujus disputationis, ubi diximus, moventes, & inducentes alios, ad damnum inferendum proximo, teneri ad restitutionem. Ratio est, quia fuerunt causæ efficaciæ damnificationis; quapropter Innocentius XI. sub numero 39. damnavit hanc propositionem: *Qui alium movet, & inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem sui damni illati.* Ex cujus propositionis damnatione deducimus, non excusari à restitutione damni, qui alios movit, & induxit ad damnum inferendum.

*An quis teneatur restituere lucrum acquisitum per rem furto sublatam; & etiam damnum illatum ei, cui rem illam furatus est?*

**M**Ovet, & resolvit hoc dubium Scotus in 4. cit. art. 4. §. de tertio. his verbis: *Non solum tenetur quis ad restituendum rem ablatam, vel usum rei; sed etiam ad interesse, & fructum conceptum de re, si res erat fructifera; sed non fructum, qui provenit ex industria. Ex quo sequitur, quod lucrum acquisitum ex pecunia fanebri non tenetur fenerator reddere; alioquin ille, qui reciperet, posset esse justè usurarius; quia recipere fructum de sua pecunia, proveniente per industriam alterius, est facere usuram. Et tandem eodem §. concludit. *Alicuius autem restituendum est.* Hac Scoti doctrina præmissa,*

51 Notandum est, rem alienam possideri posse ab alio dupliciter, vel bona fide, vel mala fide. Tunc res bona fide possidetur, quando invincibili ignorantia, & prudenti judicio quis putat, rem esse suam; & hujusmodi possessor durante bona fide, sine peccato rem alienam possidet; ut si Titius emisset equum à Cajō, putans, equum fuisse Caii, tunc sine peccato equum possidet, non obstante, quod Cajus equum Titio vendidisset; quia tunc Titius invincibiliter ignorat, equum fuisse furto sublatum. Tunc verò quis possidet mala fide, quando vel immediatè rem illam furatus est, vel saltem culpabiliter nescit, rem illam fuisse furto sublatam. Unde fit, quod tam possessor malæ fidei, ratione injustæ acceptionis, quam possessor bonæ fidei, ratione rei acceptæ, rem alienam injustè retinent; ac per consequens ad restitutionem uterq; tenetur; cum hoc tamen discrimine, quod possessor malæ fidei tenetur ad restitutionem rei, etiam si hæc periisset apud ipsum, cum omni damno, & interesse, quod passus est proprius dominus. Ubi non valet illa regula, quod res propria domino perit; quia tunc res est apud possessorem malæ fidei. Res verò bona fide possessa, si perit durante bona fide, proprio domino perit, etiam si postea accesserit mala fides. Et insuper unus possessor ab alio discriminatur per hoc, quod possessor malæ fidei nunquam potest tempus præscribere, & usucapere; secus verò possessor bonæ fidei, durante ipsa bona fide, ut dictum est in præterita quæstione num. 38. & in secunda disputatione quæstione de Præscript.

Hoc notato, pro eo, quod spectat ad præsentem quæstionem, adverto, lucrum ex re aliena perceptum posse dupliciter considera-

vel est lucrum acquisitum industria possessoris; vel est lucrum acquisitum ex fructibus rei possessæ. Et hi fructus alii sunt purè naturales; ut si possideretur Ager, vel vinea, tunc herbæ, poma &c. essent fructus naturales illius Agri, vel vineæ. Alii sunt fructus industriales: ut si esset ablata pecunia ex natura sua infructifera, quæ tamen redditur fructifera ex possessoris industria, ut si exponeretur negotiationi. Et alii sunt mixti, scilicet partim naturales, & partim industriales: & sunt illi, qui proveniunt quidem ex re naturaliter fructifera, sed magis res illa fructificat ex possessoris industria: ut sunt vinum ex vite, lana, & lac ex ovibus; quæ omnia habent naturaliter fructificare, sed majorem fructum afferunt ex humana industria.

His omnibus notatis, quod quæritur in præsentia, est, an tam possessor malæ fidei, quam bonæ fidei teneatur ad restitutionem, non solum rei alienæ ablatæ, sed etiam ad lucrum acquisitum ex illa, & ad resarciendum damnum proprio domino illatum; quod est damnum emergens, & lucrum cessans. Et pro resolutione

*DICO*, lucrum acquisitum ex re furto sublata, sive sit bona, sive mala fide possessa, si est ex re naturaliter fructifera (deductis expensis) restitui debere proprio domino: si verò lucrum est acquisitum ex industria tantum, restitui non debere. Et ad resarciendum damnum alteri illatum, qui damnum intulit, teneri, juxta æstimationem prudentum. Conclusio quò ad singulas partes deducitur ex Scoto loc. cit. quem sequuntur plures Recentiores contra Juristas aliquos, & alios quò ad secundam partem, in qua est major controversia; & opinio videtur magis probabilis.

32 Probatur prima pars: id, quod cadit sub alterius dominium, sive mala, sive bona fide possideatur, debet proprio domino restitui; sed lucrum acquisitum ex re naturaliter fructifera, quæ ablata est, cadit sub dominium proprii domini illius rei: Ergo tale lucrum, à fure perceptum, debet proprio domino restitui. Probatur minor: fructus naturales rei sunt illius personæ, cujus est illa res: Ergo lucrum, quod accipitur ex fructibus illius rei, cadit sub dominium domini illius rei. Probatur antecedens: si Titius furatus sit decem oves Caii; quia ovis ex sua natura habet lanam, nedum oves sunt sub dominio Caii, verum etiam lanæ naturaliter provenientes ab ipsis ovibus: Ergo nedum Titius teneretur Cajo restituere decem oves, vel pretium æquivalens, si oves non extant apud ipsum Titium; verum etiam lucrum perceptum ex ovibus illis; Ergo semper teneretur restituere lucrum ex fructibus acquisitum. Casus hic directè militat contra possessorem malæ fidei, qui est ipse fur furtivè rem alienam accipiens.

Eò vel maxime, quia in tali possessore malæ fidei valet illa lex communis: *Hoc natura*

*æquum est, neminem cum alterius detrimento locupletari fieri.* Quod etiam patet ex doctrina Scoti in initio quæstionis citata, quòd scilicet quis tenetur, non solum ad restituendam rem ablatam, vel usum rei, sed etiam ad interesse, & fructum conceptum de re, si res illa erat de se fructifera; Ergo &c.

53 Probatur secundò eadem pars specialiter de possessore bonæ fidei. Possessor bonæ fidei, accedente mala fide, obligatur ad restitutionem rei, quam priùs bona fide possedit; Ergo si res illa, quam bona fide possedit, est de se fructifera, tenetur restituere lucrum acquisitum ex fructibus illius rei, quanquam illam rem priùs bona fide possederit. Probatur cõsequentia. Sit Titius per duos, vel tres annos bonæ fidei possessor alicujus vineæ, quæ est sub dominio Caii: certò sciat postea, vineam illam esse Caii; à die, qua fit possessor malæ fidei, obligatur ad vineæ restitutionem, & ad omnem fructum perceptum ex illa vinea, demptis tamen expensis pro fructibus augendis, vel pro vinea ipsa melioranda; Ergo tenetur restituere lucrum receptum ex fructibus naturalibus illius rei. Probatur assumptum primò; quia dum incipit mala fides, incipit injusta rei, & lucri possessio; sed injusta rei, & lucri possessio obligat ad restitutionem rei, & lucri ex fructibus naturalibus percepti; Ergo &c.

Secundò probatur idem assumptum. Dum res bona fide possessa extat, accedente mala fide, obligat possessorem ad restitutionem; Ergo etiam obligabit possessorem ad restitutionem lucri, quamvis bona fide percepti, ex fructibus naturalibus illius rei. Probatur ista consequentia; quia res, ut naturaliter fructifera, cadit sub dominium domini, cui fuit ablata; Ergo tam res, quam fructus spectant ad ejus dominium; Ergo etiam sub ejusdem dominium cadit lucrum ex illis fructibus perceptum.

54 Hic cum communi opinione Doctorum, Layman, Lessii, Mastrii, Bonacinz, & aliorum, adverte, possessorem bonæ fidei, durante bona fide, ad nihil teneri, nec ad rem, nec ad fructus rei; accedente tamen mala fide, si res est, apud possessorem, quoad totum, tota res cum lucro ex fructibus naturalibus illius restitui debet; si res est quò ad partem, pars illa tantum restitui debet, unà cum lucro ex fructibus percepto. Si tandem res non extat, nihil rei est restituendum; etiamsi rem illam prodigaliter donaverit; quia res illa periit proprio domino, & non possessori bonæ fidei. In quo casu tantum possessor bonæ fidei teneretur reddere superfluum lucri, quod acquisivit ex re, vel ex fructibus naturalibus illius rei; quia ad tale superfluum duntaxat, & non ad aliud jus haberet proprius dominus. Hoc magis patebit in fine quæstionis, resolvendo plures casus conscientiæ.

55 Probatur secunda pars, quòd scilicet lucrum

crum acquisitum ex propria industria non fit restituendum. Non debet restitui id, quod non cadit sub dominium alterius; sed lucrum acquisitum ex industria rei alienæ non cadit sub dominium dñi illius rei: Ergo non debet cum re tale lucrum restitui. Probatur primò major: ex doctrina ex Scoto loc. cit. deducta. Si deberet restitui lucrum, quod non cadit sub dominium alterius, posset quis esse justè usurarius; sed nemo potest esse justè usurarius: Ergo non debet restitui id, quod non cadit sub dominium alterius. Probatur major: tunc posset quis censeri justè usurarius, quando posset licitè, & justè recipere lucrum de sua pecunia, proveniens ex industria alterius: Ergo quoties deberet restitui lucrum, quod non cadit sub dominium alterius, posset tunc quis esse justè usurarius.

Exemplo hoc. Supponamus, Titium furatum esse à Cajo centum, ex qua summa negotiationi exposita acquirat de lucro decem: quoties Titius teneretur, nedum centum, sed etiam decem restituere Cajo, tunc Cajo de sua pecunia, de se infructifera, acquireret lucrum ex industria Titii; & quidem justè (posita scilicet obligatione in Titio restituendi lucrum): Ergo tunc Cajo acquireret lucrum de sua pecunia ex industria Titii usurariè; cum nil aliud fit usura, quàm accipere lucrum de sua pecunia, ex vi mutui, vel quasi ex mutuo. Probatur nunc minor principalis. Lucrum acquisitum de re aliena ex industria acquirentis est pretio æstimabile: Ergo non debet cadere sub dominium, nisi illius, qui suos impendit labores pro tali lucro; sed dominus rei ablata non impendit suos labores in acquisitione illius lucri: Ergo nequit tale lucrum cadere sub dominium domini rei ablatae.

Confirmatur hoc: usurarius de lucro acquisito ex pecunia usuraria non tenetur ad restitutionem, quatenus tale lucrum acquiratur ex industria ipsius usurarii: Ergo neque fur de lucro acquisito ex sua industria de pecunia ablata, tenetur ad restitutionem. Antecedens est certum apud omnes, & expressè tenetur à Scoto loco cit. quòd scilicet ex re sanebri non tenetur sanator ad restitutionem. Titius V. G. qui ex mille aureis mutuum datis Cajo ab ipso Cajo reciperet vi mutui centum, hoc applicando negotiationi lucrum, quod ex his centum acquireret, non esset ipsius Caji, sed Titii; quatenus Titius ex sua industria lucrum acquireret de pecunia Caji. Unde Cajo solum jus haberet ad centum ultra sortem receptos à Titio, & non ad lucrum proveniens ex centum. Probatur consequentia; quia non magis est dominus suæ rei is, cui res fuit ablata, quàm is, qui lucrum dedit ex mutuata pecunia: Ergo si mutuatarius non habet jus ad lucrum proveniens ex sua pecunia per industriam usurarii, neque is jus habebit, cui res fuit ablata, ad lucrum per industriam furis acquisitum.

Èò vel maximè; quia tam pecunia usurariè

accepta, quàm ablata à fure; & ab usurario; exponitur periculo eam amittendi, illamque proprio domino in integrum restituendi, si amittatur: Ergo stante tali periculo, quod est pretio æstimabile, lucrum ex industria acquisitum ab utroque fit utriusque; & sic sub obligationem restitutionis non cadit.

56 Probatur nunc tertia pars, quòd scilicet, qui possedit injustè rem alienam, tenetur ad damnum, & interesse alteri illatum, juxta prudentum æstimationem. Et quidem hic non est sermo de damno simpliciter, ut esset in devastatione domus, vineæ, &c. vel in re furto sublata; cum de hoc damno locuti simus in secunda quæstione hujus disputationis; sed est sermo de damno, quod secutum fuit contra dominum ex injusta rei ablatione, vel injusta possessione: ut esset damnum emergens, vel lucrum cessans. Unde sic probatur. Quod est causa damni, tenetur ad damnum reparandum: Ergo quando ex furto alicujus rei, sequitur aliquod damnum illi, cui res fuit ablata, fur nedum rem furto sublata teneretur restituere, sed etiam pretium pro damno emergente, vel lucro cessante ex tali furto provenientibus. Probatur consequentia ex regula philosophica *Quod est causa cause, est etiam causa causati*; sed damnum illud emergens, vel lucrum cessans causantur à privatione, vel ablatione rei injustè ab altero possessa: Ergo causans ablationem rei per injustam possessionem, vel per furtum, causat etiam tale damnum emergens, vel lucrum cessans: Ergo si causans ablationem rei per injustam possessionem, vel per furtum, tenetur ad restitutionem rei, etiam tenetur hic ad damnum reparandum.

Confirmatur hoc exemplo: si Titius furatus esset mille à Cajo, quam summam Cajo tenebat promptam, & expeditam, vel ad negotiationem, vel ad domum suam reparandam, tunc Cajo passus est notabile damnum, vel ob perditionem lucri, quod potuisset acquirere ex tali negotiatione; vel ob damnum solvendi annum censum, si ob reparationem domus accepisset pecuniam ad censum: vel si domus corruisset, propterea quòd Cajo eo furto fuisset redditus impotens, illam aliunde reparare. In tali casu, quia causa talis damni, vel lucri cessantis fuit Titius fur, hic teneretur ad restituendum mille, & ad reparandum damnum Cajo illatum: Ergo non solum quis tenetur ad restitutionem rei ablatae, vel injustè possessæ; sed etiam ad damnum reparandum, si aliquod inde secutum fuerit.

Èò vel maximè; quia nisi pecunia illa fuisset ablata, aut injustè possessa, damnum illud non fuisset secutum; nam non posito antecedenti connexo cum aliquo consequenti, non poneretur consequens illud; juxta regulam philosophicam: Ergo &c.

Dixi, quòd pretium pro damno restituendum est juxta prudentum æstimationem; quia

non fiat in libertate damnificari taxare pretium æquivalens, pro damno illato compensando, sed juxta prudentiam alterius judicantis damnum illud tali pretio fore compensandum.

*Solvuntur Objectiones.*

57 **O**bjicies primò contra primam partem, probando, lucrum perceptum ex fructibus naturalibus rei, non esse restituendum. Fructus rei spectant ad rei possessorem; Ergo dum quis, sive per injustam acceptionem, seu mala fide possideat, sive per rem acceptam, seu bona fide possideat, non tenetur ad restitutionem lucri percepti ex fructibus naturalibus rei. Probatur antecedens: si res ablata, vel mala fide possessa incipiat naturales fructus producere, postquam ad ejusmodi possessorem pervenit, nulla apparet ratio, cur illa res debeat proprio domino fructificare; Ergo fructus rei, saltem qui producuntur apud possessorem, ad ipsum possessorem spectant. Probatur antecedens: supponamus, Titium mala fide possidere vineam Caii, quæ vinea nullum fructum affert tempore, quo incipit possideri à Titio, sed post possessionem incipit fructus producere, & quidem fructus naturales vineæ, ut sunt uvæ, vel etiam consueta terræ nascencia: tunc non videtur, cur fructus illi habiti post possessionem, debeant ad Cajum spectare, & non ad Titium possessorem. Vel si Titius furatus esset decem oves à Cajo, quæ tempore commissi furti neque lac, neque lanam habebant, sed utrumque habeant, postquam sint apud Titium possessorem: non apparet ratio, quare fructus illi spectare debeant ad Cajum, & non ad Titium; Ergo &c. Probatur assumptum utriusque casus, quia fructus illi non se haberent ut furto sublatis, neque injustè acceptis; Ergo non spectant ad Cajum dominum, sed ad ipsum possessorem.

Respondetur, negando antecedens in sensu conclusionis, scilicet de possessore malæ fidei, vel per injustam acceptionem, (secus dicendum de justo possessore, vel per translationem dominii, saltem utilis). Ad cujus probationem nego antecedens, & dum probatur, nego assumptum utriusque casus. Quamvis ergo tempore, quo vinea Caii incipit à Titio mala fide possideri, sit sine fructibus actualibus, & oves sine lacte, & lana; non tamen sunt simpliciter sine illis fructibus, saltem virtualiter: nam vinea naturaliter habet in sua virtute producere uvas, & herbas arbores: poma &c. sicut oves naturaliter habent in earum virtute producere lac, & lanam. Hoc, inquam, est sufficiens ratio, cur fructus isti naturales pro tempore, quo foras erumpunt, ad proprium dominum, & non ad possessorem spectent. Ratio est, quia si vinea illa, vel oves non essent

apud possessorem, vel furem tempore; quo actualiter fructificant, jam naturaliter haberent fructificare apud dominum. Ut patet de jumento gravido, quod si quis eum furetur, jam partus illius jumentum ad dominum ipsius spectaret; quia furatum esset illud cum tali fructu virtualiter manente in utero ipsius jumentum.

58 Objicies secundò contra secundam partem, probando, quòd fructus industriales debent restitui. Lucrum, quod acquiritur, non potest cadere sub dominium injustè acquirentis; Ergo etiam si sit lucrum acquisitum ex industria furis, vel injustè possidentis, debet domino rei restitui. Probatur antecedens: si caderet sub dominium injustè acquirentis, posset quis cum damno alterius, vel ex dolo justè lucrum accipere; sed hoc dici nequit: Ergo &c. Probatur sequela; nam dominus pecuniæ ablatæ damnum, & dolum pateretur ex lucro, quod fur acquireret ex sua pecunia; Ergo &c.

Deinde: pecunia se habet, ut radix ad lucrum acquisitum ex illa; sed ad illum, ad quem spectat radix, spectant etiam rami (ut dicunt Juristæ): Ergo ad dominum, ad quem spectat pecunia, debet etiam spectare lucrum ex pecunia acquisitum; Ergo fructus industriales cadunt sub restitutionis debitum.

Respondetur ad primum dist. antecedens: si lucrum illud acquireretur injustè, non potest cadere sub dominium injustè acquirentis; concedo antecedens: si lucrum acquireretur justè, nego antecedens, & consequentiam. Ad cujus probationem dist. majoris sequelam: posset quis ex dolo, & cum damno materiali, & merè per accidens alterius, justè lucrum accipere, concedo sequelam majoris: ex dolo, & cum damno alterius de formali, & per se, nego sequelam majoris; & eodem modo distincta minori, nego consequentiam. Dico igitur pro explicatione primæ distinctionis, lucrum ex re aliena posse dupliciter acquiri, vel justè, vel injustè. Tunc justè acquiritur, quando acquirens proprios impedit labores, propriamque industriam, exponendo se periculo amittendi, unà cum lucro incerto, rem ipsam; nam hæc omnia sunt pretio æstimabilia. Tunc verò injustè acquiritur lucrum, quando absque ullo labore, & industria acquirentis, lucrum naturaliter evenit à re injustè possessa; cum in tali casu nil habeatur pretio æstimabile. Pro explicatione secundæ distinctionis dico, quòd nullum sequitur damnum, vel committitur dolus contra dominum pecuniæ ablatæ, nisi tantum de materiali, at per accidens; cum pecunia ipsa de se sit infructifera. Tunc ergo sequeretur damnum, vel committeretur dolus de per se, & pro formali, quando pecunia illa apud dominum posset labore, & industria ejus etiam fructificare, si exponeretur negotiationi; vel si esset præparata ad reparationem domus,

mus, vel alterius rei ipsius domini. In quo casu, non lucrum acquisitum ex pecunia oblata, vel injustè possessa faceret, ut dominus pecuniae pateretur damnum, vel dolum, sed lucrum cessans, & damnum emergens: quod lucrum cessans, & damnum emergens semper teneretur fur, aut injustè possidens pecuniam illam, resarcire; ut dictum est in tertia parte hujus conclusionis, secus verò ad ipsum lucrum justè ex propria industria acquisitum.

59 Respondetur ad secundum negando majorem; falsum enim est, pecuniam furto sublatam, aut injustè possessam se habere veluti radicem lucri per ipsam acquisiti; sed tantum se habet veluti instrumentum ad ipsum lucrum. Radix nanque talis lucri est industria, aut labor acquirentis lucrum; & quia industria spectat ad furem, vel injustè possessorem pecuniae, ideo lucrum ortum ex tali industria ad furem, vel injustè possessorem spectare debet; adeoque &c.

60 Objicies tertio contra tertiam partem, probando, furem, aut injustè possessorem non teneri ad damnum, vel ad lucrum cessans, & damnum emergens. Is teneretur ad damnum, resarciendum, sive ratione lucri cessantis, sive damni emergentis, qui est causa efficax talis damni; sed fur, aut injustè possessor non est causa efficax damni secuti per ablationem pecuniae, vel per injustam possessionem; Ergo fur, aut injustè possessor ad nullum damnum teneretur. Major petet ex dictis in secunda quaestione hujus disputationis. Probatur minor fur dum pecuniam furatur, aut injustè possessor dum talem pecuniam possidet, non intendunt tale damnum fore secururum, sed primario intendunt proprium commodum; Ergo non sunt causa efficax illius damni.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dist. antecedens: non intendunt tale damnum invincibiliter, & evitabiliter, nego antecedens: vincibiliter, & inevitabiliter, concedo antecedens, & nego consequentiam. Fur igitur, & possessor rei alienae, dum pecuniam furantur, & injustè possident, estò intendunt proprium commodum, tamen intendunt etiam damnum domino rei secururum inevitabiliter, & vincibiliter: inevitabiliter, cum tale damnum sit connexum cum ablatione pecuniae, vel preparatae ad domum V.G. resarciendam à proprio domino, vel exposita, aut proximè exponenda negotiationis quod damnum à ture evitari non possit in ablatione pecuniae. Et etiam vincibiliter; quia evinci potest, quòd fur auferendo pecuniam, vel illam injustè retinendo, damnum proprio domino intendat inferre, ac per consequens estò intendat proprium commodum, quia tamen damnum inevitabiliter sequitur, diceretur tam fur, quàm injustè possessor causa efficax damni; & ita ad illud resarciendum teneretur.

61 Pro casuum conscientiae exacta noticia in-

fero primò, quòd res furto sublata eadem numero restitui debet, si permanet eadem apud possessorem, vel furem; dummodo tamen nullum incommodum famae, vel vitae furis, aut possessoris sequatur ex tali restitutione. In quo casu possit fur reddere æquivalens rei ablatae. Dixi, si nullum incommodum famae, aut vitae sequatur; quia tunc magis attendendum est famae, & vitae, quàm redditioni rei in numero, vel specie.

Infero secundò, quòd si res furto sublata sit consumpta, teneretur fur reddere æquivalens, ut si quis furatus sit equum, vel oves &c. pretium rei reddere debet, quando equus, vel oves consumptæ sunt. Idem dicendum de frumento, oleo, vino &c.

Infero tertio, quòd si res est naturaliter fructifera, ut dictum est, teneretur fur ne dum rem restituere, verum etiam fructus acceptos ex illa re; quia res naturaliter fructifera suo domino fructificat.

Infero quartò, quòd si ex re ablata oriatur aliquod damnum emergens, vel lucrum cessans ex parte domini illius rei, ad tale damnum resarciendum teneretur ipse fur; quia tunc fur esset causa efficax talis damni, quod non eveniret, non secuto furto.

Infero quintò, quòd si occurrissent expensæ pro manutentione rei ablatae, ut si esset equus, pro ejus victu &c. si vinea injustè possessa, pro cultura &c. tunc dominus teneretur compensare furi, aut injustè possidenti expensas illas; quia expensæ sunt pretio æstimabiles.

Infero sextò, quòd pro damno emergente, & lucro cessante, etiam teneretur ille, qui justè, & non invito domino, rem alterius retinet: ut esset debitor, qui elapso tempore solutionis faciendæ, non solvit debitum suo creditor; ex qua solutione non facta, damnum resultaret in creditore; quia damnum illud non patitur creditor, nisi ex non facta solutione à debitore tempore præfixo.

62 *PETES PRIMO. An injustè possidens rem alterius, teneatur reddere fructus mixtos illius rei injustè possessæ; scilicet qui partim sunt naturales, partim industriales?*

Respondetur dicendo, teneri ad restitutionem fructus tantum ex ea parte, qua naturales sunt, & non ex ea parte qua sunt industriales. Ut si Titius injustè possideat vineam Caii, quæ vinea, per culturam à Titio factam, plus fructuum affert, quàm naturaliter sine cultura afferret: tunc tantum illos reddere deberet Titius, quos naturaliter vinea ipsa produceret; non verò alios; cum tale augmentum sit factum ex industria Titii. Ratio hujus est, quia ad illos fructus teneretur injustè possessor, qui cadunt sub dominium proprii domini; at solum fructus ex ea parte, qua naturales sunt, cadunt sub proprii domini dominium, & non ex illa parte, qua industriales sunt; Ergo &c.

V 2

Neque



Neque obstat, quòd proprius dominus, colendo vineam illam, si apud ipsum esset, adhuc haberet tale fructuum augmentum. Nam proprius dominus vineam illam coleret propriis laboribus, & expensis; at in casu nostro istæ expensæ impenderentur ab injustè possessore; ideoque dominium illius augmenti spectaret ad possessorem, & non ad dominum vineæ.

- 63 *PETES SECVNDO*. An, qui mense Augusti furatur frumentum V.G. perseveraturum usque ad mensem Maii, teneatur reddere illud cum omni melioratione facta, vel pretium, quo valet mense Maii; vel tantum pretium, quo valebat mense Augusti?

Respondetur cum distinctione. Si frumentum illud à proprio domino debebat vendi mense Augusti, tunc tenetur reddere pretium, quo valebat mense illo Augusti; & insuper damnum, & interesse, si ex pretio illo debebat dominus frumenti agrum colere, seminarè &c. vel pecuniam perceptam negotiationi applicare; nam semper tenetur fur ad damnum, & interesse secutum ex re ablata proprio domino. Secus verò dicendum, si nullum secutum est damnum. Si verò proprius dominus debebat etiam illud conservare pro mense Maii, pro quo majori pretio valebat, tunc fur teneretur reddere cum omni melioratione (demptis expensis à fure factis pro frumenti conservatione). Ratio est, quia in restitutione servari debet æqualitas, præsertim, quando jus domini perseverat, ut est in casu: adeoque melioratio, quæ sequitur rem ablatam, spectat ad dominum rei. Ex hac responsione solvi possunt ceteræ difficultates consimiles, quæ adduci possunt, & adducuntur à Doctoribus.

- 64 *PETES TERTIO*. An, si res furto sublata patitur aliquod detrimentum apud injustè possidentem, quod passura non erat apud proprium dominum, teneatur fur resarcire tale damnum?

Respondetur affirmativè. Ratio est, quia sicuti si res perit apud injustè possidentem, huic & non proprio domino perit; ita si damnum patitur, huic damno subiacere debet injustè possidens, & non dominus, etiam si absque culpa illius injustè possidentis habeatur tale detrimentum. Solùm igitur excusatur à detrimento fur, si etiam apud dominum res illa ablata tale detrimentum pateretur. Ut si quis fuisset furatus equum, qui tam si fuisset apud dominum, quam apud furem ob aliquam influentiam naturalem incideret in infirmitatem, tunc cum tali detrimento reddi deberet proprio domino, absque ulla damni resarcitione. Hoc est commune apud omnes Doctores.

- 65 *PETES QUARTO*. An, qui bona fide emit rem furto sublatam, & durante bona fide illam vendidisset, & post venditionem sciret rem illam fuisse furto sublatam, possit cum fure rescindere contractum?

Pro resolutione hujus dubii adverto, possessorem bonæ fidei, durante bona fide, vel rem illam emptam bona fide, plusquam emerat, vendidisse; vel eodem pretio: si eodem pretio, nulli dubium est, quòd ad nihil tunc tenetur bonæ fidei possessor. Si verò plusquam emerat, vendidisset, est difficultas, quantum ad illud plus pretii, si teneatur ad restitutionem. Et quantum ad hoc

Respondeo, quòd qui bona fide emit rem furtivam, & bona fide durante, illam majori pretio vendidit, non tenetur ad restituendum illud plus, V.G. Titius bona fide emit equum furto sublatum à Cajo triginta aureos, & durante bona fide, illum equum vendidit Petro quadraginta: illos decem aureos superantes pretium solutum in emptione, non tenetur solvere. Ratio est, quia excessus ille decem aureorum non est fructus equi, sed industriæ ipsius Titii, & ad restitutionem fructuum industrialium non tenetur possessor, neque bonæ fidei, neque malæ fidei; sed solùm tenetur ad fructus naturales rei, qui cadunt sub dominium domini illius rei.

Neque in tali casu tenetur restituere rem; quia res illa non extat, & supponitur bona fide vendita, sicuti bona fide fuit empta.

Neque tandem potest bonæ fidei emptor rescindere contractum factum cum fure (quod est principale dubium præsentis difficultatis.) Et ratio est, quia contractus non est rescindendus, quando nulla apparet fraus ex parte unius contrahentis: sicut esset si unus venderet argentum auro tinctum pro vero auro, aut vitrum pro gemma; ubi ex parte emptoris haberetur dolus, & fraus ex parte venditoris. Ac in casu proposito nulla est fraus, nec dolus; ideoque non habetur motivum rescindendi contractum.

Neque valet ad hoc ultimum, si dicas, in tali casu venditorem, quia fur est, & non dominus rei, non posse transferre dominium rei in emptorem; & sic emptor posset rescindere contractum. Non valet, inquam; quia quamvis in tali contractu non transferatur dominium; tamen quia semper venditor, seu fur teneretur emptori de evictione, & de valore rei, contractus ille teneret, & esset validus; ac per consequens non rescindendus. Ex iis, quæ dicta sunt, plures aliæ difficultates solvi possunt, tam possessoris bonæ fidei, quam malæ fidei, circa ea, quæ sunt proprio domino restituenda; tam scilicet ratione rei, quam fructus naturalis ex re percepti, & ratione damni emergentis, & lucri cessantis.

Q V Æ S T I O S E X T A :

*An bona acquisita per hypocrisim sint restituenda?*

**N**isi hanc quæstionem exagitatam vidissem apud veteres Doctores, de ea forsitan nihil pertractassem; cum nomen hypocrisis magnam mihi afferat nauseam, tum ex eo, quod dixerint contra simile vitium Sancti Patres, tum ex eo, quod experientia plurimum hypocritarum compertum est. Qui, ut aiebat Divus Thomas Aquinas, *videntur continentia, ac jejunia, quasi quadam pietatis veste, se circumdare: intrinsecus autem habentes animum venenatum, simplicium fratrum corda decipiunt.* Ita res est, & utinam ita non esset. Decipiunt namque corda fratrum simplicium, qui existimantes, eos esse cujusvis dignitatis capaces, uti bonos, uti justos, ac paterna charitate abundantes; post collatos honores experiuntur tot Lupos rapaces, quot antea putaverint oves mansuetissimas; cum ad ipsos venerint (ut Christus dicebat) *in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt Lupi rapaces.* Corda fratrum decipiunt, se ostendentes, ut virtutum cultores, donec honores accipiant, & post acceptionem quales intrinsecus sunt, sese ostendunt, opprimendo nimirum bonos, justos calumniando, studiosos, ac magnates opprimendo, omnem subvertendo justitiam, & ut perpetuum adipiscantur dominium, utuntur virtuosos, non minus, ac sessor sua mula utatur. Permittit quandoque Deus hypocritam regnare propter populi peccata, juxta illud Job 24. *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, & ideo ob excæcatam quorundam voluntatem eliguntur isti in prælaturas, aut in seculares dignitates, & Reipublicæ administrationem. Quid boni facere possunt homines tam perversi, tam iniqui in dominio positi? Dignitati renunciare, difficillimum est; cum hypocrisis ipsa fuerit finis, & motium talis acquisitæ dignitatis. Sat contra hypocrisim hoc fit.*

Quare hic per hypocritam accipio eum, qui fictam sanctitatem ostendit, ut justus alteri appareat, & inter justos reputetur, & honoretur. Unde quæritur: an si quis moveat animum dantis, conferentis, & eligentis ad sibi conferendam, vel summam aliquam pecuniæ, vel dignitatem; putans conferens, dans, & eligens conferre illam homini justo, & viro probato, qui tamen ita non est; hic ad restituendam pecuniam, vel dignitatem in conscientia teneatur? Quod idem est dicere: an acquisita per hypocrisim sint restituenda? Et quidem restitutio in bonis fit per redditionem rei habitæ; & in dignitate per renunciationem ip-

sus dignitatis. Pro resolutione quæstionis:

*DICO*, Hypocritam teneri ad restitutionem omnium bonorum, sive fortunæ, sive cujusvis dignitatis, quæ acquiruntur per hypocrisim, quando hæc est causa finalis, & motiva, cur talia bona conferantur. Conclusio est Alexandri de Ales, Sylvestri, Fabri, Aretini, Maltrii, & aliorum contra Sotum, Navarum, & alios: & deducitur ex Scoto in 4. dist. 15. qu. 2. in fine §. ad ultimum. Est probabilissima.

66 Probatur primò. Quoties causa finalis, & motiva faciendi aliquem contractum gratuitum ponit fraudem, & deceptionem ex parte dantis, & conferentis, toties contractus est invalidus; sed hypocrisis, quæ est causa finalis, & motiva, cur conferatur aliquod bonum, quodcumque sit, ponit fraudem, & deceptionem in dante, & conferente tale bonum: Ergo hypocrisis habet invalidare contractum. Sed quando contractus est invalidus, alter ex contrahentibus tenetur ad restitutionem boni accepti: Ergo hypocrita tenetur ad restitutionem bonorum, quæ accipit per hypocrisim. Major patet ex 3. disp. de valore contractus. Probatur minor: tunc ponitur fraus, & deceptio in dante, & conferente aliquod bonum, quando dans, aut conferens putat liberè dare ex uno motivo, & quidem justo, & tale motium non intervenit; sed dans, & conferens aliquod bonum hypocritæ, putat liberè dare ex motivo veræ sanctitatis, & justitiæ, & hoc motium ratione hypocrisis non intervenit: Ergo hypocrisis ponit fraudem, & deceptionem in dante, & conferente tale bonum. Probatur minor; nam hypocrisis est ficta sanctitas; Sed dans, & conferens aliquod bonum putat liberè dare, & conferre, ut motus non à ficta, sed à vera sanctitate: Ergo &c.

Confirmatur à pari: si Titius daret centum Cajo, putans, Cajum esse suum consanguineum, qui re vera Titii consanguineus non est, tunc contractus iste donationis esset invalidus, ratione fraudis, & deceptionis; & teneretur Cajus restituere Titio centum; Ergo etiam dum quis movetur ab hypocrisi ad conferendum alicui bonum, putans, moveri à vera sanctitate; propter fraudem, & deceptionem conferentis, contractus esset invalidus; & ille, cui esset collatum tale bonum, teneretur ad restitutionem. Consequentia sequitur; quia hujusmodi contractus reduceretur ad contractum gratuitum donationis.

67 Probatur secundò. Omnis contractus, in quo intervenit ex parte unius contrahentis involuntarium, est invalidus, & ut talis obligat alterum ex contrahentibus ad restitutionem; sed contractus hic, quo quis movetur à ficta sanctitate hypocritæ ad huic conferendum aliquod bonum, involuit involuntarium ex parte dantis: Ergo talis contractus est invalidus, & obligat alterum ex contrahentibus ad

ad restitutionem . Probatur minor : quando alius est finis , à quo dans , & conferens movetur ad dandum , & conferendum , datio illa , & collatio est involuntaria ; sed alius reperitur finis in hypocrita ab eo , à quo quis movetur ad bonum conferendum ; Ergo &c. Probatur minor , quia quis movetur à vera sanctitate , & hypocrisis est ficta sanctitas . Nemo nanque ex pravo fine , ut est hypocrisis , movet voluntatem boni viri ad bonum conferendum ; Ergo &c.

Confirmatur . Si Episcopus certò sciret , Cajum Presbyterum esse hypocritam , & illi beneficium aliquod conferret , iniquè Episcopus ille ageret ; quia moveretur à fine inhonesto certè cognito ; Ergo ut justè agat , debet moveri à fine honesto ; sed quando movetur à fine honesto , & hic non reperitur in hypocrita , tunc actio illa conferendi beneficium redditur involuntaria ; & quidem quia Episcopus deciperetur ; Ergo &c.

### *Solvuntur objectiones.*

68 **O**bjicies primò . Quando contractus est validus , non obligat alium ex contrahentibus ad restitutionem ; sed contractus , quo quis donat , aut confert bonum aliquod ( quodcumque sit ) hypocritæ , non est invalidus ; Ergo non obligat hypocritam ad restitutionem . Probatur minor : contractus , quo quis donat aliquod bonum hypocritæ , in tantum esset invalidus , quia per talem collationem boni , & donationem deciperetur dans , aut conferens ; sed hoc est falsum ; Ergo &c. Probatur minor : non diceretur deceptus ille , qui conferret aliquod bonum , aut beneficium viro improbo , putans esse virum probum , ex eo , quòd in eo non cognoscat occultam malitiam ; Ergo neque deciperetur donans , aut conferens bonum aliquod hypocritæ . Probatur consequentia ; quia non magis hypocrita per hypocrisim ostendit fictam bonitatem , quàm vir improbus apparentem probitatem ; & non minùs movetur quis ad dandum bonum , aut beneficium viro improbo existimato probò , quàm si daret , & conferret viro fictè bono existimato verè bono ; Ergo &c.

Responderetur negando majorem , & minorem probationis , ad cujus probationem nego consequentiam , & paritatem . Et disparitas est , quia vir improbus non est talis per ostensionem fictæ bonitatis , & per præsumptionem bonitatis , quam revera non habet ; sed tantum est talis , occultando suam malitiam , ne ab aliis cognoscatur , ut improbus . Unde si quis moveretur ad huic viro conferendum aliquod bonum , vel beneficium , non deciperetur ; quia non moveretur dans , & conferens ab illa apparenti bonitate , sed moveretur ex pura li-

bertate , & voluntate dantis , & conferentis : neque iste talis vir improbus aliquo artificio , & speciali industria tale beneficium , aut bonum prætenderet ; sed purè indifferenter se haberet ad recipiendum , vel non recipiendum tale bonum . Ceterum hypocrita , ut dixi in explicatione quæstionis , cum sit vir omni iniquitate plenus , nedum suam iniquitatem occultat , sed præten dit ostendere bonitatem , & sanctitatem , ut ab aliis sanctus , & bonus existimetur ; & ideo qui moveretur ex tali præfensa sanctitate , & bonitate ad dandum , & conferendum aliquod bonum , deciperetur ; ac per consequens ratione talis deceptionis invalidaretur contractus , & sic hypocrita ad restitutionem teneretur .

Dices : tam hypocrita , qui præten dit ostendere bonitatem , habet movere animum conferentis , vel dantis aliquod bonum , quàm ille , qui tantum vult suam celare malitiam , absque præfensione , & ostensione bonitatis , habet movere animum conferentis , vel dantis : Ergo si hic secundus non invalidat contractum , nec decipit conferentem , aut dantem ; neque primus habet invalidare contractum , nec decipere conferentem , aut dantem .

Responderetur , admisso antecedente , negando consequentiam . Et dico , non eodem modo virum improbum tantum celantem suam malitiam , & ostendentem fictam bonitatem movere animum conferentis , vel dantis aliquod bonum ; ac movet animum ejusdem conferentis vir hypocrita , qui fingit bonitatem , ut honorem , dignitatem , & aliud bonum præten dat . Vir inquam improbus , qui tantum celat suam malitiam , movet , non impellendo ex aliqua fraude conferentem , vel dantem aliquod bonum ; sed conferens ex pura sua liberalitate confert , licet putet conferre tale bonum viro , quem existimat esse probum . At vir hypocrita , cum præten dat ostendere bonitatem , quam in se non habet , defraudat mentem , & animum conferentis , qui unice à tali ficta bonitate deceptus , movetur ad bonum conferendum . Quare fit , quòd conferens ex seipso decipitur , dando , & conferendo bonum aliquod viro improbo existimato probò ( sicut ut plurimum evenit in collatione beneficii Ecclesiastici ) . At dum confert hypocritæ , non decipitur à seipso , sed à ficta bonitate , quæ est hypocrisis ; & stante tali deceptione movente animum dantis , & conferentis , propter invalidationem contractus , teneretur hypocrita ad restitutionem .

69. Objicies secundò . Quælibet collatio beneficii , vel cujuscunque boni , est absoluta , & non conditionalis : Ergo quando conferens , aut dans confert aliquod beneficium , non ponit obligationem restitutionis in eo , qui tale bonum recipit , si ille est hypocrita . Probatur antecedens : collatio beneficii V. G. facta ab Episcopo alicui personæ , non est ita exprimenda :

De,

Do, & confero hoc beneficium Titio, si Titius non est hypocrita, eique solum confero, si est vir bonus, ut apparet; sed est absoluta, nimirum, Do, & confero hoc beneficium Titio: Ergo collatio beneficii, vel cujuscunque alterius boni, est absoluta, & non conditionalis.

Responderetur dist. antecedens; quælibet collatio beneficii &c. est absoluta, & non conditionalis, quantum ad actum expressum, & exercitium conferendi, concedo antecedens; quantum ad actum impressum, & voluntatem conferendi, nego antecedens, & consequentiam. Idem dico ad probationem. Licet ergo, dum Episcopus V. G. confert beneficium hypocritæ, non exprimat illam conditionem, scilicet *si non est hypocrita*; tamen in voluntate Episcopi volentis conferre tale beneficium adest illa conditio, volendi scilicet conferre beneficium viro justo, & sancto, & non hypocritæ. Et ratio est, quia sicuti efficaciter Episcopus moveretur ad habendam talem voluntatem huic potius, quam alteri conferendi beneficium, ex ipsa ficta sanctitate; ita quantum ad voluntatem dandi, & conferendi beneficium, adest illa conditionalis, non obstante, quod illam conditionalem non exprimat in exercitio conferendi; quia putat Episcopus conferre illud viro existimato sancto, & justo. Hoc etiam patet in contractu donationis, ubi licet donator non exprimat conditionem donandi suo consanguineo, quia tamen hujusmodi conditio est in voluntate donatoris, si alter, & non suus consanguineus accipiat rem donatam, hic ad restitutionem teneretur. Ita dicendum est in proposito de hypocrita.

70 Ex his adductis rationibus solvitur consimilis difficultas, quam tangit Doctor noster in 4. cit. art. 3. §. *consimiliter*, de simulante paupertatem. Ubi dicit, quod simulans paupertatem, qui revera non est pauper, tenetur ad restitutionem rei acceptæ ratione simulate paupertatis; quia sic simulans decipit dantem elemosynam; & sic deceptus involuntariè daret.

Q V Æ S T I O S E P T I M A :

*An bona acquisita per turpem causam sint restituenda; & cui?*

**D**uplicem amplectitur partem præfens questio, unam spectantem ad *quid* sit restituendum, & alteram ad *cui* sit restituendum. Cum igitur in præfenti tangeretur, tantum punctum bonorum temporalium, & quantum spiritualium; ideo videndum est, an bona, quæ acquiruntur ex delicto redundante in damnum alterius, sint restituenda? an ea, quæ per simoniam accepta sunt, debeant restitui? & insuper, cui sint restituenda?

Et pro majori claritate questionis suppono ex dictis in 3. disp. de valore contractus, nullum contractum de re turpi, & peccaminosam esse validum; ac per consequens si est celebratus contractus, & delictum non est patratum, tenetur accipiens aliquid ad tale delictum patrandum, reddere alteri ex contrahentibus, si ex sua libertate vult contractum rescindere. Ut si Titius daret Cajo centum, ut occidat Petrum, vel ut domum ejus comburat; antequam Caju occidat Petrum, vel domum ejus comburat, potest Titius rescindere contractum factum cum Cajo, & petere ab ipso centum. Nam quilibet tenetur se abstinere ab opere malo patrando; ac per consequens contractus hic, nondum patrato delicto, non tenet. Itaque in hac materia sola difficultas restringitur ad hoc, an post patratum delictum, is, qui delictum commisit, & pro ipso bonum aliquid acquisiverit, teneatur ad restitutionem? & supposito, quod teneatur, cui sit facienda restitutio? In qua re

Advertendum est, quod opus malum patratum, vel est in re temporali, ut esset in casibus positis de occisione, & combustione; vel in re spirituali, ut est in acquirenda dignitate Ecclesiastica simoniacè; nam simonia est opus, nedum malum, sed pessimum in Ecclesia Dei, quo majus dari non potest in Ecclesia ipsa, qua scilicet plures prætendunt emere Spiritum Sanctum in collatione Ecclesiasticæ dignitatis, (ut Deo dante dicemus in septima disp. de simonia.) Illud opus malum, quod est patratum in re temporali, dicit rationem commodi, & delectabilis ex parte solventis pretium: sicut etiam malum simoniacum in re spirituali dicit etiam commodum, & delectabile quoddam ex parte dantis pecuniam; quod commodum est ipsa dignitas. Et pro questionis resolutione

*DICO*, bona acquisita ob turpem causam, in re temporali, post patratum delictum, non esse restituenda. Bona verò acquisita ob turpem causam in re spirituali; nimirum simoniacè, sunt, etiam ante Judicis sententiam, restituenda danti talia bona. Conclusio quò ad primam partem est plurimum Doctorum Lessii, Azorii, Mastrii, Filiucii, & aliorum contra Navarrum, Medinam, & alios. Quò ad secundam partem tenetur à Navarro, & aliis contra quamplures Doctores. Estque communior, & probabilior, & deducitur ex Scoto in 4. cit.

71 Probatur prima pars: In tantum per adversarios bona acquisita ob turpem causam in re temporali, ut esset in occisione hominis, vel domus combustione, post patratum delictum, essent restituenda, in quantum peccatum, ut malum est, non potest esse materia validi contractus; sed hæc ratio non probat: Ergo post patratum delictum de re temporali, bona, quæ accipiuntur, non debent restitui. Probatur minor:

nor: estò peccatum in genere moris habeat invalidare contractum ante patratum delictum, habet tamen rationem aliquam, ut possit esse materia validi contractus, post patratum delictum: Ergo &c. Probatum antecedens: post patratum delictum, in genere entis peccatum est sufficiens materia validi contractus; nam, in genere entis est quid delectabile, & utile; sed quò delectabile, & utile, potest esse materia sufficiens ad valorem contractus: Ergo &c.

Neque dicas, quòd etiam antequam sit patratum delictum, peccatum habet talem rationem delectabilis, & utilis, & tamen contractus ante patratum delictum potest, ut invalidus, rescindi. Ita etiam post patratum delictum; & sic recipiens bona pro tali delicto patrato teneatur ad restitutionem.

Ne, inquam, dicas, quia antequam sit patratum delictum, jubens, aut mandans de delicto parando habet jus in rem suam, donec patratum expressum in conventionem facta sit adimpletum. Et cum talis conventio sit peccaminosa, & consequenter possit, imò debeat rescindi ante delictum commissum; quilibet enim tenetur à peccato abstinere: ideo ante commissum delictum ponitur obligatio restituendi, quæ tamen non ponitur post patratum delictum.

Eò vel maxime; quia ante patratum delictum peccatum est in conventionem tantum, & non in executionem; & ideo nullam dicit rationem utilis, & delectabilis; sed solum post patratum delictum: Ergo &c.

Confirmatur supradicta ratio primò ex *Lege 4. Si ob turpem causam. Ubi habetur. Porro est dantis, & accipientis turpis causa sit, possessorem patiore esse;* Ergo post patratum delictum melior est conditio possidentis.

Secundò, quia illa turpis causa aufert à dante actionem repetendi, in pœnam commissi peccati; sed quando in dante aufertur actio repetendi, in accipiente non remanet debitum solvendi, seu restituendi acceptum (nisi aliter eveniat per Judicis sententiam, applicando Fisco illud bonum acquisitum): Ergo post patratum delictum non tenetur accipiens ad restitutionem illius boni, quod pro tali delicto acquisivit, suum impendendo laborem.

72. Probatum nunc secunda pars. Cujuscunque rei proprius debet dari dominus; Ergo illius boni acquisiti per simoniam debet assignari dominus, antequam illa bona in pœnam peccati sint Fisco, vel Ecclesiæ applicata per Judicis sententiam. Sed hic dominus nequit esse accipiens bona illa simoniacè: Ergo debet esse ille, qui talia dona dat propter rem spiritualem simoniacè acceptam, vel accipiendam. Major subsumpta est certa; quia recipiens bona simoniacè, redditur inhabilis ad dominium acquirendum supra rem simoniacè acceptam; quod determinatum est à Gregorio XII., &

XIV., & à Clemente VIII. Probatum nunc ultima consequentia: quando dominium alicujus rei datæ non potest esse ad recipientem, translatum propter inhabilitatem recipientis, debet de lege naturali (seclusa quacunque lege positiva) remanere apud dantem illam rem: Ergo per legem positivam accipiens rem aliquam ob simoniam, debet illam danti restituere. Probatum antecedens: quando quis Fratribus Minoribus, qui sunt inhabiles ad dominium rei, donat rem aliquam, semper dominium illius rei est apud dantem, donec consummetur res illa: vel si dans intendat dominium transferre, ad Sedem Apostolicam transfertur: Ergo in casu quo inhabilis per legem positivam redditur accipiens pecuniam simoniacè, dominium, cum ad alium non transferatur ante Judicis sententiam, semper remanet apud dantem, & quidem lege naturali.

Obiter hic noto (ut Deo dante dicemus in materia de simonia) quòd sicut accipiens pecuniam simoniacè, in pœnam peccati redditur inhabilis ad illam pro se retinendam; ita dans pecuniam, pro qua dignitatem accepit, tenetur tali dignitati renunciare; cum injustè, & ob turpem causam illam acceperit.

### Solvuntur Objectiones.

73. **O**bjicies primò contra primam partem. Si bona acquisita ob turpem causam in re temporali, post patratum delictum non deberent restitui, sequeretur quòd delictum ipsum patratum esset dignum pretio, & sic à delinquente vendibile; sed hoc est falsum: Ergo bona acquisita ob turpem causam in re temporali, post patratum delictum sunt restituenda. Sequela patet, quia non est assignabilis alia ratio excusans ab obligatione restituendi, nisi titulus acquirendi lucrum sit dignus pretio, ut dictum est in disputatione præterita de contractibus: Probatum minor: nulla actio peccaminosa, & de se digna supplicio, potest esse digna pretio, & ut talis vendibilis; sed delictum patratum est actio peccaminosa, & de se digna supplicio: Ergo nequit esse digna pretio, nec vendibilis.

Deinde: pretium, quod accipitur contra justitiam, injustè accipitur; sed bonum, quod acquiritur post patratum delictum, accipitur contra justitiam: Ergo injustè accipitur; sed quod injustè accipitur, obligat ad restitutionem: Ergo bonum, quod acquiritur post patratum delictum, debet restitui. Major patet, quia justitia inclinat potentiam ad reddendum alteri, quod suum est. Probatum minor: delictum ipsum patratum est contra justitiam; sicut est occisio viri, vel combustio domus &c. Ergo id quod accipitur pro patrato delicto, accipitur contra justitiam: Ergo &c.

Re.

Respondetur ad primum, dist. majoris sequelam: sequeretur, quòd delictum ipsum patratum, sumptum pro malitia, seu in genere moris, esset dignum pretio &c. nego majoris sequelam: sumptum in genere entis, præscindens à morali malitia, concedo sequelam majoris; & in primo sensu concessa minori, negata in secundo sensu, nego consequentiam. Et eodem modo dist. probationem ejus. Dico igitur, delictum patratum, sicut quodcumque peccatum, posse dupliciter sumi: vel in genere entis, quatenus actus voluntaris est, absque ullo ordine, & respectu ad regulam moris: vel in genere malitiæ moralis, cum ordine scilicet, & respectu ad ipsam regulam. Si sumatur in secundo sensu, utique verum est, quòd delictum ipsum patratum, sicut quodlibet peccatum, cum sit contra regulam moris, & punibile, nequeat esse dignum pretio, & vendibile; imò ut tale, obligat in conscientia, & est dignum tum temporali, tum æterno supplicio. At si consideretur in primo sensu, quatenus est purus actus voluntaris, & in genere entis, potest esse dignum pretio; quia secumfert, ut tale delectabilitatem, & utilitatem, rationis, periculi, & laboris, quibus se exponit delinquens ad delictum patrandum: & hoc modo sumptum delictum, excusat accipientem bonum propter tale delictum à restitutione. Quod patet à pari de opere meretricio: Meretrix nanque post actum fornicationis non tenetur restituere pretium acceptum pro tali peccato; cum illud justè acceperit, non pro peccato simpliciter, sed quatenus corpus suum locavit in obsequium, & delectationem fornicariis, se etiam exhibendo periculo mali venturi: imò, ut habetur lege 4. ff. de conditione, pro opere meretricio conceditur actio, contra fornicarium. Ita etiam dicendum est de quacunque alia re turpi temporali, pro qua potest retineri lucrum acquisitum ratione delectabilitatis, utilitatis, laboris, periculi, &c.

Dices: hujusmodi utilitas, & delectabilitas sunt inseparabiles ab actu ipso peccaminoso in genere malitiæ; Ergo nequeunt excusare accipientem à restitutione.

Respondetur dist. antecedens: sunt inseparabiles ab actu peccaminoso, inseparabilitate sumpta ex natura rei, concedo antecedens: sumpta per intellectum adzquatè concipientem delectabile, non concepta malitiæ actus, nego antecedens, & consequentiam. Licet ergo ex natura rei utilitas, & delectabilitas nequeant separari ab actu ipso peccaminoso, tamen potest intellectus adzquatè præscindere hujusmodi rationes additas ipsi actui peccaminoso ab ipso actu; qua stante præcissione, consideraret actum, non ut peccaminosum, sed ut delectabilem, & utilem, & contractum ex hac ratione iniret cum altero contrahente, à quo justum pretium accipiat: quod sufficit, ut accipiens excusetur à restitutione.

74 Respondetur ad secundum, dist. majorem: pretium &c. injustè accipitur respectu dantis, nego majorem: respectu ejus, cui fit injuria, concedo majorem, & concessa minori, nego consequentiam. Dico igitur, quòd est pretium acceptum pro delicto patrato sit contra justitiam acceptum, tamen justè fuit acceptum ex dante; cum danti nulla fiat injuria, stante pacto, & contractu inito dandi tale pretium pro patrato delicto. Solum igitur injustè accipitur respectu illius, cui fit injuria per damnum illatum, ad quod damnum resarciendum teneretur accipiens pretium pro homicidio, vel devastatione domus. Quod etiam patet de Judice accipiente pretium contra justitiam propter sententiam injustè latam; qui justè acciperet pretium respectu dantis, ex pacto, & conventionione facta cum una parte; & solum injustè acciperet respectu illius, cui inferret damnum ob injustam sententiam; ad quod damnum resarciendum teneretur. Idem dicendum est de teste falso, quando pretium accipit pro falso juramento, aut pro falsa depositione. Ubi notandum est, quòd quis peccare potest contra justitiam, absque obligatione restitutionis, non quidem simpliciter; quia nemo excusatur à reparatione damni; sed tantum ab obligatione restituendi ei, à quo accipit. Nam sicut in homicidio patrato à Titio V. G. ex motione, & impulsu Caii, non læditur Cajus se obligans ad pretium conferendum; sed solum læditur ille, qui occiditur, vel mulier, vel filii; ita Titius, quia non peccat contra Cajum, sed contra occisum, non dicitur accipere pretium contra justitiam per injuriam Cajo factam, sed propter injuriam factam occiso, vel ejus mulieri, & filiis: quapropter tenetur ad resarciendam hanc injuriam, & ad nil aliud tenetur relatè ad Cajum moventem, & impellentem ad homicidium patrandum.

75 Obijcies secundò ad idem. Nequit quis ante patratum delictum justè retinere pretium acceptum pro re turpi temporali: Ergo neque post patratum delictum; Ergo post patratum delictum, bona acquisita ob turpem causam, debent restitui. Antecedens patet apud omnes, quia ante patratum delictum, potest contractus hic à dante, ut invalidus, rescindi. Probatur consequentia: post patratum delictum, contractus non habet vim ex novo pacto, & conventionione, sed ex primo pacto, quando initus fuit contractus: Ergo si ante patratum delictum, bona acquisita sunt restituenda, etiam sunt restituenda post patratum delictum.

Respondetur negando consequentiam, cum consequentia probationis. In tantum ergo ante patratum delictum, nequit retineri pretium solutum; quia adhuc stat in libertate dantis tale pretium ad patrandum delictum, ut contractus rescindat ex ipsius invaliditate. orta ex opere pravo; quia nemo obligatus est ad malum faciendum, & in ipso malo perseverare.



randum. At post patratum delictum, ex vi primi pacti, quia promittens remanet obligatus ad remunerandum opus jam factum, amittit jus ad pretium solutum: quæ obligatio non est ad remunerandum opus simpliciter, sed ad remunerandum opus factum; unde postquam factum est opus, pro quo promisit pretium, nequit contractum rescindere; & sic, operans posset justè pretium retinere, absque ulla obligatione restitutionis.

Dices: si ex primo pacto haberet vim contractus de opere malo, teneretur promittens pretium de novo approbare, & ratificare peccatum præteritum; sed nemo tenetur approbare, & ratificare peccatum præteritum: Ergo ex primo pacto, etiam post patratum delictum, contractus non tenet; & consequenter pretium pro illo acceptum debet restitui.

Respondetur negando majorem. Ratione primi pacti facti quando initus fuit contractus, promittens se obligavit solvere pretium, si delictum committatur; unde absque ulla ratificatione, & approbatione præteriti peccati habiti in illo instanti, in quo celebratus fuit contractus, promittens debet solvere pretium promissum; vel si est solutum, nequit illud repetere. Hoc nanque exigitur à fidelitate promittentis, quæ justa est, quamvis de re mala. Quod patet hoc exemplo: Promittat Titius centum Cajo, si Petrum occidat. Sortitus est effectus occisionis. Absque ulla ratificatione novi pacti, & approbatione peccati, & delicti patratum, Titius tenetur ex justitia adhibere fidelitatem promissi pretii, in solvendo Cajo pecuniam; quia Cajus jus ad illam pecuniam acquirit ex operis impletionem cum suo labore, & periculo, quibus ipse Cajus se exposuit. Hoc etiam est certum de eo, qui Virginem defloravit cum promissione illam accipiendi in uxorem: in quo casu, absque ulla ratificatione peccati præteriti, ratione fidelitatis, ad promissum servandum teneretur. Ita dicendum est in casu nostro.

76 Obijcies tertio contra secundam partem, probando, quòd de jure naturæ, & ante Judicis sententiam non teneatur quis ad restituenda bona acquisita ob turpem causam in re spirituali. Si bonum simoniacè acceptum, ante Judicis sententiam, restitui deberet danti tale bonum, tunc de lege naturæ dans, postquàm dedit, adhuc esset dominus illius rei; sed hoc est falsum: Ergo bonum simoniacè acceptum, ante Judicis sententiam, nequit danti restitui. Probatum minor: dans tale bonum simoniacè ab altero acceptum, à se abdicavit tale dominium; cum ipse dederit, transferendo dominium suum in accipientem; sed quando quis abdicavit à se dominium alicujus rei, non remanet de jure naturæ dominus illius rei: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dist. majorem: à se abdicavit ta-

le dominium, voluntate non impedita, nego majorem: voluntate impedita, concedo majorem, & dist. minorem: quando abdicavit à se dominium voluntate non impedita, non remanet dominus &c. concedo minorem: voluntate impedita, nego minorem, & consequentiam. Ille nanque, qui dedit pretium pro beneficio Ecclesiastico simoniacè accepto, habuit utique voluntatem à se abdicandi dominium talis pretii, illiusque dominium transferendi in alterum; at talis voluntas est lege positiva impedita, qua lege, recipiens aliquod simoniacè, à pluribus Summis Pontificibus declaratus fuit inhabilis ad hujusmodi pretium retinendum. Unde voluntas illa abdicandi dominium per inhabilitatem, & incapacitatem recipientis est impedita ad transferendum dominium in accipientem; ac per consequens semper dominium illius pretii de jure naturæ remanet apud dantem, donec per Judicis sententiam pretium illud Fisco, vel Ecclesiæ, vel pauperibus applicetur. Quapropter concludo, quòd spectato jure naturæ, res accepta simoniacè semper proprio domino restituenda est.

77 Quantum spectat ad resolutionem casuum conscientie plura ex dictis in corpore questionis inferenda sunt. Primò cum communi sensu Doctorum, quòd nec accipere, nec petere quis potest lucrum, aut pretium promissum, pro malo temporali patrando, antequam malum illud sit commissum; imò si pretium sit solutum, & delictum non sit patratum, potest promittens rescindere contractum; & is, qui pretium accepit, teneretur pretium illud restituere. Ratio est, quia cum talis contractus promissionis sit de re prava, & quilibet teneatur à peccato abstinere, non amittit jus ad rem suam promissam, antequam delictum sit patratum.

Secundò infero, quòd post patratum delictum, pretium acceptum sit accipientis, absque ulla obligatione restitutionis; quia jam est adimpletum promissum; et si promittens nondum dederit pretium, teneretur in conscientia promissum adimplere, ratione fidelitatis servandæ: & etiam quia committens delictum illud, acquirit jus ad tale pretium justo titulo, scilicet delectabilitatis, utilitatis, laboris, & periculi, quibus operans se exponit.

Tertio infero, quòd si standum est juri positivo circa pretium pro patrato delicto, tunc si operans, aut committens delictum non adhuc accepit pretium promissum, quamvis in foro interno promittens teneretur solvere, tamen spectato foro externo, & jure positivo, retineri debet à promittente. Si verò pretium est solutum, retineri debet ab accipiente. Nam in æquali pœna est promittens, ac operans; & consequenter cum uterque sit capax punitio- nis; idcirco potior debet esse conditio possidentis. Quod etiam lege supra cit. sancitum est,

est, ubi habentur hæc verba : *Porro etsi dantis, & accipientis turpis causa sit, potior est conditio possidentis.* Quare si committens delictum accepit pretium, non debet illud reddere : si vero non accepit pretium, non potest jure positivo illud petere.

78 *PETES . An saltem pro opere turpi meretricio possit dari in meretrice actio contra fornicarium, & quidem jure positivo ?*

Respondetur cum distinctione . Si fornicarius est capax illius rei, vel domini illius rei, quam promittit, tunc spectato Jure positivo, datur in meretrice pro opere meretricio actio contra fornicarium . Ratio est, quia promittens ex una parte est capax domini, & est dominus rei, quam promittit; & ex altera parte, licet fornicatio sit mala, & turpis, tamen validè, & justè meretrix accipit lucrum pro opere turpi, suum locando corpus ad fornicarii delectationem . Et hoc etiam intelligitur de pretio justo, non de pretio excedente latitudinem justitiae; nam si Titius V.G. promitteret centum Bertæ pro quolibet actu fornicationis, quando Berta non meretur nisi unum, tunc in Berta contra Titium non daretur actio ad centum sibi promissa, sed ad justum pretium solvendum .

Si verò fornicarius est incapax domini illius pretii promissi, ut sunt Religiosi in Monasterio degentes, & nihil proprii possidentes; vel si sunt pupilli manentes sub cura tutorum, & curatorum; tunc nulla actio datur in meretrice contra istos, jure positivo. Ratio est de Religiosis, quia actio contra aliquem ex justitia datur, quando dans, aut promittens potest disponere de re, ut sua; atqui Religiosi de re, quam promittunt, non possunt disponere; quia ipsorum non est: Ergo &c. De pupillis idem est certum; quia quamvis res, quam promittunt sit eorum, tamen non possunt sine licentia tutorum de illa disponere. Imò si meretrix tam à Religiosis; quam à pupillis pretium aliquod accipere pro opere meretricio, teneretur restituere Monasterio pro Religiosis, & tutori pro pupillis . Ratio hujus est, quia pretium illud accepisset, invito domino; vel invito disponente pro domino.

Q U Æ R E S .

*An quis accipiens pretium pro opere bono, ad quod tenetur ex præcepto; vel ad vitandum malum ex præcepto, teneatur ad restitutionem ?*

79 *S*ensus præsentis dubii est, an Titius V.G. qui ex præcepto tenetur audire sacrum in diebus festivis, & insuper tenetur ad non fornicandum; si à Cajo accipiat unum aureum, ut audiat sacrum diebus festivis, vel ut abtineat à fornicatione; queritur, an teneatur ad restitutionem faciendam Cajo de illo aureo?

Et quidem in iis, quæ debentur ex justitia, nulli dubium est apud omnes Doctores, accipientem pretium pro re, quæ debetur ex justitia, teneri ad restitutionem illius pretii. Ut si Titius ex justitia debet Cajo mille, & ut solvat mille, accipit à Cajo centum; tunc Titius teneretur ad restituendum illud centum Cajo, ut faciat ex justitia summam millenariam . Quod patet; quia unusquisque debitor tenetur satisfacere Juri, quod creditor habet contra debitorem, & quidem, quò ad totum; & quia in casu proposito non satisfacit Juri creditoris, quò ad totum, ideo contra justitiam debitor pro seipso retineret illud pretium, quod accipit . Unde sola difficultas est inter eosdem Doctores, an teneatur quis restituere pretium acceptum pro opere debito ex præcepto aliarum virtutum; ut Religionis, obedientiæ, charitatis &c. Et hoc notato, pro resolutione dubii

*DICO*, Accipientem pretium pro opere bono, ad quod tenetur ex præcepto, teneri ad restitutionem . Conclusio hæc est Scotistarum fere omnium cum Fabro, & Mastrio contra Sotum, Azorium, Bonacinam, & alios.

80 Probatur ex potissima ratione, quam adducit Faber. Omnis creatura rationalis, & præsertim humana, pluribus titulis ex justitia, teneretur obedire Deo in eo, quod ipse præcipit faciendum, vel prohibet non faciendum; sed quando quis est debitor Deo ex justitia ad bonum opus faciendum, vel ad malum vitandum, nequit aliquid accipere pro illo opere, & si accipit, teneretur ad restitutionem: Ergo omnis homo accipiens bonum aliquod pro opere, ad quod ex præcepto tenetur, debet tale bonum restituere . Major est certa, quia homo titulo creationis, gubernationis, & Redemptionis ex justitia teneretur Deo obedire in iis, quæ Deus præcipit; cum Deus constituatur creditor hominis, & homo debitor: unde ut servetur æqualitas, homo teneretur ex justitia obedire . Probatur minor: si homo, qui debet ex justitia bonum à Deo præceptum facere, vel malum fugere, posset pro tali bono aliquid pretium accipere, posset justè homo censeri dominus actionum præceptorum; sed hoc est falsum: Ergo &c. Major patet, quia non nisi de re sua potest quis justè pretium accipere. Probatur minor: dum Deus præcipit, sibi præstandum esse honorem, ratione illorum titularum, constituitur homo debitor præstandi honorem Deo; sed nemo potest esse dominus operis, quod alteri debet; aliàs posset Titius, qui debet Cajo centum, de hac pecunia pro suo libito disponere: & sic homo de illa actione honorandi Deum, etiam pro suo libito, disponere: Ergo &c.

Confirmatur hoc: in tantum accipiens pretium pro opere, quod debetur ex commutativa justitia, teneretur ad restitutionem, in tantum opus illud debitum non potest vendi, nec

commutari; sed opus debitum ex præcepto, nec vendi, nec commutari potest: Ergo pretium acceptum pro opere bono debito ex præcepto, debet restitui. Probatur minor: ad illud opus sub præcepto cadēs habet jus Deus ex supradictis titulis; sed quod cadit sub jure divino nequit homo vendere, & alienare; aliās quisque posset licitè vendere, & alienare rem non suam; quod est falsum: Ergo &c.

Dices: si quis vellet Titium remove a peccato, fornicationis V.G. & insuper vellet eum castum, devotum, &c. & ipsi daret summam aliquam pecuniæ ad id faciendum, tunc licitè posset Titius pecuniam illam accipere: Ergo non tenetur Titius ad pecuniam illam restituendam. Probatur assumptum; nam ut plurimum constat experientia, quòd munus datur alicui, ut evitetur malum, ad quod faciendum erat dispositus: Ergo &c.

Respondetur dicendo, quòd si Titio detur illa summa pecuniæ merè liberaliter, vel pro remuneratione, tunc posset licitè Titius illam retinere, absque obligatione restitutionis: ut etiam patet de eo, qui invenit rem à Cajo perditam, & pro remuneratione aliquid à Cajo accipit. At si Titio detur illa summa ex contractu inito non merè liberaliter, sed ex contributione, ut supponimus in casu nostro, tunc Titius nequit summam illam pecuniæ licitè accipere, sed teneretur ad restitutionem. Illa namque experientia non est cum contractu oneroso, ex contributione, sed ex mera liberalitate donantis, seu ex pura remuneratione: ut multi viri Sancti, ad actus meretricios amovendos, pecuniam dederunt meretricibus, ut paulatim eas amoverent à peccatis.

## QVÆSTIO OCTAVA.

*Cui restituenda sit res, quam quis emit à fure?*

**S**ensus hujus quæstionis potest esse multiplex. Primus, quòd ille, qui emit à fure, certò sciat, furem restitutionem non facere proprio domino, à quo rem furatus est: vel saltem putet, restitutionem nolle facere. Ut si Titius emeret equum à Cajo, quem scit fuisse furtivum, & deinde putat, ac probabiliter existimat, Cajum non esse facturum restitutionem. Quæritur in hoc casu, cui Titius facere debeat restitutionem? an Cajo furi, à quo equum emit, an vero Domino equi, cui equus furto sublatu est? Secundus, quòd ille, qui emit à fure, probabiliter existimet, furem facturum esse restitutionem proprio domino: tunc quæritur, an furi, à quo rem emit, vel proprio domino res restituenda sit? Et quidem in hoc casu omnes Doctores conveniunt, quòd restitutio fieri debeat furi immediatè. Ratio est, quia

emptor pretium suum tenetur commodè, & justè recuperare; nec debet emptor se exponere periculo amittendi pretium solutum pro re empta, quando dominus illius rei stat in probabilitate recuperandi rem suam. Tertius, vel emptor est talis bona fide, vel mala fide: scilicet vel emit rem à fure, putans rem illam emisse à domino rei, & non à fure; vel certò scit, rem emisse à fure. In secundo casu nulla est controversia; quia, ut dixi, communis est sensus Doctorum, tunc emptorem, ut suum pretium recuperet, debere restitutionem facere furi; præsertim quando scit, vel saltem probabilitatem habeat, furem rem illam redditurum proprio domino. Solum restringenda est difficultas ad emptorem, qui putat, furem non esse redditurum rem proprio dño. Et est quæstio tam de emptore bonæ fidei, quàm malæ fidei; cui nimirum emptor restitutionem facere teneatur, an furi, an verò proprio domino illius rei?

In hac re tres sunt opiniones. Prima est Soti, Medinæ, Azorii, & aliorum dicentium, tam emptorem malæ fidei, quàm bonæ fidei, rem emptam debere restituere proprio domino, nõ obitante, quòd sit in dubio amittendi pretium solutum pro re ipsa empta. Secunda est Alensis, Toleti, Abellii, Fabri, Mastrii, Aretini, & aliorum affirmantium, emptorem, sive emisset bona fide, sive mala fide, non teneri ad restitutionem proprio domino faciendam, sed furi, ne pretium solutum pro re illa amittat. Tertia tandem sententia est Navarri, Bonacinæ, & aliorum dicentium, emptorem bonæ fidei, ut recuperet pretium solutum pro re empta, posse restitutionem facere furi, etiam si putet, furem non esse redditurum proprio domino; emptorem verò malæ fidei debere restitutionem facere proprio domino; præsertim, quando existimet, furem non facturum esse restitutionem proprio domino. Pro resolutione dubii

*DICO*, emptorem bonæ fidei, ne periclitetur pretium suum solutum, posse restitutionem facere immediatè furi (postquam sciverit, rem fuisse furtivam) etiam si putet, furem non esse redditurum proprio domino. Emptorem verò malæ fidei, quando putat, furem non esse redditurum rem proprio domino, debere restitutionem facere immediatè proprio domino: & quando certò sciat, furem restitutionem facere proprio domino, tunc posse furi immediatè restitutionem facere. Conclusio hæc est juxta opinionem Doctorum pro tertia sententia contra Doctores primæ, & secundæ sententiæ.

81. Probatur prima pars: stante bona fide, unusquisque de justitia magis tenetur sibi providere, & prodesse, quàm alteri; Ergo emptor bonæ fidei, ne periclitetur pretium suum solutum, dum bona fide emit à fure, tenetur ei immediatè restitutionem facere, & non proprio

prio domino : Probatur primò antecedens : stante bona fide , quod emptor emit à fure , non accepit injustè , sed justè ; sed quilibet ratione justæ acceptionis tenetur magis sibi providere , & prodesse , quàm alteri ; aliàs justitia magis pro alio , quàm pro seipso inclinaret potentiam ; quod est falsum : Ergo &c. Probatur minor : ratione justæ acceptionis quilibet habet rem justè acceptam , ut suam ; sed nemo potest exponere rem suam periculo evidenti , ad servandum proximum indemnem : Ergo &c. Probatur nunc prima consequentia : emptor bonæ fidei , si restituat rem bona fide emptam , & postea sciat , rem illam fuisse furtivā , si restituat proprio domino rei , se exponit periculo rem suam , aut pretium solutum amittendi : Ergo si stante bona fide , unusquisque tenetur magis sibi ipsi providere , & prodesse , jam emptor bonæ fidei , ne periculo pretium solutum exponat , restitutionem facere debet furi , & non proprio domino rei .

82 Probatur secunda pars : emptor malæ fidei est talis ex injusta acceptione rei emptæ ; Ergo estò sit in dubio pretium suum solutum amittendi per absentiam , vel mortem furis , debet tamen restitutionem facere proprio domino rei . Probatur consequentia : emptor malæ fidei est injustus acceptor rei alienæ ; sed injustus acceptor rei alienæ tenetur magis alteri , quàm sibi prodesse : Ergo quamvis sit in dubio amittendi pretium suum solutum , debet restitutionem facere proprio domino . Probatur major : injustus acceptor rei alienæ , dicitur quasi cooperator ad damnum alienum ; sed cooperator ad damnum alienum tenetur refarcire damnum domino rei , etiam cum proprio suo incommodo , & interesse : Ergo &c. .

83 Probatur tertia pars : quando emptor malæ fidei certò scit , furam velle facere restitutionem proprio domino , constituitur in morali certitudine , rem esse domino suo reddendam ; sed posita morali certitudine , rem esse domino reddendam , potest quis , ad pretium suum recuperandum , restitutionem immediatè facere furi : Ergo dum emptor malæ fidei certò scit , rem à fure esse domino reddendam , potest illam immediatè furi restituere . Probatur minor : posita morali certitudine , rem esse domino reddendam à fure , servatur æqualitas , & adæquatur juri proprii domini , quod habet in rem suam ; sed posita æqualitate , & adæquatione juris proprii domini , tunc emptor malæ fidei potest , ad suum pretium recuperandum , immediatè restitutionem facere furi : Ergo &c. Major patet , quia quando habetur moralis certitudo de restitutione faciendâ , habetur etiam certitudo , quòd res trāsferatur ad proprium dominum . Probatur nunc minor : posita certitudine morali de æqualitate servanda , & adæquatione juris proprii domini , non tenetur emptor se ponere in dubio , pretium suum solutum amittendi : Ergo tunc emptor

malæ fidei , ad suum pretium recuperandum , potest immediatè restitutionem facere furi .

Confirmatur hoc : quando salvari potest , quòd res transferatur ad proprium dominum , absque alterius incommodo , non est necesse , rem immediatè proprio domino restituere ; sed quando emptor malæ fidei rem emptam restituat furi cum morali certitudine , quòd transferenda sit ad proprium dominum , salvatur , quòd res transferatur ad proprium dominum , absque incommodo emptoris : Ergo non est necesse , quòd emptor malæ fidei in tali casu rem proprio domino restituat . Probatur major : nemo debet subire damnum , præter illud , quod refarcire tenetur ex justitia ; sed si necessariò restitutio esset faciendâ immediatè domino rei ab emptore malæ fidei , quando hic existimet , rem à fure esse restituendam , tunc emptor præter damnum quòd refarcire tenetur , subiret aliud , nempe periculum non recuperandi pretium suum à fure : Ergo non est necesse , ut rem emptam mala fide immediatè proprio domino restituat , dum existimet , illam esse reddendam proprio domino ab ipso fure : Ergo &c. Totum hoc patet sequenti exemplo : emi malæ fide equum à Titio , certò sciens , Titium furatum fuisse equum illum Cajo : insuper moralem certitudinem habeo , Titium velle Cajo restituere equum . Si ego immediatè restitutionem facio Cajo , sum in dubio , quòd Titius non reddat mihi pretium solutum pro equo . Possùm ergo , stante tali dubio non recuperandi pretium à me solutum , & morali certitudine , equum illum esse reddendum Cajo ab ipso Titio , reddere immediatè Titio , & non Cajo , ne detrimentum , & incommodum patiar in transferendo equo ad proprium dominum . Quòd si talem certitudinem non haberem , utique pati deberem incommodum illud , ut equus ille ad Cajum dominum perveniat ; quia hoc exigeretur à justitia propter injustam rei alienæ acceptionem .

### Solvuntur Objectiones.

84 **O** Bicies primò contra primam partem , probando , emptorem bonæ fidei restitutionem facere debere immediatè domino rei . Res ablata restituenda est immediatè ei , cui fuit ablata : Ergo quamvis sit emptor bonæ fidei , illam reddere debet immediatè domino , & non furi . Probatur antecedens : res ablata ei immediatè reddi debet , qui est dominus illius , & jus ad illam habet ; sed ille , cui fuit ablata , est dominus illius rei , & ad illam jus habet : Ergo &c. Probatur major : si non deberet reddi immediatè ei , qui est dominus illius rei , esset res illa in periculo se ponendi in pristinum statum , & dominus in periculo amittendi rem suam ; & ita inju-

injustè dominus privaretur sua re : Ergo immediatè reddi debet ei, qui est dominus illius rei .

Respondetur dist. antecedens: ab injusto acceptore illius rei, concedo antecedens: à justo acceptore, nego antecedens, & consequentiam. Et eodem modo dist. probationes. Tunc res ablata immediatè restituenda est ei, cui fuit ablata, etiam cum periculo amittendi pretium solutum pro re illa empta, quando emptor fuit injustus acceptor illius rei, ratione cujus injustæ acceptationis, magis tenetur ad indemnitatem, & commodum proprii domini, quàm sui ipsius; præsertim quando certitudinem moralem habeat, non esse faciendam restitutionem proprio domino à fure. At quando emptor fuit justus acceptor nõ tenetur immediatè restitutionem facere proprio Dño; quia in justa acceptatione, qualis esset in emptore bonæ fidei, melius est providere, & prodesse sibi, quàm alteri; nõ oblitæ, quòd res illa bona fide empta, si immediatè non restituitur proprio domino, se ponat in periculo non redeundi in pristinum statum apud dominium rei; cum satis sit, ut se ponat in pristino statu ex parte furis venditoris, qui immediatè tenetur illam rem domino reddere.

Dices: quando res immediatè non restituitur domino, sed furi, tunc emptor non est certus de restitutione faciendà à fure proprio domino; Sed stante tali incertitudine, res perire possit proprio domino ex culpa ipsius emptoris non reddentis illam suo domino: Ergo ne dominus suam rem perdat, restitutio faciendà est immediatè ab emptore proprio domino.

Respondetur negando minorem. Quando emptor bonæ fidei immediatè restituit rem furi, à quo illam emit, quamvis sit certus, quòd fuit illam proprio domino non reddat, non tamen res illa censenda est perire domino ex culpa emptoris bonæ fidei. Nam tunc diceretur perire ex culpa emptoris, quando emptor bonæ fidei transferret rem illam ad alium statum, ac priùs erat, seu ad pejorem; at restituendo furi, ut suum pretium recuperet non transfert rem illam ad pejorem statum, sed ad illum eundem, in quo priùs manebat apud furem, cum eodem onere, & debito ex parte furis illam reddendi suo domino; ideoque si domino periret, non diceretur perire culpa emptoris bonæ fidei, sed culpa furis venditoris nolentis illam reddere proprio domino.

85 Obijcies secundo contra secundam partem, probando, emptorem malæ fidei, quando putat, furem non esse redditurum, pro suo pretio recuperando posse restitutionem facere immediatè furi. Emptor malæ fidei, qui non est cooperator ad furtum patratum, non debet in pœnam injustæ acceptationis damnum subire; sed quando faceret restitutionem

immediatè domino rei; & non furi, putans furem non esse redditurum proprio domino, tunc emptor malæ fidei subiret damnum in pœnam injustæ acceptationis; quia perderet pretium solutum: nam si fur non est dispositus ad faciendam restitutionem, & res domino reddatur, ipse fur neque pretium solveret emptori, ex quo pretio non soluto damnum emptori eveniret: Ergo tunc emptor malæ fidei, ad suum pretium recuperandum, posset restitutionem facere immediatè furi.

Respondetur negando majorem. Licet ergo emptor malæ fidei non sit cooperator ad furtum patratum, tamen est quasi cooperator ad damnum proximo illatum, nedum ratione injustæ acceptationis, ratione cujus consensum præbuit ad damnum diu tolerandum à domino rei propter dilatam redditionem; sed etiam quia injustè emit, sciens rem non potuisse emere. In quo casu, si reddendo rem illam proprio domino, periclitaretur suum pretium, sua malitia, & culpa periclitaretur. Qui enim sua culpa se exponit periculo, illud debite, & justè pati debet. Ultraquamquod, in emptore malæ fidei dominus illius rei diceretur rationabiliter invitus; & quando dominus est rationabiliter invitus, restitutio proprio domino faciendà est, non considerato quocunq; damno, & interesse ejus, apud quem res illa est: adeoque quando emptor malæ fidei emit, non obstante periculo amittendi pretium, tenetur proprio domino restituere.

86 Obijcies tertio contra tertiam partem. Cum certitudine, quam habet emptor malæ fidei, furem redditurum esse rem proprio domino, potest etiam stare revocatio propositi restituendi ex parte furis; sed quando staret revocatio propositi restituendi ex parte furis, tunc teneretur emptor malæ fidei rem proprio domino restituere: Ergo non obstante certitudine, quam emptor haberet, furem velle rem illam proprio domino reddere, adhuc emptor ipse malæ fidei teneretur proprio domino restituere. Probatur minor: quando staret revocatio propositi restituendi ex parte furis, semper dominus esset rationabiliter invitus, & in periculo amittendi rem suam; sed quando dominus rei est rationabiliter invitus, & in periculo amittendi rem suam, tunc ei immediatè faciendà est restitutio rei suæ à possessore injusto illius rei: ut esset in casu emptor malæ fidei: Ergo &c.

Respondetur dicendo, quòd vel hujusmodi revocatio propositi restituendi ex parte furis est nota ipsi emptori malæ fidei; vel non est nota. Si est nota, tunc minor est vera, quòd scilicet emptor malæ fidei teneretur immediatè restituere domino rei; quia habita notitia, quòd fur mutaverit propositum restituendi per seipsum, cessaret prima certitudo, quam priùs habebat de restitutione faciendà ab ipso fure. Et ad hoc urget ratio posita pro secunda parte

parte conclusionis . Si verò non est nota ipsi emptori malæ fidei , & perseverat ipsa certitudo , quam habebat priùs de restitutione faciendâ proprio domino à fure; & quidem perseverat usque ad redditionem rei faciendam, furi , & solutionem sui pretii dati pro ipsa re empta ; tunc non tenetur emptor malæ fidei restituere immediatè domino rei , sed potest pro suo pretio recuperando rem furi immediatè restituere. Et ratio hujus est, quia hujusmodi certitudo excusat emptorem malæ fidei à restitutione faciendâ proprio domino , cum pro certo habeat, rem illam transferendam esse ad proprium dominum per ipsum furem . Ex quo fit, quòd stante illa certitudine, quam emptor haberet , dominus esset rationabiliter invitus; non respectu emptoris malæ fidei, sed respectu furis mutantis propositum restituendi, postquam res de novo pervenerit ad manus suas.

87 Pro resolutione casuum conscientie infero primò , eum qui mala fide emit rem furtivam, sive fur sit præsens, sive abjerit, vel mortuus sit, teneri ad restitutionem faciendam proprio domino rei. Ratio est , quia sciens rem fuisse furtivam , injustè eam accipit , se exponendo ex propria culpa, & malitia periculo amittendi pretium pro re illa solutum : imò emendo rem furtivam, solvit pretium cum onere restituendi.

Secundò: si verò ille, qui emit , sciat certò furem facturum esse restitutionem proprio domino , tunc potest furi immediatè restitutionem facere , ut non amittat pretium suum solutum. Ratio est , quia ratione illius scientie affecuratur de translatione rei ad proprium dominum, & simul deoneratur onere, quod habebat ex injusta acceptance, titulo emptionis malæ fidei.

Tertiò infero, eum, qui bona fide emit, sciens postea, rem fuisse furtivam , non teneri immediatè ad faciendam restitutionem proprio domino, sed furi immediatè , ut suum pretium recuperet, & jam si ex pertinaci voluntate furis periclitetur res illa proprio domino. Ratio est; quia cum emptor bonæ fidei sit justus rei acceptor, magis tenetur prodesse sibi ipsi, quàm alteri ; unde magis tenetur ad suum pretium recuperandum , quàm ut res per ipsum transferatur ad proprium dominum: & satis est, accedente mala fide per scientiam habitam , rem illam fuisse furtivam , ut illam reponat in eodem statu, in quo priùs erat , scilicet in manus furis , qui obligatus est, ex damno illato, restitutionem facere.

Quartò tandem infero, tam eum , qui mala fide emit rem furtivam, quàm eum, qui bona fide emit, si mortuus est fur, & non obligaverit hæredes ad restitutionem æquivalentis illius rei ; vel si fur abiit in longinquam regionem; vel si fur incidisset in extremam necessitatem; teneri ad restitutionem faciendam proprio

domino rei . Ratio de emptore malæ fidei est, quia sua malitia, & culpa se exposuit periculo amittendi pretium suum, quo emit injustè rem illam cum onere restituendi: & nullatenus certitudinem habere potest, quòd restitutio in illis casibus fieri possit proprio domino, nisi ab ipso emptore. De emptore verò bonæ fidei ratio est; quia cum dominus in illis casibus nullam spem habeat recuperandi rem suam à fure, insurgit in eo jus contra possessorem suæ rei, cum sit rationabiliter invitus. Et quamvis emptor bonæ fidei justè rem illam emptam accepisset , accedente postea mala fide , censendus esset injustus retentor, nisi restitutionem faciat, ei, cui res illa sublata est , nempe domino, estò suum perdat pretium solutum . Neque in his casibus valet illa regula, quòd quisque tenetur magis sibi prodesse, quàm alteri; nam quando commodè potest sibi prodesse , absque totali periculo creditoris , seu proprii domini , tunc tenetur magis sibi prodesse, quàm alteri ; secus verò, quando dominus prorsus spem deperderet , rem suam à fure recuperandi ( ut eveniret in casibus positis ) . Quapropter estò emptor bonæ fidei suum amittat pretium solutum, tenetur tamen ad restitutionem rei , apud ipsum retentæ proprio domino faciendam.

Q V Æ S T I O N O N A .

*Cui faciendâ sit restitutio , tam boni incerti , quàm boni per errorem acquisiti ?*

88 C Irca primum quæstionis punctum de bono incerto restituendo , suppono cum pluribus Doctoribus, bonum incertum posse multipliciter sumi. Aliud namque est bonum incertum, quod nunquam dominum proprium habuit ; ita ut fiat primò capientis ; ut sunt gemmæ, venæ metallorum, & cetera hujusmodi . Aliud est bonum incertum , quod habuit dominum , & in præsentem non habet: ut sunt Thesauri . Et aliud est bonum incertum , quod habet in præsentem dominum , sed ipse dominus ignoratur . Et hoc bonum in ultima acceptance sumptum potest esse casu , vel fortuna inventum, & dominus ejus ignoratur : & insuper potest esse ex contractu , & injusta acceptance , & dominus ejus ignoratur. Bonum incertum , cujus dominus ignoratur , potest esse tale ex delicto habito vi contractus , usuræ V. G. vel ex furto, ex deceptione emptionis, & venditionis, & vel ob multitudinem contrahentium , vel ob longum tempus, ignoratur dominus illius rei: & etiam potest esse sine delicto, sed ex errore non cognito , tempore , quo celebratus fuit contractus: ut esset si quis emeret à Cajo mercatore duas ulnas panni , solvendo pretium pro



pro illis duabus, & post aliquod tempus inveniret tres ulnas, ignorando mercatorem, à quo illas panni ulnas accipet: vel si Titius, solvendo decem aureos æris pro tanto frumento accepto à Cajo; & Cajus post aliquod tempus inveniret majorem summam, reperiendo inter monetas illas æreas monetas argenteas, ignorando, à quo tales monetas accepisset.

89 De bono itaque incerto, quod nunquam dominum habuit, est communissima sententia omnium Doctorum, quòd inventor talis boni non teneatur ad restitutionem in foro conscientie, quia cum sint bona communia, spectant ad dominium primi capientis: & hoc quidem certum est, stando legi communi; ut habetur *Institutione de rerum divisione* §. ferz. Bonum autem incertum, quod dominum habuit, & in presenti non extat, ut sunt Thesauri, etiam de lege naturali, & gentium est primo capientis, quando invenitur Thesaurus in loco communi: ut habetur *ex inst. de verum divis.* & *L.unic. Cod. de thesauris*. Si verò invenitur thesaurus in loco particulari, tunc media pars est inventoris, & alia media pars dñi illius loci, in cujus fundo thesaurus invenitur: & si locus, in cujus fundo invenitur thesaurus, sit sub duplici dominio, utili scilicet, & directo, tunc media pars est inventoris, & altera media pars dividenda est inter dominum utilem, & directum. Si verò thesaurus inveniat arte magica totus est Fisco applicandus de jure civili: ut habetur *L.unic. cit. & L.nemo, Cod. de maleficiis*. Hæc doctrina est conformis doctrinæ relatae in secunda disp. de dominio qu. 8. quæsitò 2. Quantum ad hoc resolutiones assignatae valent pro inventore thesauri in foro conscientie, & de lege naturali: at de lege particulari Regnorum, & Rerumpublicarum aliud sentiunt Doctores, quòd nempe servandæ sunt leges proprii Regni; quæ tamen etsi obligent in foro externo, non obligant in foro conscientie; ut asserunt Mastrius, Molina, Filiucius, Bonacina, Aretinus, Turrianus, & alii.

Sola igitur difficultas primi puncti quæstionis est de bono incerto, sive acquisito ex delicto, ratione furti, vel contractus; sive sine delicto, & ex errore, ut supra dictum est. Et quæritur, cui faciendæ sit restitutio, quando dominus ignoratur. Ecclesie ne, an Monasteriis, vel pauperibus, vel tandem, si pauper est, an possit retinere pro seipso?

90 Circa secundum punctum noto, quòd error in acquisitione boni, vel potest esse circa personam, vel circa rem; vel circa qualitatem personæ, vel circa qualitatem rei. Quod idem esset dicere, error in substantia, vel in qualitate. Non est dubium, imò certum apud omnes Doctores, quòd quando error est in substantia, vel personæ, vel rei (ut si Titius intendat donare centum Cajo, & talis summa tradatur Petro; vel putet donare rem suam, & donat alienam);

tunc acceptor illius rei tenetur facere restitutionem danti; nam talis error sicut invalidaret contractum, sic non posset esse translativus domini unius in alium. Sola difficultas remanet de errore in qualitate, tum personæ, tum rei. Et pro resolutione utriusque difficultatis

*DICO*, bonum incertum, sive acquisitum, per delictum, sive per errorem, cujus dominus ignoratur (etiam facta omni diligentia) restitui debere vel pauperibus, vel Ecclesie, vel Monasteriis, & aliis locis piis. Bonum verò acquisitum per errorem tum in substantia, tum in qualitate, restitui debere danti (cum hic supponamus, dantem non esse dominum ignoratum). Conclusio quòd ad primam partem est Scoti in 4. dist. 15. q. 2. art. 4. §. de 4. scilicet *cui*; quem sequuntur Scotistæ omnes, & Bannes, Bonacina, Lessius, Filiuc. Molina, ac ferè omnes Thomistæ contra Socum, Layman, Dianam, & alios. Quòd ad secundam partem est aliquorum Scotistarum contra Azorium, & alios. Estque probabilior.

91 Probatur prima pars: primò de bono acquisito per delictum. Bonum incertum acquisitum per delictum, cujus dominus ignoratur, est injustè acceptum, & illud retinens constituitur possessor malæ fidei; sed quod injustè accipitur, & retinetur mala fide, restitui debet: Ergo quando dominus ignoratur, bonum incertum per delictum acquisitum restitui debet; sed quando ex ignorantia domini nequit fieri ipsi domino, vel hæredibus restitutio, faciendæ est vel pauperibus, vel Ecclesie, vel aliis locis piis: Ergo bonum incertum per delictum acquisitum, cujus dominus ignoratur, restitui debet vel pauperibus, vel Ecclesie, vel aliis locis piis. Totus syllogismus est certus, ut dictum est supra de possessore malæ fidei, ex injusta scilicet acceptione rei. Probatur minor subsumpta. Quando restitutio necessariò faciendæ est, si fieri non potest proprio domino, vel hæredibus, faciendæ est tunc meliori modo, quo fieri potest; sed tunc fit meliori modo, quo fieri potest, quando fit pauperibus, vel Ecclesie, vel aliis locis piis: Ergo &c. Probatur minor: ex Scoto loco cit. *Cui non potest reddi temporaliter, reddatur spiritualiter*; sed quando restitutio fit pauperibus, vel Ecclesie, vel aliis locis piis, redditio fit spiritualiter: Ergo tunc fit meliori modo, quo fieri potest.

92 Probatur secundò de bono incerto acquisito sine delicto. Bonum incertum acquisitum sine delicto, sed per solum errorem, & ignorantiam dantis, & accipientis, non est à proprio domino voluntariè derelictum; Ergo tale bonum cadit sub obligationem restitutionis: Ergo quando fieri non potest proprio domino restitutio, faciendæ est pauperibus, vel Ecclesie, vel aliis locis piis, juxta dictum Scoti, quòd *cui reddi non potest temporaliter, reddatur spiritualiter*. Probatur antecedens: res amissa, vel perdi-

perdita per errorem proprii domini, non red-  
dit dominum deudatum suo jure, quod circa  
illam habet; imò dominus illam rem vellet  
sub sua potestate, si posset: Ergo bonum illud  
ab alio acquisitum per errorem dantis, & abs-  
que delicto, & malitia recipientis, non est à  
proprio domino voluntariè derelictum.

93. Probatur secunda pars: error circa substan-  
tiam, vel personæ, vel rei, ponit obligationem  
restitutionis in recipiente bonum, quod per  
errorem acquiritur: Ergo etiam quando error  
est circa qualitatem personæ, vel rei, ponit  
eamdem obligationem restitutionis. Antece-  
dens est certum apud omnes Doctores. Proba-  
tur consequentia: in tantum error circa sub-  
stantiam tum personæ, tum rei, ponit obliga-  
tionem restitutionis, inquantum bonum ac-  
ceptum per talem errorem esset involuntariè  
datum: ut colligitur ex *inst. ex L. cit.*, sed etiam  
quando error est circa qualitatem personæ,  
vel rei, bonum acceptum per talem errorem est  
involuntariè datum: Ergo etiam error circa  
qualitatem personæ, vel rei, ponit obligatio-  
nem restitutionis. Probatur minor: qui putat  
dare pauperi eleemosynam, qui re vera non est  
pauper, sed fingit, se esse pauperem, non dat  
eleemosynam illi voluntariè, sed involuntariè;  
cum moveatur à paupertate ad dandam elee-  
mosynam: Ergo qui putat donare propinquo  
centum, qui re vera non est propinquus: vel ve-  
stem laceram, quæ lacera non est, non donat  
voluntariè, sed involuntariè. Probatur ante-  
cedens ex doctrina Scoti in 4. cit. art. 3. §. *con-*  
*similiter*: vbi ait, quòd simulans paupertatem,  
qui re vera non est pauper, tenetur ad restitutio-  
nem rei acceptæ ratione simulatæ paupertatis;  
quia sic simulans decipit dantem eleemosynam; &  
sic deceptus involuntariè daret: Ergo &c.

Confirmatur: quando qualitas rei, vel perso-  
næ est ratio motiva, vel finis ex parte dantis,  
ratione cujus movetur ad donandum, posita  
errore in ipsa qualitate rei, vel personæ, cessat  
motivum, vel finis ex parte dantis; sed quando  
cessat motivum, & finis ex parte dantis, insur-  
git obligatio in recipiente restituendi acce-  
ptum ex errore; quia per talem errorem dans  
diceretur deceptus: Ergo error in qualitate  
rei, vel personæ ponit obligationem restitutio-  
nis in recipiente. Et quidem obligationem ponit  
immediatè restituendi proprio domino, si  
adest, & cognoscitur: vel hæredibus dantis: vel  
si non cognoscitur, nec ejus hæredes cogno-  
scuntur, restitutio facienda est ut supra, pau-  
peribus scilicet, vel Ecclesiæ, vel aliis locis  
piis.

*Solvuntur objectiones.*

94. **O**bjicies primò contram primam  
partem, probando, quòd bonum  
incertum non acquisitum ex deli-

cto; non obligat accipientem ad restitucio-  
nem, quando dominus ignoratur. Bonum in-  
certum, cujus dominus ignoratur post adhibi-  
tam moralem diligentiam, si retinetur ab in-  
ventore, hic non agit, retinendo pro se tale  
bonum, contra jus naturale, nec Ecclesiasti-  
cum: Ergo potest licitè pro se ipso retinere  
absque ulla obligatione restitutionis facien-  
dæ, vel pauperibus, vel locis piis. Antecedens  
est certum, cum nullo jure ex assignatis obli-  
getur inventor talis boni ad restitutionem  
faciendam, Probatur consequentia: quod non  
est aliquo jure prohibitum, potest licitè fieri;  
sed retentio boni incerti, cujus dominus igno-  
ratur, non est aliquo jure prohibita: Ergo ab  
inventore talis boni potest licitè fieri; adeo-  
que inventor talis boni non tenetur ad resti-  
tutionem.

Respondetur dist. antecedens: non agit con-  
tra jus naturale expressè decernens de tali bo-  
no restituendo, vel retinendo, concedo antece-  
dens; deductivè decernens de tali bono, nego  
antecedens, & consequentiam. Et dist. majore-  
m probationis: quod non est aliquo jure pro-  
hibitum, tam expressè, quàm deductivè, potest  
licitè fieri, concedo majorem: quod non est  
prohibitum expressè, sed est prohibitum dedu-  
ctivè, potest licitè fieri, nego majorem; & eo-  
dem modo distincta minori, nego consequen-  
tiam. Dico igitur, quòd estò nec jus naturale,  
neque ecclesiasticum expressè prohibeant re-  
tentionem boni incerti ab ipso inventore; &  
sic inventor boni incerti post adhibitam dili-  
gentiam inveniendi dominum, non ageret  
contra jus expressè prohibens; tamen deduci-  
tur ex jure naturali, & positivo tum civili, tum  
ecclesiastico, hujusmodi boni incerti retentio-  
nem non esse licitam. Nam quodlibet jus de-  
cernit, rem alienam reddendam esse; & qui-  
dem eo modo, quo fieri potest redditio: cum  
igitur dominus illius rei incertæ ab altero in-  
ventæ, non desinat per talem amissionem esse  
dominus illius rei, dum ei fieri non potest re-  
stitutio corporaliter, magis præsumitur velle,  
restitutionem fieri spiritualiter, impendendo  
tale bonum, quod suum est, pauperibus, vel  
locis piis, quàm illud retineri ab inventore.  
Ratio hujus esse potest, quia rem perdens, non  
voluntariè perdit, sed involuntariè; adeoque  
non potest transferre dominium illius in alte-  
rum, & ita semper jus habet ad rem suam.

95. Objicies secundò contra secundam partem,  
probando acquisita per errorem, si error est  
tantum in qualitate, non teneri acquirentem  
ad restitutionem. Si Petrus putat dare Paulo  
pauperi decem aureos, ut illum sublevet à  
paupertate, qui re vera non est pauper: vel da-  
re decem Paulo, ut propinquo, qui re vera  
non est propinquus; tunc haberetur error tan-  
tum in qualitate; sed hujusmodi error in qua-  
litate non obligat Paulum ad restitutionem;  
Ergo error in qualitate circa bonum acqui-  
situm

ficum non obligat ad restitutionem. Probatur minor : error in qualitate in contractu matrimonii non dissolvit matrimonium : ut si quis putat accipere in uxore mulierem pulchrā, vel divitem, & inveniat eam turpem, vel pauperē, talis error non habet vim invalidandi contractum : Ergo neque error in contractu donationis habet vim invalidandi contractum, & obligandi accipientem ad restitutionem.

Respondetur negando minorem, & consequentiam probationis cum paritate. Disparitas enim est evidentissima ; quia juxta leges communes, qualitates personæ in contractu matrimonii non sunt causæ, aut motium faciendi matrimonium ; nec proinde errores circa illas matrimonium factum impedire possunt. At qualitates in contractu donationis sunt causa finalis, & motium faciendi contractum donationis. Titius nanque dum Paulo existimato pauperi donat decem, movetur à paupertate, quam in Paulo supponit ad talem eleemosynā faciendam: vel dum donat eidem Paulo existimato propinquo, movetur ab ipsa propinquitate ad talem donationem faciendam. Quando autem qualitates rei, vel personæ sunt causa, & motium contractus, tunc si contingat in eis error, invalidatur contractus ; quia cessante causa, & motivo, cessat ipse contractus; secus verò quādo qualitates nō sunt causa contractus, ut evenit in matrimonio, sic à legibus determinato, quòd scilicet error circa qualitates non impediatur matrimonii valorem.

96 Quantum spectat ad resolutionem casuum conscientie, ultra ea, quæ dicta sunt pro explicatione primæ partis quæstionis num. 88., & 89. de bono incerto, quod nunquam dominum habuit, vel si habuit ad præsens non extat, ut est thesaurus ; plura alia infero. Et primò ; quòd circa bonum incertum, quod dominum habet, sed ignoratur, postquam inventor adhibuit omnem diligentiam dominum inveniendi, & non invenit, teneatur ad restitutionem faciendam pauperibus, vel Ecclesie, vel aliis locis piis. Ratio est, quia cum bonum illud sit res aliena, obligat inventorem ad restitutionem faciendam ; & quia dominus ignoratur, ei fieri non potest temporaliter per receptionem ejusdem rei ; fieri ergo debet ei spiritualiter, per redditionem faciendam Ecclesie, locis piis, vel pauperibus, qui sunt membra Christi domini.

Infero secundò, quòd circa bonum incertum, si inveniatur in loco publico, ut in via: vel etiam in loco particulari, ut in Agro Caii, & inventor adhibita diligentia inveniendi dominum, ipsum non inveniatur, idem iudicium efformamus, quòd scilicet restitutio faciendā sit pauperibus, vel Ecclesie, &c. propter rationem supra assignatam.

Tertiò infero, quòd quando dominus boni incerti perveniat ad noticiam inventoris talis

boni, & ipse dominus mortuus sit, tunc restitutio faciendā est hæredibus, & propinquis illius domini, si adsunt ; ut tenet Scotus loco cit. Ratio est, quia dominus illius rei transferendo ad hæredes dominium bonorum suorum, intendit transferre etiam dominium rei perditæ : & ita quia hæredibus acquiritur jus ad rem illam perditam, ideo illis faciendā est restitutio.

Quartò infero, quòd bonum incertum acquisitum ex delicto, furto, usura, vel alio contractu illicito, si dominus, & ejus hæredes ignorantur, tunc restitutio faciendā est pauperibus, vel Ecclesie. Ratio est illa supra assignata, quòd scilicet quando restitutio fieri non potest corporaliter, faciendā est spiritualiter; & quidem meliori modo fieri non potest spiritualiter, quā illud bonum distribuendo pauperibus, vel Ecclesie, vel aliis locis piis.

97 PETES PRIMO. Quid sit dicendum, quando res inveniuntur in litore maris ?

Respondetur dicendo, quòd si res inventæ in litore maris sunt fructus maris: ut sunt coralia, margaritæ, &c. tunc sunt primò capientis ; quia talia bona sub nullius dominio sunt, nec fuerunt, & sic fiunt primò capientis. Si verò non sunt fructus maris, sed res in mare projectæ ob tempestatem ; tunc si dominus ignoratur, distribuendæ sunt, vel pauperibus, vel Ecclesiis, vel aliis locis piis. Ratio hujus est, quia dominus illarum rerum non voluntariè omninò res illas tempore tempestatis proiicit, & sic dominium illarum non amittit. Si verò dominus illarum scitur, & adest, ipsi domino immediatè restituendæ sunt ; si verò in mari mortuus est, & cognoscuntur hæredes, hæredibus restituantur. Si verò non habeat hæredes, vel si habet, non cognoscantur, etiam post diligentiam adhibitam, tunc pauperibus faciendā est restitutio, vel Ecclesie, vel aliis locis piis, propter rationem supra assignatam. Contra eos, qui non restitunt, vel domino, si adest, vel hæredibus, bona Christianorum inventa in litore maris, adest excommunicatio latæ sententiæ in Bulla Cœnæ num. 4.

98 PETES SECUNDO. Per cujus manus faciendā sit restitutio pauperibus, vel Ecclesie, quando dominus, vel hæredes boni incerti non cognoscuntur ?

Respondetur cum Doctore nostro loco supra cit. s. videtur mihi, restitutionem faciendam esse per ipsum inventorem talis boni, & consilio boni viri fieri distributionem pauperibus, de cujus boni viri fidelitate præsumeret. Ratio ab ipso Scoto assignata est: *Vbi lex divina, vel Ecclesiastica non ligat personam, sequenda est ratio naturalis. Illa autem dicitur magis, quòd persona, quæ tenetur, restituat pauperibus per se ipsam, quā per aliam, licet non excludendo consilium alterius boni viri.*

99 **PETES TERTIO**. *An bona incerta, qua acquiruntur sine delicto, possint ab inventore retineri, si iste sit pauper?*

Respondetur affirmativè. Quia inventor talis boni incerti non est deterioris conditionis, quàm sint ceteri pauperes: unde si lex præcipit, quòd res inventæ, quorum dominus ignoratur, reddendæ sint pauperibus, si inventor est pauper, potest res illas pro seipso, & ad suos usus applicare (loquendo de evidenti paupertate, non de ficta paupertate). Per ea, quæ usque nunc dicta sunt, possunt resolvi alia dubia spectantia ad eum, cui facienda sit restitutio.

QVÆSTIO DECIMA.

*Quo tempore facienda sit restitutio?*

**S**uppono ex dictis in prima quæstione hujus disputationis, restitutionem cadere sub præceptum negativum, quod præceptum obligat ad semper, & pro semper non quidem actu elicito restituendi, sed voluntate determinata ad actum restitutionis exercendum. Qua in re notanda sunt verba Doctoris nostri in 4. dist. 15. qu. 2. art. 4. qui ait §. ex his sequitur. *Tenere alienum injustè, idest invito domino, est semper prohibitum, & ideo semper, & pro semper oportet non tenere isto modo; sed quando aliquis habet voluntatem restituendi pro tempore opportuno, ex tunc tenetur, domino volente, est non actu elicito, tamen actu debito, quia dominus debet velle, quòd qui suum habet, teneat quousq; possit reddere opportunè.* Ex qua doctrina Scoti inferitur, quòd quandoque licitum est differre restitutionem, & in tali dilatione dominus rei non diceretur invitus, sed diceretur volens illam dilationem, licèt non actu elicito, tamen actu debito, & per hoc excusaretur debitor à restitutione statim facienda, sive teneatur ex re accepta, sive ex injusta rei acceptione. Quapropter obligatio restituendi sub hac maxima continetur, ut Doctor ipse advertit: *Licèt detinere rem alienam, quando ille cujus est, debet velle rationabiliter detineri.*

100 Ubi notandum est, quòd præceptum negativum, quo quis obligatur ad non retinendam rem alienam, & sic ad illam suo domino semper, & pro semper, ac statim reddendam, non importat ly statim mathematicè indivisibile, ita ut, si quis recordaretur media nocte, se retinere rem Caii, statim teneatur de lecto surgere, & Cajo restitutionem facere; aut si esset in templo ad orandum, debeat orationem relinquere, & se conducere ad Cajum, ut ei restitutionem faciat: Sed ly statim, & ly pro semper intelligitur moraliter, idest pro semper, ac statim voluntatem habere restituendi, quando occurrit oportunitas: quod insinuat à

Doctore nostro in 4. cit. art. de 4. §. de primo: ubi ait, & per consequens, vel actu statim reddere; vel saltem velle reddere; cum fuerit opportunitas. Unde præceptum illud negativum, non retinendi alienum, non obligat mathematicè, sed tantùm moraliter.

101 Sequitur ex hac doctrina, plures dari casus, in quibus debitor excusatur à restitutione statim facienda tempore, quo illam facere deberet, si graves non urgerent necessitates: quibus urgentibus, debitor, sive ex injusta acceptione, sive justa, vel ex contractu, potest restitutionem differre, usque ad opportunitatem commodè restituendi; eamque dilationem diceretur dominus rationabiliter velle. Primus casus est, quando restitutio statim facienda, esset in præjudicium Reipublicæ, & proprii domini; ut si quis retineret gladium Titii, vel tanquam depositum, vel tanquam ablatum, aut injustè emptum à retinente: non teneretur statim Titio gladium restituere, quando certò sciret, Titium velle ipso gladio necare Cajum; & multò magis non teneretur illum gladium restituere tempore, quo Titius factus est insanus; quia tunc Respublica magnum damnum pateretur.

Secundus casus est, si restitutio esset in diffamationem restituentis; ut si Titius, qui injustè accepit equum Caii, si statim vellet Cajo restitutionem facere, vel per seipsum, vel per alium virum fidelem, vel per Confessarium, posset Cajo devenire in cognitionem furis, & sic Titius esset diffamatus: unde in tali casu posset Titius fur restitutionem differre, quousque non remaneret diffamatus.

Tertius casus est, quando restitutio statim facienda cederet in magnum incommodum restituentis, & in nullum, vel parvum creditoris, ut si Titius deberet centum Cajo, vel ratione mutui, vel ex furto, & Cajo profectus esset in Indias, tunc quia majus esset incommodum in Titio restituyente, quàm Cajo patitur ob dilatam solutionem, posset Titius solutionem, seu restitutionem differre. Dixi, quòd hoc incommodum, quod pateretur debitor, debet esse majus incommodo, quod passurus esset creditor; quia quando est æquale, incommodum restituentis, & creditoris, tunc statim facienda est restitutio; nam in æquali damno potior est conditio creditoris habentis jus supra rem suam.

Sunt alii casus excusantes debitorem à restitutione statim facienda, qui infra ponuntur exagitandi: & alii excusantes simpliciter à facienda restitutione, de quibus specialiter actum est quæstione 4. hujus disputationis. Nunc quæritur, an omni tempore, seu statim facienda sit restitutio, vel debitor in his tribus casibus assignatis possit restitutionem differre. Et pro resolutione

**DICO**, Restitutionem faciendam esse in instanti, quo quis injustè rem alienam retinet,

Y 2

nisi

nisi cederet in præjudicium Reipublicæ, & proprii domini, vel in præjudicium famæ restituentis, vel in magnum restituentis incommodum, & nullum, vel paruum creditoris; in quibus casibus restitutio differri potest. Conclusio quò ad singulas partes est Scoti loco cit. cum omnibus Scotistis, & præter hos, est etiam fere communis inter Doctores, cum Navarro, Lessio, Molina, Azorio, Bannes, Bonacina, & aliis.

- 102 Probatur prima pars. Restitutio cadit sub præceptum negativum; Ergo ponit obligationem ad statim reddendum alteri, quod suum est, nisi justè impediatur debitor à restitutione statim facienda; sed quando restitutio statim facienda, esset in præjudicium Reipublicæ, & domini rei, vel in præjudicium famæ restituentis, vel in magnum restituentis incommodum, & nullum, aut paruum creditoris, non est statim facienda restitutio: Ergo restitutio esset statim facienda, nisi cederet in Reipublicæ, & domini præjudicium, vel famæ restituentis, vel in incommodum magnum restituentis, & nullum, aut paruum creditoris. Antecedens est certum ex prima quæstione, hujus disp. Consequentia sequitur; quia hoc habet præceptum negativum ex sua natura, obligare ad semper, & pro semper, saltem in sensu morali supra num. 100. explicato. Ultraquamquòd probatur ipsa consequentia: Sicut injustè accipiens rem alienam peccat contra justitiam, sic injustè retinens rem illam peccat contra justitiam; sed nisi quis justè impediatur à facièda restitutione, debet quodlibet vitare peccatum: Ergo nisi justè impediatur retinens rem alienam, debet statim restitutionem facere.

Eò vel maximè, quia Jus civile, ff. de re judic. & L. Eum & c. habet hæc verba in favorem creditoris: *Quod debetur sine termini præfixione statim debetur*: Ergo nisi debitor sit justè impeditus ad statim faciendam restitutionem, tenetur statim restitutionem facere.

- 103 Probatur secunda pars primò, & est minor subsumpta primæ probationis. Quando creditor non censetur irrationabiliter invitus, tunc differri potest restitutio, quæ aliàs statim facienda esset; sed quando ratione damni, quòd eveniret, vel Reipublicæ, vel ipsi creditori, non fieret statim restitutio, creditor non censeretur rationabiliter invitus: Ergo ratione talis damni possit licitè differri restitutio. Probatur minor: tunc creditor dicitur rationabiliter invitus, quando si ad se perveniret sua res ab alio retenta, ea non abuteretur in damnum alterius, vel sui ipsius: Ergo quando evenit damnum alteri, vel ipsi creditori, si differatur restitutio, dominus rei non diceretur rationabiliter invitus. Probatur antecedens hoc exemplo. Titius furatus est gladium Caii, tenetur ex præcepto reddere Cajo gladium statim, ac illum injustè retinet: Si sciat

Titius, Cajum in amentiam incidisse, & tali gladio velle seipsum, vel alium necare, tunc ex charitate teneretur Titius restitutionem differre, donec Cajus dominus illius gladii reducatur ad pristinam sanitatem; & aliunde Cajus dominus, non diceretur rationabiliter invitus ob dilatam illam redditionem: Ergo &c.

- 104 Probatur secundò de præjudicio famæ restituentis. Non tenetur debitor statim restituere bona inferioris ordinis, quando hujusmodi restitutio cedit in præjudicium bonorum superioris ordinis; sed bona præsertim fortunæ (de quibus hic est sermo) sunt bona inferioris ordinis, & bona famæ sunt bona superioris ordinis: Ergo debitor non tenetur statim restituere, quando restitutio statim facienda cedit in præjudicium famæ restituentis. Minor patet, nam primò est vita, secundò fama, & deinde bonum fortunæ. Probatur major magis quis tenetur ex justitia, & charitate ad suam tuendam famam, quàm ad reddendum alteri, quod suum est, si hujusmodi redditio foret in præjudicium suæ famæ. Imò etiam creditor magis tenetur ad famam proximi, quàm ad suum temporale commodum: Ergo &c.

Eò vel maximè, quia ex hoc quòd creditor magis teneatur ad famam proximi, quàm ad proprium commodum, sequitur, quòd si differretur restitutio, ipse dominus non esset rationabiliter invitus: Ergo quando restitutio est in præjudicium famæ restituentis, potest licitè differri.

- 105 Probatur tertio, quòd scilicet, quando restitutio est in grave damnum restituentis, possit differri. Restitutio facienda est, ut servetur æqualitas inter datum, & acceptum, seu inter debitum, & jus alterius contra debitorem; sed quando restitutio statim facienda inferret magnum restituenti incommodum, & nullum, vel paruum Creditori, tunc non servaretur æqualitas inter debitum, & jus alterius contra debitorem: Ergo quando magnum infert incommodum restituenti, & nullum, aut paruum creditori, restitutio non est statim facienda. Probatur minor: supponamus, Titium injusta acceptione accepisse à Cajo centum hic Neapoli, & Cajum statim profectum esse in Indias; si Titius vellet statim Cajo restitutionem facere, propter expensas, quæ occurrerent ad transferendum centum in Indias, notabile damnum pateretur Titius; imò damnum superaret duplo, vel triplo ipsam summam centenariam: Ergo non esset æqualitas, imò maxima inæqualitas inter debitum Titii, & jus Caii; quia Cajus haberet jus tantum ad centum, vel saltem ad damnum emergens, & lucrum cessans: Ergo &c.

Eò vel maximè, quia etiam in hoc casu dominus non diceretur rationabiliter invitus, sed diceretur velle rationabiliter suum retineri: Ergo &c.

Solvuntur

*Solvuntur Objectiones.*

106 **O**bjicies primò, probando, quòd quando restitutio cedit in præjudicium Reipublicæ, vel creditoris, non possit differri. Quando debitor potest restitutionem facere, & illam differt, peccat contra justitiam; sed nequit debitor peccare contra justitiam, etiam si restitutio cederet in præjudicium Reipublicæ, vel creditoris: Ergo nequit debitor differre restitutionem, quando hæc cedit in præjudicium Reipublicæ, vel in damnum creditoris. Major patet, nam alienum retinere, domino rationabiliter invito, cum possit reddi, est facere actionem justitiæ adversam; ac per consequens est peccare contra justitiam. Probatur minor: præjudicium illud, quod eveniret Reipublicæ, vel creditori, si statim facienda esset restitutio, per accidens tantum intenditur à debitore restituyente: Ergo si restitueret, etiam si eveniret tale præjudicium Reipublicæ, & creditori, per se intenderet actum justitiæ: Ergo nequit contra justitiam peccare, etiam si restitutio cederet in præjudicium Reipublicæ, vel creditoris.

Respondetur dist. majorem: si restitutionem differt absque ullo rationabili motivo, & domino rationabiliter nolente talem dilationem, peccat contra justitiam, concedo majorem: si restitutionem differt cum rationabili motivo, & domino rationabiliter volente talem dilationem, nego majorem, & concessa minori, nego consequentiam. Dico igitur, quòd quando quis potest statim restitutionem facere, & non facit, & illam differt ex sua inordinata, & prava voluntate; quia tunc absque rationabili motivo restitutionem differret, & dominus in tali casu non diceretur volens talem dilationem, tunc debitor contra justitiam peccaret, differendo restitutionem; quia tunc faceret actionem contra justitiam, retinendo rem alienam, invito rationabiliter domino. At quando restitutionem differt ex rationabili motivo, ut esset, ne præjudicaret Reipublicæ, vel ne inferret damnum creditori &c; quia tunc dominus diceretur rationabiliter volens talem dilationem, idcirco non peccaret contra justitiam, qui restitutionem differret ex motivo non afferendi Reipublicæ præjudicium, vel damnum creditori. Ad probationem minoris dico, antecedens esse falsum, nam qui potest vitare damnum, & non vitat, est causa talis damni, præsertim quando scit, tale damnum esse eventurum: unde illud præjudicium, vel damnum Reipublicæ, & creditoris esset per se, & non per accidens intentum à debitore, si restitutio fieret cum tali præjudicio.

107 Pro majori claritate hujus responsionis, efformo hoc argumentum: quando duæ actiones exercendæ sunt ex motivo ejusdem virtu-

tis, si ambæ non possunt simul exerceri, potest una differri, quando altera inevitabiliter cederet contra illam virtutem; sed vicare incommodum Reipublicæ, & damnum creditoris est actio ex motivo justitiæ, sicut reddere alteri, quod suum est: Ergo quando hujusmodi actiones nequeunt simul exerceri, tunc potest una licitè differri cum exercitio alterius: Ergo ad vitandum damnum Reipublicæ, & creditoris, quod inevitabiliter eveniret, potest restitutio ad aliud tempus differri.

Neque dicas, actionem vitandi damnum Reipublicæ, & creditoris esse ex motivo charitatis, & non justitiæ; atque ideo, concurrentibus his duabus actionibus, exercendam esse actionem ex justitia debitam, quando simul exerceri non possit actio ex motivo charitatis. Non valet, inquam; nam qui restituit gladium V. G. ut supra dictum est, Titio, quem scit, eo abufurum esse in damnum proprium, vel Reipublicæ, idem esset, ac si daret instrumentum ad alterum necandum; sed qui dat instrumentum ad alterum necandum, injustè agit, peccatque contra justitiam: Ergo etiam reddendo alteri tale instrumentum, quod suum est, sciens pro illo tempore abufurum eo in damnum proprium, vel Reipublicæ, dicitur peccare contra justitiam, & non solum contra charitatem.

108 Objicies secundò, probando, restitutionem esse statim faciendam, etiam si cederet in præjudicium restituentis. In tantum restitutio esset differenda, quando cederet in præjudicium restituentis, in quantum, cum fama sit ordinis superioris, & bona fortunæ ordinis inferioris, præferenda sunt bona ordinis superioris bonis ordinis inferioris; sed hæc ratio non valet: Ergo non obstante quòd restitutio fit, cedat in præjudicium restituentis, debet tamen statim fieri. Major est fundamentum oppositæ sententiæ, & est maxima Scoti. Probatur minor primò: bona fortunæ, quæ sunt ordinis inferioris, possunt ita crescere, vel ratione quantitatis, vel ratione personæ, cui fuerunt ablata, ut superent in æstimabilitate famam ipsam: Ergo illa ratio, quòd fama sit superioris ordinis, non valet. Probatur antecedens: potest quis furari tantam summam pecuniæ Cajo, ut Cajuus incidat in paupertatem: vel persona aliqua ignobilis tantam summam à persona nobili, ut hæc per depreditionem suæ pecuniæ decrescat à suo nobili statu; sed in his casibus non esset præferenda fama furis bonis fortunæ alteri ablati: Ergo &c.

Probatur secundò eadem minor principalis: potest dari casus, quòd fur per priora furta commissa amiserit suam famam, & quidem publicè: Ergo per subsequens furtum commissum nõ magis æstimare debet famam suam, quàm bona fortunæ aliena: Ergo illa ratio, quòd bona famæ sint ordinis superioris,



ris, non excusat debitorem à restitutione statim facienda, etiam si sit in præjudicium famæ restituentis.

Respondetur negando minorem, & ad primam minoris probationem, nego antecedens, & ad probationem ejus, nego, quòd in illis casibus furtum magnæ summæ pecuniæ, ex quo dominus incidat in paupertatem, vel persona nobilis à suo statu decrescat, superet famam, quæ constituitur in superiori ordine. Plus enim valet minimum ordinis superioris, quàm maximum ordinis inferioris, nedum quantum ad esse physicum, sed etiam quantum ad esse morale: plus valet minimus Angelus, quàm maximus homo; & plus minimus homo quàm maximus equus; sic etiam, quia fama constituitur in ordine superiori ipsis bonis fortunæ, quamvis ista crescant in maxima summa, etiam cum detrimento domini, etsi sit persona nobilis, non per hoc superare possunt famam ipsam. Quod etiam patet de adultera, quæ cum jactura suæ famæ, si aliunde non potest reddere filiis naturalibus bona ad ipsos spectantia, non tenetur infamare seipsam, ne filii naturales hæreditatem perdant, quæ conferenda est filio spurio, & ex adulterio concepto; etiamsi hæreditas, quæ spurio datur, sit in maxima summa; quia plus æstimanda est fama mulieris, quàm quodlibet bonum fortunæ.

Ad secundam minoris principalis probationem dico, verum esse, quòd quando quis est publicè infamatus, & famam suam per alia furta amiserat, tunc tenetur ad statim faciendam restitutionem, quia sic restituendo, non debet magis pro sua fama, quàm pro alienare reddenda; nam ex antecedentibus furtis supponitur famam amisisse.

109 Objicies tertio probando, restitutionem esse statim faciendam, etiamsi eveniat notabile detrimentum restituenti, & nullum, aut paruum creditori. In tantum differri posset restitutio, quando eveniret notabile detrimentum restituenti, in quantum dominus illius rei diceretur rationabiliter velle, rem illam retineri, & non statim esse solvendam; sed hujusmodi præsumptio non semper valet: Ergo non obstante notabili detrimento restituentis, & nullo, aut parvo creditoris, restitutio statim facienda est. Probatur minor: potest dominus absolute nolle, rem suam ab alio retineri; in quo casu absolute velle, rem suam sibi statim reddi: Ergo illa præsumptio, quòd dominus diceretur rationabiliter velle, rem illam retineri, non semper valet: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dist. antecedens: potest dominus absolute nolle, voluntate inordinata, rem suam ab alio retineri, concedo antecedens: absolute nolle voluntate ordinata, nego antecedens, & consequentiam. Quando igitur dominus absolute nollet, voluntate inordina-

ta, rem suam ab alio retineri, tunc si detrimentum magnum pateretur retinens rem illam, non esset censendus injustus retentor, sed justus: imò potius dominus diceretur injustus exactor. Quod etiam est certum de deposito. Si apud Titium esset depositata magna summa pecuniæ Principis, & hic contra alium Principem injustè bellum moveret, posset Titius ad aliud tempus pecuniam illam depositam reddere; nam Princeps ipse non diceretur velle suam pecuniam voluntate ordinata, sed voluntate inordinata. Vel si à Titio apud Cajum fuisset depositus gladius, quo Titius vellet (factus furiosus) necare seipsum, vel alterum; tunc quia Titius voluntate inordinata peteret à Cajo gladium, posset Cajus restitutionem differre. Ita etiam dicendum est de fure, vel altero, qui rem alienam retinet, quòd quamvis dominus illius rei, voluntate inordinata, vellet statim rem suam rehabere cum notabili detrimento retinentis, non propterea diceretur injustus retinens, si ad aliud tempus restitutionem differret.

110 Quantum spectat ad resolutiones casuum conscientiarum; infero primò, restitutionem statim faciendam esse, quando nullum adfit notabile impedimentum ex supra assignatis: vel quod restitutio, si statim fiat, cedat in præjudicium Reipublicæ, & domini illius rei: vel in detrimentum famæ, aut in detrimentum bonorum ipsius restituentis. Ratio est, quia hujusmodi incommoda licitè excusant retinentem ad differendam restitutionem; cum in his casibus, dominus non esset rationabiliter invitatus; imò esset rationabiliter volens rem suam retineri.

Secundò infero, quòd potens nunc restituere absq; ullo impedimento, & nõ restituens, sed volens restitutionem fieri post ejus mortem ab hæredibus, diceretur iste talis in continuo peccato mortali, & non esset absolvendus: primò, ob pertinaciam suæ voluntatis in retinendo injustè rem alienam. Secundò, propter damnum, quod evenit creditori ex tanta temporis dilatione, quod damnum refarcire debet.

Tertio infero, quòd si quis nunquam famam amiserit, & occultè rem alienam retinet, possit illam non statim reddere, si illa redditio suæ famæ præjudicaret. Primò, quia dominus illius rei diceretur rationabiliter velle rem suam retineri. Secundò, quia fama, cum sit ordinis superioris bonis fortunæ, magis tenetur ad suam famam servandam, quàm ad statim rem alienam reddendam. Quod patet ex Prov. 22. *Melius est bonum nomen, quàm divitiæ multæ.* Et ex Phil. 4. *Eth. Honor est maximus bonorum externorum.*

Quartò infero, quòd si fur retinens rem alienam per alia furta amiserit famam, tenetur statim rem furtivam per subsequens furtum reddere. Ratio est, quia semel infamato aliquid famæ

famæ non remanet ; & ita prævalent bona fortunæ alterius ; præsertim quia famam amittit ex delicto.

Quintò infero , quòd ad tuendam suam famam , quando injustus retentor rei alienæ facere vult restitutionem , illam facere potest , vel per Confessarium , cui in confessione revelatum est furtum ; vel per alium bonum virum , de cujus fidelitate confidit . Ratio hujus est , quia hujusmodi personæ in conscientia salvare possunt , & debent famam restituentis .

Sextò tandem infero , quòd qui excusatur ob notabile damnum , quod ei evenire posset in bonis fortunæ , si statim restitutionem faceret , tenetur in conscientia ad resarciendum damnum , quod patitur creditor ob dilatam solutionem , & redditionem suæ rei , si tamen retinens est possessor malæ fidei .

111 *PETES PRIMO* . An quis teneatur restituere cum gravi damno sui honorifici status?

Respondetur cum distinctione . Vel bona sunt acquisita licitè , ut ex contractu licito , vel ex amissione bonorum alienorum , quorum dominus ignoratur ; Vel sunt bona acquisita ex delicto , ex furto , V. G. vel ex usurario contractu , vel ex quovis alio contractu illicito . Si quis restituendo bona primò modo acquisita , cadat à suo honorifico statu , posset restitutionem differre , saltem partis illius boni justè acquisiti , ad se conservandum in statu honorifico , in quo fuit cognitus , & ab aliis habitus . Ratio hujus est , quia nemo tenetur ad restitutionem faciendam cum majori damno , quàm pati posset creditor ob dilatam solutionem . Et hoc valet præsertim in nobilibus , etiã justè rem alienam accipientibus , qui excusantur , si non statim totum restituant , ne cadant à suo honorifico statu ; at verò non excusantur , si nullatenus restituunt ex motivo non cadendi ab eorum honorifico statu ; cum debeant paulatim restituere , diminuendo victum , vestitum , familiam , & dotes filiarum , & multò magis diminuendo expensas pro vanis usibus .

Si verò bona sunt acquisita ex delicto , vel illicito contractu , tunc sunt restituenda , non obstante , quòd retinens cadat à suo honorifico statu . Ratio est , quia tunc cum esset malæ fidei , & injustus possessor , non diceretur cadere à statu honorifico , sed diceretur se in pristino statu reponere , in quo priùs erat ; imò non restituendo , in statu honorificentiori , & ditiori se poneret , & quidem injustè . Ita Mastrius , Caspensis , Cajetanus , Azorius , Bonacina , & alii ; cum Scoto loc. cit. in 4. art. ad argumenta §. ad aliud litt. H. H. ubi ait , dico , quòd non licet alicui statum solemnem tenere de bonis alienis . Quæ doctrina præsertim militat de bonis alienis injustè acceptis .

112 *PETES SECVNDO* . An quis possit restitutionem differre , quando adest periculum animæ suæ , vel suorum ?

Respondetur , priùs explicando casum . Hoc

periculum animæ restituentis evenire potest , quando ob paupertatem , in quam incideret post factam restitutionem , posset ex impatentia se dare in actum desperationis ; periculum verò animæ suorum eveniret , si facta restitutione , ob paupertatem restituentis mulier ejus , vel ejus filia se prostituerent , vel si mares sunt , se latrocinii applicarent . In quibus casibus magnum esset animæ detrimentum . Ita explicato dubio , dico , posse restitutionem differri , quando adest periculum animæ , vel restituentis , vel suorum , etiã si illa bona fuerint à debitore injustè acquisita , vel ex delicto , vel ex illicito contractu . Ratio est , quia cum bona animæ sint supremi ordinis , magis quis tenetur ad animam suam servandam , & suorum , quàm ad statim rem alienam reddendam ; nam in tali casu creditor diceretur rationabiliter velle rem illam retineri ; ut supra dictum est in aliis casibus . Ita sentiunt Mastrius , Lessius , Bonacina , Fillucius , & alii .

QVÆSTIO VNDECIMA .

*Quibus expensis facienda sit restitutio , quando res injustè possidetur ?*

113 **P**RO quæstionis majori intelligentia suppono , triplici via posse aliquem obligari ad faciendam restitutionem , scilicet ex ratione rei acceptæ , titulo scilicet justo , ut esset emptionis , venditionis &c. cujus rei possessor esset talis bona fide : vel ratione injustæ acceptionis rei , scilicet ex furto , rapina , usura , vel alio illicito contractu ; quomodo possessor hujus rei diceretur talis mala fide : vel tandem ex contractu , ut esset restitutio facienda ex mutuo , ex permutatione , ex commodato , ex deposito &c. Quando quis est obligatus ad faciendam restitutionem ratione rei acceptæ , justo quidem titulo , tunc restitutio facienda est expensis creditoris , & in loco , ubi debitor reperitur ; quod colligitur ex *L. si in Asta , §. Depositum ff. Depositi* . Et etiã suaderi potest ratione , quia possessor bonæ fidei ( ut esset in casu ) non debet cum suo damno constituere dominum rei in pristino statu , sed solum tenetur se abdicare dominio rei , cum primò cognoscit , rem non esse suam , & certiore facere dominum , vel per se , vel per alium , ut de re illa ad suum beneplacitum disponat . Quando verò est obligatus ex contractu certo , & licitè facto , tunc restitutio facienda est juxta naturam contractus : id est , si res sit apud possessorem ex mutuo , tunc res restituenda est expensis ipsius mutuatarii , & in loco , ubi rem mutuam accepit . Ratio est , quia res mutuata data fuit ad utilitatem , & commodum ipsius mutuatarii , & sic qui commodum habuit , in restitutione debet pati incommodum . Si est ex contractu permutationis , tunc

atten-

attendendus est mutuus contrahentium consensus, & pactum factum inter eos, salva tamen justitia in contractu: ut si Titius Apuliæ daret Cajo frumentum, commutando in oleum Calabriæ; si Cajus se exhibet suis expensis transmittere oleum à Calabria ad Apuliam, expensis Caii facienda est restitutio; & si Titius iniret pactum propriis expensis recipiendi oleum à Cajo, tunc Cajus Calabriæ tenetur reddere oleum Titio. Si est ex contractu commodati, res restituenda est expensis commodatarii, & in loco, ubi rem commodatam accepit. Ratio est, quia res commodata ad utilitatem commodatarii data fuit, & sic ipse pati debet incommodum. Si verò ex deposito, tunc restituenda est expensis deponentis, & in loco, ubi fuit deposita; quia cum res deposita, detur in custodia, non depositarius, sed deponens debet pati damnum in receptione illius rei. Quando tandem quis est obligatus ad restituendum ex injusta acceptione, est sermo tantum in præfenti.

- 114 Ubi suppono, quòd qui rem alienam injustè accepit, potest in facienda restitutione pati paruum damnum, & notabile damnum. Paruum damnum patitur; quando parvis expensis, minoribus ipso debito, subjacet in restituendo. Tunc patitur magnum, & notabile damnum, quando expensæ in duplo, vel triplo superant ipsum debitum restituendum. Ut si quis accepit injustè centum à Cajo, & ob longam distantiam loci, ubi manet Cajus, occurrerent pro expensis biscentum, tunc damnum restituentis in illo loco, ubi Creditor manet, esset notabile. His notatis, pro quæstionis resolutione

*DICO*, injustè possidentem rem alienam, si nullum ei notabile damnum evenerit, debere restitutionem facere propriis expensis, & in loco ubi dominus ejusdem rei manet: at si notabile damnum in duplo, vel triplo superans rem ipsam, evenerit debitori, restitutionem posse differri; vel esse faciendam consanguineis successuris in hæreditatem, vel pauperibus, vel aliis locis piis. Conclusio quò ad primam partem est communissima inter Doctores cum Mastro, Lessio, Navarro, Amico, Caspense, & aliis, quò ad secundam verò est Scoti in 4. dist. 15. qu. 2. art. 4. §. Cui, cum D. Thoma, contra Cajetanum, Sotum, Azorium, & alios. Et est magis probabilis.

- 115 Probatur prima pars: injustus possessor rei alienæ, sive ex furto, sive ex illicito contractu, constituitur damnificator injustus boni alieni; sed injustus damnificator boni alieni, dum restituit, debet damnum illatum refarcire: Ergo injustè possidens rem alienam, dum restituit, debet proprii domini damnum refarcire; sed non refarcitur damnum alteri illatum, nisi cum restituentis detrimento, & expensis: Ergo injustè possidens rem alienam debet restitutionem facere propriis expensis, & in loco, ubi

creditor residet. Probatur minor: injustus damnificator boni alieni ex justitia tenetur constituere dominum rei in pristino statu; quia contra justitiam, injustè accipiendo rem alienam, peccavit; sed tunc reponitur dominus in pristino statu, quando damnum ei illatum refarcitur; Ergo &c. Probatur minor: tunc dominus constituitur in pristino statu, quando absque sui detrimento totam rem, vel æquivalens rei, accipit in suam possessionem: Ergo nisi ab injusto possessore refarciatur damnum ei illatum cum proprio ipsius possessoris detrimento, & expensis, non posset dominus in pristinum restitui.

Eò vel maximè, quia si expensæ essent faciendæ à domino rei, jam non tota res ad dominum transiret, sed minoris pretii res transiret; in quo casu dominus non constitueretur in pristino statu: Ergo expensis ipsius debitoris, aut injusti possessoris fieri debet restitutio. V. G. si Titius injustè possideret centum Caii, & ad reddendum centum Cajo occurrerent ex parte Caii decem supra centum pro expensis, tunc Titius non restitueret Cajum dominum in pristinum; quia Cajus (demptis decem pro expensis) tantum fieret dominus nonaginta, & non centum. Quare ut Cajus restituatur in pristinum, tenetur Titius reddere centum propriis expensis, si occurrerent, ut fervetur justitiæ æqualitas: Ergo &c.

- 116 Probatur secunda pars: si cum notabili damno debitoris, aut injusti possessoris faciendæ esset restitutio, posset justitia respicere inæqualitatem maximam inter debitorem, & creditorem; sed hoc non est dicendum, cum restitutio sit præcepta ad servandam æqualitatem inter jus, & debitum: Ergo cum notabili damno debitoris, aut injusti possessoris non est faciendæ restitutio creditori; sed ad hoc notabile damnum vitandum, vel faciendæ est hæredibus, si commodè haberi possint; vel pauperibus, vel aliis locis piis, juxta doctrinam Scoti loc. cit. *Cui non potest reddi temporaliter reddatur spiritualiter*. Probatur sequela majoris: supponamus casum, quòd Titius injustè possideat centum Caii, qui Cajus profectus est in Indias, & ad mittendam usque ad Indias summam centenariam, necessaria esset alia summa centenaria, vel major summa; tunc Titius non tantum centum, sed bis centum, & pluri constitueretur debitor Caii, & tamen Cajus tantum jus ad centum haberet contra Titium: Ergo si in hoc casu ex justitia teneretur Titius tantum detrimentum pati, ut faciat pervenire ad manus Caii summam centenariam ab ipso injustè possessam, jam justitia posset respicere inæqualitatem maximam inter debitorem, & creditorem.

Eò vel maximè; quia, ut ait Doctor noster loco cit. propter notabile detrimentum, quòd posset debitori evenire, dominus diceretur rationa-

tionabiliter velle, rem illam ad aliud tempus retineri; vel si velit restitutionem fieri, rationabiliter vellet fieri spiritualiter, rem illam distribuendo pauperibus, vel aliis locis piis, si fieri non potest ei temporaliter, vel suis heredibus: Ergo &c.

*Solvantur Objectiones.*

117 **O**bjicies primò contra primam partem, Si injustus possessor rei alienæ deberet propriis expensis restituere rem injustè possessam, ad plus obligaretur, quàm ex justitia est obligatus; sed nequit ad plus obligari, quàm sit ex justitia obligatus: Ergo non debet propriis expensis restitutionem facere creditori. Probat major: injustus possessor rei alienæ à die possessionis injustæ ad nil aliud tenetur, quàm ad rem injustè possessam, & ad lucrum cessans, & damnum emergens, quod pati posset dominus ex re illa furtiva, vel injustè possessa; Ergo quando obligaretur ad reddendam rem proprio domino suis expensis, ad plus obligaretur, quàm ex justitia est obligatus. Probat antecedens ex justitia habetur, ut servetur æqualitas inter jus, & debitum, & inter creditorem, & debitorem; sed creditor non habet aliud jus, quàm ad rem suam, & ad lucrum, quod perdidit pro illo tempore, quo res fuit ablata, donec veniat ad manus suas (si est pecunia, vel res negotiationi exposita): Ergo debitor non tenetur ad aliud, nisi ad rem reddendam, & ad lucrum, & damnum emergens, si res erat negotiationi exposita; Ergo &c.

Respondetur negando majorem, ad cujus probationem dist. antecedens: si injustus possessor sit in eodem loco, in quo manet dominus rei, concedo antecedens: si non sit in eodem loco, nego antecedens, & consequentiam. Verum est, quòd quando injustus possessor rei alienæ est in eodem loco, in quo manet dominus rei, tunc non tenetur restituere, nisi rem injustè possessam, & lucrum cessans, & refarcire damnum emergens, juxta prudentiam æstimationem, ut dixi in superioribus questionibus; quia tunc restitutio fieri potest absq; expensis. At quando dominus est in alio loco distanti, ut si esset Romæ, & injustus possessor hic Neapoli, tunc quia occurrunt expensæ ad hoc, ut in manus creditoris perveniat res sua, ex justitia tenetur debitor, aut injustus possessor cum suo detrimento, quòd non est notabile, propriis expensis restituere: aliàs si redderet expensis creditoris, res minoris valoris ad manus suas perveniret, & sic non restitueretur in pristinum.

Ad ultimam probationem possum retorquere argumentum ex eodem assumpto adversantium: ex justitia habetur, ut servetur æqualitas inter creditorem, & debitorem; sed cre-

ditor habet jus ad integram rem suam, ut reponatur in pristino statu: Ergo integra res debet ei restitui; sed nisi expensis debitoris restituatur, non perveniret integra ad manus suas, nec creditor in pristino statu reponeretur: Ergo res injustè possessa expensis debitoris debet restitui. Quare in forma dist. minorem: habet jus ad rem suam integram, concedo minorem: ad rem suam non integram, sed minoratam, nego minorem, & consequentiam. Dico igitur, quòd sicut dominus rei habet jus ad rem suam integram, ita integra reddi debet; & sic, si ad ipsam integram reddendam, occurrerent expensæ, hæ fieri deberent à debitore, & non à creditore; nam sicut debitor fuit causa damni, & quidè injusta, ita est etiam causa omnium expensarum, quæ sunt necessarie, ut dominus reponatur in pristino statu.

118 **O**bjicies secundò contra secundam partem, probando, restitutionem esse faciendam etiam cum notabili damno injusti possessoris. Quando debitor injustè possidet rem alienam, sibi imputat quòdcunque notabile damnum ad restitutionem faciendam: Ergo quamvis expensæ excederent in duplo, vel triplo rem injustè possessam, debet proprio domino fieri restitutio, etiam cum notabili damno injusti possessoris. Probat antecedens: quando debitor injustè possidet rem alienam, illam possidet invito domino; sed quando res possidetur invito domino, possessori injusto imputatur quòdcunque notabile damnum ad faciendam restitutionem: Ergo &c. Probat minor: quando res possidetur invito domino, tunc dominus rationabiliter vult, rem suam restituendam esse in pristinum, quamvis ad eam sic restituendam notabile damnum eveniret injusto possessori: Ergo injusto possessori imputatur tale damnum; Ergo &c.

Eò vel maximè, quia quando rem alienam surripuit, vel incipit injustè possidere, scire debebat, quòd tenebatur cura tanto onere ad faciendam restitutionem: Ergo si rem alienam injustè accepit, debet illam restituere cum notabili suo detrimento.

Respondetur negando antecedens, ad cujus probationem dist. & majorem: illam possidet invito domino, sive rationabiliter, sive irrationabiliter, concedo majorem: invito domino rationabiliter, nego majorem, & dist. minorem: sed quando res possidetur, invito domino rationabiliter, tunc possessori &c. imputatur quòdcunque notabile damnum, concedo minorem: quando possidetur, invito domino irrationabiliter, nego minorem, & consequentiam. Dico igitur, rem injustè ab altero possessam posse dupliciter invito domino possideri: vel invito domino rationabiliter, vel invito domino irrationabiliter. Tunc possidetur invito domino rationabiliter, quando dominus rationabiliter nollit, rem suam

ab altero possideri, sed vult, ut in pristinum restituatur, servata justitiæ æqualitate inter jus, & debitum possessoris; at ista æqualitas justitiæ non servaretur, quando injustus possessor cum suo notabili damno teneretur restituere; imò maxima esset inæqualitas, quæ non deberet rationabiliter intendi à domino rei. Tunc autem possideretur invito domino irrationabiliter, quando dominus, non considerando notabile damnum debitoris, quod considerare deberet ex justitia, & æquitate, vellet debitorem tale notabile damnum pati, ut ipse rem suam recuperaret. Et quia dominus diceretur irrationabiliter invitus, quando vellet, debitorem pati tale notabile damnum; ideo, quamvis debitor fuisset injustus acceptor rei alienæ, non foret tunc censendus injustus retinens, donec ex consilio boni viri rem illam injustè acceptam restituat spiritualiter, distribuendo scilicet pauperibus, vel aliis locis piis. Quare si creditor absolute vellet rem suam cum tali notabili damno debitoris, voluntas illa diceretur inordinata, non ordinata.

Ad additum respondetur negando assumptum. Quando quis injustè rem alienam accipit, intendit principaliter suum commodum, & utilitatem; si enim intenderet damnum suum, stultus esset, si rem alienam surriperet; sicuti stultus est, qui potest vitare periculum mortis, & illud non vitat. Unde si sciret, quòd justitia præciperet, tale notabile damnum passurum esse, dum vellet restituere, proculdubio rem alienam non accepisset.

Pro resolutione casuum conscientiæ videntur, quæ notavimus initio quæstionis num. 113. & num. 114. ex quibus facile efformari possunt omnes casus ad hanc materiam spectantes; & ex doctrinis adductis etiam resolvi possunt.

### QUÆSTIO DVODECIMA, ET VLTIMA.

*Quinam ordo servandus sit in restitutione debiti ex delicto, & ex contractu oneroso; an scilicet hoc debitum sit illi præferendum, vel è contra?*

119 **P**ærens quæstio supponit, debitorem duplex habentem debitum, unum ex contractu oneroso, sive licito, sive illicito; & aliud ex delicto, ex furto V. G. non habere in bonis suis tantum, ut possit satisfacere pro utroque debito, tam scilicet ei, cui debet ex inito contractu, quam ei, cui rem

furatus est. Nam in casu, quo debitor tantum habeat in bonis suis, ut utrumque debitum solvat, tunc nullus servandus esset ordo in solutione. Sit exemplum: si Titius habeat mille in bonis suis, & debeat quingentos aureos Cajo, cui talem summam furatus est; & Petro debeat ex contractu oneroso etiam quingentos aureos: quoniam ex bonis suis potest utrique satisfacere, nullus servandus est ordo in solutione, cum possit primò uni præ alio reddere, estò unus alteri prævaleat; quia summa millenaria Titij est æquivalens utrique debito. At si Titius habeat in bonis suis tantum quingentos aureos, & debitum ejus partim ex delicto, & partim ex contractu sit mille, tunc quæritur, an servandus sit ordo in redditione, ut scilicet prius solvatur debitum ex delicto, quam debitum ex contractu? vel potius è contra? vel tandem illud prius sit solvendum, quod prius debitor contraxerit, ut si prius contraxerit debitum ex delicto, prius hoc solvat; si verò prius contraxerit debitum ex contractu, prius hoc solvat?

In hac re tres sunt opiniones. Prima est Fabri, Mastrii, Baunes, Azorii, Caspensis, Molinæ, Lessii, Amici, Vasanii, & aliorum dicentium, in foro conscientiæ illud debitum prius solvendum esse, quod prius fuit à debitore contractum: si prius fuit debitum ex contractu, quam ex delicto, prius solvi debeat debitum ex contractu; si verò prius fuit debitum ex delicto, hoc prius solvendum sit. Secunda sententia est Cajetani, Navarri, & aliorum dicentium, debitum ex contractu esse primò solvendum. Tertia tandem sententia est Medinæ citantis pro sua opinione D. Thomam, & Dium Bonaventuram, dicentis, esse primò solvendum debitum ex delicto. His notatis, juxta primam opinionem, quæ magis probabilis est

*DICO*, illud debitum esse primò solvendum, in concursu plurium creditorum, quod primò à debitore fuit contractum, & quidem in foro conscientiæ. Conclusio est conformis primæ opinioni. Estque probabilior.

120 Probatur: in concursu duorum creditorum ei prius satisfaciendum est, si credita sunt æquè ex contractu, vel æquè ex delicto, qui potior est in jure: Ergo etiam in concursu duorum creditorum, quorum unus sit ex contractu, & alter ex delicto, ei prius satisfaciendum est, qui est potior in jure; sed potior in jure est, qui primò fuit creditor: Ergo ei faciendum est primò restitutio; qui primò creditum contraxit: unde si primò contractum est debitum ex delicto, quam ex contractu, primò satisfaciendum est debitum ex delicto, quam ex contractu. Si verò primò fuit contractum debitum ex contractu, quam ex delicto, prius satisfaciendum est debitum ex contractu. Antecedens patet ex regula juris: *Qui prior est tempore, potior est in jure*. Probatur consequentia: In tantum in concu.

concurſu plurium creditorum, quando bona debitoris pro omnibus non ſufficiunt, præferendus eſt ille, qui potior eſt in jure, ſi credita ſint æquè ex contractu, vel æquè ex delicto, in quantum jus unius fuit prius altero contra debitorem; ſed etiam ſi credita ita ſe habeant, ut unum ſit ex contractu, & aliud ex delicto, jus unius fuit prius altero contra debitorem; nec eſt majus jus unius ex delicto altero jure ex contractu, vel è contra: Ergo &c.

Confirmatur hoc primò. In tantum poſſet creditum poſterius præferri priori credito, ſi poſterius eſt ex delicto ( ut præſendit opinio Medinæ ) in quantum major eſt injuria, quæ fit creditori ex delicto, ea, quæ fit creditori ex contractu; ſed hæc ratio non valet; Ergo ſemper præferendus eſt, qui potior eſt in jure. Probatuſ minor primò. Abſolutè loquendo ( ut bene notat Maſtrius ) major eſt injuria, quæ fit creditori ex contractu, quam illa, quæ fit creditori ex delicto: Ergo illa ratio Medinæ non valet. Probatuſ antecedens: ex delicto tantum fit injuria contra virtutem juſtitia; at ex contractu fit injuria creditori, tam contra juſtitiam, quam contra fidelitatem; ſed major eſt injuria, quæ militat contra duplicem virtutem, ea, quæ militat contra unam virtutem; Ergo &c. Probatuſ eadem minor principalis ſecundò: duobus debitis ex delicto, unum majoris ſummæ altero, majorem injuriam facis ei, ex quo majorem ſummam furatus eſ; & tamen, ſi prius tempore furatus eſ minorem ſummam, quam majorem, teneris de jure, & ex juſtitia prius ſolvere debitum minoris ſummæ, quam debitum majoris ſummæ; quia potior eſt in jure creditor minoris ſummæ, quam creditor majoris ſummæ: Ergo &c.

Confirmatur ſecundò hoc exemplo: ſi Titius debeat Cajo centum ex contractu oneroſo, & aliud centum debeat Petro ex furto, tunc ſi Titius fuit prius debitor Caji, quam Petri ( dummodò in bonis ſuis tantum centum Titius habeat ) prius in conſcientia tenetur reddere Cajo, quam Petro. Vel ſi primò à Petro furatus eſt centum, & deinde accepit centum à Cajo ex contractu oneroſo, tunc prius ſatisfacere debet Petro, quam Cajo: Ergo ſemper ſervandus eſt in foro conſcientiæ ordo potioris in jure.

*Solvuntur Objectiones.*

127 **O** Bicies primò, probando, primò eſſe ſolvendum debitum ex delicto, quamvis ſit poſterius. Illud debitum eſt prius ſolvendum, quod ponit in debitore majorem obligationem reſtituendi; ſed debitum ex delicto ponit in debitore majorem obligationem reſtituendi, quam debitum ex ſolo contractu oneroſo: Ergo prius ſolvendum eſt debitum ex delicto in concurſu alterius debiti ex con-

tractu, quam debitum ipſum ex ſolo contractu. Major eſt certæ quia major obligatio ponitur, quando majus inſurgit jus ex parte alterius. Probatuſ minor: major obligatio eſt in debitore, ratione cujus duplex committitur à debitore peccatum, quam ſit illa, ratione cujus unum tantum committitur peccatum; ſed per obligationem ex delicto ortam debitor committit duplex peccatum, unum ex injuſta rei acceptione, & aliud ex injuria alteri facta; debitor autem ex ſolo contractu unum tantum committit peccatum, ex injuria ſolum alteri illata propter dilatam ſolutionem: Ergo debitum ex delicto majorem involuit obligationem, quam debitum ex ſolo contractu.

Reſpondetur primò, retorquendo argumentum: major obligatio ponitur in debitore, quando oritur duplex peccatum; ſed per debitum ex contractu, per dilatam ſolutionem, debitor duplex committit peccatum: Ergo major deberet eſſe iſta obligatio, vel ſaltem æqualis illi obligationi, quæ inſurgit in debitore ex delicto. Probatuſ iſta minor: obligatio nanque in debitore ex contractu involuit peccatum contra juſtitiam per injuriam proximo factam, & peccatum contra virtutem fidelitatis per defectum promiſſionis factæ in ipſo contractu de reddenda re aliena tempore taxato: Ergo &c. Ex quo fit, quòd non ſit major obligatio orta ex delicto, quam illa orta ex ſolo contractu; ac per conſequens ſi æqualis eſt, ſemper reddendum eſt prius potiori in jure. Unde

Reſpondetur ſecundò in forma diſt. majorem: quod ponit in debitore majorem obligationem ortam ex jure, concedo majorem: ortam ex titulo juris; nego majorem, & diſt. minorem: debitum ex delicto ponit majorem obligationem, ſic tempore præcedit debitum ex contractu, concedo minorem: Si tempore non præcedit debitum ex contractu, nego minorem, & conſequentiam. Dico igitur, quòd tunc major eſt obligatio in debitore, quando obligatio oritur ex jure, quòd creditor habet contra debitorem; nõ verò eſt major quando oritur ex hoc, vel illo titulo, ſcilicet ex contractu, vel ex delicto, ſeu injuſta rei acceptione. Quare illa eſt major obligatio in debitore, quæ primò in eo inſurgit ex jure, quòd primò creditori contra ipſum debitorem acquiritur. Unde ſi tempore debitum ex delicto præcedit debitum ex contractu, tunc major eſt obligatio in debitore ex delicto, quam ex contractu. Si verò è contra debitum ex contractu præcedit debitum ex delicto, tunc in debitore major eſt obligatio ex contractu, quam ex delicto. Ad probationem ejus nego minorem, quòd ſcilicet unum tantum ſit peccatum ex debito ex contractu; nam ut ſupra dictum eſt, ex contractu habetur ultra peccatum contra juſtitiam,



tiam, alterum contra fidelitatem; quapropter cum nō sit major obligatio in debitore satisfaciendi uni, quā alteri creditori, prius satisfacere debet potiori in jure, quā alteri.

Dices: majus onus imponitur in debitore ex delicto, quā in debitore ex contractu; Ergo etiam major obligatio restituendi debet esse ex delicto, quā ex debito ex contractu: Ergo prius creditori ex delicto fieri debet restitutio, quā creditori ex contractu. Probat̄ur antecedens; nam debitum ex delicto contrahitur, invito domino; debitum verò ex contractu contrahitur, consentiente domino; sed majus est onus, quod habet debitor, domino invito, quā quod habet, domino consentiente: Ergo &c.

Respondetur negando antecedens, ad cujus probationem dico, quòd estò debitum ex contractu contrahatur, domino consentiente, non tamen retinetur, consentiente domino, sed domino rationabiliter invito; nam non minùs dominus rei ex contractu rationabiliter vellet suum rehabere, quā dominus rei ex delicto. Quapropter non videtur majus onus, nec obligatio in debitore ex delicto, quā in debitore ex contractu. Et quamvis debitor ex delicto sibi imposuerit onus restituendi, domino invito, à die injuste acceptionis; & debitor ex contractu sibi imposuit obligationē, & onus restituendi, invito domino, à die injuste retentionis; tamen utrobique dominus est rationabiliter invitus, & ideo ei prius facienda est restitutio, qui prius constituit accipientem debitorem.

122. Obijcies secundò, probando, prius esse solvendum debitum ex contractu. Si non esset jure naturali, & in conscientia prius solvendum debitum ex contractu in concursu alterius debiti ex delicto, posset quis accipere rem alienam, & invito domino illam retinere ex contractu, ut res aliena restitueretur, quæ accepta fuit per furtum; sed hoc est falsum, & contra justitiam; & insuper haberetur dolus, & fraus in contractu: Ergo prius est solvendum debitum ex contractu in concursu debiti ex delicto. Probat̄ur major, nam idem esset retinere rem alienam acceptam ex contractu, invito domino, ut ex ipsa re solvatur debitum ex furto, ac si accipiantur res alienæ, ut restituantur ablata: Ergo posset quis accipere rem alienam, & illam invito domino retinere, ut restitueretur res aliena accepta per furtum.

Est vel maximè, quia non sunt injustè retinenda aliena, ut solvatur debitum ex delicto; sed si quis teneretur prius solvere debitum ex delicto, quā debitum ex contractu, jam injustè retineret aliena ad solvendum debitum ex delicto: Ergo non tenetur prius solvere debitum ex delicto, sed prius debitum ex contractu solvendum est.

Respond. primò in favorem alterius sententiæ dicentis, primò solvendum esse debitum ex

delicto. Si jure naturæ non esset prius solvendum debitum ex delicto, quā ex contractu, posset quis accipere ex furto rem alienam, ut solvat debitum ex contractu: nam idem esset accipere injustè rem alienam, ut solvatur debitum ex contractu, ac furari invito domino, ut restituantur injustè retenta. Quare sicuti huic argumento satisfacere debent Cajetanus, & Navarrus; ita in favorem opinionis Medinæ hic tenetur solvere argumentum Cajetani; nam utrobique eadem prorsus est ratio; quia tam est illicitum retinere aliena ex contractu, ut solvatur debitum ex delicto, quā sit illicitum aliena rapere, & furari, ut solvatur debitum ex contractu. Quapropter juxta nostram communio rem opinionem,

Respondetur dist. majorem: posset quis rem alienam retinere, invito domino &c. si prius retinens contraxit debitum ex furto, concedo majorem: si prius contraxit debitum ex contractu, nego majorem; & eodem modo distincta minori, nego consequentiam, cum sua probatione in sensu distinctionis. Verum est, nemini licere retinere aliena, invito domino, ut solvatur debitum creditori ortum ex furto, quando in debitore debitum ex contractu præcedit debitum ex delicto; secùs verò dicendum, quando debitum ex contractu non præcedit debitum ex delicto; nam sicuti unum debitum aliud præcedit, ita jus unius præcedit jus alterius contra debitorem; & consequenter si debitum ex contractu præcedit debitum ex delicto non potest debitor in conscientia retinere solutionem faciendam creditori ex contractu, ut solvatur debitum ex delicto: neque poterit in conscientia postponere solutionem faciendam creditori ex delicto, quando est prius debitum ex delicto, ut solvatur debitum ex contractu.

Ad additum respondetur per idem, quòd scilicet non sunt retinenda aliena, habita per contractum, ut solvantur debita ex delicto, quando res retenta per contractum primò posuit debitum in debitore, non quando supponit debitorem primò contraxisse debitum ex delicto. Unde concludimus, illud debitum primò solvendum esse, quod à debitore fuit primò contractum, estò unum excedat aliud in quantitate; ut si Titius à Cajo furatus sit mille, & à Petro ex contractu oneroso habuit quingenta: Si Titius prius contraxit debitum cum Petro, quā cum Cajo, prius solvere debet debitum Petri, quā Caji, estò Caju sit creditor majoris summæ. Ratio est, quia estò Caju sit potior in summa, non tamen est potior in jure; Caju nanque est posterior tempore, & ideo posterior jure.

123. Pro notitia exacta casuum conscientia plurima hic dicenda sunt. Primò, quòd si debitor deberet ex contractu, & ex delicto, & in bonis suis habeat, ut utrique creditori possit satisfacere, tunc non est servandus ordo in facienda resti;

restitutione, sed potest primò uni, cui vult, satisfacere, & deinde alteri.

Secundò, quando debitor non habet in bonis suis, ut utrique debitori satisfacere possit, tunc tenetur de lege naturæ primò satisfacere primo creditori; juxta regulam supra relatam, quod prior tempore est potior in jure.

Tertiò ex hac regula generali excipitur ille creditor, qui urgentiori laborat necessitate, etiamsi sit creditor posterior; nam præceptum charitatis postulat, ut priùs reddatur ei, qui est in majori necessitate ( ut si esset in vinculis positus, vel fame periret, ob ejus inopiam ) quàm reddatur ei, qui in nulla est necessitate, vel in minori.

Quartò, quando debita oriuntur ex contractu oneroso, tunc semper præferenda sunt illa debita, quæ habentur per hypothecam, vel pignus, illis debitis, quæ oriuntur ex actione creditoris contra personam. Quod patet, quia creditor titulo hypothecæ, vel pignoris ha-

bet ultra jus personale contra personam, quæ ei debet, etiam jus contra rem hypothecatam, vel pignoratam; quod jus non habet creditor ex aliis titulis onerosis.

Quintò tandem, in aliis titulis onerosis, ut venditionis, mutui &c. servandus est ordo supra in quæstione assignatus, quod scilicet priori creditori, cum sit potior in jure, primò satisfaciendum est. Quædam alia dubia solent Doctores in hac materia proponere, & resolvere, præsertim de restitutione faciendâ ex furto, quæ per ea, quæ dicta sunt in tota hac disputatione, & per ea, quæ dicenda sunt in sexta disputatione de restitutione in bonis fortunæ, facilè solvuntur, & ea, quæ hæcenus dicta non sunt, ibi dicenda erunt, Deo dante. Quare huic disputationi finem impono, ad laudem Omnipotentis Dei, Beatæ Mariæ Virginis sine labe conceptæ, Sancti Patris Nostri Francisci, ac omnium Sanctorum, qui in Cælis regnant. Amen.



# DISPUTATIO QVINTA

De Restitutione in bonis Animæ, Corporis, & Fa-  
mæ: ubi de Accusatore, Reo, Iudice,  
Testibus, Aduocato, & Notario.

## QVÆSTIO PRIMA.

*An de lege justitiæ teneatur ad restitutionem, qui consilio, & precibus  
alium induxit ad peccandum?*

**A**ngit hanc difficultatem Do-  
ctor noster in 4. dist. 15. q. 3. §. *Re-  
spondeo*, postquam in præceden-  
ti quæstione egerat de restitu-  
tione in communi: ubi advertit,  
duplex bonum considerari posse  
in anima, aliud est bonum essenziale, intrin-  
secum, & substantiale, ut est natura ipsius ani-  
mæ, ejusque potentiæ, intellectus scilicet, &  
voluntas: & aliud est bonum accidentale, ut  
sunt adus virtutis acquisite, & omnes habitus  
animæ inherentes. Primum bonum animæ ip-  
si connaturale, & intrinsecum, & juxta nostra  
principia cum eadem identificatum, non po-  
test quacunque vi, vel fraude amoveri ab ani-  
ma; cum sit bonum incorruptibile, ac per con-  
sequens nemo potest animam in tali bono  
substantiali damnificare; quia insufficientis est  
causa naturalis ad corrumpendas animæ po-  
tentiæ, illasque destruendas. At secundum  
bonum, quod est accidentale, quia corrumpi  
potest, cum sint accidentia removibilia, si in-  
herent, & impedibilia si non inhaerent, stat  
sub causa naturali potente tale bonum cor-  
rumpere: in quo casu anima damnificata tali  
bono diceretur. Ut si quis justus esset, vel vel-  
let justè vivere, & operari in conformitatem  
legis, aut juxta regulam moris, & ab alio à ju-  
stitia removeretur, vel à proposito justè viven-  
di, & operandi; tunc ille talis in bonis spiri-  
tualibus diceretur damnificatus. Hæc sunt  
verba Doctoris loco cit. *De primo, non intelli-  
gitur de bonis naturalibus animæ; quia nullus  
potest sic alium damnificare, cum illa naturalia  
bona sint incorruptibilia: sed de bonis morum in-  
telligitur, vel acquisitis, quæ corrumpuntur, vel  
acquirendis, quorum acquisitio impeditur: ut sunt  
de peccatis, & vitiis, quibus virtutes acquisite  
corrumpuntur, &c.*

2 In hac re advertendum est, unum posse  
alium damnificare in bono spirituali acci-  
dentali (de quo est sermo in præsentī materia;  
cum ex verbis Scoti impossibilis sit damni-  
ficatio in bonis naturalibus animæ) vel fraude,  
& vi, illum removendo à bono opere incæ-  
pto, vel acquirendo, si non incæperit bonam  
operationem: Vel tantum consulendo, per-  
suadendo, & rogando, ut à bono proposito re-  
moveatur, & ad peccandum inducatur: Vel  
tandem non retardando alium à peccato, ad  
quod patrandum est paratus. Hoc triplex da-  
mnum accidentale animæ sequenti exemplo  
explicatur. Titius inducit Bertam ad copu-  
lam secum habendam, illi affirmando, non es-  
se peccatum: tunc Titius fraude inducit Ber-  
tam ad peccandum, illam damnificando in  
bono honestatis, & castitatis. Vel Titius vio-  
lentiam infert Bertæ ad copulam secum ha-  
bendam, dum illa nollet; tunc vi Titius indu-  
cit Bertam ad peccandum. Vel Titius consi-  
lium dat Bertæ, illam persuadendo, & rogan-  
do absq; vi, & fraude, ut secum copuletur, tunc  
Titius illam damnificat in bono spirituali,  
quod acquireret, nisi à Titio inducta esset ad  
peccandum. Vel tandem Titius videt Bertam  
jam dispositam ad peccandum cum Caio, &  
illam non movet, nec impedit à tali pecca-  
to patrando. In hoc ultimo casu de non impe-  
diente, & removente alterum, dum dispositus  
est ad peccandum, non est dubium, quod iste  
talis, qui non impedit, nec movet, peccat  
tantum contra charitatem, qua præcipitur  
fraterna correctio, juxta illud Evangelii Matt.  
18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corri-  
pe eum &c.* Nam in hoc casu sola charitate  
tenemur alium corrigere. Unde sola difficul-  
tas restat de movente, & inducente alium ad  
peccandum, tam fraude, & violentia, quam  
solo

folo consilio, suafione, & precibus. An scilicet qui inducit sic alium ad peccandum, illum damnificando in bonis spiritualibus, peccet contra iustitiam, & ad restitutionem illius boni teneatur, modo quo possibilis sit restitutio facienda. Et pro quaestionis resolutione

*DICO*, nedum ad restitutionem, possibilem fieri, teneri eum, qui vi, & fraude alium inducit ad peccandum; sed etiam teneri eum, qui consilio, suafione, & precibus alium ad peccandum inducit. Conclusio quod ad primam partem communissima est inter omnes Doctores, tum antiquos, tum Recentiores: quoad secundam est expressa Scoti sententia in 4. cit., & cum eo Riccardus, Paludanus, D. Antoninus, Gerson, Gabriel, & alii doctissimi, ac iustissimi viri contra quosdam Recentiores, Card. de Lugo, Bonacinam, Lessium, Molinam, Azorium, & alios. Et prima pars est solum contra Sotum, Utraque tamen est probabilior.

3 Probatur prima pars: qui vi, & fraude induxit alium ad peccandum, fecit actum contra iustitiam; sed agens contra iustitiam tenetur ad restitutionem, eo modo, quo possibilis est restitutio: Ergo qui vi, vel fraude alium induxit ad peccandum, tenetur ad restitutionem damni illati, eo modo, quo possibilis est restitutio; sed non est possibilis, ut reddantur ei eadem bona spiritualia jam deperdita, sed tantum, ut eum efficaciter moveat ad poenitentiam, & ad actus studiosos, & ut aperiat ei viam veritatis (si eum fraude decepit) vel quando hoc modo non potest, debet pro eo, qui peccavit, vi, & fraude ejus, orare, & facere, ut alii pro illo orent: Ergo hoc modo facienda est restitutio. Hic est modus restituendi per Scotum loco cit. insinuat, ut ponatur aequalitas inter damnificatum, & damnum inferentem. Probatur major: qui alium vi, & fraude induxit ad peccandum, injuriam intulit ei, qui vi, & fraude ejus peccavit; sed qui infert alteri injuriam, peccat contra iustitiam; non minus ac si ei injuriam intulisset in bonis fortunae: Ergo &c. Probatur major: qui vi puellam defloravit, vel eam fraude decepit asserendo, quod defloratio non esset peccatum, injuriam ei intulit, tam ob amissionem castitatis, in qua damnificata fuit, quam in amissione boni spiritualis, quod acquisivisset, si castam se conservasset: Ergo universaliter qui vi, & fraude alium inducit ad peccandum, injuriam intulit ei, qui vi, & fraude ejus peccavit.

Neque valet dicere pro Soto, quod qui defloravit Virginem, ei intulit injuriam, solum ex amissione castitatis, non vero ex amissione boni spiritualis; & per consequens ad reparandam injuriam satis esse, ut eam sic defloratam ducat in uxorem, vel eam dotet; & ad nil aliud teneri. Non valet, inquam; quia sicuti vi, & fraude puella ista amisit castitatem, ita etiam amisit bonum spirituale propter peccatum deflorationis, ad quod vi, & fraude indu-

cta fuit: Ergo non solum injuriata fuit in amissione castitatis, cui damno reparatur per matrimonium; sed etiam fuit injuriata per amissionem boni spiritualis.

Eo vel maxime; quia sicuti violentia illa, ponit debitum satisfaciendi per matrimonium subsequens, vel per dotem conferendam, ita violentia illa, vel fraus ponit debitum satisfaciendi eo modo, quo fieri potest satisfactio: scilicet si violentia defloravit, illam dimittere tenetur, eam exhortando ad poenitentiam, & pro ea orando: & si per fraudem defloravit, tenetur fraudem aperire, ne maneat in suo errore: Ergo &c.

Confirmatur: quando quis jus iustitiae habet ad aliquod bonum, si ipso invito, ab eo tale bonum auferatur; vel a consecutione ipsius impediatur, tunc auferens, vel impediens peccat contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur; sed ad quodlibet bonum spirituale jus iustitiae habemus: Ergo si, nobis invitis, ab hoc opere impedimur, vel a nobis hoc bonum auferatur, tunc auferens, vel impediens peccat contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur: Ergo qui vi, vel fraude aufert, vel impedit aliquem a consecutione boni spiritualis, illum inducendo ad peccatum, ad restitutionem tenetur; quia ipso invito hoc facit. Probatur minor: non est majus jus, quod habemus ad bona fortunae, honoris, & vitae, quae omnia ad corpus pertinent, quam sit jus, quod habemus ad gratiam, virtutes, & ad alia bona spiritualia; sed primum jus est iustitiae: Ergo etiam secundum. Probatur major: nam jus ad bonum temporale est ad commodum, & utilitatem temporalem; jus vero ad bonum spirituale est ad commodum, & utilitatem spirituale: Ergo &c.

4 Probatur secunda pars, probando, quod qui consilio, suafione, & precibus inducit alium ad peccandum, teneatur ad restitutionem. Primò: Per adversarios tenentes primam partem conclusionis, qui vi, vel fraude inducit alium ad peccatum, peccat contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur: Ergo etiam qui tantum consilio, suafione, & precibus alium inducit ad peccandum, peccat contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur. Antecedens est certum apud ipsos. Probatur consequentia: in tantum peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem; qui vi, & fraude alium inducit ad peccatum, quia est causa damni alterius in bonis spiritualibus, ad quae damnificatus jus iustitiae habebat; sed etiam, qui inducit alium sine vi, & fraude ad peccandum, sed solum consilio, suafionibus, & precibus, est causa damni alterius in bonis spiritualibus: Ergo &c. Probatur minor: in tantum qui inducit alterum ad peccandum, solum suadendo, consilium praebendo, & rogando, sine vi, & fraude, non esset causa damni in illo, qui sic inducitur ad peccandum, in-

quan-

quantum per adversarios ad peccandum consensum præbuit, & consentienti nulla fit injuria; sed hæc ratio non valet: Ergo &c. Probatur primò: consensus ille præstitus ab inducō ad peccandum non fuit undequaq; voluntarius; quia fuit præstitus ex consilio, suasionē, & precibus alterius inducentis illum ad peccandum: Ergo ratio illa non valet, Probatur secundò eadem minor: qui solvit usuram usurario, liberè illam solvit, & motus fuit ad illam tradendam ex vi mutui mutuatarii obligantis ad usuram, & tamen usurarius peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur, ob damnum in bonis temporalibus illatum alteri. Item simoniacè tradens alteri pecuniam, liberè illam tradit, & tamen simoniacè recipiens ipsam pecuniam ad restitutionem tenetur: Ergo quamvis voluntariè inducō ad peccandum peccaverit, tamen quia peccavit ex alterius suasionē, consilio, & precibus, suadens, consilium dans, &c. peccat contra justitiam, damnum inferendo, & ad restitutionem tenetur.

Confirmatur hoc, nam estò ille peccans voluntariè peccet, tamen non peccaret, nisi motus esset à causa consulente suadēte &c. Ergo qui fuit ejusmodi causa tenetur ex justitia ad damnum illud compēsandum, & resarciendum, eo modo, quo fieri potest, & ut supra per Doctorem explicatum est. Probatur consequentia: qui ex consilio, jussione &c. alterius, vineam Caii devastavit, consilium præbens, jubens &c. cum sint causa efficax talis damni, ad restitutionem tenerentur, ut dictum est in secunda quæstione præteritæ disputationis: Ergo quia etiam suadens consilium dans &c. ad peccandum, sunt causa efficax talis damni spiritualis, peccant contra justitiam, & ad restitutionem tenentur.

5 Probatur secundò ratione, quam adducit Scotus loc. cit. §. de isto dico. *Cum virtutum bona sint maxima, secundum Augustinum primo Retractationum, plus damnificat, qui in istis damnificat, quam qui in quibuscunque aliis; & per consequens plus secundum justitiam tenetur ad restituendum proximo tale bonum, quantum sibi possibile est.* Sed qui alium inducit suadendo, consulendo &c. ad peccandum, damnificat alium in maximo bono: Ergo ex justitia tenetur, quantum possibile est, ad damnum resarciendum, modo supra num. 3. explicato.

Est vel maximè quia in *decr. Can. Deteriores* 6. q. 1. habetur: *Deteriores sunt, qui vitam, moresq; corrumpunt, his, qui substantias aliorum, prædique diripiunt;* sed illi, qui substantias, & facultates furantur, peccant contra justitiam, & ad restitutionem tenentur: Ergo à fortiori peccant contra justitiam, & ad restitutionem tenentur illi, qui damnum inferunt consilio, & suasionē in bonis spiritualibus, alium scilicet inducendo ad peccandum; Ergo &c.

6 Hic obiter pono documentum Scoti loco,

& §. supra cit. ubi ait, *Ex hoc patet, quantum periculum est alium sollicitare, & inducere ad peccatum; quia vix potest dignè restituere; cum voluntatem illam allecctam ad peccata vix possit persuasionibus, & aliis multis viis reducere ad virtutē.* Per quam doctrinā omnes cavere debēt, ne alios suis consiliis inducant ad peccandum. Tataricus aliud adducit documentum, quòd scilicet ad vitandum malum, quod inferri possit puellis, à Republica omninò exterminentur lenones, vulgò *Ruffiani, & Ruffiane;* à quibus multa mala eveniunt.

### Solvuntur Objectiones.

7 **O** Bijcies primò contra primam partem pro Soto. Qui vi, aut fraude alium decipit, inducendo ad peccandum, non agit actum contra justitiam: Ergo non tenetur ad restitutionem damni illati ob amissionem bonorum spiritualium. Probatur antecedens: iste talis peccat contra illas virtutes oppositas vitiis, ad quorum actus perpetrandos alium vi, & fraude inducit: Ergo non peccat contra justitiam. Probatur antecedens: Si Titius vi induceret mulierem castam ad carnaliter peccandum, peccaret tantum contra temperantiam, vitio incontinentiæ carnalis oppositam. Et si falsam doctrinam Titius ipse promulgaret, ratione cujus aliquis deciperetur, sequendo falsam Titii opinionem, tunc Titius contra fidem peccaret, oppositam falsæ doctrinæ, ad quam sequendam induceret alium. Quare si induceret ad peccatum incontinentiæ, solum teneretur Titius mulierem dimittere in sua libertate. Et si alium induceret ad peccatum contra fidem, teneretur solum verum docere, & se retrahere ab errore, in quo alius fraude illius fuit deceptus; sed hæc omnia oriuntur non ex justitia, sed ex assignatis virtutibus: Ergo &c.

Respondetur negando, antecedens, ad cujus probationem dico, eum, qui alium vi, & fraude inducit ad peccandum, nedum peccare contra illas virtutes oppositas vitiis, ad quæ alius vi, & fraude est inducō ad peccandum, sed etiam peccare contra justitiam. Peccat contra alias virtutes, inducendo vi, & fraude alium ad committenda peccata cōtra illas virtutes, ut notavit arguens in suo argumento. Peccat etiam contra justitiam, nedum ob damnum alteri efficaciter illatum, quod illi non evenisset, nisi vi, & fraude inducō fuisset ad peccandum; sed etiam quia ille invitus, & deceptus ad peccandum fuit inducō. Quod patet ex eo, quod diximus quæstione 9. præteritæ disputationis num. 93. cum Doctore nostro, de eo, qui alium decipit, simulando paupertatem, qui revera pauper non est, quòd scilicet deceptor ad restitutionem teneatur; quia alio invito recipit elemosynam, quæ non daretur, si dans sciret, acci-

accipientem non esse pauperem . Et quamvis liberè daret , non daret omninò liberè , sed coactè , & inductus à ficta paupertate ( quod est dare , invito rationabiliter dante ) . Ita in proposito: quia peccans vi inducitur , & fraude ad peccandum , vel contra temperantiam , vel contra fidem; quia tamen est deceptus per violentiam , & fraudem , estò liberè peccaret , tamen non omninò liberè , sed ipso rationabiliter invito; quia deceptus , & per vim fuit ad peccandum inductus.

8 Obijcies secundò contra secundam partem. Qui inducit alium ad peccandum sine vi , & fraude, sed solùm consilio, & suasionem, nò infert injuriam ei, quem ad peccandum inducit; sed nemo peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur, quando alteri non fit injuria: Ergo qui inducit alium ad peccandum suo consilio, suasionem, ac precibus, non peccat contra justitiam, nec ad restitutionem tenetur. Probat major: qui alium inducit ad peccandum, ex solo consilio &c. inducit consentientem, & volentem peccare; sed volenti, & consentienti nulla fit injuria; ut habetur in regulis juris in 6. cap. Scienti: Ergo &c.

Deinde: qui consilio, & suasionem inducit mulierem sordidam, & prostitutam ad peccandum, non peccat contra justitiam, nec tenetur pro restitutione ad illam emendam, vel eam inducendam ad pœnitentiam: Ergo in nullo casu quis suadens, & consulens alium ad peccandum, dum hic suum præbet consensum, consulens, & suadens peccare dicitur contra justitiam, nec ad restitutionem est obligatus. Antecedens est communissimè acceptum, cum nullus talis usus sit in Ecclesia receptus obligans fornicarium ad inducendam meretricem ad pœnitentiam ex motivo justitiæ; sed solùm omnes tenemur ex motivo charitatis. Consequentia sequitur, quia in omni casu, dum non adest vis, metus, & fraus, nulla insurgit restitutionis obligatio.

Respondetur ad primum negando majorem, & dist. majorem probationis: Inducit consentientem, & volentem, parata, & omnimodè libera voluntate ad peccandum, nego majorem: voluntate non parata, neque omnimodè libera ad peccandum, concedo majorem, & dist. minorem: sed volenti &c. voluntate parata, & omnimodè libera &c. nulla fit injuria, concedo majorem: voluntate non parata, nec omnimodè libera &c. nulla fit injuria, nego minorem, & consequentiam. Dico igitur, quòd quamvis peccatum illud sit voluntarium, quia liberè à voluntate peccantis productum; tamen non est à voluntate parata ad peccandum, & omnimodè liberè disposita ad tale peccatum producendum, quando consilio, suasionem, & precibus alterius inducta est; quia ad peccatum liberè producendum est mota, & excitata, ac allecta ab inductore, qui nisi consilium, preces, & suasionem præberet,

non peccaret; & ideo sic excitans, alliciens, & movens ex suo consilio &c. peccat contra justitiam, injuriam faciendo ei, qui suo consilio &c. inductus est ad peccandum. Quod patet, cum de eo, qui violentiam facit alteri, vel fraude eum decipit ( nam sic deceptus, & per vim coactus, dicitur voluntariè peccare, & consensum præberet; & tamen per authores pro prima parte conclusionis, vim inferens, & decipiens faciunt injuriã ei, quem decipiunt, & cui vim inferunt, obligantem ad restitutionem ) tum etiam de eo, qui comburit, & devastat vineam alterius: voluntariè hic peccat, sed quia hoc malum facit ad suasionem, & consilium alterius, hic qui consilium dat, peccat contra justitiam obligantem ad restitutionem damni alteri ex consilio ejus illati. Ex his adverto, aliud esse, actum peccati esse, voluntariè, & liberè productum, & aliud esse voluntatem liberè, & motu proprio moveri ad actum peccati producendum. Primò modo semper peccatum est voluntarium, & liberum, cum possit à voluntate non produci; & in hoc sensu Theologi omnes cum Divo Augustino vocant peccatum voluntarium, At secundo modo peccatum esse potest voluntarium, & liberum, & voluntas ad illum producendum non liberè omninò moveri ad tale peccatum parandum, sed ut mota, allecta &c. ex alterius consilio precibus, & suasionem vel vi, & fraude. In quo sensu peccatum esset voluntarium, sed quia voluntas ab alio moveretur ad peccandum, ei fieret injuria; nam nisi sic ab alio mota esset, non peccaret.

Dices: non fit alteri injuria obligans ad restitutionem, sine dolo illius, qui injuriam recipit; sed nullus fit dolus in eum, qui tantum movetur ad peccandum ex alterius consilio, suasionem, & precibus: Ergo nullam infert alteri injuriã, qui inducit suo consilio &c. illum ad peccandum. Major patet tum ex regulis juris in 6. cap. Nullus ex consilio: tum etiam, quia nemo tenetur ad damnum resarciendum, quando res non extat, sed est consumpta, vel combusta, nisi ratione doli, quem alius recipit. Probat minor: nullus dolus est in eo, qui facit sibi injuriam voluntariè: ut patet de eo, qui licet ex consilio alterius sua bona dissipet, tamen voluntariè illa dissipat, & consilium præbens nullum dolum ponit in dissipante; sed peccans tantum ex consilio alterius facit sibi voluntariè injuriam: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem, dist. majorem: si ad talem injuriam omninò voluntariè movetur, concedo majorem: si non movetur omninò voluntariè ad talem injuriam, nego majorem, & è converso distincta minori, nego consequentiam. Verum est, quòd qui omninò voluntariè, absque consilio, & motione alterius, movetur ad peccandum, facit sibi ipsi injuriam; tamen quando ex consilio alterius ad peccandum

A a

move-



moveretur, ut ad furandum, occidendum, mæchandam &c. à consilio dante injuriam recipit, quia absque tali consilio similia peccata non committeret; nam actus, quo voluntas illa moveretur ad peccandum, est ab ea, ut mota ex consilio alterius. Idem discursus etiã fit de eo, qui ex consilio alterius sua bona dissipat, nam dolum, & injuriam recipit à consiliatore, qui proinde tenetur ad damnum resarciendum. Illa autem regula juris valet, quando consiliator non ponit dolum, ut esset circa actum indifferentem, & non ex natura sua peccaminosum, ex quo sequeretur injuria: ut si quis præberet consilium ad aliquem faciendum contractum sine dolo alterius contrahentis, qui actus non est peccaminosus; vel ad ludendum, vel lites movendas cum spe vincendi; vel ad aliquod simile faciendum: in quibus casibus nec dolum, nec injuria alteri inferretur. Secùs dicendum de dante consilium ad actum ex natura sua peccaminosum, qui ut talis dolosus est; quod patet ex illo Exodi 22. *Quòd qui seduxerit Virginem, & dormierit cum ea, dotabit illam, & habebit eam uxorem:* ex qua doctrina infert Doctor noster loco cit. §. contra. *Ergo, ista damnificatio illata virgini contra castitatem, requirit restitutionem castitatis conjugalis reddenda pro ea.* Ex quibus verbis infero, quòd estò virgo illa ad peccandum inducitur voluntariè peccaverit, quia tamen mota fuit, & alleccta precibus, & consilio alterius, ideo lex illa Exodi obligat Virum ad reddendam ei castitatem conjugalem, & ad eam dotandam. Neque dicas, hunc textum scripturæ intelligendum esse de eo, qui vi, metu, vel fraude Virginem stupraverit: nam in lege veteri, qui hoc fecisset vi, & fraude, alia pœna, scilicet mortis, puniendus esset, ut videre est Deuter. 22. v. 23. & 28. adeoque &c.

9 Respondetur ad secundum negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia mulier prostituta, aut meretrix est actu disposita ad peccandum, & absque alterius consilio, & suasionem est parata ad malum, quod adhuc committeret, etiam si nullum interveniret consilium alterius. At in nostro proposito ille, qui non est sic paratus ad peccandum, imò dispositus ad bonum faciendum; & à consilio alterius, & precibus, ac suasionem ejus inducitur ad peccandum, non peccaret, nisi esset sic inducitur: & quia inducitur esset causa sive directa, sive indirecta damni alterius, tenetur ad damnum resarciendum, vel procurando ejus emendationem, vel eum ad pœnitentiam incitando, vel pro eo orando, ut à peccato desistat.

10 Pro casuum conscientie resolutione infero primò. Quòd qui paratus est ad peccandum, licet alter post talem dispositionem ad peccandum, consilium præbeat, non peccat hic contra justitiam, nec ad restitutionem damni tenetur. Ratio est, quia dans consilium post dis-

positionem alterius ad peccandum, non præsumitur, velle efficaciter tale damnum, seu peccatum; nam etiam si nullum præberet consilium, adhuc sic patatus peccaret.

Secundò infero, quòd qui alteri dat consiliũ, non parato ad peccandum, imò disposito ad bonum operandum, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem possibilem fieri, scilicet ad ejus emendationem procurandam, ad promovendum eum ad pœnitentiam, & ad orandum pro ipso. Ratio est, quia sic consulens est causa dispositiva ad tale peccatum, quod non eveniret, nisi ipsius interveniente consilio.

Tertiò infero, quòd qui vi, & fraude inducit alium ad peccandum, contra justitiam peccat, & ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia iste talis est causa efficax talis peccati, quod non sequeretur, nisi alter violentiam pateretur, & nisi fuisset fraude deceptus.

Quartò tandem inferò, quòd Prælati, Superiores Religionis, Patres familias, & Matres, nedum graviori peccato peccant, si ex eorum consiliis inducunt Subditos, filios, & filias ad peccandum, quàm ceteræ personæ privatæ; sed magis ad restitutionem tenentur, quàm personæ istæ privatæ. Ratio est, quia eis ex officio, & statu incumbunt curæ animarum subditorum, filiorum, & filiarum; qui ad eorum bonum exemplum debent in recta via ambulare: quare si animas illas provocant, & inducunt ad malum, graviori peccato peccant, & magis ad restitutionem tenentur. Hinc dixit Chryostomus: *Igitur & tu quoque, si reliquis perditionis causa fueris, graviora patieris, quàm qui per te subversi fuerint.* Et subdit: *Neque enim peccare tantum in se perditionis habet, quantum quòd reliqui ad peccandum inducuntur.* Multa ad hoc propositum referunt alii Sancti Patres, præsertim Augustinus, & Gregorius Magnus, qui loquens de scandalo Prælatorum dato subditis, ait, *Quod tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla mittunt.* Si igitur ex solo scandalo Prælati imputatur peccatum Subditorum, à fortiori, quando Subditi inducuntur ad peccandum ex consilio, suasionem, & precibus Prælatorum.

## QVÆSTIO SECUNDA.

*An, qui falsam prædicaverit doctrinam, inducendo alios ad illam sequendam, teneatur ad restitutionem?*

**S**uppono, prædicatorem falsæ doctrinæ posse dupliciter sumi, vel qui certò sciat, doctrinam illam esse falsam, & tamen illam, ut veram prædicat, uti faciunt Hæresiarchæ præ-

prædicantes contra fidei mysteria, quo modo cum errore intellectus adest pertinacia voluntatis: vel qui non certò sciat, doctrinam illam esse falsam, sed putat esse veram, & ut veram prædicat. Insuper prædicatores falsitatis, vel sunt in dignitate constituti, ut sunt Prælati, Superiores, Parochi, Rectores, Prædicatores, publici Theologi, Cathedrarum moderatores, & Confessores: ac etiam Judices seculares, & Advocati: vel sunt personæ privatæ, existimatæ doctæ, & sanctæ. Qui falsam doctrinam prædicant cognitam ut falsam, & tamen ut veram prædicant, sive sint personæ publicæ, sive privatæ, formaliter habent populum decipere: qui verò falsam doctrinam prædicant, & putant esse veram, non habent formaliter decipere populum, sed tantùm materialiter, quia putant dicere verum. Hoc supposito, juxta communem Doctorum opinionem

*DICO*, eos, qui falsam doctrinam prædicaverunt, sive sint personæ publicæ, sive privatæ, ad restitutionem damni teneri ex aliorum credibilitate, & sequela, si certò sciverint, doctrinam prædicatam esse falsam. Eos autem, qui prædicant doctrinam falsam, putantes, esse veram, postquam cognoverint falsitatem doctrinæ prædicatæ, etiam ad restitutionem teneri scilicet publicè se retractando à falsitate doctrinæ prædicatæ. Conclusio est communissima, & tenetur à nostro Arertino, utroque Navarro, Salone, Arragonio, & aliis. Et deducitur ex Scoto in 4. dist. 15. q. 3. cit.

18 Probatur prima pars: qui est causâ alicujus damni temporalis, tenetur in conscientia illud resarcire, præsertim si dolo, & fraude fuit causa talis damni: Ergo multò magis qui est causa alicujus damni spiritualis ex dolo, & fraude, debet illud resarcire; sed qui scienter falsam doctrinam prædicant, inducendo alios ad credendum, causant ex dolo, & fraude maximum damnum credentibus: Ergo per restitutionem, scilicet se publicè retractando, tenentur tale damnum resarcire. Antecedens est certum: Consequentia sequitur, quia majus est damnum in bonis spiritualibus, quàm in bonis temporalibus. Probatur minor subsumpta: qui scienter falsam doctrinam prædicant, subvertunt alios à vera credulitate mysteriorum fidei, & ipsos inducunt ad credendum propositionibus falsis, illisque ut veris inhærendum; sed tunc illis ex dolo, & fraude maximum inferitur damnum; quia deviant à viâ veritatis, & catholica fide: Ergo qui prædicant falsam doctrinam ut veram, maximum inferunt damnum credentibus.

Confirmatur hoc, præsertim de iis, qui in magna existimatione sunt apud simplices, ut sunt Prælati, Rectores &c. Vel etiam personæ privatæ, quæ à simplicibus, ut sanctæ sunt existimatæ. Multa Regna, multæque Provinciæ apostatarunt ab Ecclesia Dei, quia crediderunt falsis doctrinis ab uno viro, vel à pluri-

bus alicujus autoritatis prædicatis, credendo eorum dictis; sed credentes magnum apostasiæ damnum subjerunt; quia ultra dona supernaturalia, quæ in hac vita amiserunt, etiam Regnum Cælorum in alia perdiderunt: Ergo tale damnum ortum duxit à prædicantibus falsam doctrinam: Ergo isti ad restitutionem damni tenentur, adeoque &c.

Probatur secunda pars, probando, quòd illi, qui falsam doctrinam prædicant, putantes illam esse veram, postquam cognoverint, falsum prædicasse, etiam obligari ad restitutionem, si aliqui crediderunt illud. Qui prædicat falsam doctrinam, putans esse veram, estò maneat in bona fide ex ignorantia invincibili, vel probabili, tamen postquam sciverit, doctrinam illam esse falsam, cognovit damnum alteri illatum ex sua prædicatione; sed posita cognitione veritatis, & damni illati alteri ex falsa doctrina prædicata, insurgit obligatio resarciendi damnum: Ergo postquam cognoverit, doctrinam prædicatam esse falsam, qui illam ut veram prædicavit, tenetur ad restitutionem damni. Probatur minor illa scientia posterior, habita post prædicationem falsitatis, sicut habet tollere ignorantiam, & probabilitatem, ita etiam habet auferre bonam fidem, quam habebat, dum falsam doctrinam prædicavit: Ergo illa scientia ponit obligationem resarciendi damnum, seu restituendi. Probatur ista consequentia, primò de possessore rei bona fide, quæ bona fides tollitur per posteriorem scientiam, qua scit, rem illam non esse suam; in quo casu in tali possessore statim insurgit obligatio restituendi: Ergo idem dicendum est in casu nostro. Probatur secundò eadem consequentia: si quis prædicasset, & publicè docuisset aliquam propositionem nunc à Summis Pontificibus damnatam, antequam fuerit damnata, ut veram, & alii illam ut veram haberent; postquam propositio fuit damnata per cognitionem falsitatis ejus, tenetur prædicator, & doctor falsitatem illius prædicare, se retractando à prima opinione: Ergo idem dicendum est, si putans prædicare veram doctrinam, & prædicat falsam, postquam cognoverit prædicasse falsam doctrinam, per illam scientiam insurgit obligatio se retractandi ab illa opinione.

Confirmatur hoc, quia sequentes talem doctrinam, jam in bonis supernaturalibus sunt damnificati: Ergo cognito tali damno orto ex falsa doctrina prædicata, tenetur prædicator veritatem aperire, ne in majores populus labatur errores: Ergo estò non ponat obligationem restitutionis, dum putat veritatem prædicasse, ponit tamen obligationem, dum cognoscit, prædicasse falsum.

## Solvuntur objectiones.

11 **O**bjicies primò contra primam partem: Nemo est obligatus ad restitutionem, quãdo peccatum, quod cõmittit, non est contra justiciam; sed quando quis falsam doctrinã prædicat, aut docet, ut veram, certò sciens illam esse falsam, non committit peccatum contra justiciam: Ergo non est ad restitutionem obligatus. Major est certa, quia obligatio ad restitutionem oritur ex peccato contra justiciam, cum ex justitia teneatur quis ad restitutionem. Probatur minor: qui falsam doctrinam prædicat, aut docet ut veram, certò sciens illam esse falsam, peccat peccato infidelitatis, quod est hæresis; sed peccatum infidelitatis non est contra justiciam, sed contra fidem: Ergo, &c. Probatur major ab opposito: prædicans, aut docens veram doctrinam facit actum fidei; quia credit, sicut oportet, mysteriis fidei: Ergo prædicans, aut docens falsam doctrinam, ut veram, facit actum fidei contrarium; sed hic actus est peccatum infidelitatis: Ergo &c.

Respondetur juxta dicta in præterita questione num. 7. respondendo ad argumentum Soti, neg. minorem; ad cujus probationem dist. majorem: peccat peccato infidelitatis tantum, nego majorem: peccat peccato infidelitatis, & indirectè saltem alio peccato, scilicet injustitiæ, concedo majore, & dist. minorem: sed peccatum infidelitatis non est contra justiciam, directè, concedo minorem: indirectè, nego minorem, & consequentiam. Et eodem modo dico ad probationem ejus. Qui ergo docet, aut prædicat doctrinam falsam, ut veram, certò sciens illam esse falsam, nedum peccat peccato infidelitatis opposito virtuti fidei, sed etiam peccat peccato injustitiæ opposito virtuti justitiæ; peccatum illud infidelitatis in casu, quia læderet jus alterius, quod habet ad bonum spirituale, inferendo maximum damnum recipienti, & sequenti talem falsam doctrinam, ut veram, prædicatam, dicitur saltem indirectè peccatum contra justiciam. Sicut enim fide credere oportet mysteriis revelatis; ita justitia tenemur servare jus alterius, quod habet ad quodcunque bonum, præsertim spirituale; Et quia per talem prædicationem falsæ doctrinæ, læditur jus proximi ad bonum spirituale, propter damnum, quod recipit, falsæ doctrinæ credendo; ideo nedum peccato infidelitatis peccat prædicans, & docens falsam doctrinam, sed etiam peccato injustitiæ obligante ad restitutionem.

Ubi noto, quod peccatum infidelitatis commissum à prædicante, & docente falsam doctrinam, ut veram, respicit personam ipsam prædicantem, non alterum, qui inducitur ex illa prædicatione ad credendum falsæ doctri-

næ, ut veræ; quapropter estò respectu sui ipsius non sit peccatum injustitiæ, cum justitia sit ad alterum, sicuti injustitia; tamen respectu alterius damnificati per ipsum prædicantem, est peccatum injustitiæ obligans ad restitutionem.

12 **O**bjicies secundò contra secundam partem: Qui prædicant falsam doctrinam, putantes veram prædicare, non intendunt damnum alteri inferre; sed nemo tenetur ad restitutionem, nisi actus procedat ex intentione damnificandi: Ergo qui falsam doctrinam prædicat, putans veram esse, postquam sciverit, esse falsam, non tenetur ad restitutionem. Probatur major, quia prædicans falsam doctrinam, ut veram, putans illam esse veram, non facit actum ex prava intentione, sed potius ex bona, inferendi alteri utilitatem, cum intendat verum docere: Ergo &c.

Respondetur retorquendo argumentum de emptore bona fide. Qui enim bona fide emit equum, putans illum fuisse venditoris, & à domino, & non à fure emisse, emit illum ex intentione non damnificandi alterum, sed providendi propriæ utilitati; & tamen, si post emptionem certò sciverit, equum illum fuisse sublatum furto, tenetur ad restitutionem equi; quia tunc certò scit, fuisse damnum alteri illatum. Ita in casu nostro, quamvis bona fide, prædicans doctrinam falsam, ut veram, putet veram doctrinam prædicare, & hoc non faciat ex mala intentione nocendi, & damnificandi (sicuti facit ille, qui certò scit, doctrinam illam esse falsam); tamen postquam sciverit, falsam doctrinam prædicasse, & fuisse (estò præter suam intentionem) damnum alteri illatum, tenetur ad restitutionem. Unde in forma, nego minorem; multi nanque furantur, non præcisè ex intentione damnificandi illum, à quo rem furantur, sed ex intentione tantum providendi suæ utilitati, & tamen quia ex tali furto sequitur damnum illius, ideo fures ad restitutionem tenentur. Ita etiam multi ob carnalem sensualitatem se Virginibus copulant, illasque vi, & fraude decipiunt, & non ex intentione illas damnificandi in honestate, & castitate; & tamen secundum omnes Doctores, quia Virginibus damnum sequitur ex claustrum Virginalis violatione, tenentur violatores ad damni restitutionem. Ita dicendum est in proposito: quamvis prædicantes falsam doctrinam non intendant damnum inferre proximo, quia putant doctrinam illam esse veram, tamen postquam cognoverint doctrinam illam esse falsam; quia ex hac scientia pariter cognoscunt damnum illatum ex tali falsa doctrina, tenentur ad restitutionem, se retractando de illa falsa doctrina prædicata.

14 Ex his colligo, quantum spectat ad resolutionem casuum conscientiæ, quod tam prædicatores, Doctores, Rectores, Parochi, & multò magis Prælati ad restitutionem tenentur, se  
soili-

scilicet retractando de falsa doctrina prædicata, dum cognoscunt certò, illam fuisse falsam; quàm ad eandem restitutionem tenentur illi, qui falsam docent, & prædicant doctrinam, putantes esse veram, & postea sciunt falsam prædicasse. Et hoc quidem ratione damni in bonis spiritualibus proximis illati. Idem judico de medicis, qui sequendo quandam falsam doctrinam, & certò scientes doctrinam illam esse falsam, medicamenta conferunt infirmis, qui in corpore damnificantur ex illis medicamentis: unde tenentur medici se retrahere à tali doctrina, & opportuna remedia applicare pro infirmorum salute.

QVÆSTIO TERTIA.

*An provocans aliquem ad egressum à Religione, teneatur ad restitutionem:*

*Sicut etiam provocans ad non ingrediendam Religionem?*

**P**ærens quæstio tangitur à Doctore nostro in 4. dist. 15. qu. 3. in solutione ad secundum principale, lit. L. his verbis. *Quòd si extraxit de Religione aliquem jam obligatum ad Religionem obligatione professionis, tenetur agere ad restitutionem, ut scilicet ille redeat ad Religionem. Sed si aliquem dispositum ad intrandum retraxit, ne intraret; quia interest inter habere, & prope esse, non tenetur ad tantam restitutionem Religioni, ad quantam si fuisset in Religione; sed tenetur ad aliquam restitutionem, puta ad aliqualem inductionem alterius aequaliter æquivalentis ad ingressum illius Religionis: & hoc intelligendum est, si illum retraxit intentione damnificandi Religionem: Si autem intentione consulendi utilitati propria sine fraude, non tenetur Religioni. Ex quibus verbis Doctoris infero, unum provocare alterum ad non ingrediendam Religionem, qui se determinaverit ad Religionem ingrediendam, dupliciter contingere posse: vel animo consulendi illius utilitati; quatenus non possit sustinere austeritatem vitæ, quam ducere debent Religiosi; vel animo nocendi, & damnificandi Religionem. In primo sensu ait Doctor, quòd consulens, aut sic provocans alium ad non ingrediendam Religionem, non tenetur ad restitutionem; quia talis provocatio nullum damnum Religioni infert, nec ei, quem retrahit à tali ingressu: imò multoties evenit, quòd utilitatem infert Religioni, & ei, cui consilium dat, ne Religionem ingrediatur; ut si iste talis esset infirmus, vel malæ indolis, quomodo, & sibi ipsi, & Religioni detrimentum afferret; vel si haberet parentes, vel sorores pauperes. Infero insuper ex eadem Scoti doctrina, unum posse pro-*

*vocare alterum ad egressum à Religione etiam dupliciter, vel vi, & fraude, vel tantum consilio, suasionem, & precibus, eo modo, quòd dictum est in prima qu. hujus disputationis de inducete alium ad peccandum. Et tandem infero, quòd tam vi, & fraude, quàm consilio, unum possit alterum à Religione extrahere, seu ad egressum à Religione provocare: vel nõ adhuc in Religione professum, ut est Novitius; vel in Religione professum, & Religionis votis obstructum.*

Ex his etiam noto, quòd si aliquod damnum eveniret, provocando Religiosum, sive Novitium, sive professum ad egressum à Religione, hoc vel eveniret Religioni, vel etiam Religioso; aut simul utrique. Unde quæstio de obligante ad restitutionem, tam procedit relatè ad damnum Religioso illatum, quàm de damno Religioni secuto. In hac materia varii dicendi modi sunt Doctorum, quibus relicto,

**DICO**, provocantem aliquem Religiosum professum, ut à Religione egrediatur, vel ne in Religionem ingrediatur, si ad ingrediendum, est dispositus: vel ne in Religione permaneat, si est Novitius, & hoc vi, & fraude, teneri ad restitutionem damni; si id faceret ex intentione damnificandi Religionem. Provocantem verò tantum ex consilio, & precibus teneri ad restitutionem damni spiritualis Religioso illati, & non Religioni, si hoc non fecerit ex intentione Religionem damnificandi: at si etiam fecerit ex intentione damnificandi Religionem, adhuc ad restitutionem damni illati Religioni, teneri. Conclusio quò ad singulas partes est Scoti loco supra cit., & cum eo ferè omnes Doctores cum Mastrio, Caspense, Sanchez, & aliis. Et quò ad tertiam partem est contra Aretinum ex nostris, Bonacinam, & alios ejusdem Bonacinae sequaces: & utraque pars est probabilior.

**¶** Probatur prima pars primò de Religioso professo. Qui ex prava intentione damnificandi alterum vi, & fraude damnum infert, ad restitutionem tenetur; sed provocans vi, & fraude Religiosum professum, ut à Religione egrediatur, cum intentione damnificandi Religionem, huic damnum infert: Ergo ille talis ad damni restitutionem tenetur. Major est certa, & patet de devastatore vineæ, vel domus alienæ, ut in præterita disputatione diximus. Probatur minor: provocans vi, & fraude Religiosum professum ad egressum à Religione, privat illam emolumentis, tum temporalibus provenientibus à donatione, testamento, & aliis titulis (si Religio illa est domini, & proprietatis capax); vel provenientibus à concionibus, & aliis honestis laboribus Religiosi: vel illam privat emolumentis spiritualibus, quæ acquirere posset Religio per ipsum Religiosum; sed qui privat alterum emolumento tum temporali, tum spirituali, & quidem ex intentione damnificandi, damnum infert illi: Ergo &c.

*&c.* Probatur major: nam Religio sic privata illis emolumentis, privatur re, quam possideret, vel possessura erat, ad quam rem jus habebat; sed privatio juris ad rem possessam, vel possidendam infert damnum ei, quod tali jure privatur: Ergo &c.

16 Probatur secundò de Religioso disposito ad ingrediendam Religionem, & de Novitio, qui retrahitur ab emittenda professione. Qui mala intentione damnificandi Religionem, avertit volentem ingredi Religionem, vel Novitium, ne professionem emittat, & quidem vi, vel fraude, impedit ipsam Religionem à spe acquirendi jus in bonum, vel temporale habendum per hæreditatem, & donationem; vel in bonum spirituale acquirendum studio, & labore illius, qui sic impeditur; sed qui ex mala intentione nocendi, vi, & fraude alium à spe acquirendi jus ad bonum, sive temporale, sive spirituale impedit, tenetur ad restitutionem: Ergo provocans dispositum ad ingrediendam Religionem, vel Novitium, ne in Religione permaneat, tenetur ad restitutionem, si hoc fecerit vi, & fraude, & ex mala intentione damnificandi Religionem. Major est certus; quia Religio utilitatem, tum temporalem expectaret ab illo sic impedito, tum utilitatem spirituales, ad quam jus in spe haberet, & quidem ex justitia debitum. Probatur minor: quia qui spem habet acquirendi aliquod bonum, dum illo privatur, injustè privatur; Sicut si illò non privaretur, justè, & ex justitia illud possideret: Ergo privans alium tali spe acquirendi jus ad illud bonum, ad restitutionem tenetur: Probatur antecedens: omnes Doctores affirmant, quòd qui malo animo damnificandi Titium, illum impedit à consecutione alicujus hæreditatis, vel donationis, vi, & fraude movendo Testatorem, vel donatorem, ne Titio hæreditatem relinquat, vel donationem faciat, tunc quia Titius privaretur dolose talis hæreditatis spe, & quidem injustè, ideo sic impediens ad restitutionem teneretur (ut infra dicemus): Ergo in omni casu, ubi adest impedimentum ex mala damnificandi intentione, & vi, ac fraude, oritur obligatio restitutionis.

Confirmatur hoc primò, ratione supra adducta de extrahente Professum à Religione; cum eadem ratio militet de Novitio, vel devolvente Religionem ingredi, si vi, fraude, & ex mala intentione impediatur, estò (ut ait Doctor loco cit.) non obligetur impediens Novitium ad tantam restitutionem, ad quantam teneretur provocans professum ad egressum à Religione.

Secundò, quia peccans contra justitiam ad restitutionem tenetur, & quidem si peccatum est illatum damnum; sed tam provocans Professum ad egressum à Religione, quàm Novitium, ne emittat professionem, vel aliquem, ne Religionem ingrediatur, peccat contra ju-

stitiam: Ergo ad restitutionem damni tenetur. Probatur minor, quia Religio damnum patitur ex hoc, & est aliunde valde injuriata; præsertim in casu, quo Religio cadit à bona estimatione, quatenus inobservantia Regularis argueretur à populo, ex motivo illius egressus: Ergo tunc provocans &c. contra justitiam peccaret.

17 Probatur secunda pars. Qui alium impedit à consecutione alicujus boni, non animo damnificandi alterum, sed animo consulendi utilitati alterius, nullum actum injustitiæ exercet; sed qui consilium dat alicui, ne Religionem ingrediatur, vel ne emittat professionem, si est Novitius: vel professum ad egressum à Religione provocet, id facit, non animo damnificandi Religionem, sed solum consulendi utilitati illius, cui consilium præbet: Ergo nullum contra Religionem actum injustitiæ exercet; adeoque non tenetur ad restitutionem iste talis ex solo consilio dato, absque animo Religionem damnificandi. Probatur minor ex doctrina Scoti supra adducta, his verbis: *Et hoc intelligendum est, si illum extraxit, intentione damnificandi Religionem; si autem intentione consulendi utilitati propriae, sine fraude, non tenetur Religioni.* Ex quibus verbis demonstrat Scotus, quòd quando præbetur consilium Religioso, ut à Religione egrediatur, propter propriam utilitatem, & non animo damnificandi Religionem, tunc non peccat, consilium præbens, contra justitiam, nec ad restitutionem tenetur: Ergo &c.

18 Quòd autem consulens, suadens &c. absque intentione damnificandi Religionem; & insuper absque motivo consulendi utilitati ipsius Religiosi à Religione retracti, teneatur restituere ipsi Religioso, patet ex dictis in prima questione hujus disputationis; ubi statuimus, quòd consulens, suadens &c. inducendo alium ad peccandum tenetur ad restitutionem damni spiritualis ei illati. Sed ulterius probatur: qui absque motivo consulendi utilitati alterius, extrahit Religiosum à Religione, vel impedit, ne ingrediatur, vel ne professionem emittat, impedit illum à consecutione boni spiritualis, quod ipse esset in Religione consecuturus, & ad quod bonum jus habet: Ergo iste talis impediens alterum ex suo consilio, non motus ab utilitate illius, tenetur ad restitutionem damni illati; & quia damnum non est illatum Religioni; cum non impederit, vel extraxerit eum à Religione, animo illam damnificandi, sed solum Religioso illatum est damnum; ideo ad resarciendum damnum Religioso tantum tenetur.

19 Probatur nunc tertia pars, quòd scilicet qui consilium dat alteri, ut à Religione egrediatur, vel ne Religionem ingrediatur, aut ne professionem emittat, si est Novitius, & hoc consilium det animo damnificandi Religionem, ad restitutionem tenetur. Qui dat consilium

filium animo damnificandi alterum , & damnum evenit , ad restitutionem tenetur ; sed extrahens à Religione , vel impediens ab ingressu in eam , animo damnificandi Religionem , illam damnificat : Ergo ad restitutionem tenetur , quamvis ex solo consilio eveniat damnum . Major patet de eo , qui dat consilium devastandi domum alterius , ex cujus consilio domus illa devastatur . Probatur minor : etsi Religio non habeat jus actu completum relatè ad volentem ingredi in Religionem , & ad Novitium ; circa ipsos tamen habet jus inchoatum cum certa spe futuri complementi : circa Professum verò habet jus completum ; sed quando uterque , vel alter à Religione extrahitur , cum animo ipsam Religionem damnificandi , violatur , & læditur tale jus : Ergo Religio ipsa tunc damnificatur . Potest hoc confirmari rationibus adductis pro prima parte conclusionis . Ex quibus rationibus cõcludo , quod si vi , & fraude extraheretur aliquis à Religione , si est Professus , vel ab ingressu in Religionem , vel ab emittenda professione revocetur , si est Novitius ; si ex consilio , & precibus , semper ac extractio est cum animo damnificandi Religionem , & in re damnificatur , ad restitutionem ille tenetur . Hoc magis patebit ex solutione objectionum .

*Solvuntur Objectiones.*

20 **O**bjicies primò . Intantum provocans Religiosum ad egressum à Religione , vel illum impediens , ne ingrediatur Religionem vi , & fraude , ac cum intentione damnificandi Religionem , teneretur ad restitutionem , in quantum læderet jus Religionis , quod haberet in illum , & ad emolumenta per ipsum acquirenda ; sed tale jus ex justitia habere non potest Religio , etiam si sit capax dominii , & proprietatis : Ergo provocans Religiosum ad egressum à Religione , vel eum , ne Religionem ingrediatur , impediens , non tenetur ad restitutionem , etiam si hoc faciat cum intentione damnificandi Religionem . & ex vi , fraude &c . Probatur minor : primò de Religioso professo . Jus , quod habet Religio in Religiosum professum , est jus ortum ex virtute Obedientiæ , & Religionis , & non est jus ortum ex virtute justitiæ : Ergo &c . Probatur antecedens : Jus Religionis ad Religiosum , & ad emolumenta acquirenda per Religiosum , correspondet debito ipsius Religiosi ; sed Religiosus debet Religioni ex virtute Obedientiæ , quam professus est in Religione ; Ergo jus Religionis est ortum ex virtute Obedientiæ . Probatur eadem minor secundò de Novitio , & de eo , qui vult Religionem ingredi . Nemo potest habere jus ad illud bonum , ad quod alter ex justitia adhuc non est obligatus ; sed Novitius ante professionem non est obligatus

Religioni ; & multò minùs est obligatus ille , qui vult Religionem ingredi : Ergo Religio ex justitia nullum jus habere potest in volentem ingredi Religionem , & in Novitium ; ac per consequens si impediatur , etiam vi , vel fraude , & cum intentione Religionem damnificandi , impediens , & provocans ad restitutionem non teneretur ,

Respondetur negando minorem , ad cujus primam probationem de Religioso professo , dico , Religionem non solum habere Jus in Religiosum professum , & ad emolumenta acquirenda per ipsum , ortum ex virtute Obedientiæ , sed etiam ex virtute rigorosæ justitiæ derivatæ ab ipsa professione : quod patet , quia Religiosus in actu professionis contractum liberum , & onerosum facit cum Religione ultrò citròque obligatorium ; obligatur enim ipse , quò ad permanendum in Religione , & ad licitè in ea laborandum pro Religionis emolumento , ipsique Religioni serviendum : & aliunde Religio obligatur ad illum retinendum , & alendum : ut notat Matrius disp. 8. q. 1. art. 2. nu. 12. citans pro hac doctrina Suarezium , Caspensem , & Sanchez . Unde fit , quòd si vi , & fraude , & etiam ex consilio ( dummodo sit praus animus nocendi Religioni ) damnum eveniat per egressum à Religione alicujus professi ; Jus debitum ex justitia læderetur ipsius Religionis , & subinde lædens tale jus ad restitutionem teneretur . Debitum nanq; ipsius Religiosi etiam est virtutis justitiæ , quamvis justitia oriatur à professione immediatè tanquam à radice .

Ad probationem secundam ejusdem minoris principalis dist. majorem : nemo potest habere jus perfectum , & completum , ad illud bonum , ad quod alter ex justitia adhuc non est obligatus , concedo majorem ; nemo potest habere Jus , saltem inchoatum , & incompletum , nego majorem , & dist. minorem : sed Novitius &c . non est obligatus Religioni , nec obligandus , nego minorem : & est obligandus , concedo minorem , & nego consequentiam . Quamvis ergo volens ingredi Religionem , & Novitius , non sint actu Religioni obligati , quia actualis obligatio oritur à professione , sunt tamen Religioni obligandi ; quæ futura obligatio , etsi nõ ponat jus perfectum , & completum in Religione ad ipsum Novitium , vel volentem Religionem ingredi , ponit tamen jus incompletum , & inchoatum , complendum cum certa spe , qua non potest Religio injustè privari . Quare sicuti injustè privaretur jure perfecto , si extraheretur Professus à Religione , ita injustè privaretur jure inchoato , si impediretur ingrediens ab ingressu in Religionem , vel Novitius ab emittenda professione : adeoque impediens cum damno Religionis , ad restitutionem tenetur . Quod est clarum in filiis familias , qui jus inchoatum habent ad paternam hæreditatem , & si ab hac inju-



Injustè impedirentur, impediens ad restitutionem teneretur: & etiam patet, in illis, qui justè prætendunt aliquod beneficiam; nam si ab ejus consecutione injustè impediuntur per fraudem, violentiam, & cum animo illos damnificandi, tunc impediens tenentur ad restitutionem.

21 Obijcies secundò contra secundam partem, probando, quòd provocans Religiosum professum ad egressum à Religione, sine vi, & fraude, & absque animo damnificandi Religionem, sed ex solo consilio, & precibus, adhuc teneatur ad restitutionem. Si quis consilium dat alicui, ut exercent aliquam actionem, animo nocendi alteri, & in re ipsi nullum nocumentum affert, non tenetur ad restitutionem: Ergo quando quis dat consilium exercendi aliquam actionem absque animo nocendi alteri, & in re nocumentum evenit, tenetur ad nocumentum resarciendum; sed qui dat consilium Religioso professo, ut egrediatur à Religione, licet absque animo damnificandi Religionem, adhuc in re affert Religioni nocumentum: Ergo iste talis ad restitutionem tenetur. Antecedens patet de eo, qui dat consilium alteri, ut comburat aliquam domum, animo nocendi proximo; nam si non est secuta combustio domus, non tenetur ad restitutionem; & ratio est, quia obligatio restitutionis oritur ex damno secuto, non ex animo damnificandi. Consequentia sequitur ab opposito. Probatur minor subsumpta: Religio jus habet ad talem Religiosum, & ad omnia emolumenta per ipsum acquirenda: Ergo damnificatur per egressum illius à Religione: Ergo quamvis à consulente non intendatur tale damnum, quia tamen illud sequitur ex egressu ipsius Religiosi à Religione, consulens tenetur damnum resarcire.

Respondetur dist. consequens: si nocumentum evenit per se ex consilio dato, & est per se connexum cum illa actione, tenetur ad nocumentum resarciendum, concedo consequentiam: si nocumentum non evenit per se ex consilio dato, neque per se est cum illa actione connexum, sed tantum per accidens, nego consequentiam. Et eodem modo dist. minorem subsumptam, cum ejus probatione. Dico igitur, quòd quando quis dat alicui consilium, ut aliquam actionem exercent, & quidem bono animo, consulendi propriæ utilitati (ut in casu esset de dante consilium Religioso professo, ut à Religione egrediatur, vel quia in illa non posset bene vivere; vel quia infirmatur: ratione quarum indispositionum, potius Religio pateretur detrimentum, quàm utilitatem à tali Religioso haberet); tunc etsi damnificetur Religio, non tamen damnum per se reciperet à consulente, cum tale consilium non dederit in detrimentum Religionis, sed in utilitatem Religiosi: neque cum egressu à Religione est per se connexum damnum illud Re-

ligioni illatum, sed tantum per accidens, & præter intentum dantis consilium. Ratio est, quia quando quis dat consilium ad actionem de se licitam, vel saltem ex natura sua non illicitam, quamvis damnum aliquod sequatur ex ipsa, quod à consilio dante non est intentum per se; tunc non tenetur ad restitutionem talis damni, quia ab ipso non causatur. Quod patet de dante consilium in bello justo se defendendi, absque eo quòd intendat inimicorum occisionem; quamvis enim justa defensio evenire, ut plurimum, nequeat sine alterius occisione, idcirco dans tale consilium sine intentione occisionis inimicorum, sed solum pro justa, & licita defensione, non tenetur ad damnum inde secutum; quia secutum est præter ejus intentum, nec est per se connexum cum tali consilio. Ita in proposito, quamvis sequatur damnum Religioni per egressum Religiosi professo, quia tamen tale damnum non fuit per se intentum, nec per se connexum cum consilio dato (quia consilium fuit ad rem licitam, & justam, scilicet ad utilitatem Religiosi) idcirco consulens ad restitutionem damni non tenetur.

Dices: qui dat consilium Titio V. G. ut fureretur, non animo damnificandi alterum, sed solum providendi utilitati Titii furis, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, quamvis damnum alterius non sit per se intentum à consilio dante: Ergo idem dicendum est de eo, qui dat consilium Religioso professo, ut à Religione egrediatur, hujus consulendo utilitati, & non animo damnificandi Religionem; quia utrobique damnum est secutum.

Respondetur negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia furari, cum sit contra præceptum, est actio per se illicita; & qui dat consilium illicitæ actioni, ex qua damnum aliquod sequitur, quamvis damnum illud non sit primò intentum, sed sit intenta utilitas agentis, peccat contra justitiam, & ad restitutionem damni teneretur. Ratio est, quia tunc sicuti illud consilium efficaciter causaret furtum, quod forsan non causaretur sine tali consilio, ita etiam causaret damnum proximo secutum ex tali furto, estò non sit intentum ab ipso consiliatore. At quando consilium est ad actionem non illicitam ex natura sua, imò licitam (si attendantur circumstantiæ) ut est de egressu à Religione, præsertim quando permanentia est in detrimentum Religionis, & Religiosi; quamvis sequatur damnum alteri ex ipsa actione non illicita, quia hoc damnum non est intentum à consiliatore, hic ad damnum resarciendum non tenetur: nam dans tale consilium proxime, & efficaciter causaret actum non illicitum, estò per accidens, remotè, & præter intentum causaret illud damnum.

22 Obijcies tertio probando, quòd qui consilio

lio provocavit Religiosum ad egressum à Religione, vel Novitium ad non emittendam professionem, etiam cum animo damnificandi Religionem, non tenetur ad restitutionem. In tantum ad restitutionem teneretur ille, qui consilium dederit Religioso, ut egrederetur à Religione, in quantum tale consilium esset cum intentione damnificandi Religionem; sed hæc ratio non valet: Ergo dans tale consilium non tenetur ad restitutionem. Probatur minor primò: potest stare in consulente intentio damni absque executione ipsius: ut si nullum eveniret detrimentum Religioni per egressum Religiosi otiosi, malæ vitæ, & constituti in continua infirmitate; sed quando damnum est intentum, & non evenit, tunc consulens cum hac damnificandi intentione, non tenetur ad restitutionem; nam nemo tenetur ad restitutionem damni, nisi damnum sit secutum: Ergo &c. Probatur secundò eadem minor: mala intentio damnificandi proximum non fundat obligationem restitutionis, nisi quando oritur à fraude, & dolo; non quando oritur à solo consilio; sed in casu intentio damnificandi Religionem oriretur ex solo consilio: Ergo quamvis sequeretur damnum Religioni, non per hoc consulens ad restitutionem teneretur. Probatur major; quia intentio damnificandi ex solo consilio, non ponit media conducentia ad violandum injustè jus Religionis, quod habet ad Religiosum illum à Religione egressum; cum ista media sint fraus, violentia, & dolus: Ergo &c.

Respondetur dicendo majorem esse veram, quando cum intentione damnificandi proximum ponitur executio damni, secus verò quando damnum in re non evenit, nec unquam eveniet. Intentio itaque damnificandi alterum est fundamentum obligationis ad restitutionem, executio verò damni est formale debitum restitutionis. Unde si quis haberet malam intentionem alterum damnificandi, poneretur tantum fundamentum obligans ad restitutionem, non verò actuale, & formale debitum restitutionis, si illa intentio executioni non mandetur, ut in pluribus constat: nam intentio nocendi alteri per furtum, vel per homicidium, stuprum &c. si non mandetur executioni, nulla insurgeret obligatio restituendi; quia damnum non est patratum. Quare negatur minor in sensu explicato; & ad primam probationem concedo totum argumentum, sed nihil ex ipso concluditur ad propositum. Nam nos loquimur de intentione damnificandi Religionem, quando in re sequitur damnum, non verò quando potius utilitas, & commodum resultat in Religione per egressum Religiosi ab illa. Itaque si quis esset Religiosus malæ vitæ, qui magnum affert Religioni detrimentum per permanentiam in ea, & commodum afferret, si ab illa egrediatur, tunc qui huic consilium daret, ut à Religione egre-

diatur, etiam si intendat damnificare Religionem, non tenetur ad restitutionem; quia in casu nullum est secutum damnum. At nos loquimur de dante consilium ex intentione damnificandi, si re vera sequitur damnum; ut si esset Religiosus bonæ vitæ, virtuosus, &c. à quo Religio ultra decorem, emolumenta per illum expectaret.

Ad secundam minoris probationem nego majorem, ad cujus probationem nego antecedens. Qui dat consilium alteri, ut à Religione egrediatur, cum intentione damnificandi Religionem, quamvis sine vi, & fraude id faciat, non tamen id facit sine dolo, qui esset medium ad injustè lædendum jus Religionis. Damnum ergo non semper à fraude eventit, vel à violentia, sed multoties à dolo; nam qui intendit damnificare alterum, intendit actionem dolosam: & si hæc actio executioni mandetur, id est secuto damno, quia hoc sequitur ex dolo, ideo consulens cum tali intentione damnificandi, ad restitutionem tenetur.

23 Pro exacta notitia, & clariori casuum conscientiarum in hac materia incidentium plura infero. Primò, qui Religiosum professum extrahit vi, & fraude à Religione, præsertim cum animo damnificandi Religionem, tenetur ad restitutionem ipsi Religioni. Ratio est, quia tunc injuria inferretur Religioni, jusque suum, quod haberet in Religioso, & ad emolumenta, quæ acquirere posset per ipsum, læderetur.

Secundò infero, quod etiam si sine fraude, & vi, sed tantum consilio extraheretur Religiosus professus à Religione, animo damnificandi Religionem, & re vera sequitur damnum, adhuc ex solo consilio extrahens ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia ratione illius intentionis damnificandi, damnum sequitur qui dat consilium, intendens tale damnum, dolosè agit consulendo: & qui agit dolosè, agit injustè.

Tertiò, qui extrahit solo consilio aliquem à Religione, animo damnificandi Religionem, & re vera nullum sequitur damnum ex tali extractione, non tenetur ad restitutionem faciendam Religioni. Ratio est, quia quamvis illa intentio damnificandi sit fundamentum ponendi obligationem restitutionis; nisi lædatur jus alterius per damnum sequens, non inducitur actuale debitum restituendi.

Quartò, qui dat consilium extrahendi aliquem professum à Religione, animo consulendi utilitati ipsius Religiosi, absque intentione damnificandi Religionem, non tenetur ad restitutionem Religioni, quamvis per talem extractionem damnum sequatur. Ratio est, quia damnum illud per accidens sequitur ex tali consilio; nam tunc consulens daret operam rei non illicitæ, consulendo utilitati alterius.

Quintò, qui vi, & fraude, aut solo consilio cum animo damnificandi Religionem, retra-

hit aliquem ab ingressu in Religionem ; vel Novitium ab emittenda professione, etiam ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia dolose agit, & Religio ad bonum venturum à tali Novitio, habet jus inchoatum, & in spe, quod jus sine iniuria lædi non potest.

Sextò, si illum retrahit, animo consulendi propriæ Novitii utilitati, vel etiam suæ, abque intentione damnificandi Religionem, tunc ad restitutionem non tenetur, etiam si damnum eveniat. Quod patet ex ratione assignata ad quartum. Totum hoc corroboratur doctrina Scoti loco cit. litt. L. respondendo ad secundum principale, quæ doctrina videri potest in initio quæstionis.

24 Quomodo autem fieri debeat huiusmodi restitutio, patet ex eo, quod ait ipse Scotus loco cit. scilicet debet extrahens agere, ut ille, qui extractus fuit à Religione, vel impeditus, ne ingrediatur Religionem ; vel si est Novitius, ne professionem emittat, iterum Religionem ingrediatur, suadendo, orando, & manifestando damnum ei illatum. Non verò tenetur ipse Religionem ingredi, ut quidam contra Scotum arguebant. Insuper noto, quòd ultra damnum refarciendum Religioni, per injuriam ei illatam, tenetur etiam ad damnum illatum ipsi Religioso, quia ipsum bono spirituali privavit.

25 *PETES. An cum intentione nocendi alteri, in omni casu, quis attendens suæ utilitati, teneatur ad damnum refarciendum, si est secutum?*

Respondetur dicendo, tam in actionibus illicitis, quam licitis, intentio damnificandi alterum, si re vera damnum sequitur, quamvis quis attendat suæ utilitati, obligare ad restitutionem. Ratio est, quia tam si res sit illicita, ut est res ex sua natura, vel ut prohibita, peccaminosa; quam si res sit licita, vel non prohibita, semper ac cum sua utilitate simul intendatur damnum alterius, & hoc sequitur, jam dolose agit, & iniuriam huic facit. Si verò tantam attenderet suæ utilitati, non intendendo nocendum alterius, tunc quamvis hoc sequatur, ex actione tamen licita, non tenetur ad restitutionem (secus dicendum si sequatur ex actione illicita, ut dixi de furto, ex quo sequitur damnum alteri illatum) Hoc ultimum patet expressè ex Scoto in 4. dist. 15. q. 2. respondendo ad ultimum principale, in confirmatione, his verbis: *Si præscindo venas in fundo meo, per quas derivabatur aqua ad puteum alterius, intentione nocendi sibi, teneor ad restitutionem damni; sed si hoc facio sine fraude, intendens consulere utilitati propriae: non damnifico alium, quia jus habeo faciendi utilitatem meam in fundo meo.* Et concludit ex ff. de reg. juris. *Nemo damnum facit, nisi quis illud facit, quod facere jus non habet.* Ex quibus verbis ultimis infero, quòd qui intèdit damnum, quod sequitur, facit actionem aliquam, ad quam jus non habet; & sic per intentionem damni, quod

sequitur, obligatus est ad restitutionem. Si verò non intendit damnum, sed solam suam utilitatem, ad quam jus habet, non tenetur de damno.

## QUESTIO QUARTA.

*An liceat publica autoritate punire pœna mortis malefactorem?*

26 **Q**uestionem hanc reperi expositam apud Molinam, Bannes, Amicum, & alios, quos pro sua opinione citat Bonacina: nempe an licitum sit, publica autoritate malefactores occidere? Quamquam autem putet supradicti Doctores, idem prorsus esse malefactor, ac simplex fur, in re tamen maxima differentia est inter utrumque. Fur nanque simplex est ille, qui rem alienam furripit, præscindendo à quantitate rei, à loco in quo furtum committit; à tempore, quo rem alienam accipit; à modo, quo incedit ad furandum; & à persona, cui rem furatur. Malefactor autem est ille, qui simul est fur, & invalor, vel proscriptus, vel rebellis; vel pecularius, qui scilicet pecuniam communitatis furatur: vel plagiarus, qui furatur hominem liberum, & ipsum vendit: vel fur continuus, & assiduus, qui infestissimus est communitati. Ex his notat Aretinus in 4. dist. 15. q. 3. art. 3. conc. 4. ex opinione Scoti, & Alexandri de Ales, quod furtum simplex ab illis omnibus circumstantiis præscindit, sed est unum tantum furtum, nec notabilis summæ: furtum verò annexum illis circumstantiis, ratione quarum fur dicitur malefactor, est furtum notabile, & grave: vel intra eandem speciem furci, (ut esset magna rei furto sublata summa, vel personarum circumstantia, quæ magis, vel minus sit in necessitate illius rei sublata) vel extra speciem furci, ut si res sublata sit ex loco Sacro, vel sit res Sacra, quomodo esset furtum sacrilegum. Quare istæ circumstantiæ constituunt furem malefactorem; scilicet frequentia furci, magnitudo rei sublata, dignitas loci, in quo res ablata est, suspicio de homicidio, si est invalor &c. Huiusmodi autem circumstantiæ, sicuti non faciunt furtum simplex; & solum, sed furtum circumstantionatum, ita extrahunt furem à ratione simplicis furis, & ipsum reddunt malefactorem.

27 Hac considerata doctrina, & viso quantum interest inter furem simplicem, & malefactorem, obstupesco, quomodo calumniam intulerint Scoto Molina, Bannes, & alii, quos secutus fuit Bonacina, tom. 2. d. 2. q. ultima, propositione ult. puncto 2. dicentes, in hac re Doctorem nostrum opinionem secutum fuisse temerariam, periculosam in fide, & contrariâ praxi totius orbis Christiani: dum ipsi tenent licitum.

licitum esse, publica autoritate occidere Malefactores. Scotus autem in 4. dist. 15. qu. 3. art. 7. §. sed quis est iustus occidens. L. G. hoc, quod ipsi affirmant, negaverit, ex eo quod loc. cit. dixerit: *Lex divina absolute prohibuit: non occides; & nulli inferiori licet in lege superioris dispensare; Ergo nulla lex positiva constituens hominem occidendum, iusta est.* Si bene hæc verba Scoti considerentur, usque ad litt. M. ubi concludit: *Non video, quomodo lex aliqua iusta possit statuere hominem occidi pro furto solo.* Et subdit immediate: *Dico autem sola, quia si est fur, & cum hoc in vasor, præsumitur homicida;* videtur, non bene locutus fuisse supradictos Doctores, asserentes, Scotum negasse, quod communiter ferè omnes Theologi, ut iustitiæ consonum, affirmant. Quare pro quæstionis resolutione

**DICO**, licitum esse publica autoritate pœna mortis punire Malefactorem. Conclusio communissima est inter Doctores, & Canonistas; quæ à Scoti doctrina non discordat, imò cum ejusdem opinione concordat. Et

28 Probatur primò. Malefactor, vel est talis, quia assidue furans redditur incorrigibilis: vel est talis, quia Proscriptus: vel quia Rebel- lis, & bono publico infestissimus; vel simul fur, & aggressor: vel tandem ex aliis circumstantiis aggravatibus furtum, relatis n. 26. sed in his casibus Malefactor iusta lege damnandus est pœna mortis: Ergo iusta lege Malefactor damnandus est pœna mortis. Probatur minor: in illis casibus Malefactor se habet in Republica, ut ovis infecta, à qua, vel Respublica notabile patitur damnum; vel si hic morte non puniretur, alii quoque fierent Malefactores; cum ad malum non punitum pœna mortis multi inclinent; sed iustum est unam ovem occidere de toto ovili, ne ceteræ inficiantur: Ergo &c.

Eò vel maximè, quia Lex ista de Malefactore concordat cum Lege divina; vel saltem ab illa non discordat; sed quando Lex humana concordat cum Lege divina, vel saltem ab illa non discordat, juxta Doctores nostri subtilis regulæ, Lex iusta est: Ergo iusta est Lex damnandi pœna mortis Malefactorem. Patet minor, adducendo regulam Scoti loc. cit. sub L. G. *Nulla Lex potest esse iusta, nisi quæ descendit à Lege divina, sicut conclusiones practica à principiis practicis; vel quæ concordat Legi divina, vel saltem ab ea non discordat.* Probatur nunc minor: ex Exodo 22. num. 18. habetur: *Maleficos ne patiatis vivere.* Et de aggressore habetur eodem capite num. 2. *Si effringens fur damnum, sive suffodiens inventus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit Reus Sanguinis.* Prima autoritas est in Lege divina fundata, quæ se habet ad Legem humanam, velati principium practicum: Ergo quoties Lex humana pœna mortis damnaret Malefactorem, jam concordaret cum divina Le-

ge; vel saltem ab hac non discordaret. Secunda autoritas loquitur de privata autoritate occidendi furem nocturnum; Ergo à fortiore hujusmodi facultas non erit deneganda. Principi: Ergo licitum est publica autoritate occidere Malefactorem,

29 Confirmatur specialiter de Malefactore furante rem Sacram. Ex Josue 6. 18. habetur: *Vos autem cavete, ne de his, quæ præcepta sunt quippiam contingatis, & sitis prævaricationis Rei.* Et num. 19. subdit: *Quicquid autem auri, & argenti fuerit, Domino consecratur repositum, in thesauris ejus,* (Civitas nanque Jericho erat Domino sacrata): Ergo si pœna mortis puniebatur furtum sacrilegum; ut factum fuit in persona Achan violantis præceptum latum à Josue ex Dei mandato, signum est, quod iusta Lege pœna mortis puniri debet Malefactor, furtum scilicet committens sacrilegum.

30 Confirmatur iterum ex Lege Cæsarea Justiniani Imperatoris in Autent. U. nulli iudicum, §. quia Verbum coll. 9. tit. 17. *Eos vero, qui volenter aggrediuntur, aut cum armis, aut sine armis in domibus, aut itineribus, aut in mari, pœnis eos legalibus subdi jubemus.* Ex qua Justiniani Imperatoris doctrina evidenter deducitur, quod aggressores, seu Malefactores pœna mortis puniendi sunt: quod exprimit illa verba (*Pœnis legalibus eos subdi jubemus*)

31 Neque valet, si dicas, quod in supra dicto loco Imperator paulò ante dixit: *Pro furto autem nolumus omninò quodlibet membrum abscindi, aut mori, sed aliter eum castigari:* Quare pro gravioribus damnis à Malefactore illatis est solum pœna mortis infligenda, secus verò pro furto.

Non valet, inquam; primò, quia Imperator in his verbis non accipit furtum circumstantionatum, sed simplex, & parvæ summæ; quomodo fur non posset censeri Malefactor: Ergo &c. Probatur hoc assumptum; nam his verbis, neque furtum refertur ad magnam quantitatem sublatam, neque ad personam, à qua res sublata est; neque ad locum, neque ad tempus, neque ad continuationem furandi; quæ circumstantiæ reddunt furem Malefactorem. Et idcirco subdit aliæ verba: *Qui violenter aggrediuntur &c.* per quæ pœna mortis damnat aggressores Malefactores. Secundò, non valet; quia Legislator oculus habuit ad parvam furti quantitatem, & ad primum furtum, non circumstantionatum illis circumstantiis supra relatis; sed dum conclusio loquitur de Malefactore puniendo pœna mortis, non intelligitur de eo, qui minimum furtum committit, & primum, non annexum illis circumstantiis: Ergo &c. Probatur hæc minor; nam si quis furatus esset quinque carolenos à persona magnam summam possidente, incedendo ad hanc personam sine armis, eamque non aggrediendo; quanquam fur gravi pœna puniri

niri deberet, ne ipse alia committeret in posterum furta; & ne alii ducatur ad istius exemplum ad furandum; tamen poena mortis non debet puniri (nisi Judex visa causa, & consideratis circumstantiis temporis, & loci, aliter iuste decerneret). Dixi attentis circumstantiis temporis; quia potest dari casus, quod eodem tempore multi existant ex his latrunculis, de quibus Judex potest dubitare, quod possit notabile damnum in Republica evenire, nisi aliquem ex his poena mortis damnet; quod iustissimum esset.

32 Probatur secundò. Quod est consonum Sacrae Scripturae auctoritatibus, licitum est; sed punire poena mortis Malefactores est consonum auctoritatibus Sacrae Scripturae: Ergo est licitum poena mortis punire Malefactores. Probatur minor ex Apost. 13. ad Roman. habetur: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi à Deo, quae autem suat à Deo, ordinata sunt*: Ergo &c. Probatur consequentia; nam per hanc auctoritatem deducitur, Deum dedisse Principibus potestatem in vindictam malorum, ut morti damnentur: Ergo ex hac auctoritate licitum est poena mortis punire Malefactores.

33 Confirmatur hoc: Ut Lex sit iusta damnandi Malefactores morte, poena à Legge lata debet culpa commensurari; sed culpa Malefactorum est morte digna: Ergo Lex lata de inferenda morte Malefactoribus est iusta. Probatur minor: culpa Malefactorum, si non esset morte digna, posset à Legge omitti, quod in magnum Republicae detrimentum cedit; sed hoc à Legge omitti non debet: Ergo &c. Probatur major: à Legge non debet omitti, quod Republica habeat viros infectos, ita ut nulla sit securitas iter agendi; merces de uno ad alium locum transferendi; & similia tute peragendi; sed quoties Malefactores hæc omnia impedirent, jam culpa eorum esset morte digna: Ergo &c.

#### Solvuntur objectiones.

34 **O**bjicies primò argumento Scoti in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. s. sed quis L. G. *Nulla Lex potest esse iusta, nisi quae descendit à Legge divina, sicut conclusiones practicae à principiis practicis; vel quae concordat Legi divinae; vel ad minus, quae non discordat*. Sed Lex humana damnandi Malefactores poena mortis, non concordat Legi divinae; imò ab ipsa discordat: Ergo non est iusta Lex damnandi Malefactores poena mortis. Prob. primò major, quæ est Scoti maxima desumpta est D. Aug. omnis humana Lex est Lex inferior; sed Lex inferior debet descendere à Legge divina, quæ est Lex superior; aliàs posset Lex humana dispensare in Legge divina: Ergo &c. Prob. minor: Lex inferior, ut sit iusta, regulari debet à Legge superiori, tanquam à

prima regula externa actuum humanorum; & si ab illa superiori Legge non derivatur; vel ab ea discordat, est Lex irregularis, & iniusta; cum homines per sepe fallantur: Ergo &c. Probatur nunc minor principalis: Lex damnans ad poenam mortis Malefactores, omninò discordat à Legge divina; sed quod discordat à Legge divina ab ea non descendit, ut conclusiones practicae à principiis practicis: Ergo &c. Probatur major: Lex divina præcipit *Non occides*; & ab hoc præcepto non excipitur occisionem circa Malefactores; sed quod à præcepto universali Legis divinae non excipitur, si fiat, omninò ab illa Legge discordat: Ergo &c.

Respondetur dicendo, quod ex hac Scoti doctrina ansam præbuerunt quidam Doctores Scotum calumniandi, tanquam authorem temerariae doctrinae, & in fide suspectæ. Quare, ut doctrina mei Præceptoris clarescat, & videatur consona Ecclesiae, Principum auctoritati, & Republicae utilitati, suppono, alium esse Malefactorem, & alium furem unius tenuissimi furti non circumstantionati, circumstantiis illis relatis num. 26. Malefactor est fur magnæ quantitatis; aggressor; vel Proscriptus; Rebellis, vel qui rem furatur (licet minimæ quantitatis) à loco Sacro; vel sit res Sacra; vel in Sanctissimi Corporis Christi associatione, quomodo furtum, estò sit tenue, tamen gravescit ex circumstantia irreverentiæ illatae tanto Sacramento. Hoc supposito, nunc

In forma nego minorem, & dum probatur nego majorem, ad cujus probationem dico, Legem illam divinam: *Non occides*, suam habere exceptionem. Sicuti ex præceptis Moyse datis ab hac universali Legge divina excipiebantur adulteri, blasphemus, homicidæ, sacrilegi &c; ita etiam ab eadem Legge divina universali excipiuntur Malefactores; nam cum Lex divina sit principium practicum, à quo derivatur Lex humana, si constat in scripturis ab illa Legge universali: *Non occides*, excipiendos esse adulteros, blasphemos &c. Multo magis Malefactores, qui majus damnum Republicae inferunt, quam adulteri, & blasphemus. Quod constat ex illo Exodi 22. *Maleficos ne patiatis vivere*. Ex illa doctrina Scoti non inferitur intentum adversariorum; cum ipse per Legem illam divinam: *Non occides*, non intenderit loqui absque ulla prorsus exceptione; cum jam ipse loco cit. dixerit, iustum esse adulterum, blasphemum, & homicidam puniri poena mortis: imò loquendo de Malefactore in licit. M. dicit: *Dico autem solo, quia si est fur. & cum hoc invasor, presumitur homicida*. Unde quia fur invasor est Malefactor, jam hic poena mortis puniendus est, Solùm igitur Scotus vult illa sua doctrina, non esse poena mortis damnandum furem pro solo furto, & quidem levi, absque ulla ex notatis circumstantiis: dum loco cit. ait: *Non video, quomodo Lex aliqua iusta*

ita possit statuere hominem occidi pro furto solo. In quo sensu jam furtum solum, non circumstantionatum, non facit furem Malefactorem.

Dices: Scotus loquitur de fure Malefactore: Ergo nulla responsio. Probatur antecedens; nam eodem loco cit. comparando Legem de puniendis blasphemis, adulteris &c. pœna mortis, ad Legem puniendi furem, ait, *Et hoc modo si statueretur ab aliquo, blasphemum, adulterum, idolatram &c. debere occidi, multò iustius ordinatur, quàm quod fur suspendatur.* Imò reprehendit Principes, qui furem pœna mortis damnant; qua pœna non puniunt blasphemum, adulterum &c. His verbis, *Sed patet, ad quid aspiciunt plus Principes, quia magis ad commodum temporale, quàm ad honorem Dei; & per hoc plus puniunt, & reprimere volunt peccata in proximum, quàm in Deum.* Ergo Scotus absolutè vult, Malefactorem non esse pœna mortis puniendum; ut commodum temporale Reipublicæ habeatur; Ergo &c.

Respondetur dicendo, hanc Doctoris subtilis doctrinam non esse de Malefactore intelligendam, sed de simplici fure solius furti, non circumstantionati, quomodo fur ipse, non posset titulum obtinere Malefactoris. Et dum loquitur, comparando Legem damnandi pœna mortis blasphemum, adulterum, & idolatram, ad Legem damnantem pœna mortis furem, non absolutè hanc secundam Legem reprehendit; sed dicit multò iustius esse, damnare pœna mortis adulterum, blasphemum, & idolatram, quàm furem; quia illi peccant contra Deum, iste contra proximum: & Principes magis attendere debent in puniendis peccatis contra Deum, quàm contra proximum; quia graviora sunt, & ex illis etiam detrimentum magnum inferitur Reipublicæ. Et idcirco Scotus dixit, quòd Principes plus attendunt ad commodum temporale, quàm ad honorem Dei. Neque intendit Scotus excludere Malefactores à iusta pœna mortis, eis infligenda ob crimina commissa, vel furta circumstantionata.

Dices: fur solius furti, non attentis circumstantiis gravantibus ipsum in materia furti, reddit furem Malefactorem: Ergo quoties per Scotum fur solius furti non iustè pœna mortis damnaretur, Malefactor non posset iustè pœna mortis puniri.

Respondetur, juxta dicta num. 26. negando antecedens. Fur nanque solius furti, & unius furti, vel parvæ quantitatis, non est censendus Malefactor; cum nullum afferat, nec Reipublicæ, nec particulari personæ detrimentum. Malefactor autem est talis propter detrimentum, quod bono publico affert, vel aggrediendo, & invadendo; vel à loco Sacro furando; vel alios ad furtum provocando; quomodo avis infesta diceretur, & Reipublicæ infestissimus; vel viatores, & mercatores impediendo, ne securè iter agant, & negociationes de una ad aliã

transferant Civitatem. Loquendo, inquam, de Malefactore iustè pœna mortis puniri debet; sed fur simplex, qui parvam furatus est summam à persona non indigente; nec à loco Sacro, nec alios provocando ad furtum, nec sit fur continuus, solitus in hac materia delinquere; non potest Malefactor censerì. Et ex hac diversitate evidenter constat, Scotum dum ait, furem non esse pœna mortis damnandum, non intellexisse de Malefactore, qui iusta Lege pœna mortis damnari debet; sed de fure unius simplicis furti, præcisa omni aggravante circumstantia. Quòd autem Scotus non reproba-verit communem opinionem de iusta Lege damnandi Malefactores pœna mortis, patet ex eo, quod ipse dicit in 4. dist. 36. q. 1. art. 1. his verbis: *Alio modo, si aliquis iustè dominans, videns aliquos ita vitiosos, quòd libertas eorum nocet eis, & Reipublicæ, potest iustè punire eos pœna servitutis, sicut, & iustè potest eos occidere in certis casibus propter bonum Reipublicæ.* Ex his apparet injusta calumnia Scoto illata.

35 Obijcies secundò. In tantum Malefactores essent puniendi pœna mortis, & quidem publica auctoritate, inquantum Reipublicam damnificant, eique magnum inferunt detrimentum; sed hæc ratio non valet: Ergo non possunt Malefactores publica auctoritate puniri. Probatur minor primò; quia si hæc ratio valeret, non solum militaret iusta mors contra eos publica auctoritate, sed etiam privata; sed non est licitum privata auctoritate occidere Malefactores: Ergo neque publica auctoritate. Probatur sequela: quia licitum est publica auctoritate occidere Rebelles, & proscriptos, ad tollendum detrimentum, & damnum Reipublicæ illatum, & inferendum; est etiam licitum ipsos occidere privata auctoritate: Ergo propter damnum vitandum in Reipublica, tam publica, quàm privata auctoritate esset licitum occidere Malefactores. Probatur secundò eadem minor principalis. Non est præferendum bonum Reipublicæ, præsertim quando est bonum fortunæ, bono vitæ, quòd immediate subest dominio Dei; Ergo quamvis Malefactores damnificent Reipublicam, eique detrimentum afferant, nihilominus non sunt pœna mortis puniendi.

Respondetur negando minorem; & dist. majorem probationis; sed etiam auctoritate privata, derivata à decreto Principis, concedo majorem; non derivata à decreto Principis, subdist. si hic esset simul Malefactor, & invasor vitæ, & bonorum, ita ut non posset sine invasoris occisione vitare damnum vitæ, & bonorum, etiam concedo majorem; si non est invasor, nego majorem, & eodem modo distingua minori, nego consequentiam. Dico igitur, multa fieri posse publica auctoritate, quæ fieri non permittuntur auctoritate privata; imò sunt omninò prohibita, Publica nanque auctoritate pœna mortis damnantur hæretici, malscu-



masculorum concubitores, fures incorrigibiles, homicidæ, & similes, quos Lex pœna mortis vult esse damnandos; & tamen hoc prohibitum est privata auctoritate. De Tyrannis, & hæreticis præsertim est definitum à Concilio Constantiensi, Colligitur hoc ex prima Petri 2. ubi habentur hæc expressa verba: *Servi subditi estote in timore Dominis, non tantum bonis, sed etiam dyscolis.* Multa etiam, quæ fiunt publica auctoritate, fieri possunt auctoritate privata, ut derivata à decreto Principis: ut occidere Proscriptos, Rebelles, & bonum publicum deturbantes, eique maximum detrimentum inferentes; & hæc privata auctoritas esset à publica derivata. In quo casu quælibet privata persona se haberet, ut Principis Minister. Vel tandem fieri potest auctoritate privata, quamvis nullum sic expressum Principis decretum, ut si esset in vasor, & aggressor vitæ occisoris, in quo casu, ut quæstione sequenti dicemus, licitum est etiam privata auctoritate, orta scilicet ex jure naturæ, occidere injustum in vasorem, si aliter damnum vitari non possit.

Ad secundam probationem minoris, negotio antecedens. Bonum nanque Reipublicæ, cum sit bonum commune, quocumque bono particulari præferendum est; aliàs non esset de jure naturæ licita defensio suorum bonorum ab injustis in vasoribus, qui accedunt ad Civitatem despoliandam, & ad bona Civium rapienda, simul vitæ ipsorum insidiando; quod omnino videtur esse falsum; nam tam jus naturale, quam civile permittit bonorum defensionem, potestatem cuicumque concedendo, ut aggressoribus, & in vasoribus vis inferatur. Et hoc faciunt Principes ad quietem, & utilitatem Civium.

Pro complemento hujus quæstionis quandam hic pono doctrinam à jure, tum communi, tum particulari deductam, ut cognoscatur, quando fur pro furto pœna mortis damnandus sit, & quando non. De lege communi Justinianæ Imper. loco supra cit. num. 30. fur pro simplici furto non debet mori; ut constat ex illis verbis *tex. Pro furto volumus omnino quodlibet membrum abscindi, sed aliter castigari.* Ex hac lege excipiuntur latrones famosi, & Malefactores; per alia verba ejusdem Imperatoris; *eos vero, qui violenter aggrediuntur, aut cum armis, aut sine armis in domibus, aut itineribus, aut in mari, pœnis eos legalibus subdijubemus.* Idem habetur *L. Capitalium §. famosus. ff. de pœnis.*

Pro fure continuo adest alia lex, pro ut refert Gloss. in L. 3. ubi statuitur pœna mortis furi in contumaciam, & proterviam delinquentium. Quod notatur ex Jul. Claro in L. prima. Hæc autem lex particularis est, & etiam supponit furem Malefactorem; quia fur continuus est.

Jure verò particulari hujus Regni, furti ul-

tra sex ducatos punitur morte: si sit infra sex ducatos, fustigatur fur, aut mittitur ad Tريمس: *cap. ad hoc, quo nostrorum &c.* Sed crebris furtis pullulantibus, etiam minimis, pœna mortis puniendus erit; quia tunc est fur continuus. Ita Farinacius *tit. de inquis. q. 2. nu. 15.* Qui furatur in via publica die, vel nocte, capite puniri debet; quia præsumitur in vasor. *Pragmatica 3. de furtis.* Hac etiam pœna punitur fur nocturnus, qui furatur in hac Civitate Neapolitana, vel in suburbiis, *Prag. 1. & 2. de furtis;* quia est fur nocturnus. Hæc doctrina est notanda ad cognoscendam differentiam inter simplicem forem unius minimi furti, & Malefactorem; & ad cognoscendum, quinam sit pœna mortis puniendus, & quinam pœna mortis non sit puniendus.

## QVÆSTIO QUINTA.

*An licitum sit, privata auctoritate, occidere injustum in vasorem suæ vitæ?*

**V**T clarius, & magis distinctè procedamus in hac materia, plura sunt notanda. Primò, sermonem in præsentem non esse de homicidio involuntario, & casuali, quod præter occisoris intentum evenit; ut si quis insequendo feram fugientem per sylvam, immitteret sclopi icum, vel sagittam in illam, & casualiter occideretur homo, per sylvam ipsam transiens, & ab occisore non visus; sed sermonem esse de voluntario homicidio patrato ex intentione occisoris, sive in personam ejus, quem occidit, sive in personam alterius: si Petrus nanque icum sclopi immitteret in Titium, putans occidere Cajum, jam voluntarium esset homicidium, quamvis Petrus non intenderet mortem Titii, sed mortem Caii; jam ergo secutum est homicidium in personam hominis occisi.

Secundò notandum est, nemini licere homicidium in personam propriam directè committere, sui mortem directè intendendo; cum solus Deus sit vitæ cujuscumque hominis Dominus. Quare nullus honestus titulus excusare potest homicidam sui ipsius ab homicidio. Indirectè autem potest dari aliquis honestus titulus excusans homicidam sui ipsius ab homicidio, ex sola Dei permissione; ut si in vindictâ honoris Dei, quis seipsum occideret; ut fecit Sampson, occidendo seipsum, & Philisthim sub atrio Templi, excutiendo columnas Templi tempore, quo in illo Gentes idola colebant: unde dixit: *Moriatur anima mea cum Philisthim.* Jud. 16. nam. 29. & 30. Et etiam de Sanctis Martyribus idem scribunt Patres. Vel etiam quando mors præter ejus intentionem evenit: ut si quis evadendo mortem tempore terræmotus, se proijceret per fenestram.

feneſtras , cum intentione ſalvandi ſuam vitam ; ex qua projectione ſequeretur mors ab occiſore non intenta. Hoc nanque communiffimum eſt apud omnes Doctores, & præſertim extra Doctores noſtræ Scholæ , idem ſentiunt Card. de Lugo, Filliuc. Layman, Leſſius, & alii. Quædam alia eſſent hic notanda , an ſcilicet irregularitatem incurrant occiſores , & membrorum mutilatores, tam præter intentionem, quàm data opera, vel propter infirmitatem? quæ videnda relinquo in ſecundo tomo, ubi agemus de cênſuris, Deo dante.

37 Quæſtione verò ſpectat ad præſentem quæſtionem, an liceat occidere privata autoritate injuſtum invaſorem? adverto, quòd injuſtus invaſor eſt ille , qui ſine rationabili cauſa aliũ armis invadit , vel directè ad illum occidendum, vel ad rem ſuam furandum, intentione illum occidendi, ſi reſiſtat; hic autem dicitur aggreſſor , & in ſacris litteris vocatur fur no-  
durnus. Invaſores nanque dici poſſunt , vel circa vitam tantum; vel circa vitam, & bona temporalia invali; vel circa vitam, & pudicitiam, aut honeſtatem ipſius , vel circa vitam, & honorem : vel tandem ſunt tantum invaſores bonorum, vel tantum pudicitiz , vel tantum honoris.

38 Quæſtio præſens tantum procedit de invaſore, & aggreſſore vitæ invali. In quo caſu, ut ſit licita occiſio invaſoris, debet eſſe cum moderamine inculpatæ tutelæ , ut determinavit Innoc. III. cap. ſignificasti 2. de homic. volunt. iueit, quando occiſor in conſcientia, & ſine dolo, & abſque odio, & vindicta invaſorem occidit, ad ſuam tuendam vitam, modò aliter illam ſalvare non poſſit ſine invaſoris morte. In caſu nanque, in quo poſſet aliunde ſuam vitam ſalvare , vel clamando , ut è manibus invaſoris liber evadat ; vel fugiendo , etiam ſi quamlibet acceperit contumeliam, tunc licitè non poſſet invaſorem occidere. Ultraquam quòd tunc moderamen inculpatæ tutelæ habet locum , quando eodem tempore invaſus occidit , quando aggreſſus eſt ; ſecus verò poſſet licitè id facere , elapſo illo tempore ; quia tunc potiùs vindictam ſumeret , aggreſſorem inlequendo, quàm ſe defenderet ; cum per fugam aggreſſoris ſupponatur invaſus jam poſitus in tuto . Et inſuper requiritur , quòd invaſor , & invaſus ſint cum æqualibus armis pugnaturi, nam ſi invaſor eſſet cum baculo, & invaſus cum enſe , tunc invaſus nequit licitè invaſorem occidere ; cum non ſit paritas in modo pugnandi. His itaque notatis, pro quæſtionis reſolutione

DICO, licitum eſſe privata autoritate occidere injuſtum invaſorem , & aggreſſorem vitæ, modò adſit moderamen inculpatæ tutelæ. Concluſio hæc eſt communiffima inter Doctores , & Juristas , & ſe extendit ad quacunque perſonas invaſas , ſive ſeculares, ſive eccleſiaſticas. Et

39 Probatur. Quod juribus permiſſum eſt , & per ſacros Canones non eſt prohibitum , licitum eſt ; ſed occidere injuſtum invaſorem , & aggreſſorem ſuæ vitæ, juribus naturali, & humano permiſſum eſt , & per ſacros Canones non eſt prohibitum ; & quidem adhibito moderamine inculpatæ tutelæ : Ergo licitum eſt occidere injuſtum invaſorem , & aggreſſorem ſuæ vitæ , ſi adſit moderamen inculpatæ tutelæ. Probatur minor: Jure naturali hoc notum eſt, *Vim vi repellas* ; quod etiam jura in cap. ſignificasti 2. de homicidio , & in cap. ſi verò 1. de ſent. excomm. tenent, & approbant; & aliunde ad hoc nulla eſt per ſacros Canones prohibitio ; Sed quoties eſt permiſſum per jura repellere per vim facientem vim, ſi violentia fiat ab injuſto invaſore volente occidere , tunc ab invaſo etiam per occiſionem expelli poteſt vis invaſoris : Ergo adhibito moderamine inculpatæ tutelæ , occidere in vaſorem injuſtum juribus permiſſum eſt, & per ſacros Canones minime prohibitum.

Confirmatur; nam huiusmodi limitatio ab Innoc. III. facta de moderamine inculpatæ tutelæ eſt ad declarandum, invaſum non poſſe aliter ſuam vitam ſalvare ſine morte invaſoris ; & quod in occiſione invaſoris primò intendat ſuæ vitæ deſenſionem, & non mortem invaſi ; & tandem ad removendum homicidium ex odio , & vindicta ; ſed quoties hæc omnia ſalvantur , juxta Pontificis declarationem, actio illa occidendi injuſtum invaſorem, eſt licita : Ergo ſervato moderamine inculpatæ tutelæ , poteſt licitè invaſus occidere invaſorem injuſtum ad propriam vitam tuendam.

*Solvuntur Objectiones.*

40 **O** Bicies primò, Intantum poſſet licitè occidi injuſtus invaſor privata autoritate, quando aggreſſitur vitam alterius, in quantum lege naturæ tenemur vim vi repellere; ſed lex naturalis non eſt intelligenda de occiſione injuſti invaſoris propriæ vitæ: Ergo non eſt licitum privata autoritate occidere injuſtum invaſorem ſuæ vitæ. Major eſt fundamentum concluſionis . Probatur minor primò: illa lex naturalis eſt intelligenda de violentia expulſiva , ſe tuendi alio modo, abſque periculo mortis, ad ſummum mutilando membrum aliquod invaſoris, ut ſit invaſus propriæ vitæ ſecuturus : Ergo non eſt intelligenda de violentia, qua inferatur mors invaſori , ut ponat invaſus in tuto vitam ſuam. Probatur ſecundo eadem minor: nulla lex naturalis diſpenſare poteſt in lege divina; ſed lex divina præcipit Exod. 22. *Non occides* : Ergo lex naturalis nequit in hac lege divina diſpenſare ; Ergo quamvis lex humana præciperet, vim vi repellere , quia tamen contrariatur legi divinæ , non poteſt licitè occidi invaſor injuſtus ſuæ vitæ .

Re-

Respondetur dist. minorem: non est intelligenda de occisione injusti inuasoris propriæ vitæ, quando inuasus potest aliunde periculum suæ vitæ vitare, & se ponere in tuto, concedo minorem: si nullo modo potest periculum suæ propriæ vitæ vitare absque morte inuasoris, & etiam servatis conditionibus requisitis ad moderamen inculpatæ tutelæ, nego minorem, & consequentiam. Verum est, quòd quando inuasus potest aliunde, quàm per mortem injusti inuasoris, vitare suam mortem, tunc non potest inuasorem suæ vitæ licitè occidere: ut si posset clamando habere statim vicinorum auxilium, vel fugere, ponendo se in tuto: vel ad summum ( ut præterdit arguens ) mutilare membrum aliquod inuasoris, ex cujus mutilatione posset inuasus fugere, & se ponere in tuto. At quando nullo ex his modis posset inuasus vitare suam mortem, tunc adhibito moderamine inculpatæ tutelæ, existimans prudenter, non posse alio modo suam vitam salvare, quàm per mortem inuasoris, licitum esset in vaso occidere inuasorem. Et ita lex illa naturalis dicitur *vim vi repellas*, etiam est intelligenda de morte inuasoris, quando aliter vita in vasi salvari non possit. Ad secundam probationem minoris principalis dico, legem iliam naturalem non discordare à lege divina præcipiente, *Non occides*; cum in eodem capite Exod. excipiantur plures casus, quibus licitum sit occidere, præsertim de blasphemo, de adultero, & similibus; sicut etiam de fure nocturno, & aggressore; ubi de aggressore sacer textus ita loquitur: *Si effringens fur domum, sive suffodiens inventus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non esset reus sanguinis*. Ex quibus verbis clarè constat, quòd si lex divina per Moysen promulgata, & per Evangelicam legem, & sacros Canones non moderata, nec interdicta, & prohibita permittit, furem inuasorem, seu aggressorem occidi, & quòd qui occiderit, non sit reus sanguinis; & aliunde hoc ipsum lex naturalis dicit; signum est, quòd lex naturalis non discordat à divina; adeoque &c.

Dices, ex illa lege Exodi 22. ad summum sequi, licitam esse occisionem inuasoris, & aggressoris publica autoritate, non verò privata; cum nemo possit esse Judex in propria causa: Ergo semper stat, quòd ut lex naturalis concordet cum lege divina in illo præcepto non occidendi, non debet propria autoritate privata inuasus occidere injustum inuasorem suæ vitæ.

Respondetur dicendo, assumptum esse falsum, juxta sensum nostri asserti: quare tunc nemo potest esse Judex in propria causa, quando habet locum, sine suæ vitæ periculo, Judicem adire, ut inuasorem injustum compellat, & juxta leges puniat illum. At quando est evidenti suæ mortis periculo, non video, quo-

modo possit apud Judicem compellere inuasorem, nisi apud Judicem divinum post ejus mortem non minus, ac fecit sanguis Abel injustè occisi à fratre suo Caino, qui clamabat ad dominum. Tunc ergo non est licitum in vaso, propria autoritate alium occidere, quando locum, & tempus habet compellendi inuasorem apud Judicem: sed in casu nostro præsumitur inuasus in periculo suæ mortis, nisi sua manu inuasorem occidat. Et quia à lege naturæ concessa est hæc privata autoritas, & per publicam, & positivam non est prohibita, imò admittitur, ut colligitur ex ipsis verbis citatæ scripturæ, ubi dicitur: *Sive suffodiens inventus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit*: ubi apparet, quòd loquitur de privata autoritate; ideo concludendum est, quòd nedum publica, sed etiam privata autoritate, licitum sit occidere injustum inuasorem.

41 Obijcies secundò. Non est licitum id, quod est contra præceptum charitatis; sed occidere propria autoritate injustum inuasorem est contra præceptum charitatis: Ergo hujusmodi occisio, etiam ad propriam vitam tuendam, non est licita. Probatur minor: præceptum charitatis obligamur diligere offensorem, & prohibemur vindictam sumere contra ipsum, juxta illud Mat. 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*. Sed injustus inuasor est inimicus, quia vim infert contra inuasum: Ergo illum potius tenemur diligere, quàm occidere.

Deinde hæc assertio est contra Divum Augustinum lib. 1. de lib. arb. cap. 5. ubi loquens de licita occisione inuasoris, ait: *Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, sed quo pacto istos defendam, non invenio*. Ex qua doctrina deducitur, non inveniri rationem defendendi legem, qua permittitur occisio inuasoris ab in vaso: Ergo si nulla invenitur talis ratio, non est dicendum, nec asserendum contra relatam Sanctum Doctorem, licitum esse, & quidem privata autoritate, occidere injustum inuasorem.

Respondetur ad primum dist. majorem: non est licitum, quod est contra præceptum charitatis, si directè intendatur actio contra charitatem, concedo majorem: si non directè, sed tantum per accidens intendatur actio contra charitatem, nego majorem; & dist. minorem: sed occidere injustum inuasorem cum directa intentione faciendi actionem contra charitatem &c. concedo minorem: tantum cum indirecta intentione, & per accidens. nego minorem, & consequentiam. Utique verum est, quòd in pugna inter inuasorem, & in vasum, si in vasus directè intenderet occisionem inuasoris, & non propriæ vitæ defensionem, peccaret contra præceptum charitatis, quo præcipitur dilectio offensoris, potius ei parcendo, quàm occidendo; imò etiam peccaret contra justitiam ex damno, quod sequeretur.

retur ex illa occisione: at in hoc casu non præsumitur, in vasum adhibere moderamen inculpatæ tutelæ, sed potius, quòd moveatur ex odio, & vindicta. At quando directè intendit suam defensionem, & suæ vitæ securitatem, quæ vita sine in vasoris occisione salvari non posset, estò indirectè, & secundariò intendat mortem, & damnum in vasoris, non per hoc dicitur facere actionem cõtra charitatis præceptum; nec contra iustitiam, cum supponamus actionem defensionis suæ vitæ esse licitam, & malum inde secutum, non fuit per se, & directè ab in vaso intentum, sed potius tale damnum ab ipso in vase fuit causatum.

Dices: Ergo saltem in vasus peccaret contra charitatem; quia per talem occisionem in vasoris periclitaretur salus æterna ipsius in vasoris; cum supponatur esse in peccato mortali; sed quilibet cum quocunque incommodo suæ vitæ tenetur procurare æternam salutem proximi: Ergo stante tali periculo, non est licitum in vasorem occidere, etiam si adesset moderamen inculpatæ tutelæ.

Respondetur dicendo, quòd non ex culpa in vasi periclitaretur æterna salus in vasoris, si invadendo remaneret mortuus, absque condigna pœnitentia; sed ex culpa sua; cum injustè se exposuit periculo perdendi vitam, & animam: quod prudenti, & christiano consilio facere non debebat. Quapropter occidens ad suæ vitæ defensionem, non tenetur pro anima illius magis, quàm pro anima sua, si in vasus permitteret sui occisionem, dum illam evadere non posset alio medio ex supra relatis: & quia magis unusquisque tenetur pro sua vita, (præsertim quando etiam potest esse periculum æternæ salutis, si in vasus esset in culpa mortali, & non haberet locum eliciendi actum pœnitentiæ) quàm pro æterna salute iniusti in vasoris, ideo non peccaret occisor contra charitatem, si in vasorem, modo supra explicato, occideret. Quòd patet ex communi adagio: *Prima charitas incipit à seipso*. Minor illius argumenti non est intelligenda de in vaso, qui nullam spem habere posset salvandi suam vitam, sed est intelligenda universaliter de Confessariis, tempore morbi contagiosi, & pestis; qui exponere debent vitam propriam periculo, ne illi, qui peste, & morbo laborant, per Sacramentorum carentiam, perdant æternam salutem; nam isti ultraquam quòd ex officio tenentur, & ex charitate erga proximum, possunt etiam vitam propriam salvare; vel si vita eorum periclitaretur, non esset ex culpa infirmi, qui intenderet salutem suam æternam.

42 Respondetur ad secundum dicendo, Dignum Augustinum non invenisse rationem defendendi eum, qui privata autoritate occidit in vasorem iniustum, quando in vasus posset alio modo mortem suam vitare, vel fugiendo, vel invocando auxilium opportunum, vel ipsum in vasorem viuum capiendo; vel ad sum-

um ipsum mutilando; vel aliquid aliud facièndo, ut suam vitam ponat in tuto: quia in tali casu leges, si aliter determinassent, non esset licitum occidere iniustum in vasorem. Non verò Augustinus loquitur de in vasoris occisione, quando in vasus nullo modo vitam suam salvare posset, sine morte in vasoris, quo modo invenitur ratio fundata in illa lege, scilicet: *vim vi repellas*, excusans occisorem, & reddens actionem licitam.

43 Pro casuum conscientie resolutione plura referam. Primò, id quod dictum est in decisione quæstionis, posse licitè ab in vaso occidi iniustum in vasorem, quando in vasus, neque per fugam, neque per auxilium alterius, neque per mutilationem alicujus membri ipsius in vasoris, vitam suam salvare potest: quomodo adhiberetur moderamen inculpatæ tutelæ.

Quapropter si in vasus, per solam percussione, vel levem, vel gravem, se ab in vase defenderet, tunc non posset licitè in vasorem occidere; imò si illum occideret, ne dum peccaret, sed teneretur ad restitutionem. Ratio est, quia tunc occisor non præsumitur habere certitudinem de licita occisione iniusti in vasoris; imò potius haberet certitudinem de opposito; cum non posset defendi de moderamine inculpatæ tutelæ: quod non eveniret in casu, quo nullo ex his assignatis modis posset se defendere, & vitam suam in tuto ponere. Dixi etiam, quòd tunc occisor peccaret, & ad damni restitutionem teneretur; quia quando potest suam vitam salvare, & occidit, est in culpa, quæ ultraquam sit peccaminosa, obligat ad restitutionem.

Secundò: nequit in vasus occidere in vasorem ex odio, & vindicta, intendendo directè mortem in vasoris propter odium; sed tantum debet directè intendere suæ vitæ defensionem, ad salvandum moderamen inculpatæ tutelæ. Ratio est, quia actio ex odio, & vindicta, cum sit peccaminosa, est illicita.

Tertiò: si in vasus accepit jam vulnus, ei non licet insequi in vasorem animo occidendi. Ratio est; tum quia non faceret tunc lex pro eo, dicens *vim vi repellas*, quia jam actus est completus ex inflictione vulneris: tum etiam, quia in vasus posuit vitam suam in tuto; tum tandem quia, insequi percussorem, est moveri, non ad vitam defendendam, sed ad vulnus vindicandum: quod non est licitum; imò à Deo prohibita est actio vindictæ.

44 PETES PRIMO. An ex motivo charitatis possit in vasus permittere, ut potius occidatur ab in vase, quàm ipsum occidat; & in quibus casibus possit hoc evenire?

Respondetur dicendo, quòd quando in vasor est Pater in vasi, vel superior, vel Princeps, & in vasus sit filius, vel subditus, & vassallus, tunc quamvis in vaso sit licitum in vasorem occidere, (modò ad sit moderamen inculpatæ tutelæ); & hoc quidem licitum sit communi

jure naturæ, tam laicis, quàm ecclesiasticis; tam contra personas privatas, quàm contra, in vasores superiores; potest tamen in vasus cedere juri suo, & ex charitate moveri ad relinquendum viuum patrem, vel Superiorem, vel Principem. Ratio est, primò, quia quilibet cedere potest juri suo, quod habet ad suam vitam tuendam. Secundò, quia, cum Patrem teneamur præcepto Dei honorare, Superiori præcepto obedientiæ obedire; & Princeps sit magis necessarius Reipublicæ, quàm persona privata; ideo ex tali motivo orto ex charitate, potest in vasus, permittere potiùs suam occisionem, quàm defensionem, ex qua inevitabiliter sequi posset mors in vasoris. Excipiendus videtur casus, quo in vasus reperiatur in mortali. At adverto, quòd in his casibus non tenetur in vasus cedere, ita ut oppositum non sit ei licitum; nam si vellet se defendere contra istos, licitum esset in vaso hoc facere, juxta ea, quæ usque nunc dicta sunt.

- 45 *PETES SECVNDO*. *An sicuti potest in vasus suam vitam defendere cum occisione in vasoris, ita possit licitè hoc ipsum præstari ab alio in defensionem vitæ in vasi?*

Respondetur dicendo, quòd quoties vita in vasi esset in certo periculo, ut illam nullatenus vitare posset, & sua defensio, ob armorum carentiam, vel vitium imbecillitatem, ab ipso in vaso præstari non posset; tunc alter, qui esset spectator talis invasionis, posset licitè in vasorem occidere, ad defensionem in vasi; etiam si nullum sit periculum vitæ illius, qui defendendo in vasum, occidit in vasorem. Sit exemplum. Titius invadat Cajum armis bellicis; Cajus sit in periculo evidenti suæ vitæ; vel quia armis defensivis caret, vel ob nimiam suam imbecillitatem, vel timiditatem. Sit præsens Petrus huic invasioni: hic videns periculum vitæ Caii, potest Titium in vasorem occidere, quamvis nullum sit vitæ ipsius Petri periculum. Ratio hujus resolutionis est; primò, quia occisio in vasoris cedit in bonum Reipublicæ, ad salvandam vitam innocentis: tum etiam quia ex charitate tenemur diligere proximum, illumque tueri, & ei auxilium præbere, præsertim quando innocens est, ut supponimus de in vaso ab injusto in vase. Quando namque duo sunt sub æquali præcepto, si non potest salvari utrunque, salvari debet innocens cum periculo noxi; sed in casu in vasus est innocens, in vasor est noxius; & unus, vel alter debet in pugna mori: Ergo si tertius, cum quo non est pugna, nequit utrunque salvare, potest licitè salvare in vasum innocentem, & occidere injustum in vasorem.

## QVÆSTIO SEXTA.

*An licitum sit privata autoritate occidere injustum in vasorem suorum honorum, ac etiam castitatis, & pudicitie?*

**H**Æc quæstio, quantum ad primam partem, non procedit de in vase justo nostrorum honorum, ut esset ille, qui extrema necessitate laborat, cui in tali necessitate licitum esset furari, ut infra dicemus; quia tunc bona in vasi potiùs dicerentur communia, quàm propria; & unusquisque tenetur de bonis suis proximo subvenire tali extrema necessitate laboranti. Ubi adverto, quòd extrema necessitas est illa, quam quis patitur, non habens omninò necessaria ad suæ vitæ sustentationem, ratione cujus necessitatis est in evidenti periculo, vel mortis, vel gravis morbi: necessitas verò gravis est illa, quam quis patitur solùm ob carentiam eorum, quæ necessaria sunt ad suum statum conservandum; unde fit, quòd illicitum esset, si in gravi necessitate quis furtum committeret: quapropter contra aliquos Doctores zelo motus, damnavit hanc propositionem Innocentius XI. num. 36. *Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi*; de qua in sequenti disputatione erit sermo. Circa eandem materiam notandæ erunt aliæ propositiones ab eodem Pontificem damnatæ.

- 46 Procedit ergo quæstio de in vase injusto. Et circa id, quod quæritur in præsentibus, sunt aliæ propositiones damnatæ ab eodem Pontifice. Prima ex num. 31. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. Secunda ex num. 32. Non solùm licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus. Tertia desumpta ex num. 33. Licitum est tam heredi, quàm Legatario contra injustè impediens, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam, contra eorum possessionem injustè impediens.* (Intellige hic etiam de defensione occisiva) nam alia defensione juridica coram Judice, non videtur prohibere Pontifex, ne quis possit licitè se defendere.

- 47 Pro exacta intelligentia primæ propositionis ex num. 31, adverto, quòd furtum unius aurei debet esse factum personæ habenti magnam facultatem, comparatione cujus unus aureus est tenuis, & minimi valoris; in quo casu nequit fur licitè occidi, imò horrenda esset hujusmodi occisio pro moneta ita exigui valoris, quando ex summa maxima demeretur.

tur. Quòd si fiat personæ non habenti aliam summam, & illum aureum apud se retineret pro suæ vitæ alimento, tunc propositio in hoc sensu non diceretur damnata, præsertim si dominus illius aurei non haberet, unde posset vivere. Ita sentit Pater Cardenas plures citans Doctores. Ubi ego addo, quòd si fur unius aurei sit simul inuasor, & pecuniæ, & vitæ: ratione hujus notabilis circumstantiæ, posset sic inuasus simul aureum illum, & suam vitam tueri cum morte inuasoris, quando aliunde non posset vitam salvare: si nanque posset vitam salvare, fugiendo, deberet aureum illum relinquere, & inuasorem non occidere. Sit Titius inuasor, qui accedens ad Cajum dicat, da mihi unum aureum, aliter te interficiam, teneretur Cajus, si sine illo aureo comode, & juxta suum statum vivere posset, dare Titio inuasori aureum illum, & non occidere Titium: at in casu, quo Cajus non posset suam vitam salvare, nec aureum, posset licite Titium occidere: nam tunc non diceretur occidere Titium pro illo uno aureo conservando, sed potius pro sua vita tuenda.

48 Rursus, pro recta intelligentia secundæ, & tertię propositionis ex num. 32., & 33., adverto occisionem alicujus tunc esse licitam, quando actu jus habemus ad aliquod justè tuendum, ex quo oritur evidentia inculpatæ tutelæ: ea nanque, quæ actu possidemus, ut sunt vitæ, & bona nostra, ad quæ jus in re habemus, stant sub jure nostro certo, & actuali; & sic potest adhiberi moderamen inculpatæ tutelæ. Illa verò, quæ actu non possidemus, sed tantùm speramus, vel jus inchoatum habemus, sive per legatum, sive per hæreditatem; vel sit jus ad rem pecuniariam, vel ad cathedram, vel præbendam, nõ stant sub jure actuali possessivo, ex quo possit oriri evidentia moderaminis inculpatæ tutelæ: & ideo hæc posteriora bona tueri debent jure publico, non jure privato; nec ista bona prævalere possunt bono vitæ impediens injustè. His notatis, pro intelligentia primæ partis quæstionis de defensione bonorum, quæ actu possidemus, adverto, ut quis possit licite se defendere ab inuasore suorum bonorum, etiam cum inuasoris occisione, tria esse necessaria: primum, ut res surrepta sit notabilis pro statu honesto invasi conservando, ita ut cedat in maximum, vel magnū detrimentū sustentationis vitæ illius personæ invasæ, & suæ familiæ. Secundum, quòd non possit inuasus rem suam recuperare alia via, & medio; scilicet ipsum inuasorem viuum capiendo, vel insequendo fugientem, ut ab alijs capiatur.

Tertium tandem, ut nullum intercedat tempus, sed fiat in instanti, in quo inuasor bona sua accipit, & surripit violenter. Hæc omnia sunt necessaria ad constituendum moderamen inculpatæ tutelæ, & ponendam evidentiam ipsius moderaminis.

49 Quantum verò spectat ad secundam quæstionis partem, noto, mulieri non licere se occidere ad suam tuendam honestatem, castitatem, & pudicitiam, estò vis ab iniquo inuasore inferatur ad tales virtutes commaculandas, posse tamen licite se defendere: et si non posset aliunde vitare periculum suæ honestatis, & pudicitie, nisi cum morte inuasoris, posset etiam inuasorem occidere, ut probabimus; quòd si illa hoc facere non posset, non diceretur ejus pudicitia violata, suum non præbendo consentum violationi: ut patet de eo, quod dixit Beata Lucia. Nihilominus D. Hieronymus, & Ambrosius laudant mulieres illas, quæ ad suas castitatem, & pudicitiam tuendas, seipsas occidunt, ut refert Aretinus noster; si hoc nanque faciunt, honorem Dei directè intendendo, nulli dubium est; & ego hoc ipsum affirmo; si verò id faciant, intendendo directè propriam mortem, tunc non possunt seipsas occidere, ut dixi in initio præteritæ quæstionis. Sola difficultas itaque remanet solvenda, si posset licite inuasorem suæ pudicitie occidere, quando aliunde non posset illam salvare. Et pro utriusque difficultatis resolutione

*DICO*, licitum esse occidere injustum inuasorem bonorum notabilium, vel quæ necessaria sunt pro vitæ sustentatione, & suæ familiæ; etiam si inuasor non sit inuasor vitæ simul, & bonorum; modò adsit moderamen inculpatæ tutelæ. Et etiam est licitum occidere injustum inuasorem suæ pudicitie, & castitatis, quando aliunde hoc vitari non potest: & utrunque esse licitum privata auctoritate. Conclusio quò ad utranque partem est communissima (Vulpio ex nostris, & paucis alijs exceptis). Et

50 Probatur prima pars: bona, quæ sunt necessaria ad nostræ vitæ, & status sustentationem, & etiam propriæ familiæ, cui tenemur alimentum præbere, sunt media necessaria, sine quibus vita nostra, & nostræ familiæ sustentari non posset; sed cum moderamine inculpatæ tutelæ licitum est defendere, etiam cum morte inuasoris, ea, quæ spectant ad nostræ vitæ, & propriæ familiæ sustentationem: Ergo licitum est occidere injustum inuasorem nostrorum bonorum, quæ necessaria sunt pro vitæ, & familiæ sustentatione. Major ita intelligenda est, ad salvandum moderamen inculpatæ tutelæ, quòd scilicet ex tali invasione bonorum, non periclitetur status, & sustentatio vitæ invasi, & familiæ ejus; nam si etiam comode, & juxta suum statum inuasus posset vivere, & suam sustentare familiam, etiam si major summa, quàm unius aurei ei auferatur ab injusto inuasore, non posset tunc licite hunc occidere, dummodò posset majorem summam, & suam vitam salvare; ex qua majori summa statum suum conservaret. Probatur nunc minor principalis, primò ex illo



**Exod. 22. Si offringens fur domum, sive suffodiens inventus fuerit, & accepto vulnere mortuus, percussor non erit reus Sanguinis. Ubi scriptura loquitur de fure aggressore bonorum.**

Secundò, ex ratione belli iusti, quod evenit in defensione bonorum, quæ ad nostram commoditatem necessaria sunt, & ad quæ jus habemus, ut vim invalorum vi repellamus.

Tertiò tandem minor principalis probatur; quia nemini licitum est fame perire; neque ob paupertatem, in quam certò incurreret ex damno ei illato, est licitum ipsi furari: mulieris, sororis, & filiarum honestatem vendere &c. sed hæc omnia licita essent, si occisione injusti invaloris non esset licitum nostra bona tueri, quæ ad vitæ, & status, ac familiæ sustentationem sunt necessaria: Ergo &c. Probatur minor: quando ex actione illicita sequitur aliqua alia actio necessariò facienda, tunc secunda actio, si est ad vitæ sustentationem, est licita; sed illæ supradictæ actiones necessariò sequerentur, ut vita sustentetur: Ergo quoties quis non posset occisione invaloris sua bona tueri, quia ex permissione deperdendi sua, sequerentur illæ aliæ actiones, tunc illæ licitè fieri possent. Sed hoc à nemine conceditur: Ergo dicendum est, quòd adhibito moderamine inculpatæ tutelæ, possit invaluus occidere invaluorem suorum bonorum, & quidè necessariorum ad vitæ sustentationem, & propriæ familiæ, ac status.

Dixi in conclusione, etiamsi invaluus non sit talis circa vitam invaluus. Primò, quia in præterita quæstione satis constat, invaluorem vitæ posse licitè occidi privata authoritate, quando vita invaluus nequeat alio modo tueri. Secundò, quia invaluus bonorum, ut plurimum incedit cum armis ad invadendum, ut possit se defendere, & simul offendere dominum, vel custodes, vel quascunque personas ipsum impediens ad rapinam faciendam, & vim eis impellendam. At si tantum esset invaluus bonorum, & non vitæ, etiam certò existimans, nullum ei periculum vitæ extare, sed tantum evidentiam habeat ipse invaluus de deperditione necessarij ad vitæ sustentationem, & suæ familiæ; tenetur sua vi repellere vim invaloris, insequendo illum usque dum, vel rem suam recuperet; vel si certus sit non posse alio modo illam recuperare, posset invaluorem occidere. Hic casus de invaluore bonorum alterius rarus est sine armis offensivis; quia invaluus semper judicat, rem esse in alterius custodiam: & quamvis ejusdem invaloris intentio tantum esset de furto patrando, tamen hujusmodi intentio se extendit ad offendendum, & violentiam inferendam, si vi domini rei repellatur. Ut accedit Titius in domum Caii animo furandi, aut rapiendi bona ipsius, & quidem accedit armatus, ut si Cajus ei resistat, arma contra Cajum impu-

gnet: Cajus tunc videns Titium rapientem, bona sua, impugnat arma contra Titium (supponitur hic non posse aliunde bona sua tueri) Titius tunc etiam arma sua contra Cajum impugnat. Talis pugna incipit à rapienda re Caii, & prosequitur ad invadendum vitam ipsius; & tunc (ut dixi in præterita quæstione) poterit Cajus occidere Titium licitè, nedum pro sua re tuenda, sed etiam pro tuenda vita.

51 Probatur nunc secunda pars: Invaluus pudicitæ, & castitatis alicujus puellæ est talis, vim inferendo in illam puellam; sed omnia jura permittunt, vim vi repellere, modò ad hoc moderamen inculpatæ tutelæ, quando scilicet, nullo alio modo castitas, & pudicitia salvari possunt: Ergo licitum est invaluorem pudicitæ, & castitatis occidere, quando aliunde salvari non possunt. Probatur minor: quod jura permittunt Clericis, non est denegandum, imò magis permittendum secularibus, præsertim in materia defensionis honestatis; sed jura permittunt Clericis, ad tuendam honestatem, quòd possunt licitè invaluorem occidere: Ergo &c. Probatur minor; nam *ut vim, ff. de Just. & Jure, & cap. si verò 1. de sent. excom. habetur: Si verò Clericum vim sibi inferentem, vi quis repellat, vel ladat, non debet propter hoc ad Sedem Apostolicam transmitti, si in continenti vim vi repellat. Cum vim vi repellere, omnes leges, omniaque jura permittant. Ex quibus verbis constat, quòd si Clericus sit per vim invaluus, quocunque invasionis genere (nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus) & consequenter invaluus circa castitatem, quam non nisi per invaloris mortem possit defendere: potest uti illa lege, vim vi repellas, absq; culpa, & punitione per Sedem Apostolicam infligenda: modò occidat invaluorem incontinenti, hoc est in ipso actu invasionis, ut expressè dicitur in textu, & nos adnotavimus num. 48.*

Confirmatur hoc: unicuique est licitum vi repellere aggressorem suæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando nullo alio medio potest vitam suam salvare: Ergo etiam licitum est vi repellere aggressorem suæ honestatis, & pudicitæ. Probatur consequentia: In tantum primum est licitum cum moderamine inculpatæ tutelæ, inquantum jus naturale habemus ad nostram vitam salvandam, & conservandam; sed etiam jus naturale habemus ad conservandam pudicitiam, & honestatem: Ergo &c. Probatur minor: ad ea, quæ sunt præcepta, ut serventur à nobis; quorum ommissio, & commissio sunt contra legem Dei, & ejusdem honorem, Jus habemus ad illa conservanda; sed honestas, & pudicitia sunt à Deo præceptæ, ut conserventur, & earum ommissio est contra legem Dei, & contra ejusdem honorem; nam sexto Decalogi præcepto prohibet: *Non machaberis. Ex cujus præce-*

præcepto vult, unumquemque conservare se, immunem à culpa carnali; & insuper suam tuentem honestatem, & pudicitiam: Ergo &c.

Confirmatur iterum: potest accidere casus, quod puella, vel puer (in vitio sodomitico) sint invasi cum animo, ut resistentibus ipsis, eorum vita periclitetur; sed posito periculo vitæ cum invasione pudicitæ, & castitatis, licitum est, ad utranque conservandam, occidere invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ: Ergo &c. Exemplifico hoc: Titius invadat Bertam animo eam deflorandi, accipiat eam violenter; hæc recuset consensum præbere, & nequeat fugere, nec clamare; habeatque Berta ferrum in manu sua; cum quo percutit Titium invasorem suæ pudicitæ, & hic alium impugnet ferrum contra Bertam: tunc licitum esset Bertæ occidere Titium, ad simul tuendam vitam, & honestatem. Vel aliter propono casum. Invadat Titius Bertam, ipsique dicat, vel habeas mecum copulam carnalem, vel si recuses, te interficiam; quia tunc Berta evidentiæ habet de periculo vitæ, si recuset habere copulam cum Titio; vel si consentiat, habet evidentiæ amittendi pudicitiam, tunc ad unam, & alteram salvandam, licitum est Bertæ, Titium invasorem occidere.

*Solvuntur objectiones.*

52 **O** Bijcies primò contra primam partem, probando, non esse licitum occidere injustum invasorem bonorum. Est contra præceptum diligendi proximum, postponere vitam proximi bonis nostris temporalibus: Ergo pro defensione nostrorum bonorum temporalium non est licitum occidere proximum, quamvis sit injustus invasor eorum, dummodò non sit invasor vitæ. Probatur antecedens: si proximus est præcepto Dei diligendus, tenemur ei subvenire in suis necessitatibus: Ergo si proximus, quamvis sit invasor, rapit bona nostra, non possumus pro istis defendendis, vitam à proximo, qui sit invasor, auferre per necem, & quidem propria autoritate.

Deinde: si hæc sententia valeret, & esset juxta legem non prohibentem talem occisionem, non solum militaret pro secularibus, sed etiam pro Clericis, & omnibus personis Ecclesiasticis; sed illis non est concessum occidere injustum invasorem suorum bonorum: Ergo universaliter licitum non est occidere injustum invasorem suorum bonorum. Probatur primò major: quia lex permittens talem occisionem, propria autoritate est ad conservandum necessariam statui proprio, quibus indigemus pro nostræ vitæ, & familiæ sustentatione: Ergo etiam Ecclesiastici pro sustentatione vitæ, & status, possent licitè invasorem suorum bonorum occidere. Probatur nunc minor: ex cap:

*Suscipimus, de homicidio: habentur hæc verba: Satius est, post tunicam relinquere pallium, quam pro rebus transitoris, tam acerbè in alium exardescere. Ubi inhibetur Clericis, & quibuscunque personis Ecclesiasticis pro rebus temporalibus, quæ transitoria sunt, occidere injustum invasorem: Ergo &c.*

Respondetur ad primum dist, antecedens: est contra &c. si proximus est in necessitate, & bona nostra accipit sine invasione injusta, concedo antecedens: si non est in tali necessitate, & ea accipit cum injusta invasione, nego antecedens, & consequentiam. Præceptum nanque diligendi proximum tunc urget ad non postponendam vitam proximi rebus nostris temporalibus, & ad illi succurrendum, nedum ex charitate, sed quandoque ex justitia; quando proximus est in necessitate, quæ si extrema est, licet ei aliena surripere, absque obligatione restituendi; nedum quia tunc bona nostra sunt communia proximo extremè indigenti; sed etiam quia non præsumitur invasor, & aggressor nostrorum bonorum injustus, sed ad summum præsumitur invasor justus; in quo casu nobis licitum non est tueri defensione occisiva bona nostra. At nos supponimus, invasorem occidendum licitè pro defensione nostrorum bonorum, esse invasorem injustum, qui non ex necessitate movetur ad bona nostra surripienda, sed ex nequitia. Quare argumentum falsum supponit; supponit nanque proximum, cujus vita postponitur bonis nostris temporalibus, esse invasorem justum, qui moveatur ad nostra bona rapienda ex solo motivo necessitatis, quod est falsum; cum nos loquamur de injusto invasore, præsertim quando armatus incedit; nam si sine armis inaccessisset, tunc posset dominus illum ad summum percutere, vel membrum aliquod mutilare. Quando verò armatus incedit, præsumitur etiam invasor, & aggressor vitæ invasi, ut dictum est supra; & sic cum moderamine inculpatæ tutelæ, potest licitè occidi.

53 Respondetur ad secundum cum communiori sententia, negando minorem (loquendo tamen de Clericis, & personis Ecclesiasticis secularibus, non regularibus). Tam enim ad commoda, & pro vitæ sustentatione necessaria Jus habent seculares, quam Ecclesiastici: unde cuicumque personæ licitum est sua jura tueri cum moderamine inculpatæ tutelæ; quando invasus in bonis, certitudinem habeat de maximo, & notabili suæ vitæ, & status detrimento: sit V. G. Titius Ecclesiasticus, præsertim in dignitate constitutus, qui juxta talem dignitatem tenetur honestè vivere; ad eum accedat Cajus invasor, sive animo Titium necandi, sive tantum animo bona sua invadendi: se defendat Titius meliori modo, quo potest; tandem nullum aliud habeat remedium bona sua recuperandi, unde positus in certitudine, & evidentiæ rem suam perdendi,

di, quatenus ei sit intentatum ferrum à Cajo inuasore, tunc omni spe destitutus Titius bona sua defendendi, posset licitè Cajum inuasorem occidere. Lex, aut Canon ille citatus loquitur, quando non adhibetur moderamen inculpatæ tutelæ; & in casu quo habeat Ecclesiasticus alia bona, quibus possit honestè vivere.

Vel Canon ille est intelligendus de Ecclesiasticis regularibus, qui viuunt iuxta formam Apostolicam, qui nihil proprii habent, nisi tantum usum; & nos præsertim Fratres Minores circa victum, & vestitum nudum habemus usum ab omni dominio distinctum: ceteri verò Regulares, estò aliquarum rerum dominium utile habeant, non tamen habent dominium directum. Quapropter Regularibus abnegantibus voluntatem cuicumque juri, & dominio, non est licitum defensione occisiva bona sua tueri (dum tamen vita eorum non periclitetur): unde quia si in pallio invaderetur Regularis, & ei sufficeret sola tunica, non esset ei licitum ad pallium defendendum arma impugnare contra inuasorem, ipsum occidendo. (Quia nos Regulares magis tenemur vitam Apostolicam sequi; cum nobis licitum sit mendicare victum, & vestitum, & quæcunque nobis necessaria sunt, quàm ceteri Ecclesiastici); idcirco nobis non est licitum inuasorem iniquum bonorum nostrorum occidere; Ecclesiasticis verò secularibus est licitum; quia his non est licitum mendicare.

54 Obijcies secundò contra secundam partem. Bonum pudicitie, & castitatis computatur inter bona honoris, & famæ; sed ad defendendum honorem, & famam non est licita defensione occisiva: Ergo neque defensione occisiva est licita ad defendendum bonum castitatis, & pudicitie. Major patet, quia ex omissione pudicitie, & castitatis, si voluntariè amitteretur, voluntariè amitteretur honor, & fama: si violenter, etiam honor, & fama amitteretur. Probatur minor: opposita propositio, ut in sequenti quæstione videbitur, est damnata; quòd scilicet licitum sit *Viro honorato occidere inuasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit.* Ex propositione 30. dam. ab Innoc. XI. Ergo ex assignata propositione damnata deducitur, quòd non sit licitum occidere inuasorem injustum sui honoris, & famæ.

Deinde: si alicui puellæ violaretur fama, pudicitie nimirum, & castitatis, ipsa puella non præbente consensum, nullum detrimentum, & damnum ei eveniret; nec peccatum contra castitatem, & pudicitiam committeret; sed tunc tenetur quis bonum aliquod tueri, quando ejus amissio cedit in suum detrimentum, & damnum: Ergo nequit quis ad suam tuendam pudicitiam, & castitatem licitè injustum inuasorem occidere. Probatur major ex eo, quòd dixit Beata Lucia Tyrann-

no invadenti suam virginitatem; & castitatem: *Si invitam jufferis violari, castitas mihi duplicabitur ad cordam.* Si autem Beatæ Lucie periculum perdendi castitatem ex violentia Tyranni, inferret detrimentum, & damnum, hoc fortasse non dixisset; nam sciebat, quòd ipsi non consentienti, potius erat ad præmium violario, quàm ad honoris detrimentum: Ergo &c.

Respondetur ad primum dist. majorem: computatur inter bona honoris, & famæ redundantis in animam, concedo majorem: redundantis tantum in corpus, nego majorem; & dist. minorem: ad defendendum honorem, & famam non est licita defensione occisiva, quando honor, & fama redundant in animam, nego minorem: quando redundant tantum in corpus; subdist. si ad defendendum honorem, & famam sit periculum evidens vitæ, nego etiam minorem: si nullum extat periculum vitæ, concedo minorem; & nego consequentiam. Pro claritate distinctionis noto, bonorum honoris, & famæ alia esse, quæ redundant in nobilitatem tantum corporis, & non animæ, ut esset nobilitas sanguinis, dignitatis, & officij, quæ splendescere faciunt personam in tali dignitate constitutam; & alia esse honoris, & famæ bona, quæ nedum redundant in nobilitatem corporis, sed etiam in nobilitatem animæ, imò principalius in animæ nobilitatem, ut sunt habitus supernaturales, virtutesque morales, & virtutes omnes inclinantes ad observantiam præceptorum; inter quas connumerantur pudicitia, castitas &c. Si bona honoris, & famæ sumantur in posteriori sensu, quatenus redundant in nobilitatem animæ, tunc bona ista (cum moderamine inculpatæ tutelæ explicato) possunt licitè defendi cum inuasoris occisione. Ratio est, quia bona animæ sunt nobiliora, & præstantiora quibuscunque bonis corporis, & etiam ipsius vitæ. At quando bona tantum sunt honoris, & famæ redundantis in nobilitatem corporis, & non in nobilitatem animæ; & aliunde nullum adsit periculum vitæ puellæ, vel pueri, tunc non possunt pro defensione talium bonorum licitè occidi injusti inuasores. Ratio est, quia quando non adest periculum vitæ, & actio contumeliæ est transacta, non haberetur evidentia moderaminis inculpatæ tutelæ, sed potius haberetur probabilitas, quòd hoc faceret invasus ad vindictam: vel si actio non est transacta, sed adhuc permanens, tunc posset æquivalenter refarciri infuria, absque inuasoris occisione (ut dicemus in sequenti quæstione). Quapropter damnata propositio est intelligenda de honore, & fama circa nobilitatem corporis, non circa nobilitatem animæ.

55 Respondetur ad secundum dicendo, quòd in illo casu, quamvis puellæ non præbenti consensum nullum damnum spirituale eveniret, nec imputaretur ad peccatum; eveniret tamen

tamen detrimentum , & damnum temporale, ob amissionem honoris, & honestatis, propter defloratam virginitatem, Vel gratis concessio, quod hoc detrimentum , & damnum temporale non eveniret, tamen ex hoc non bene inferitur , quod si puella vellet *vim vi repellere*, se defendendo , ut claustrum virginalis non violeretur, non possit licite hoc facere; cum iura hoc permittant ; præsertim quia talis violentia, & dedecus redundat in detrimentum animæ , & corporis , si consentiret ; & si non consentiret, in ejusdem puellæ , & domus ejus infamiam ; & iccirco cum moderamine inculpatae tutelæ iura talem occisionem permittunt . Beata Lucia non usa fuit lege naturali distante *vim vi repellere* ; sed suam pudicitiam , & castitatem reliquit in manu Dei eam defendentis , & vindicantis , cedendo Juri suo, etiam si potuisset Tyrannum in vasorem occidere : & ideo Tyrannus illam violare non potuit, cum à Spiritu Sancto speciali suo auxilio adjuvata fuerit. Potest hoc esse certum ex cessione Juris, tam de tuenda pudicitia , quam vita, & bonis . Sim ego in vitam invasus , nec possim mortem vitare sine occisione in vasoris : nolo in vasorem occidere , ex quo sequitur mea mors infallibiliter ; me præponente vitæ meæ vitam in vasoris. Tunc non ideo desisto ab occisione in vasoris, quia lex mihi prohibeat talem occisionem , sed solum quia cedo Juri , quod habeo ad meam vitam tuendam cum occisione alterius ; quia lex permittit hoc facere, non præcipit ut fiat. Ita etiam discurrendum in proposito de pudicitia: potest puella pudica cedere juri suo, non utendo jure permittente occisionem in vasoris ; & per hoc non sequitur, quod si vellet aliter facere, non posset licite facere.

56 Ex his concludo pro resolutione casuum conscientiæ , quod illa lex *vim vi repellas*, ne dum se extendit ad vitam salvandam , & ad bona temporalia necessaria vitæ , & statui tum in vasi , tum familiæ ipsius ; verum etiam ad pudicitiam , & castitatem tuendam ; imò magis ad has virtutes, quæ animam nobilitare habent, quam ad vitam , & temporalia bona . Quædam tamen dubia incidentia remanent solvenda, ideoque

57 *PETES PRIMO*. An invasus in bonis possit insequi in vasorem , ipsumque licite occidere, si hic violentiam inferat ?

Respondetur affirmative. Ratio est , quia invasus in bonis , si statim insequatur in vasorem ( aliter dicendum est, si per aliquod tempus recessit à pugna) præsumitur pugnaturus licite usque ad completionem pugnæ, quæ in casu fugæ in vasoris adhuc permanet , si invasus insequitur . Et quia hic evidentiam habet de moderamine inculpatae tutelæ ; & quod scilicet in vasor non esset redditurus rem in vaso, ideo poterit hic licite in vasorem insequi, & occidere , si aliter rem suam recuperare

non potest. Sit exemplum: Accedat Titius ad domum Caii , qui violenter rapiat notabilem pecuniæ quantitatem; impugnat Cajus ferrum ad suam pecuniam defendendam ; fugiat Titius cum pecunia , & Cajus statim insequatur ipsum fugientem, qui Titius si violentiam faceret, tunc Cajus propter evidentiam, quam haberet, non posse rem suam alio modo recuperare , quam cum occisione Titii in vasoris, posset licite Titium ipsum in vasorem occidere ; quia supponitur , pugnam non esse completam ; sicuti supponitur esse completa, dum quis invaditur in vitam, & vulnere jam accepto, non moritur; huic enim non est licitum in vasorem vitæ insequi, quia jam pugna fuit completa , & posuit vitam suam in tuto . Ita plures Doctores.

58 *PETES SECUNDO*. An sicuti mulier cum moderamine inculpatae tutelæ occidere possit injustum in vasorem suæ pudicitie, ita etiam possit hoc fieri à marito , & consanguineis ipsius mulieris ?

Respondetur affirmative. Ratio est , quia quamvis jus directum ad castitatem, & pudicitiam mulieris sit in ipsa muliere , tamen ignominia, quæ est notabile damnum, redundat etiam in maritum, & consanguineos. Adverto tamen, in hoc sensu esse licitum marito, & consanguineis mulieris occidere injustum in vasorem pudicitie, & castitatis : V. G. accedat Titius injustus in vasor pudicitie, & castitatis Bertæ, videat hoc Cajus maritus, & ferrum impugnet contra Titium: si Titius fugit, & pudicitia Bertæ etiam est violata, tunc non potest Cajus insequi Titium fugientem raptorem sui honoris ; quia jam pugna est transacta ; & multò magis nequit Titium fugientem insequi, quædo pudicitia non est violata; nam in utroque casu supponitur completa pugna, & nihil apud se Titius retinet , quod ab insequente recuperari possit ; sicut evenit in insequente aggressorem bonorum . Si verò Titius in vasor ( & hic est casus à nobis expositus cum affirmatione ) impugnet etiam ferrum contra Cajum maritum , vel consanguineum Bertæ, oppugnando in vitam ipsius Caii, tunc si aliud medium non habeat Cajus vitam suam, & honestatem, ac pudicitiam mulieris , vel sororis , aut filie tueri , quia tunc habet evidentiam moderaminis inculpatae tutelæ, posset licite Titium occidere. Ratio est, quia tunc Cajus licite se defendere simul à vita , & honore : ab honore , à quo pugna incepit , & à vita , quia in hac pugna definit . Unde concludo pro claritate quaesiti , quod maritus non possit statim in vasorem honestatis mulieris defendere defensione occisiva ; scilicet statim, ac videt in vasorem talis honestatis, illum occidere; sed primò incipere debet pugnare, & ferro honestatem tueri, ut in vasor fugiat; & postremò quando in vasor etiam invehit contra in vasum , quia poneretur vita in vasi in-

peri-

periculo, tunc invasus posset licite invasorem occidere. Ita plures Doctores.

59 *PETES TERTIO*. *An in tali pugna, si maritus mulieris posset fugere, teneretur fugere?*

Respondetur dicendo, non teneri, quia si fugeret, jam esset in periculo pudicitia uxoris, vel sororis, ad quam tuendam incepit pugna, quæ compleri debet, donec pudicitia ipsa salvetur.

60 *PETES QUARTO*. *An si mulier consensum præbuit, posset etiam maritus ferrum impugnatum contra invasorem?*

Respondetur affirmative; cum hoc tamen, quod non posset illum occidere, nisi vita mariti ponatur in periculo, ut supra dictum est: ad tuendum nanque honorem potest licite ferrum impugnatum, quando actio non est transacta, ut dicemus in sequenti quæstione. Quod autem posset maritus ferrum impugnare, patet, quia consensus mulieris non solvit jus, quod maritus habet ad thorum suum; neque potest talis consensus impedire ignominiam, quæ ex tali actu impudicitia redundaret in maritum, & consanguineos. Ita quamplures Doctores.

61 *PETES QUINTO*. *An sit licitum occidere uxorem, sororem, vel filias in adulterio deprehensas?*

Respondetur negative. De marito occidente mulierem deprehensam in adulterio adest quædam damnata propositio ab Alex. VII. n. 19. quæ est ista: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam*. Cum qua propositione videntur annexæ aliæ de sorore, & filiabus. Et quamvis oppositum damnatæ propositioni erat in præxi ex mundana lege Longobardorum, ut refert noster Aretinus in 4. dist. 15. q. 3. ar. 2., tamen per Sacros Canones (considerata illa lege uti tyrannica, & non consona æquitati, imò contra publicam auctoritatem) fuit illa lex interdicta. Hæc verba sunt à Glossa deducta: *Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus: gladium non habet, nisi spiritualem, quo non occidit, sed vivificat*. Ex quibus verbis deducitur, fuisse reprobata illam legem mundanam. Et si quæ esset lex Cæsarea permittens Patri occisionem filia deprehensæ in adulterio, ut colligit Sueronius in L. 2. ff. de adulteriis; & insuper, quod maritus adulterum occidat, præsertim vim marito inferentem; tamen ista lex omninò prohibet marito occisionem mulieris, sed vult, hanc esse in iudicio accusandam. Quare concludimus, rationabiliter fuisse damnatam supradictam propositionem ab Alex. VII. ut perniciosam omni Christiano, & omninò contrariam legi divinæ præcipienti: *Non occides, præsertim privata auctoritate*. Et quando in lege veteri Moysis, adulterium pœna mortis puniebatur, hoc non fiebat privata, sed publica auctoritate.

## QVÆSTIO SEPTIMA.

*An licitum sit, privata auctoritate occidere injustum invasorem sui honoris, sive invasio sit per accusationem, sive per calumniam, sive per injustam sententiam, sive per alapam, vel alia verbera.*

**I**N hac quæstione sunt plures propositiones damnatæ ab Alexandro VII. & Innoc. XI. circa defensionem honoris, & ad evitandam calumniam. Alexandri VII. sunt sequentes. Prima ex num. 2. *Vir Equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Secunda ex num. 17. *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.*

Tertia ex num. 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos Testes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

Propositio verò damnata ab Innoc. XI. est sequens ex num. 30. desumpta: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitare nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat.*

62 Pro primæ damnatæ propositionis noticia ab Alex. VII. desumptæ ex n. 2. suppono, Duellum per plures Constitutiones Summorum Pontificum fuisse interdictum, scilicet Pii IV. Greg. XIII. & Clem. VIII. & etiam à Concil. Trid. sess. 25. de Reform. cap. 19. quod incipit: *Detestabilis duellorum usus, fabricante &c.* Et quidem hujusmodi prohibitio est sub pœna excommunicationis ipso facto, tam privatis personis, quàm Regibus, & Principibus in suo statu respectivè facultatem duellandi concedentibus. Hujusmodi etiam censuræ subjacent ij, qui dant consilium, favorem, & auxilium ad duellandum. Et tandem propter excommunicationem privantur Ecclesiastica sepultura: & ex violatione decretorum Pontificiorum, post Judicis sententiam, privantur etiam bonis omnibus; & si sunt Clerici privantur Ecclesiastica dignitate. Supra hanc materiam plura dicunt Corduba, Caspensis, Sanchez, Astefanus, & alii. Pro duello autem intelligimus singulare certamen inter duos, vel plures, quorum unus ineat duellum, & al-

ter

ter duellum acceptet . Ex qua duelli descriptione constat , jure merito supradictam propositionem fuisse damnatam ; quia etsi lex naturalis dicet , vnumquemque posse defensione occisiua tueri propriam vitam ab injusto invasore , ex illa lege *Vim vi repellas* ; ( cum supponatur , invasum non se voluntarie exponere periculo vitæ , nec posse vitam suam alio modo salvare , fugiendo scilicet , vel clamando ; & aliunde habeat evidentiam moderaminis inculpatæ tutelæ ) ; tamen duellum acceptans se exponit evidenter periculo mortis , voluntarie quidem ; quia si illud non acceptaret , non esset in periculo vitæ . Et quia acceptando duellum , non habet evidentiam de moderamine inculpatæ tutelæ , imò potius evidentiam habet de sua culpa , iccirco illicitum est , ad solam notam timiditatis evitandam , duellum acceptare . Nec illa nota timiditatis est ferro propugnanda , ut in probationibus conclusionis dicemus . Solùm in duobus casibus tenent communiter Doctores , posse licite duellum acceptari , ut refert Pater Mastrius Primus , quando citans alium ad duellum , dicat : vel accepta duellum , ad quod te provoco pro tali tempore , & hora ; vel hic nunc te interficiam : in quo casu posset ille duellum acceptare ; quia tunc mutaret speciem duelli , & esset invasio ; quilibet autem potest licite suam vitam defendere ab invasore . At pugna debet esse statim , ac alter est ad pugnam provocatus , non verò pro tempore , & hora , in quibus est ad duellum provocatus : nam pro illo tempore , & hora potest provocatus vitam suam salvare , fugiendo , & se occultando . Secundus casus est , quando Princeps inito bello justo ( quod bellum licitum est ) videt se imparē esse cum exercitu adversarii , tunc potest mutare bellum in duellum ; quatenus ex tali duello inter Principes salvatur vita utriusque exercitus . Ita Sanchez , Caspensis , Valentia , Mastrius , & alii : Nam potest quis se exponere periculo mortis , ad tuendam totius communis vitam .

63 Pro explanatione secundæ propositionis damnatæ ab eodem Alex. VII. adverte , Clericos , & Religiosos omnes , magis quam seculares , teneri ad se conformandos statui Apostolico in patienter sustinendis injuriis . Unde quia ratione Clericatus , & professionis renunciaverunt mundanis honoribus , tenentur sequi Christi domini humilitatem : & iccirco eis licitum non est , occidere injustum invasorem suorum bonorum , vel pro calumnia eis illata , vel Religioni ; quamvis per illam calumniam Religiosus , & Religio magnum detrimentum famæ , & honoris patiantur : cum vindicta pro Religionum gravamine Deo reservanda sit , & justa punitio : ut plures in vitis Patrum Scriptores testantur , præsertim quando ignominia notabilis est . Ex quo deducitur , non esse licitum Religiosis , nec cuicumque Ecclesiastico

defendere se , & suam Religionem à calumnia ipsi , vel Religioni imposita , vel imponenda .

64 Pro explanatione tertiæ propositionis damnatæ ab eodem Alex. VII. adverte , quòd si foret licitum occidere falsum accusatorem , falsos testes , & Judicem ferentem iniquam sententiam , tunc aperiretur via in finitum scandalosis abusibus , & homicidiis ; & posset semper accusatus præsumi falsè , & iniquè accusatus , & sententiatus ; & sic ad evitandam sententiam ferendam in judicio , posset occidere accusatorem , testes , & judicem , & se ab homicidio excusare : quod asserere iniquum est ; quia accusator , falsus testis , & Judex non dicuntur vitæ hominis , etiam re ipsa innocentis , aggressores , & vim inferentes in vitam accusati , & calumniati ; sed solùm dicuntur actores injustitiæ : nec accusatus evidentiam habet de moderamine inculpatæ tutelæ , quando invadit contra accusatorem , testes , & Judicem . Et insuper potest accusatus alio modo se à calumnia defendere . Hujus damnatæ opinionis erant plures Doctores , Bannes , Navarra , de Lugo , Diana , & alii , confutati , & impugnati à Mastrio , Valquez , Bonacina , Layman , Lessio , Fill. Tamb. & aliis principalioribus Doctoribus . Et propter illa absurda propositio relata fuit damnata à præfato Pontifice .

Istæ tres propositiones non discordant ab alia damnata ab Inn. XI. Nam ad calumniam tuendam , dicebant aliqui , licitum esse viro honorato , defensione occisiua se tueri . Et duas continet partes , unam circa calumniam viro honorato impositam : & quantum ad hoc referendæ sunt rationes notatæ contra 17. , & 18. propositionem à supradicto Alex. VII. damnatas , quas retuli superioribus num. 63. & 64. Quantum ad secundam partem de alapâ , fuste &c. quòd hæc ignominia non sit licite defendenda defensione occisiua , patebit ex infra dicendis in probationibus conclusionis . In duas ergo partes dividam conclusionem ; unam de calumnia , & ignominia sive in judicio , sive extra illud iniquè imposita ; alteram de inhonore recepto propter alapam , vel fustem , vel per alia verbera , ex quibus ignominia resultare videtur in personam invasam , præsertim si nobilis est . Quare ad omnes istas quatuor propositiones oppugnandas , unam efformo conclusionem , in qua

*DICO* , non esse licitum , privata autoritate occidere injustum invasorem sui honoris , estò ab invasore inferatur ignominia invaso . Conclusio hæc adversatur propositionibus illis damnatis ab Alex. VII. , & Inn. XI. , & nunc est de mète omnium catholicorum contra authores illarum propositionum ; quorum multi citantur apud Bonacinam . Et deducitur ex Scoto in 4. dist. 15. q. 3. supra cit.

65 Probatur primò de quacunque ignominia , sive habita per falsam accusationem , sive per falsos testes , sive per injustam Judicis sententiam ,



tiam, sive per promulgatam calumniam. Tunc licitum est se defendere defensione occisiva, quando se defendere constat de moderamine inculpatae tutelae; sed in vasus, sive per accusationem, sive per falsos testes, sive per Judicis sententiam, sive per promulgatam calumniam, extra iudicium, non potest habere evidentiam moderaminis inculpatae tutelae: Ergo sic in vasus non potest licite in vasorem occidere. Major est certa ex doctrina usque nunc tradita in 5., & 6. q. nam ut defensio occisiva sit licita, constare debet evidenter, quod talis defensio occisiva sit medium ad impediendum damnum ab in vase inferendum, & quod praeter ipsam occisionem defensivam, nullum aliud possit dari medium: ut diximus de in vase vitae, & bonorum. Probatur nunc minor: in vasus per accusationem, vel per falsos testes, vel per Judicis sententiam, vel per aliam in publico promulgatam infamiam, non potest impedire id, quod jam factum est: Ergo si occideret calumniatorem, non posset constare evidenter de moderamine inculpatae tutelae. Antecedens patet, quia calumnia supponitur illata, quando quis false accusavit, vel falso deposuit, vel falsam dixit sententiam; vel tandem falsum in publico sparsit; & huiusmodi actus calumniosus jam est transactus. Probatur consequentia: ex actu illo jam patrato calumniae, vel sequitur damnificatio, vel non: id est, vel calumniatus remanet infamatus, & ultra infamiam condemnatus; vel non? si primum: Ergo calumniatus non posset habere evidentiam moderaminis inculpatae tutelae, occidendo calumniatorem; quia effectus calumniae sortitus est: evidentia namque moderaminis datur ad impediendum; sicuti ad impediendam propriam mortem, occidendo in vasorem, evidenter ei constat, quod nullum aliud suppetat medium. Si vero dicatur secundum, quod scilicet non remaneat infamatus: Ergo non posset licite occidere in vasorem sui honoris; quia si quando effectus non est secutus, calumniatus occideret calumniatorem, potius daret motivum aliis ad credendum, veram fuisse calumniam, quam ad credendum oppositum: Ergo restat dicendum, quod circa calumniam, cum nullo modo haberi possit evidentia moderaminis inculpatae tutelae, non possit in vasus in honore licite occidere in vasorem.

66 Probatur secundo specialiter de calumnia per iniqua verba promulgata. Illa defensiva occisio nequit licite fieri, quae est in perniciem Reipublicae; sed privata occisio calumniatoris per verba promulgata, est in perniciem Reipublicae: Ergo nequit quis a calumnia se defendere defensione occisiva. Probatur minor: est perniciosum Reipublicae, quod est multitudini civium perniciosum; sed defensiva occisio calumniatoris est perniciofa multitudini Civium: Ergo &c. Major patet, quia Reipublica

componitur ex multitudine Civium: Probatur minor: In quacunque Republica multae sunt calumniae, detractiones, odia, invidiae, & pravae actiones deturpantes honorem alterius; sed quoties calumniati possent licite calumniatores occidere, jam innumerabiles evenirent occisiones, propter innumerabiles actiones pravas deturpantes honorem alterius: Ergo jam talis occisio esset multitudini Civium perniciofa.

Confirmatur hoc primo, quia circa ea, quae privata autoritate licita sunt, nulla datur poena occisori, quando haberi possit, & constat evidentia moderaminis inculpatae tutelae; sed occisores calumniatorum puniuntur acriter a Judicibus; quia ipsis non constat de evidentia moderaminis inculpatae tutelae: Ergo &c.

Eo vel maxime, quia ad hoc plures extant leges Civiles iuste damnantes eos, qui privata autoritate occidunt calumniatores: Ergo stando inveteratae consuetudini, asserendum est, non esse licitum privata autoritate occidere in vasorem honoris per calumniam ablati, vel alio modo ex assignatis: Ergo &c.

67 Probatur tertio specialiter de ignominia habita per alapam, fustem &c. Non est licita occisio privata autoritate, quando potest evidenter deduci, talem occisionem esse factam ex odio, & vindicta, & non ex motivo se defendendi; sed quando quis occidit eum, a quo alapa, vel fustis &c. fuit percussus, non potest evidenter deduci, huiusmodi occisionem fuisse factam ex motivo se defendendi; sed potius evidenter deducitur, fuisse factam ex odio, & vindicta: Ergo talis occisio privata autoritate non est licita. Major est certissima. Probatur minor: quando quis (cujuscunque sit status, & conditionis) post acceptam alapam, vel fustem, repercutit offensorem, & quidem eum occidendo, non habetur motivum, cur homines existimare possent, hoc repercutorem fecisse ad sui honorem defendendum; sed potius existimant prudenter, hoc fecisse ad honoris restorationem; sed repercutere inimicum ad honoris restorationem, non oritur ex motivo se defendendi, sed ex motivo odii, & vindictae: Ergo &c. Major est adversariorum fundamentum. Probatur minor: si quis esset in vita in vasus, & non remaneret mortuus, si insequeretur in vasorem, ipsum occidendo, jam illa occisio non amplius esset defensio suae vitae, sed vindicta contra offensorem, ut dictum est supra in fine quintae quaestionis num. 431. Ergo in vasus in honore per acceptam alapam, si in vasorem repercuteret ad suum honorem restaurandum, jam huiusmodi repercutio non esset ex motivo se defendendi, sed ex odio, & vindicta.

Confirmatur hoc ad hominem contra adversarios. In tantum percussus per alapam &c. posset licite offensorem occidere, quando vir nobilis est, si statim ac fuit percussus hoc faciat;

faciat ; in quantum prudentes existimant per illam occisionem recuperandum esse honorem amissum per acceptam alapam ; sed hoc est falsum : Ergo non est licitum occidere percussorem post acceptam alapam . Probatur minor : non est prudens existimatio illa , quæ legi divinæ , & Evangelicæ opponitur ; sed existimatio illa opponitur legi divinæ , qua præcipitur *non occides* ; & Evangelicæ , ut ex verbis Lucæ 6. habetur : *Qui te percusserit in maxillam , præbe ei , & alteram ; Ubi Christus dominus potius vult esse præbendam alteram maxillam percutiendam , quàm de percussione vindictam sumere : Ergo &c.*

*Solvuntur Objectiones.*

68 **O**bjicies primò. Calumniatus per accusationem falsam , vel per falsos testes , vel per injustam Judicis sententiam ; vel tandem in publico per verba ignominiosè tractatus , magnum ex tali calumnia patitur detrimentum ; sed hoc detrimentum defendi , & quidem licitè , potest per occisionem calumniatoris : Ergo potest licitè autoritate privata occidi injustus invalor honoris , sive sit invalor per accusationem falsam , sive per falsum testimonium , sive per injustam sententiã , sive per promulgatam calumniam . Probatur primò major ; nam ex calumnia per accusationem falsam , vel per falsos testes , vel per injustam sententiam Judicis , potest calumniatus morte puniri , si delictum impositum , sit morte puniendum : si verò sit calumniatus per falsas detractiones , & promulgationem falsitatis publicè factam , remanet apud audientes , imò per totam Civitatem infamatus , & à statu valdè denigratus ; quæ omnia magnum afferunt calumniato detrimentum : Ergo &c. Probatur nunc minor , quia invalor in vita per ense , vel in bonis fortunæ , ne invalor detrimentum patitur , tale detrimentum licitè defendere potest defensione occisiva , quando alio medio vitam , vel rem recuperare non potest ; sed nec etiam potest dari aliud medium in calumniato recuperandi honorem perditum per calumniam , nisi calumniatorem occidendo : Ergo &c.

Respondetur primò , dist. majorem : magnum patitur detrimentum , juxta leges inanes mundi , concedo majorem : juxta leges Dei , & Christi Domini , nego majorem : & eodem modo distincta minori , nego consequentiam . Si velimus considerare leges inanes mundi , quæ communiter vocantur leges duellandi , tunc concedimus , detrimentum illud eventurum ex calumnia illata , quatenus homines existimant , dicunt , & faciunt contra calumniatum : at si velimus stare legi Dei , & Evangelicæ Christi Domini , tunc nullum esset detrimentum in injustè calumniato , nam unus-

quisque Christifidelis patienter sustinere debet quamcunque calumniam ei falso impositam ; multò magis , quia de tali calumnia Deus ultionem sumit , dicens : *mibi vindictam , & ego retribuam.*

Vel etiam si concedatur major primi syllogismi , loquendo de detrimento physico , quod patitur calumniatus per falsam accusationem &c. etiam cum periculo vitæ ; est tamen falsa major de morali detrimento juxta Divinam , & Evangelicam legem . At detrimentum illud physicum , etiam judicio Dei reservandum est . Quare juxta hanc secundam doctrinam nego minorem , & consequentiam , probationis cum paritate . Disparitas est clara . Invalor itaque in vita , vel in bonis , quæ bona sunt notabilis summæ , juxta sensum explicatum in præterita quaestione , habet evidentiam moderaminis inculpatae tutelæ , quòd scilicet alio modo vitam suam , vel sua bona salvare non posset , sine invaloris occisione ; & insuper actio non est transacta , sed imminens ; quæ vitari debet eo modo , quo potest ; & quia actio circa vitam , vel bona non potest evitari sine invaloris occisione , iccirco in his casibus licita est occisio . Ultraquamquòd in his casibus de invalore vitæ , & bonorum per ense , militat illa naturalis lex permissa , & per Canones non prohibita , scilicet : *Vim vi repellas* . At invalor per calumniam , quæcunque illa sit , nec potest habere evidentiam moderaminis inculpatae tutelæ ; quia alio medio vitare poterit impositam calumniam , vel fugiendo , & se ponendo in loco tuto , vel procurando advocatum ad suam causam ritè defendendam , ut innocens ostendatur , & accusator , ac testes falsi subsint poenæ talionis ; vel appellando ad supremum judicem de injusta Judicis sententia : vel si est per detractiones calumniatus ; ut se manifestet per actiones oppositas calumniae , se esse innocentem : quomodo ostenderetur calumnia iniqui detractoris . Neque actio per calumniam est imminens , sed est transacta , & quælibet occisio propter actionem iniquam , transactam , est illicita , ut dictum est ; nam si quis invaderetur in vita , & accepto vulnere , non remaneret mortuus , non posset insequi invalorem , illum occidendo ; quia actio illa est transacta , & completa per solum vulnus non mortale injustè inflictum : neque si invalor remaneret mortuus , possent ejus parentes invalorem insequi , illumque occidere ; quia tunc illa occisio esset ex motivo vindictæ , & non ex inculpata tutela . Et tandem nulla lex , nisi iniqua mundana permittit occisionem calumniatoris ; & ideò leges justæ puniunt occisorem calumniatoris , & non puniunt occisorem eorum , qui injustè invadunt vitam hominis , & ejus bona notabilia : præsertim quia invalor calumniatoris est in perniciem Reipublicæ , ut dictum est : num. 66 ; occisio verò invaloris vitæ , & bonorum potius est in utilitatem Rei-

publicæ, quàm in perniciem ejusdem.

69 Obijcies secundò, præsertim de ignominia illata per alapam, vel fustem &c. Non est illicitum in vasum in bonis fortunæ statim insequi in vasorem, ut sua bona recuperet; & quando nullum aliud habet medium recuperandi, potest uti defensione occisiva: Ergo neque erit illicitum personæ offensæ in honore per acceptam alapam, statim insequi offensorem, illumque occidere, præsertim quia nullum aliud suppetit medium recuperandi honorem, quàm per occisionem. Antecedens patet ex præterita quæstione. Probatur consequentia: inter omnia bona corporis præstantiora sunt bona famæ, & honoris, bonis fortunæ: Ergo si ut bona fortunæ recuperentur, quando nullus alius sit modus illa recuperandi, potest in vasum insequi injustum in vasorem, illumque occidere; idem etiam erit dicendum de calumniato, quando honor aliunde recuperari non potest.

Respondetur negando consequentiam, & paritatem. In tantum ergo licitum est, statim insequi in vasorem bonorum, & etiam illum occidere, quando nullo alio modo bona illa recuperari possunt; quia apud in vasorem est res furto sublata, & per resistantiam in vasoris illam dominus ejus recuperare non possit, nisi occidendo in vasorem (quando nanque aliunde illam possit recuperare, non deberet in vasorem occidere). At percussor alapa, vel fuste nihil apud se retinet, quod sit personæ percussæ, & ideo non est licitum, ipsum percussorem insequi. Quod patet à pari de comburente vineam; nam si Cajus combusserit vineam Titii, & fugeret; neque esset licitum Titio insequi Cajum fugientem, & ipsum occidere, neque vineam Caji comburere ad compensationem suæ injuriæ; cum hoc potius imputaretur ad vindictam, quàm ad defensionem, nam injuria illata Titio per combustionem vineæ, est jam transacta: Ita si Titius alapam acciperet à Cajo, & statim Cajus fugeret, quantumcunque sit nobilis Titius, non teneretur ex ulla justa lege, nec licite possit Cajum repercutere ad injuriæ compensationem, & multo minus Cajum occidere; cum talis occisio esset in vindictam, non in defensionem.

Eò vel maxime, quia dans alapam, & fugiens, non dicitur in vasor; in vasor enim tentat damnum futurum, quod quisque pro sui defensione vitare licite potest; at quando damnum est jam illatum, tunc si quis insequeretur fugientem, non diceretur vitare damnum, sed se vindicare pro damno illato. Bona famæ sunt præstantiora bonis fortunæ moraliter, non physice.

Dices ad hoc ultimum: idem etiam valeret de eo, qui insequitur furem fugientem, postquam damnum intulit Titio V. G. de summa aliqua pecuniæ ablata; quod non possit pro illa Titius Cajum insequi fugientem, & pro

sua pecunia recuperanda Cajum occidere; sed hoc ex dictis est falsum, cum licitum sit in vasum insequi in vasorem fugientem, quando bona sunt apud ipsum; Ergo &c. Probatur major, quia etiam apud Cajum dans alapam Titio, est honor à Titio ablatum: Ergo si huic non est licitum, pro recuperando honore, insequi Cajum offensorem fugientem, etiam quando aliunde non potest honorem recuperare, nisi per offensoris occisionem; neque possit insequi Cajum fugientem, pro pecunia ablata recuperanda.

Respondetur negando assumptum. Et dico, quod quando fur surripit pecuniam à Titio, & se ponit in fugam, si statim Titius furem insequitur, absque ulla temporis dilatione, damnum non est illatum, sed inferendum; & actio illa invadendi non est completa, nisi quando vel fur se ponit in tuto, vel in vasum non statim furem insequitur. At quando Titius recipit alapam, damnum est jam illatum, & actio est completa: quare non apparet, quomodo possit tunc Titius honorem recuperare à Cajo ablatum, nisi per acquisitionem novi honoris mundani, in casu quo occideret Cajum, qui honor diceretur vindicta, & apud prudentes homines existimaretur vindictivus, & non sui honoris defensionis (quanquam aliter existimetur apud mundanos). Quemadmodum si in bonis temporalibus in vasum, perderet illa bona, quatenus durante pugna, non haberet arma sufficientia ad illa defendenda; si post pugnam, & damnum illatum occideret furem, non diceretur bonorum suorum defensor, sed homicida, & vindictivus.

70 Pro complemento hujus quæstionis, & majori noticia, tam hujus, quàm quintæ, & sextæ quæstionis adverto, aliud esse damnum jam patratum, & aliud esse damnum imminens, non patratum scilicet, sed proxime futurum. Pro damno jam patrato nulla potest esse evidentiæ moderaminis inculpatæ tutelæ; quia qui damnum recepit, habere debet certitudinem, quod sua autoritate nihil facere possit, & quod illi lex illa naturalis, *Vim vi repellas*, non faveat; cum illa lex valeat ad vitandum damnum, ne eveniat. Et sic, si quis esset in vasum in vita, postquam est vulneratus, quia supponitur damnum secutum, & in vasor positus in fuga, & insuper pugna terminata; non possit sic in vasum insequi in vasorem fugientem, & ipsum occidere. Si est in vasum in bonis, & jam est patratum damnum, & pugna terminata, quatenus fur fugiendo, se posuit in tuto, tunc neque potest in vasum, post damnum receptum, & pugnam completam, furem occidere. Si est in vasum in honore per violationem pudicitæ, & pudicitia est violata, post actum completum, & illatum damnum, pro illo resarciendo, nequit violatorem occidere. Si est in vasum per calumniam falsò impositam, vel per accusationem, vel per depositionem in judicio, vel per

per sententiam iniquè latam, vel per falsas detractiones, tunc neque potest, post ista damnata recepta, licitè calumniatorem occidere. Si est offensus in honore per alapam, vel fustem, vel alia verbera postquàm est offensus, neque potest licitè offensorem repercutere, & multò minùs occidere. Ratio hujus doctrinæ est fundata in eo, quòd cum actio inferendì damnum sit transacta, & jam completa, non habetur caput, unde licitè possit offensus se defendere ab offensore; neque habetur caput, unde appareat moderamen inculpatæ tutelæ; cum jam omnis actio sequens, quia esset offensio, & vindicta, diceretur culpabilis: nam moderamen tunc habet locum, quando damnum non est illatum, sed eveniret, nisi se defenderet, etiam cum occisione invadentis, & ad tale damnum vitandum, datur illa lex, *Vim vi repellas.*

Qui verò damnum non adhuc recepit, sed est imminens, & proximè futurum, potest se defendere ab invasore. Si est damnum vitæ, debet se defendere gladio, eo modo, quo invasor invadit alium, donec vel per vulnus, vel per mutilationem membri ipsius invasoris, ipse invasus damnum vitæ suæ impediat. Si est invasus in bonis, etiam eodem modo debet bona sua tueri, donec damnum in bonis impediatur, etiam cum invasoris occisione, modo supra dicto. Si est offensus per calumniam falsò impostam, sive in judicio, sive extra, ex qua oriretur damnum suæ vitæ, vel suorum bonorum; tunc quia non dicitur esse in actuali pugna cum calumniatore, idcirco neque calumniator dici poterit invasor, nec calumniatus dici poterit invasus, & sic pro calumnia imposita nullus habetur locus defensivus reparandi damnum, nisi ille positus in responsione ad primam objectionem num. 68. Si tandem est offensus per alapam, & ipsam jam recepit, ut supra dictum est, non potest repercutere offensorem; quia jam damnum est illatū: si verò alapa non est recepta, sed proximè recipienda, tunc posset Titius V.G. statim ac videt Cajum volentem illum alapa percutere, contra Cajum ferrum impugnare: si Cajus fugit, non tenetur illum insequi, quia pugna est completa, & damnum non est illatum; si verò Cajus etiam suum ferrum assumit contra Titium, suam invadendo vitam, tunc Titius, quando aliunde periculum suæ vitæ vitare non potest, posset licitè Cajum occidere. Pro sibi reparanda alapa, licitum fuit Titio impugnare ferrum contra Cajum, & quia Cajus invasit suo gladio vitam Titii, licitum esset Titio, pro sua vita tuenda, occidere Cajum. Unde estò pro solo honore vitandi alapam, non sic licitum occidere offensorem, est tamen licitum in hoc casu pro defendenda vita, quamvis à defensione honoris pugna inceperit. Hac doctrina potest quis intelligere sensum illarum propositionum damnatarum à supradictis Pontificibus, & tuta conscientia defendere,

quando, & quomodo sit licita occisio invasoris privata auctoritate.

Q V Æ S T I O O C T A V A

*An in aliquo casu sit licitum occidere Innocentem?*

**I**N præsentis quæstione non est sermo de occisione Innocentis per Judicis sententiam; de eo scilicet, qui extra judicium à Judice sit cognitus Innocens, & in Judicio probatus, & convictus Reus; nam de occisione talis Innocentis erit sermo in 6. disputatione hujus tractatus, ubi agemus specialiter, an Judex in omni casu debeat judicare secundum allegata, & approbata, ita ut debeat, & teneatur punire cognitum Innocentem ex certa scientia, & in judicio probatum Reum; & contra declarare Innocentem Reum, extra judicium cognitum talem, & in judicio probatum Innocentem, Solum igitur in præsentis est sermo de Innocente, præciso quocunque Judicio; & casus est hic: si Tyrannus cum magno, & ingenti exercitu Civitatem aliquam invaderet, se protestando, illam devastaturum, nisi talis persona Innocens à Republica occidatur: vel saltem ei tradatur occidenda. Ubi adverto, quòd occisio alicujus personæ potest directè intendi, & sic est peccaminosa, & contra justitiam, & præceptum Dei; *Non occides*: vel tantum potest intendi indirectè, ut esset in eo, qui invasorem occidit primò, & directè intendèdo suæ vitæ defensionem, & incolumitatem, & indirectè tantum mortem invasoris. Quod autem quæritur in præsentis est, an licitum sit Reipublicæ tradere personam aliquam Innocentem, justam, & fidelem in manus Tyranni ab illo occidendam, quando ipsa Reipublica stat in periculo subversionis, & quidem evidenti, ita ut Civitas subverteretur, nisi Innocens tradatur in manus Tyranni. Et pro resolutione

*DICO*, licitum esse Reipublicæ, pro ejus conservatione, tradere Tyranno Innocentem occidendum, quando evidens est periculum subversionis Reipublicæ. Conclusio communior est inter Doctores cum Mastro, Amico, Caspense, Lessio, & aliis contra Sotum, & alios; estque probabilior.

77 Probatur primò. Ubi duo mala sunt evidentiore, ad majus, imò maximum vitandum, saltem indirectè permitti, & intèdi potest minus malū; sed mors Innocētis est mala, subversio totius Reipublicæ est mala; & hæc in comparatione ad mortem Innocentis est maximum malum; Ergo ubi adest evidens periculum subversionis totius Reipublicæ, potest permitti minus malum, quod est mors Innocentis: Ergo dum Tyrannus petit Innocentem,

ut

ut ipse tradatur occidendus, potest licite Respublica illum tradere Tyranno occidendum, ad vitandam totius Reipublicæ subversionem. Major patet in oneribus, præsertim quando adest æqualiter evidentia periculi, ut est in casu; & unum malum certò excedit aliud malum. Probatur minor: subversio totius Reipublicæ evidenter secum fert mortem Civium, tum nocentium, tum Innocentium; tum inutilium, tum utilium Reipublicæ; sed mors omnium Civium in comparatione ad mortem unius Civis, estò Innocentis, est maximum malum: Ergo &c.

Confirmatur, & simul probatur major probationis principalis. Quando majus malum sub se continet etiam minus malum, si minus malum separaretur à majori malo, & est necessarium ad vitandum majus malum, hoc licite fieri potest, vel etiam debet; sed supposito, quòd Tyrannus invaderet Rempublicam; tunc ex subversione Reipublicæ periret etiam Innocens cum ceteris Civibus: Ergo si separaretur Innocens, ut occidatur, ejus mors necessaria esset Reipublicæ: Ergo licitum est præ uno tota Respublica salvari. Eò vel maxime, quia tenetur unusquisque pro incolumitate totius Reipublicæ se exponere periculo mortis; cum hoc exigatur à bono communi præferendo cuicumque bono particulari: Ergo idem fieri potest ab ipsa Republica, non intendendo directe mortem Innocentis, sed sui ipsius incolumitatem. Antecedens est certum, nam quilibet tenetur ex charitate, & pietate se periculo evidenti mortis pro Patria exponere. Probatur consequentia: quod est licitum privatæ personæ, ut fiat ad salvandum bonum publicum, non videtur, cur non possit esse licitum ipsi Reipublicæ, quando evidens est periculum ex injusta Tyranni invasione: Ergo &c.

72 Probatur secundò, impugnando directe oppositæ sententiæ fundamentum. In tantum non esset licitum Reipublicæ ad vitandum periculum evidens subversionis ejus, tradere Innocentem occidendum à Tyranno invasore, in quantum actio illa circa evidentem mortem Innocentis esset intrinsecè mala; sed quamvis sit intrinsecè mala ex parte Tyranni invasoris, non est tamen mala ex parte Reipublicæ: Ergo potest Respublica licite tradere Tyranno Innocentem occidendum, ad suæ subversionis vitandum periculum. Probatur minor: Actio illa occisionis non est per se directe intenta à Republica, sed à Tyranno invasore; & à Republica est tantum per se intenta ejusdem conservatio; sed quando actio non est per se intenta, si est mala, non est talis, nisi à voluntate intendente per se talem actionem: Ergo &c.

Eò vel maxime, quia estò Respublica expellat à se Innocentem, illum tradendo in manus Tyranni, hoc facit sine honesto publicæ

necessitatis; sed actio, quæ fit ex tali, ac tanto honesto fine, nequit esse intrinsecè mala: Ergo talis actio expulsionis Innocentis à Republica, ut ipsa incolumis salvetur, non est intrinsecè mala.

### Solvuntur Objectiones.

73 **O**bjicies primò: si esset licitum Reipublicæ pro sui conservatione tradere Innocentem occidendum à Tyranno, posset Respublica censerì dominatitæ suorum Civium; sed hoc est falsum; cum solus Deus dominium habeat in vitam hominum: Ergo non est licitum Reipublicæ tradere innocentem à Tyranno occidendum pro sui conservatione. Probatur major: nemini est licitum pro quocunque honesto fine disponere de eo, quod non stat sub ejus dominio: Ergo si posset Respublica disponere licite de Innocente suo Cive, illum tradendo in manus Tyranni, ut occidatur, jam dominium haberet supra vitam ipsius. Probatur antecedens à pari: pro fine honesto sublevandi pauperem à miseria non est licitum disponere de re non sua; ut si quis fureretur ad faciendam elemosynam, quod est illicitum: Ergo etiam in casu proposito non est licitum disponere de eo, quod non stat sub ejus dominio, etiam pro quocunque honesto fine.

Respondetur dicendo, argumentum magis probare, quam intendat probare. Si nanque valeret, probaret etiam, quòd invasus in vita non posset licite invasorem occidere; quia vita invasoris injusti non stat sub dominio invasi, sed sub dominio Dei: & hinc, quamvis honesto fine defendendi suam vitam, cum moderamine inculpatæ tutelæ, occideret injustum invasorem, non posset hoc licite facere, quod est falsum, ut probatum est in 5. quæstione. Unde in forma dist. majorem: si Respublica directe intendat occisionem Innocentis, esset dominatitæ Civium, concedo majorem: si tantum indirecte intendat occisionem illam, nego majorem, & concessa minore, nego consequentiam. Et dist. antecedens probationis: nemini est licitum &c. disponere directe de eo, quod non stat sub ejus dominio, concedo antecedens: disponere indirecte, nego antecedens, & consequentiam in sensu distinctionis. Dico igitur, verum esse, vitam Civium non esse directe sub dominio Reipublicæ, sed immediate sub dominio Dei; indirecte tamen potest dici, quòd sit sub ejus dominio, quatenus ad Rempublicam spectat conservare vitam Civium, quando expedit ejusdem vitæ conservatio: sicut etiam ad Rempublicam spectat aliquos ex Civibus vita privare, quando delictum est pœna mortis punibile. Quare si Respublica esset in evidenti periculo subversionis pro uno Cive, estò Innocente, posset de illo disponere,

ponere, non intendendo directè mortem ipsius, sed tantùm ejusdem Reipublicæ incolumitatem. Ut patet de invaso occidente invasorem, quando nullo modo potest periculum suæ vitæ vitare. Idem dicendum est in casu nostro, quia Tyrannus esset invasor injustus vitæ, & bonorum omnium Civium; & aliunde Reipublica haberet evidentiam moderaminis inculpatae tutelæ, quòd scilicet nullum aliud haberet medium evadendi periculum vitæ, & bonorum Civium, nisi Innocens tradatur occidendus. Ad paritatem dico, disparem esse, rationem, quia furtum cum sit contra justitiam, & actus faciendi elemosynam sit ex præcepto charitatis, ex furto læditur jus alterius, & res illa esset data, & sublata, invito domino, (supposito, quòd pauper non esset in extrema necessitate constitutus, in quo statu omnia sunt communia, & per tale furtum nulla injuria domino fieret.) Ceterum tradere Innocentem occidendum à Tyranno, non esset disponere de vita Innocentis, invito domino, scilicet Deo; cum Deus in multis casibus permittat occisionem, tum ad malorum punitionem, tum ad majus malum vitandum, ut esset in casu, quo tota Respublica periclitaretur.

74 Obijcies secundo: si posset licitè Respublica tradere Innocentem à Tyranno occidendum, quando ipsa esset in evidenti periculo suæ subversionis, posset etiam licitè eadem Respublica tradere Tyranno Virginem ad eam stuprandam: & insuper vasa sacra, ut illis abutatur in malum; sed horrendum est utrumque, vel alterum asserere: Ergo neque est licitum Reipublicæ tradere Tyranno Innocentè occidendum. Probatur primò sequela majoris; nam non est minus malum occisio Innocentis, qui est actus directè contra dominium Dei, quàm sit violatio Virginis, & abusus vasorum Sacrorum: Ergo si occisio Innocentis est licita, etiam licita Reipublicæ deberet esse defloratio Virginis, & abusus vasorum Sacrorum. Probatur nunc minor principalis: horrendum est asserere, quòd pro bono temporali tuendo, permittatur malum spirituale, quod est in dedecus divinitatis; sed defloratio Virginis, & abusus vasorum Sacrorum est in dedecus Dei, & est malum spirituale; & subversio Reipublicæ est malum temporale: Ergo &c.

Respondetur negando sequelam majoris, ad cujus probationem nego antecedens. Quavis occisio Innocentis sit contra dominium Dei, tamen quando non est per se, & directè intenta à Republica, non læditur Jus divinū, quod est supra vitam ejus; cum Deus permittat, vitam omnium præferri vitæ unius personæ. Maxima autem est disparitas de traditione Innocentis ad occidendum, & de Virginis defloratione, atque abusu vasorum sacrorum: Nam mors hominis computatur inter mala temporalia; at defloratio Virginis, & abusus vasorum sacrorum inter mala spiritualia: pri-

um malum est malum corporis; posteriora mala sunt mala animæ. Insuper primum malum, scilicet mortis, est contra dominium Dei in ordine naturæ; posteriora verò mala sunt contra dominium Dei in ordine gratiæ: & quia ordo gratiæ præferendus est ordini naturæ; & bonum spirituale præferendum est bono temporali, quamvis hoc bonum temporale sit bonum commune; iccirco estò sit licitum Reipublicæ tradere Innocentem, ut à Tyranno occidatur, ad salvandam omnium Civium vitam, & totius Reipublicæ incolumitatem; non tamen eidem Reipublicæ licet tradere Virginem stuprandam, & vasa sacra, ut illis in vanos usus abutantur.

Q V Æ S T I O N O N A .

*An in aliquo casu sit licitum procurare abortum fœtus, tum animati, tum inanimati?*

**I**N hac quæstione sunt duæ incidentes propositiones damnatæ ab Innoc. XI. Una desumpta ex num. 34. ubi habetur: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

Secunda est desumpta ex num. 35. ubi habetur: *Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali; & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

75 Pro explanatione primæ propositionis ex num. 34. suppono, fœtum animari, postquam est formatus in utero matris; nam quandiu non est formatus, & perfectè organizatus, anima rationali caret. Quantum tempus requiratur ad perfectam corporis organizationem, relinquo videndum apud philosophos in tractatu de anima, ne hic inutilis speculatio habeatur. Solùm hic pro certo habeo, in primo mense gravitationis matris, non posse evidenter deduci, an fœtus in utero existens sit formatus, & perfectè organizatus, an non. His suppositis, videndum est, qua ratione propositio damnata sit, contra plures Doctores illam pro vera habentes; contra quos militabant, Vasquez, Sanchez, de Lugo, Henriquez, Lessius, & alii citantes D. Antonium. Rationem hujus damnationis proponam in decisione quæstionis.

74 Pro explanatione verò secundæ propositionis desumptæ ex num. 35. suppono, falsitatem ejus esse talem ex terminis, & in praxi; nam multoties accidit, partum, seu fœtum in lucem prodire post septem menses, post quinque, & etiam post quartum mensem, & propter aliqua signa vitæ, & motus, ac propter ipse



ipſius organizationem perfectam, fœtus ipſe baptizatur: quod fieri non poſſet, niſi anima rationalis eſſet inſuſa, antequam talis fœtus in lucem prodeat. Immo multi viuunt ex illis, qui naſcuntur poſt ſeptem meſes: unde videtur omninò improbabile, tam ſpeculativè, quàm praxicè, quod intendunt authores illius propoſitionis. Ultraquamquòd ex ſcripturis oppoſitum illius propoſitionis cõſtat, de D. Joanne Baptiſta, qui adhuc in utero matris manens, exultavit, dum in domo matris ſuæ acceſſit gravida Beatiffima Virgo: *Exultavit infans in utero ejus*, Luc. 1. Et adhuc in utero matris repletus eſt infans Spiritu Sancto: *Spiritu Sancto replebitur adhuc in utero matris ſuæ*: quod eſſet fabuloſum, ſi fœtus exiſtens in utero matris Eliſabeth caruiſſet anima rationali; nam anima rationali carenti nõ inſunditur, nec deſcendit Spiritus Sanctus. Unde cum nulla ſit ratio, imò pura ſtultitia, aſſere, fœtum, dum manet in utero matris, carere anima rationali; iccirò, ut temeraria, ac ſcandalofa damnata fuit. Et etiam, quod inferitur ex hac propoſitione, eſt damnatum, quòd ſcilicet in nullo abortu committatur homicidium; nam etiam ſi concederetur (quod nunquam licitum eſt concedere ex doctrina ſupra relata) quòd fœtus, dum eſt in utero matris, careat anima rationali, non per hoc benè deduceretur, quòd in nullo abortu committatur homicidium. Nam iſta conſequentia eſt contra regulam dialecticæ; ubi docetur, quòd ex antecedenti probabili non ſequitur conſequens abſolutum, ſed ad ſummum ſequitur conſequens etiam probabile. Non ergo valet: *Quod à longe video, probabile eſt eſſe ferem: Ergo mihi licitum eſt illam occidere*. Conſequentia non tenet, quia conſequens eſt abſolutum, & antecedens probabile: & cum hac probabilitate antecedentis ſtat etiam probabilitas oppoſiti: *Quod ſcilicet à longe video, probabile eſt, non eſſe feram, ſed hominem*. Ex hoc ſecundo antecedenti probabili quis inferret hanc conſequentiam: *Ergo mihi licitum eſt illum occidere*? Nemo auderet, niſi ſtultus eſſet. Unde infero, quòd ſi cum probabilitate hujus propoſitionis, ſcilicet fœtus, dum eſt in utero matris, non eſt animatus; ſtat etiam probabilitas oppoſitæ propoſitionis, ſcilicet fœtus, dum eſt in utero matris, eſt animatus; ſi ex probabilitate primæ propoſitionis ſequi poſſet indigna illa conſequentia, quæ abſoluta eſt; etiam hæc alia ſimilis deberet ſequi ex ſecunda propoſitione, ſcilicet: *Ergo qui occidit fœtum animatum in utero matris, non committit homicidium*. Quis non videt, hanc conſequentiam eſſe peſſimam? Iccirò ſi tantum putant probabilem adverſarii primam partem damnatæ propoſitionis; non benè inferunt ex tali probabilitate conſequens abſolutum, quòd ſcilicet, in nullo abortu committatur homicidium.

His omnibus prænotatis, quantum ſpectat pro quæſtionis deciſione, adverte, abortum, vel poſſe contingere, quando fœtus eſt animatus, vel quando eſt inanimatus; & ſuppono, poſſe matrem, & medicos perfectè, & diſtinctè diſcernere fœtum exiſtente in utero matris, quando eſt animatus, & quando non eſt animatus. Quapropter quæſtio de fœtu animato non procedit, cum nulli dubium ſit, fœtum animatum in nullo caſu poſſe occidi; ac per conſequens in nullo caſu licitum eſſe procurare abortum fœtus animati. Sola igitur difficultas eſt, an in aliquo caſu extremæ valetudinis matris V. G., vel etiam tuendi honeſtatem puellæ, ne periculum vitæ, vel honeſtatis incurrat, poſſit eſſe licitus abortus fœtus inanimati. Et pro quæſtionis deciſione

*DICO*, in nullo caſu licitum eſſe abortum fœtus animati; abortum verò fœtus inanimati (qui propriè dicendus eſſet abortus) eſſe tantum licitum, quando mater eſt propter infirmitatem in evidenti mortis periculo; non verò eſſe licitum ad cooperiendam honeſtatem puellæ, ne deprehenſa gravida occidatur, vel infametur. Concluſio quoad primam partem, eſt multorum Doctorum, & puto etiam eſſe magis conſcientiæ conſonam. Secunda pars eſt communiffima inter Doctores, cum Maſtrio, Navarro, Leſſio, Fill. Turriano, Bonacina, & aliis. Tertia tandem pars ab omnibus Catholicis noſtri temporis tenenda eſt, contra authores illius propoſitionis damnatæ ab Innoc. XI. ex num. 34.

77 Probatur prima pars: In nullo caſu eſt licitum homicidium voluntarium culpabiliter, præſertim cum evidenti periculo æternæ ſalutis occiſi: Ergo in nullo caſu eſt licitus abortus fœtus animati. Antecedens eſt certum, quia ubi adest culpa, adest peccatum. Probatur conſequentia. Abortus fœtus animati eſt homicidium voluntarium culpabiliter cum evidenti periculo æternæ ſalutis occiſi per talem abortum: Ergo ſi in nullo caſu eſt licitum homicidium voluntarium culpabiliter, cum evidenti periculo æternæ ſalutis occiſi, neque erit licitus abortus fœtus animati. Probatur antecedens: qui procurat abortum fœtus animati, occidit ex propria culpa fœtum illum, ex qua occiſione, quia moreretur ſine baptiſmo, damnaretur: Ergo &c. Probatur aſſumptum hoc; nam nullum habetur medium, quo poſſet excuſari ab homicidio culpabili cum periculo evidenti æternæ ſalutis occiſi: Ergo ex propria culpa occidit fœtum illum. Probatur antecedens: ſi aliquod eſſet medium excuſans ab homicidio culpabili, eſſet hoc, ſcilicet periculum evidens vitæ matris, vel propter infirmitatem, vel propter infamiam, (ſi gravida eſſet ex voluntaria violata caſtitate); ſed neutrum ex his poſſet eſſe medium excuſans ab homicidio culpabili: Ergo &c. Probatur minor, & primò, quòd periculum mortis matris

matris non excusat; nam in æquali certitudine amissionis boni temporalis, & boni simul temporalis, & æterni, semper primum bonum, quod est solum temporale, postponendum est secundo bono, quod simul est temporale, & spirituale; sed in casu periculi evidencis mortis matris, & mortis temporalis ex alia parte cum æterna damnatione prolis, stat æqualis certitudo: Ergo semper postponenda est mors matris, quæ tantum temporalis est, morti temporali, & æternæ simul prolis: Ergo recuperatio sanitatis matris non est medium excusans ab homicidio culpabili. Probat minor: certa est mors matris infirmæ, nisi per medicamenta fœtum animatum expellat; certa insuper est mors, tum temporalis, tum æterna fœtus ex ejusdem expulsionem per eadem medicamenta: Ergo in evidenti periculo mortis utriusque stat æqualis certitudo.

Ex hac ratione pro prima parte illius minoris, remanet multò magis probata secunda pars minoris, quòd scilicet periculum evidens vitæ matris desumptum ex infamia, non excuset matrem ab homicidio culpabili. Secundò, quia tale periculum mortis matris propter infamiam, est periculum evitabile magis, quàm illud propter infirmitatem; cum periculum propter infamiam sit tantum ab extrinseco, & evitari poterit per fugam, se ponendo in loco tuto; periculum verò mortis per infirmitatem sit ab intrinseco, & omninò inevitabile, nisi per medicamenta: Ergo ad vitæ periculum vitandum propter infamiam, non excusatur mater ab homicidio culpabili.

Neque hic valet dicere, quòd mater ad periculum suæ vitæ vitandum, quod eveniret ratione infirmitatis, posset sumere medicamenta, non directè intendendo mortem fœtus animati, sed suam vitam, & sanitatem, ad quam jus habet; licet indirectè sequatur mors fœtus animati.

Non valet, inquam, primò, quia posset mater uti aliis medicamentis non directè tendentibus ad expulsionem fœtus animati, sed tantum directè tendentibus ad sanitatem matris, ut sunt balnea, & alia similia, quæ directè non tendunt ad expulsionem fœtus animati; quòd si postea sequatur mors fœtus, tunc mater posset ab homicidio culpabili excusari: eo prorsus modo, quo si quis ictum sclopi immitteret in feram, & casualiter occideret hominem, tunc occisor ab homicidio culpabili excusatur; quia feram videt, & in feram ictum immittit. At quando sumit medicamentum directè expulsivum fœtus, licet primò, & directè intendat suam sanitatem, tamen certò scit, medicamentum illud esse occisivum prolis animatæ; & iccirco dum directè sumit medicamenta ad fœtum expellendum, non potest ab homicidio culpabili excusari.

Secundò non valet, quia implicat, matrem

sumere medicamenta ad directè expellendam prolem animatam, & quòd non directè intendat mortem ipsius, præsertim quando certò sciat, talia medicamenta esse expulsiva fœtus, & illa sumat ad fœtum expellendum, qui nocivus est sanitati matris: Ergo dum directè sumit medicamenta ad expellendum fœtum, directè etiam intendit fœtus expulsionem; præsertim quia possunt dari medicamenta æquivalentia, quæ conferunt ad sanitatem matris, absque certitudine saltem periculi fœtus.

Nec etiam valet jus, quod mater habet ad suam sanitatem temporalem; nam majus est jus prolis, quod habet ad sanitatem temporalem, & æternam; & mater, stante utroque jure, nequit pugnare contra prolem animatam; quia simul posset pugnare contra salutem temporalem, & æternam prolis; quod non est dicendum: adeoque instantia non valet.

78 Probat secundam partem, quòd scilicet abortus inanimatus sit licitus propter sanitatem matris. Et suppono hic, matrem, obstetrices, vel medicos certitudinem habere de fœtu inanimato; nam si essent in dubio, an sit animatus, vel inanimatus, tunc quia opinio stat potius pro fœtu, quàm pro matre, iccirco stante dubio, nequit expelli fœtus. Hoc supposito, nunc sic probo secundam partem questionis. Ubi fœtus est aggressor contra vitam matris, & mater habet majus jus ad vitam conservandam, quàm fœtus ad vitam recipiendam, potest licitè mater fœtum inanimatum expellere, pro sua vita tuenda; sed fœtus inanimatus est aggressor vitæ matris, & mater habet majus jus ad vitam conservandam, quàm fœtus inanimatus ad vitam recipiendam: Ergo potest licitè mater per abortum expellere fœtum inanimatum pro sua vita tuenda. Major est certa, quia tunc à culpa excusatur aggressor in vita, quando absque occasione aggressoris, non potest jus suum tueri, seu quando non potest alio medio illud tueri. Probat minor: jus, quod habet fœtus inanimatus ad vitam recipiendam, est remotum, & in potestate vitæ matris, quòd si hæc supervivat, animaretur; Jus verò, quod habet mater ad vitam suam, est Jus proximum, imò actuale: illud est Jus ad rem, hoc verò est Jus in re; sed majus est Jus in re, & actuale, quàm Jus ad rem, & potestativum, ac remotum: Ergo &c.

Confirmatur hoc: si mater moreretur, non sumendo medicamenta tendentia ad suam salutem, etiam periret fœtus inanimatus; & sic cessaret finis generationis: Ergo in utroque jure, matris ad vitam conservandam & fœtus inanimati ad vitam recipiendam, potius standum est pro matre, quàm pro fœtu: Ergo &c. Probat ita consequentia; quia si mater superviveret, interserviret fini generationis, propter quam gravidata fuit: Ergo magis standum est juri matris, quàm fœtus inanimati.

Eò vel maxime, quia, hic etiam supponimus

E e

ma-

matrem directè intendere suam sanitatem ; & quamvis medicamenta conducentia ad sanitatem sint etiam expulsiua foetus inanimis, tamen talis expulsio per accidens evenit ; Ergo potest mater licitè sumere medicamenta conducentia ad sui sanitatem, quamvis ex illis sequatur expulsio foetus . Probatum antecedens, à pari de pollutione , quæ per accidens tantum evenit ex ebrietate , & tamen qui bibit, non per se intendens pollutionem illam, non peccat; quam si per se intenderet, tunc utique peccaret. Ita pariter, mater , quæ sumit medicamenta propter suam sanitatem , licet foetus inanimis indirectè expellatur , quia tamen talem expulsionem per se non intendit, non peccat; Ergo &c.

78. Probatum tertia pars : Illa actio occisiva est licita, quæ fit cum moderamine inculpatæ tutelæ contra aggressorem ; sed expulsio foetus inanimati propter vitandam infamiam , & mortem venientem à parentibus in puella violata , ne gravida reperitur , non est actio occisiva cum moderamine inculpatæ tutelæ contra aggressorem : Ergo talis expulsio ad vitandam infamiam , & mortem , si gravida puella reperitur, non est licita. Major patet ex superioribus dictis. Probatum minor primò, quòd non fit cum moderamine inculpatæ tutelæ. Tunc aliqua actio fit cum moderamine inculpatæ tutelæ , quando non reperitur aliud medium vitandi periculum certum, & imminens propriæ vitæ ; sed puella gravida absque expulsionem foetus inanimati, potest aliud mediū habere vitandi suam infamiam, & vitam: Ergo &c. Probatum minor: dum puella certò sciret, se esse gravidam, posset adire Episcopum , vel Confessarium, vel virum prudentem, ut antequam cognoscatur gravida ab aliis, illam ponat in Monasterio, vel in alio loco tuto: quòd est medium potissimum vitandi periculum vitæ , & infamiae : Ergo &c. Probatum secundò eadem minor, quòd scilicet foetus inanimatus in tali casu non fit aggressor . Ille dicitur aggressor vitæ alicujus, qui vitam illius in instanti invadit , ex qua invasione certò cognoscitur periculum vitæ invasi : ut patet si Titius gladio evaginato Cajum invadat, animo illum occidendi, diceretur aggressor, & invalor vitæ Caii; & tunc posset Cajus se defendere, etiam defensione occisiva; sed quando puella ad suam honestatem cooperiendam, & periculum vitæ vitandum , intendit foetum inanimem expellere , tunc foetus ille non in instanti diceretur invalor , & aggressor vitæ matris , ita ut hæc suam vitam non possit aliunde salvare : Ergo &c. Probatum minor : si Petrus minaretur mortem Titio, nisi Cajum occidat, Titius non esset invalor, & aggressor vitæ Caii ; unde Cajus sciens minas à Petro Titio factas, non posset licitè Titium occidere , sed deberet se ponere in tuto : Ergo similiter , propter minas à Fratre suo Bertæ factas, eam occidendi, quia

gravida facta est, non potest Berta licitè se defendere contra foetum, propter quem timeret, fratrem suum ipsam esse occisurum: Ergo &c.

Neque dicas , in tali casu puellam excusari ab homicidio , quia directè tunc intendit vitam, suamque suam tueri, & per medicamenta, quæ sumit solùm indirectè , & per accidens evenit occisio foetus inanimis.

Ne, inquam, dicas ; primò quia sic possent omnes fæminæ etiam excusari ab homicidio; nedum foetus inanimis , sed etiam animatis; quia dicere posset fæmina, quòd vellet sumere medicamenta , non animo expellendi foetum, sed ad propriam mortem, vel infamiam vitandam: quòd implicatorium est, si sciat medicamenta esse occisiva foetus. Secundò non valet, quia dum fæmina procurat abortum ad vitandam infamiam, vel occisionem, eo ipso occisionem illam directè intendit; in hoc nanque casu idem est procurare abortum, ac intendere abortum secuturum; ac per consequens falsum est, quòd puella in tali casu posset ab homicidio excusari . Ex hac potissima ratione, & ex superiori adducta pro probatione hujus tertiæ partis evidenter deducitur falsitas illius propositionis, quòd scilicet liceat procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur , aut infametur.

### Solvuntur Objectiones.

79. **O**bjicies primò contra primam partem probando , quòd in aliquo casu sit licitus abortus foetus animati . Ubi adest periculum vitæ prægnantis propter gravem infirmitatem , non videtur improbabile, quòd ad tuendam vitam matris licitè possit expelli foetus animatus : Ergo saltem in hoc casu videtur licitus abortus animatus. Probatum assumptum antecedenti: ubi periculum vitæ prægnantis est evidens propter gravem infirmitatem, foetus animatus in utero matris est aggressor : Ergo non videtur improbabile , quòd ad tuendam vitam matris prægnantis licitè possit expelli foetus animatus. Antecedens est certum apud omnes, quia talis foetus constituit matrem in extremo mortis periculo: unde dicitur, hunc foetum directè contra vitam matris pugnare. Probatum nunc consequentia : contra aggressorem vitæ licita est defensio occisiva cum moderamine inculpatæ tutelæ , quando scilicet nullo alio medio possit periculum evitari: Ergo si foetus animatus in utero matris est aggressor , non videtur improbabile , quòd ad vitam matris tuendam , sit licita expulsio foetus animati.

Respondetur transacto antecedenti, negando consequentiam (Dixi transeat antecedens) quia non desunt Doctores dicentes, licitum esse abortum foetus animati, præsertim, quando

do probabiliter existimatur, cum morte matris perire etiam prolem animatam. Attamen, quia nos absolutè id negamus, ideo nolumus quæstionem facere de tali probabilitate; sed nego licere matri, ad suam tuendam salutem, procurare abortum fœtus animati, sumendo medicamenta occisiva prolis. Ad probationem antecedentis, nego consequentiam; & ad probationem ejus dist. antecedens: contra aggressorem vitæ licita est defensio &c. si aggressor habet æquale Jus, vel minus Jus, concedo antecedens: si aggressor habet majus Jus, nego antecedens, & consequentiam. Dico igitur, quòd tunc contra aggressorem vitæ licita est defensio occisiva cum moderamine inculpatae tutelæ, quando aggressor pugne minus Jus, vel nullum, vel ad summum æquale habet: ut patet, ne dum de injusto invasore, verùm etiam de eo, qui motus ad certamen ex verbis contumeliosis, tandem in sine pugne sumit arma contra provocantem ad pugnam; & in hoc secundo casu Jus aggressoris potest dici minus, vel saltem æquale: de eo verò, qui statim invadit, nullum est Jus in pugna sumenda. Itaque in aggressorem habentem majus Jus in pugna, non est licita occisio defensiva; nec posset occisor excusari à culpa: fœtus autem animatus est aggressor habens majus Jus in pugna contra matrem, quàm mater ipsa contra fœtum animatum. Etenim Jus matris est tantùm ad vitam temporalem, Jus verò fœtus animati est nedum ad vitam temporalem, sed etiam æternam suscipiendam per baptismum. Ex quo sequitur, quòd in nullo casu sit licitus abortus fœtus animati, quia Jus non est æquale, sed majus ex parte fœtus.

Dices: etiam fœtus inanimatus est aggressor vitæ matris, habens jus, tam ad vitam temporalem, quàm æternam; & tamen licitum est ad salvandam vitam matris expellere fœtum inanimatum: Ergo quamvis majus sit Jus fœtus animati in aggressionem contra vitam matris, quàm matris contra vitam prolis, non per hoc sequitur, quòd mater non possit licitè pro vita sua salvanda, indirecè expellere fœtum animatum. Probatur assumptum antecedentis; nam fœtus, dum est proximè animandus, habet Jus ad vitam, & ex receptione animæ habet Jus ad vitam æternam, mediante vita, quam accipit: Ergo &c.

Respondetur dist. antecedens: habet Jus proximum, & actuale, nego antecedens: proximum ad vitam temporalem, & remotum ad vitam æternam, concedo antecedens, & nego consequentiam, & paritatem. Diversum nanque est Jus, quod habet fœtus animatus ab eo, quod habet fœtus inanimatus. Fœtus animatus habet Jus actuale ad vitam, quia est vivens vita rationali, & habet Jus proximum ad vitam æternam per baptismum suscipiendam; quia quandoque dantur casus, in quibus, mortua matre, proles non extinguitur

per mortem matris, sed viva remanet, & vi ab utero matris extracta, baptizatur: ut præ ceteris patet de Sancto Raymundo, communiter dicto *Nonnato*. Et his temporibus à me fuit cognitus quidam Nobilis Salernitanus de familia de Ruggio, qui attingebat quasi nonagesimum annum, & fuit extractus viuis ab utero matris jam mortuæ. Fœtus verò inanimatus, estò Jus proximum habeat ad vitam temporalem, & remotum ad æternam vitam, nullum tamen Jus actuale habet ad vitam, quia illa caret; & idcirco mater contra hunc fœtum inanimem potest licitè pugnare, suam vitam defendendo, secus verò contra fœtum animatum, quod Jus proximum habet ad vitam æternam, quod Jus est majus vita temporali matris.

30 Obijcies secundo contra secundam partem, probando non esse licitum abortum inanimatum propter matris sanitatem tuendam. Non est licitus abortus inanimatus propter tuendam famam, & evitandum periculum vitæ, ut determinatum est in tertia parte conclusionis, ex damnata propositione ab Inn. XI. num. 34. Ergo neque erit licitus abortus inanimatus propter tuendam sanitatem matris, si esset posita in periculo vitæ ratione infirmitatis. Probatur consequentia: quando aliquod consequens connexum cum aliquo antecedenti est scandalosum, & ut tale damnatum ab Ecclesia, non sine scandalo asseri potest, esse licitum antecedens; sed hoc consequens, scilicet licitus est abortus fœtus inanimis ad tuendam famam matris, & vitandum periculum vitæ, si gravida deprehendatur, est propositio consequens connexa cum hoc antecedenti, scilicet est licitus abortus fœtus animati ad vitandum periculum vitæ matris ex infirmitate: Ergo si propositio illa consequens est ut scandalosa ab Ecclesia damnata, non potest hæc secunda, quæ est antecedens, sine scandalo defendi; ac per consequens in nullo casu erit licitus abortus fœtus inanimati.

Respondetur negando consequentiam, & paritatem, ad cujus probationem nego minorem. Hæc nanque propositio: *Licitus est abortus ad vitandum periculum vita, ne puella gravida deprehendatur, & infametur*, nec est consequens ad hanc aliam: *Licitus est abortus ad vitandum periculum vita, quando mater est in extrema infirmitate constituta*; neque est cum hac propositione connexa. Ratio est, quia prima propositio, quæ ut scandalosa, est damnata, ponit periculum tantùm ab extrinseco, scilicet per timorem parentum, & minas eorum, quod periculum facile vitari potest absque fœtus inanimis occisione, ut dictum est supra. At secunda propositio ponit periculum ab intrinseco, scilicet inevitabile, absque defensione occisiva. Unde sicuti non est idem periculum in utraque propositione, ita nequit esse par ratio utrobique, neque potest

deducit connexio utriusque propositionis : sicuti in Titio non est idem periculum vitæ, si ei minetur mors, nisi Cajum occidat, ac si esset à Cajo statim invasus : primum periculum potest à Titio absque occisione Caji vitari, & si non vitaret, jam culpabiliter occideret Cajum : secundum verò periculum de invasione, non potest Titius vitare, nisi Cajum occidat, & sic, inculpabiliter Cajum occideret. Ita in proposito, periculum mortis in prægnante infirma est inevitabile, quia à fœtu inanimato aggressa est, & invasa; periculum verò mortis, si deprehenderetur gravida, est evitabile modo supra explicato num. 78., & ideo nulla potest esse connexio harum propositionum, quando utrobique non est idem periculum vitæ; & ita ista propositio : *Licitus est abortus inanimatus, quando mater est in extrema infirmitate constituta*, non debet censerī scandalosa propositio, neque deductiva alterius propositionis damnata, scilicet *Licitus est abortus fœtus inanimati, ne puella deprehensa gravida, occidatur, vel infametur*. Ratio talis inconnexionis patet ex regula dialectica; nam quando duæ propositiones ita se habent, ut una non sit causa alterius, ut præmissa est causa conclusionis; neque ambæ ab eodem formali principio emanent, nulla potest esse ratio connexionis inter illas propositiones. Neutrum salvatur in illis propositionibus : non primū; quia una non est causa alterius, nec veritas unius inducit veritatem alterius, neque è contra, falsitas unius falsitatem alterius : neque ambæ ( ut prætendit argumentum ) continentur sub eodem principio; quia principium illud veritatis ambarum, vel falsitatis ambarum esset periculum vitæ; & quia, ut dixi, periculum vitæ pro formali est diversum, in unanque est evitabile, & in altera inevitabile; iccirco una non est cum altera connexa: adeoque &c.

81. Obijcies tertio contra tertiam partem, quòd scilicet licitus sit abortus inanimatus, ne puella gravida deprehensa occidatur, vel infametur; & simul impugnatur supradicta responsio. In tantum non esset licitus abortus inanimatus, ne occidatur puella gravida deprehensa, in quantum in hoc casu nequit defendi, & rationabiliter probari, fœtum esse aggressorem matris, ut mater licite possit aggressorem occidere; sed in primis rationabiliter probari potest, fœtum inanimatum in hoc casu, etiam esse aggressorem; & ulterius non est necesse, quòd sit aggressor, ut excusetur mater ab homicidio : Ergo in isto casu licitus est abortus inanimatus, ne puella gravida deprehensa, occidatur. Probatum minor quò ad primam partem : fœtus hic inanimatus constituit matrem in periculo mortis, si foret deprehensa gravida, & non posset mortem vitare, si ita gravida deprehenderetur; sed fœtus ponens matrem in periculo mortis, quòd pericu-

lum vitare non potest, est vitæ matris aggressor : Ergo. &c. Probatum secundò eadem minor principalis: etiam fœtus animatus est aggressor vitæ matris, & tamen nequit mater excusari ab homicidio, si fœtum ipsum occidat: Ergo ratio aggressionis non excusat matrem ab homicidio : Ergo estò fœtus inanimatus, qui ponit matrem in periculo mortis, si gravida deprehendatur, non sit aggressor, tale periculum posset matrem excusare ab homicidio.

Respondetur negando minorem quò ad utranque partem, ad cujus primam probationem, nego majorem quò ad primam partem. Dico igitur, quòd in casu, quo puella deprehenderetur gravida, licet poneretur in periculo mortis, hoc tamen periculum non est omninò inevitabile; cum tam ante cognitam gravitationem à parentibus, quam post, habeat locum se ponendi in tuto, & vitam suam salvandi: quapropter tale periculum non venit à fœtu ipso invadente vitam matris, excruciendo humores, & bellum interiùs excitando, ratione cujus mater infirmata, ponitur in periculo mortis per pugnam ab ipso fœtu mortam. Esset ergo extrinsecum periculum vitæ à parentibus propter honorem, & non à fœtu ( ut supponimus in casu ) : qui proinde contra iustitiam expelleretur, & privaretur vita, cum non esset ipse invasor contra vitam matris in tali periculo positæ. Ad secundam probationem minoris dico, rationem aggressionis excusare matrem ab homicidio culpabili, quando aggressor non habet majus jus sumendi pugnam contra matrem; secus verò quando majus est jus aggressoris, quam matris, ut dictum est supra. Fœtus inanimatus habet minus jus pugnandi, quam mater; quia Jus matris est Jus ad vitam temporalem, quam actu habet, & jus fœtus inanimatus est ad vitam temporalem proximè habendam. Fœtus verò animatus habet actu Jus ad vitam, quam habet, & proximè ad æternam per baptismum acquirendam; & sic hujus fœtus est majus jus contra matrem, quam matris contra fœtum.

Concludimus igitur, quòd in nullo casu licet occidere fœtum animatum, quamvis probabiliter judicetur, fœtum ipsum in morte matris etiam perire; quia cum tali probabilitate stat etiam probabilitas vitæ fœtus, quæ saltem sufficiat ad susceptionem baptismi: & in dubio melior est conditio habentis majus jus. Si verò fœtus est inanimatus, & pugnat contra vitam matris, ipsam intus invadendo in corporali salute; tunc mater potest licite fœtum expellere per medicamentam conducentia ad suam salutem, directe procurando suam salutem, licet per accidens sequatur fœtus occisio; quia tunc mater potest à culpa excusari, cum alio medio uti non posset vitandi periculum suæ mortis: & insuper non est majus jus hujus fœtus ad vitam, quam matris ad suam. Si

Si tandem abortus fœtus animati procuretur ad fugiendam infamiam, & periculum cõminatæ mortis, si à parentibus gravida deprehendatur; tunc abortus non est licitus; & quia fœtus tunc non esset aggressor vitæ matris; & quia mulier procurando abortum, directè intenderet mortem fœtus; cum procurare in hoc casu idem sit, ac intendere, vel saltem ab intentione derivetur. Et hæc est potissima ratio, quare una ex his duabus propositionibus sit damnata circa fœtum inanimatum, & non altera.

QVÆSTIO DECIMA.

*An homicida teneatur aliquid restituere pro vita hominis injustè occisi, vel pro membro illius injustè mutilato?*

**S**uppono pro majori intelligentia quæstionis, obligationem restitutionis pro homicidio patrato induci, non ex homicidio casuali, & per accidens, sed tantum ex homicidio voluntario cum intentione occidendi hominem. Hoc nanque homicidium voluntarium tunc est tale, quando quis occidendo, dat causam rei illicitæ, rem ipsam directè intendendo, & volendo: vel si ad evitandam rem illicitam, non adhibet omnem diligentiam, qua non adhibita, sequitur homicidium. Hoc supposito,

82. Advertendùm est cum Doctore nostro in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. §. de alia autem damnificatione L. H. omnia damna, quæ sequuntur ex homicidio voluntario, esse restituenda, & resarcienda ante omnem Judicis sententiam, quod etiam intelligitur de mutilatione membri notabilis, ex qua mutilatione damnum inferatur mutilato, vel ejus familiæ. Ex quo noto, duplex esse damnum, quod contingere potest ex occisione, vel mutilatione: unum directum, & immediatum, quod fit personæ occisæ, vel mutilatæ; alterum est mediatum, & per accidens, quod fit in bonis honoris, & fortunæ ipsius occisi, & mutilati. Hoc secundum damnum consequitur à primo; ut si ex morte Titii uxori vel huius ejus, vel Patri, aut Matri, quos ipse Titius tenebatur alere ex sua industria, deficeret necessarium pro eorum sustentatione: tunc hoc damnum parentibus, & consanguineis Titii eveniret propter homicidium patratum in Titium, vel propter membrorum Titii mutilationem. Hoc secundum damnum consequens potest dici damnum emergens, & lucrum cessans; præsertim quando occisio, vel mutilatio fiat personæ, quæ proprio quotidiano labore suam alebat familiam. Alia damna, quæ sequuntur ex occisione, vel mutilatione,

sunt expensæ, quæ occurrere possunt pro medicis, & medicamentis, si per aliquod tempus superviveret occisus (quod ipsum respectivè dicendum de mutilato): quæ damna sunt proprium interesse ipsius occisi, vel mutilati.

His notatis, in præsentì quæritur, an homicida teneatur, & quidem ex justitia, tam ad damnum consequens resarciendum, quod sequitur ex homicidio, vel membrorum mutilatione; quàm ad damnum immediatum, scilicet ad ipsum occisum, vel mutilatum? Quantum ad primum damnum, consequens scilicet ex homicidio, vel mutilatione, conveniunt omnes Doctores, homicidam ad restitutionem teneri pro damno, quodcunque sit, secuto ex ipso homicidio, vel membrorum mutilatione. Quantum verò ad damnum immediatè illatum personæ occisæ, vel mutilatæ, volunt aliqui Doctores, ut Lessius, Vasquez, Bonacina, Navarrus, Filliucius, & alii, nullam inducere obligationem hujusmodi damnum; cum non possit quacunque pecunia compensari, & vita hominis occisi, & difformitas corporis pro membro abscisso. Oppositum verò docent Scotistæ omnes cum Scoto loc. cit. & extra nostram Scholam, Gabriel, Angelus, Silvester, Azorius, Adrianus, & alii cum D. Thoma 2. 2. q. 62. art. 2. ad primum. Et pro decisione

*DICO*, homicidam teneri ad restitutionem, nedum damni consequentis ad occisionem, vel mutilationem membrorum, ut est lucrum cessans, damnum emergens, & interesse; verum etiam ex justitia teneri ad damnum ipsius occisi, vel mutilati, Conclusio quò ad primam partem est communissima; & quò ad secundam est Doctorem pro secunda sententia, contra citatos pro prima sententia. Et

83. Probatur prima pars: qui dat causam rei illicitæ, ex qua damnum aliquod infallibiliter sequitur, sive sit damnum emergens, sive lucrum cessans, sive interesse, ad damnum illud resarciendum ex justitia tenetur; sed homicida occidendo, vel mutilando, dat causam rei illicitæ: Ergo ad omne damnum sequens ex homicidio, vel mutilatione ex justitia resarciendum tenetur, sive sit damnum emergens, sive lucrum cessans, sive interesse. Minor est certa, quia hic supponimus homicidium esse voluntarium, & ut tale prohibitum, & illicitum. Probatur major: qui dat causam rei illicitæ, ex qua sequitur aliquod damnum infallibiliter, injuriam facit ei, qui damnificatur; sed propter injuriam illatam tenetur ex justitia ad damnum resarciendum: Ergo dans causam rei illicitæ, ex qua infallibiliter aliquod damnum sequitur, quodcunque sit, ad illud resarciendum tenetur. Major est certa, tam de eo, qui devastaverit vineam Titii V. G. quàm de eo, qui furatus sit summam aliquam à mercatore, ex qua summa mercator lucrum, quod acquirere potuisset, perderet. In quibus casibus, tam devastator vineæ tenetur ad omnia



omnia damna secuta per fructus deperditionem; quàm fur ad omne interesse, & damnum emergens, ac lucrum cessans mercatoris, & quidem propter injuriam ex damno illatam: Ergo si omnia illa damna sequuntur propter occisionem, vel mutilationem, occisor, & mutilans ad omnia illa damna tenebitur ex justitia.

84 Probatur nunc secunda pars, ubi stat præcipua difficultas. Qui alium occidit, vel membrum alterius mutilat, peccat contra justitiam; sed justitia obligat ad restitutionem pro homicidio patrato, vel membro mutilato: Ergo qui alium occidit, vel membrum alterius mutilat, pro damno ipsius occisi, vel mutilati, tenetur ad restitutionem. Major est certa, quia injuriam facit occiso, vel mutilato, ejus jus lædendo. Probatur minor: in tantum justitia non obligaret occisorem, vel mutilatorem ad restitutionem pro homicidio, vel membro mutilato, in quantum, cum vita hominis occisi, vel membrum mutilatum sit altioris ordinis quacunque pecunia, nulla fieri posset justa compensatio, & redditio æquivalens damno illato ipsi occiso, vel mutilato; sed hæc ratio, ultraquamquod sit falsa, nil etiam probat: Ergo &c. Probatur primò minor, quòd scilicet illa ratio sit falsa: etiam fama est altioris ordinis, & tamen justitia obligat detractorem ad ipsam restituendam, & damnum refarciendum, vel revocando calumniam, vel alio modo æquivalenti (ut dicemus in sequenti disputatione): Ergo quamvis vita hominis, vel membrum mutilatum sit altioris ordinis quacunque pecunia, non per hoc sequitur, quòd non possit fieri aliqua cõpensatio æquivalens damno illato. De his suo loco patebit. Probatur consequentia, quia tam vita hominis, quàm fama, nequeunt pretio pecuniario æstimari, & tamen fieri potest justa, & æquivalens compensatio pro fama: Ergo pariter pro vita, vel membro mutilato. Probatur eadem minor principalis, quòd scilicet illa ratio nihil probat. Primò, quia si pecunia sit compensatio pro occisione bovis, vel canis, quare fieri nequeat compensatio per æquivalentiam pro occisione hominis, vel injusta hominis mutilatione? Ut Doctor noster infra L.F. loquitur his verbis: *Quia si occidisset quis bovem, aut canem proximi sui, non absolveretur sine restitutione, & subdit: tenetur ergo ad restitutionem spirituales æquivalentem vita, quam abstulit.* Secundò si probaret, excusandum fore homicidam, vel mutilatorem à restitutione, probaret etiam, talem homicidam relatè ad personam occisam, vel mutilatam nõ peccare contra justitiam (quod neque adversarii concedunt); nam ubi non adest obligatio restitutionis, quæ est actus justitiæ, nullum esse potest peccatum contra justitiam: Ergo &c.

85 Ex his noto, restitutionem æquivalentem damno illato occiso, fieri posse pluribus mo-

dis, ut insinuat à Doctore nostro loco citato. Primò, ut si homicida pœna talionis per Judicis sententiam ad mortem damnatur, debeat patienter mortem illam tolerare pro justa compensatione, & æquali morti alteri illata: & ideo subdit Doctor sub litt. F. cit. *Quòd ubicunque lex talis de vita pro vita reddenda statuta est, justè debet homo patienterolvere istam pœnam: quæ si alicubi non sit statuta, nullus debet eam sibi inferre; quia nullus debet esse homicida sui, sine speciali præcepto Dei.* Ex quibus verbis Doctoris inferitur, quòd mors data per sententiam Judicis, & ab occisore patienter tolerata sit æquivalens morti illata occiso. Et insuper deducitur, quòd non posset homicida se ipsum occidere pro compensatione occisionis alteri illata.

Secundò, restitutionem æquivalentem fieri, si occisor spontè se exhiberet morti inferendæ ab inimicis Ecclesiæ; quia tunc justa esset illa mors, quando tali periculo se exponeret, pugnando contra inimicos Ecclesiæ: hæc sunt verba Doctoris: *Sed expedit sibi, quòd exponat vitam suam in causa justa: ut potè contra inimicos Ecclesiæ, pro restitutione faciendâ illi, cui vitam abstulit.*

Tertiò, restitutionem æquivalentem fieri per redditionem spiritualem; ut ipse Doctor insinuat: scilicet orando pro anima occisi, elemosynas elargiendo, & sacrificia offerendo pro illius anima. Hæc omnia sunt actus justitiæ, & non solius charitatis, ut putant Bonacina, & alii Recentiores.

Quartò, restitutionem æquivalentem faciendam pro membro mutilato ipsi mutilato, ait Doctor qu. cit. sub litt. I. debere esse per obsequium, mutilatum placando, & consolando. Per hanc doctrinam patet, quòd his modis fieri potest restitutio pro damno immediatè illato occiso, vel mutilato.

### Solvuntur Objectiones.

86 **O**bjicies primò contra primam partem. Nemo tenetur ad refarciendum damnum, quod præter intentum damnificantis evenit; sed homicida, vel mutilator membrorum non intendit illa damna sequentia ad homicidium, vel mutilationem: Ergo non tenetur damna illa refarcire, quacunque sint. Probatur major: nemo tenetur ad damnum aliquod refarciendum, nisi damnum illud sit per se intentum: ut patet de fure, qui per furtum intendit ultra suam utilitatem, etiam damnum alterius, à quo rem furatur: patet etiam de eo, qui impedit alium à consecutione alicujus boni, non intendendo damnum illius, sed propriam utilitatem: Ergo universaliter quando damnum sequitur præter intentum damnificantis, non tenetur damnificans ad damnum illud refarciendum.

Respon-

Respondetur negando majorem, ad cujus probationem de prima paritate, nego assumptum præcisè per hoc; nam etiam si fur suam tantum utilitatem intenderet, propriumque commodum, dum rem alienam rapit, adhuc ad damnū sequens ex furto illo, teneretur. Sive inquam damnū sit per se intentum, sive non, ac per consequens præter intentionem, damnicantis, quoties damnicans dat causam rei illicitæ, ex qua damnū illud sequitur infallibiliter, & inevitabiliter, semper damnicans ad totius damni secuti restitutionem tenetur, illudque resarciendum. Unde quia ad homicidium patratum, quod est opus illicitum, sequuntur plura damna, ut deficientia alimenti, quod occisus tenebatur præstare parentibus, filiis, & consanguineis, & alia interesse, juxta prudentum æstimationem; ideo quamvis talia damna non sint intenta ab homicida, hic tamen ad illa resarcienda tenetur. Sicut etiam tenetur fur ad omnia damna, quæ sequuntur ex furto, estq̃ suam utilitatem fur per se intenderit. Ad secundam paritatem dico, disparem esse rationem, nam est, qui alium impevit à consecutione alicujus boni, ipsum damnicet; quia tamen dat operam rei licitæ, pro seipso bonum procurando, nullam vim, aut fraudem adhibendo contra damnicatum, ideo non tenetur ad damnū resarciendum. Sola ergo obligatio ad resarciendum damnū oritur, quando damnū sequitur à re illicita, non à re licita; & quia homicidium est res illicita, & prohibita, iccirco homicida ad damnū resarciendum, quod sequitur ex homicidio, tenetur.

87 Obijcies secundò contra secundam partem. Si teneretur homicida ad restitutionem pro vita hominis occisi, vel pro membro ejus mutilato, jam vigeret lex Judaica, & non esset per Christum in lege Evangelica moderata; sed hoc non est dicendum; cum Christus Dominus per suam misericordiam legem illam antiquam moderaverit: Ergo non est aliquid restituendum ab homicida pro vita hominis occisi; vel ejus membro mutilato. Probatur major; nam lege Judaica præcipiebatur dari animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu &c. Sed hoc modo fieri deberet restitutio nunc pro vita hominis occisi, vel pro membro mutilato: Ergo adhuc permaneret lex Mosaica. Major colligitur ex Exod. 21. Probatur minor: non datur aliud æquivalens vitæ ablatæ, quam propria vita; & oculo proprius oculus &c. Quæcumque alia compensatio, quæ fieri posset, non est æquivalens damno personali illato: quod probatur, quia vita, & membrum hominis sunt pretio inæstimabilia, & altioris ordinis quacunque pecunia, si hæc traderetur pro damno illo compensando: Ergo &c.

Deinde; in L. ultim. ff. de his, qui deiecerunt, habetur, pro cicatrice, & hujusmodi in corpo-

re libero factis, nullam compensationem faciendam esse; quia liberum corpus æstimationem non recipit: Ergo juxta hanc Jurium civilium determinationem, quia corpus læsum est pretio inæstimabile, nulla ei fieri potest justa compensatio; ac per consequens homicida, vel mutilator non tenebitur ad restitutionem.

Respondetur ad primam cum Doctore nostro loc. cit. infra litt. C. s. Resp. negando majorem, & minorem probationis, & assumptum alterius probationis. Ait Doctor loc. citato, legem antiquam à Deo dictatam, & à Moyse Hæbræis promulgatam pro illius observantia, etsi adhuc secundum aliqua statuta, & præcepta nunc post Christum legislatorem observatur, non tamen habet observantiam, quatenus lex Mosaica est, sed quatenus Evangelica, & Christiana est. Quod probatur, tum ex decretalibus desumptis ab ipsa lege Mosaica; tum ex communitatibus, & Rebus publicis, quarum una videns bonam legem, bonaque statuta in alia, vult etiam illa, ut in propria communitate observentur; non quatenus leges, & statuta illius communitatis sunt, sed quatenus præcipiuntur in ista; ut si in Gallia essent aliqua bonæ leges, & vellet Rex Hispaniarum illis uti, ut in suis Regnis observantur, tunc observantia illarum legum non oriretur à legibus Galliarum, sed à legibus Hispaniarum. Et insuper adducit constitutiones, quæ in Ordine Minorum observari præcipiuntur, quæ etiam possunt præcipi in ordine Prædicatorum, in quo ordine non præciperentur, ut constitutiones Ordinis Minorum, sed ut constitutiones Ordinis Prædicatorum. Ita similiter aliqua sunt, quæ observabantur, & observantur à Judæis in lege antiqua, quæ etiam nunc observantur in lege Evangelica; ut sunt præcepta decalogi, quæ tamen non observantur, ut præcepta Judæorum sunt, sed quatenus sunt præcepta Christianorum, à Christo domino decreta, Et rationem sub litt. D. assignat Doctor, dicens: *Undecunque accipiatur ratio statuendi, non habet robur ut statuta ab alio, sed ut ab isto: & hoc modo judicialia legis Mosaicæ possent à Papa, & ab Imperatore statui à Christianis observanda; nec observarentur ut à Moyse statuta, sed ut à legislatore Evangelico: & concludit; neque hoc esset Judaizare; quia non servatur lex judicialis, quia Mosaica, sed quæ eadem statuitur à Principe, qui potest statuere leges in lege Christiana.*

Ex hac doctrina deducitur, quod homicida, si obligatur ad restitutionem, modo quo potest illam facere, explicato supra num. 85, non obligatur à lege Mosaica, quæ præcipiebat animam pro anima, oculum pro oculo &c. sed à lege Evangelica obligante ad damnū resarciendum, & justam compensationem faciendam; & quidem ex justitia, & non ex charitate, aut consilio, & naturali æquitate, (ut aliqui putant). Ubi addo, quod si com-

penfatio fieret per orationes applicandas pro anima occifi, vel per alia fpiritualia fuffragia; quia hæc omnia funt altioris ordinis vita hominis, effer juffa compensatio, imò in valore excedens damnum illatum. Si verò fieret per tolerantiam mortis à Judice infligendæ, vel fe exponat homicida periculo mortis contra inimicos Ecclefie; hoc modo etiam juffa effer compensatio, quia placaretur Deus de injuria illi facta, præfertim contra fuum dominium.

88. Respondetur ad fecundum dicendo, omnia Jura effer intelligenda de æftimatione compensanda pecunia; nam cum bona corporis funt altioris ordinis bonis fortunæ, non poffet fieri juffa, & æquivalens compensatio per talia bona: non verò quando compensatio fit per bona, vel ejufdem ordinis, vel majoris ordinis ipla hominis vita; ut funt orationes, & alia fpiritualia fuffragia. Unde concludendum effer, femper teneri homicidam ad reftitutionem damni illati perfonæ occifæ, vel mutilatæ, fed non ad reftitutionem æqualem pro æquali ante Judicis fententiam; cum nemo poffit fe ipfum occidere, nec teneretur fe offerre Judici, ut occidatur; fed quando captus effer, & à Judice fententiatus, tunc patienter tolerare debet mortem pro morte alteri illata; & hoc modo reftitutio effer æqualis pro æquali: & fi hoc modo fieri non poffit, fieri debet per compensationem altioris ordinis, ut per orationes, & alia fuffragia; & hoc modo diceretur redditio fpiritualiter.

### QVÆSTIO VNDECIMA.

*An homicida, qui pœnam talionis folvit ex Iudicis fententia, adhuc ad alia damna refarcienda teneatur, etiamfi occifus occifori ante fuam mortem remiffionem fecerit?*

**P**RO majori claritate præfentis quæftionis advertendum effer, hunc terminum talionis apud Juriftas (ut obfervat Aretinus nofter in 4.d.25.q.3.art.1.) fignificare pœnæ fimilis retributionem pro pœna fimili. Quare fit, quòd fi lex aliqua ftatueret nunc mortem pro morte, pedem pro pede, oculum pro oculo, manum pro manu &c, ut erat in lege veteri, lex ifta diceretur talionis; & condemnatus ad fimilem pœnam, culpæ correspondentem, diceretur fubire pœnam talionis. Et quamquam hæc talionis pœna erat in ufu apud Hæbræos in omnibus iis, quæ continentur in cap. 21.22.& 23. Exodi, & quædam funt abrogata per Chriftrum Dominum in lege Evangelica; tamen aliqua funt admiffa in decretalibus Summorum Pontificum defumpta ex lege Moyfis, fed non obfervantur, ut præcepta

Mofaica, fed ut Pontificia. Quapropter fi Pontifex, Imperator, Reges, vel Republicæ, pœnam talionis inftituerent, ubi non effer inftitutæ; lex ifta de pœna talionis juffa effer.

89. Suppono in fuper, pœnam talionis folvi per Judicis fententiam, qua fecuta, mors homicidæ folvit ipfum à quacunque alia reftitutione faciendâ, præfertim fi Fifco Regio cedant bona ipfius homicidæ; nec debere fpontè fe oftendere Judici ad fubeundam pœnam illam: quapropter dum quærimus, an teneatur ad damna fecuta ex homicidio? fcilicet pro carentia alimentorum, quibus nutrirî debebant parentes, filii, & uxor? procedit quæftio de debito reftitutionis, feu refarcitione damni, antequam homicida per Judicis fententiam fubeat pœnam illam. Et in fuper quærimus: an fi occifus ante fui mortem remiffionem fecerit occifori, hic remaneat folutus ab obligatione refarciendi damna hæredibus fecuta? Ubi fuppono, offenfum, & injuriatum, præfertim in vita, teneri in confcientia remittere injuriam, quâ tum fpectat ad forum confcientiæ, juxta præceptum Chriftri: *Dimittite, & dimittetur vobis*: & hic effer fecurus de remiffione injuriæ; non verò damni, præfertim circa alias perfonas damnificatas per injuriam, quam accepit occifus. His fuppoſitis, & notatis, pro quæftionis refolutione

*DICO*, homicidam, qui pœnam talionis folvere teneretur ex fententia Judicis, adhuc effer obligatum ad alia damna refarcienda: & hoc valet, etiam fi occifus, homicidæ ante fuam mortem remiffionem fecerit. Conclufio quò ad primam partem effer communis apud plures Doctores cum Scoto loc.cit. quem fequuntur Vafquez, Leffius, Bonacina, Navarrus, Covarruvias, Hiqueus, & Maftrius cum aliis, & effer contra Poncium. Secunda verò pars effer Hiquæi, Maftrii, & aliorum contra multos Recentiores: & hæc fecunda pars videtur probabilior.

90. Probatur prima pars: homicida, qui teneretur folvere pœnam talionis per Judicis fententiam, per talem pœnam non effer folutus à damno fecuto ex homicidio in alimentis præftandis parentibus, & filiis occifi: Ergo non obftante, quòd teneatur folvere pœnam talionis per fententiam Judicis, adhuc tamen ad omnia damna fecuta refarcienda teneretur. Probatur antecedens primò; quia pœna talionis effer taxata, & debetur tantum pro vita hominis occifi, & non pro damnis fecutis ex tali occifione: Ergo dum teneretur folvere pœnam talionis per Judicis fententiam, per talem pœnam non effer folutus à damno fecuto ex homicidio in alimentis præftandis parentibus &c. Probatur antecedens, quia pœna talionis effer talis, ut fit fimilis culpæ; fi ergo culpa effer ad perfonam occifi, pœna talionis effer ad vindicandum damnum illatum occifo; & non fe extendit ad alia damna fequentia ex il-

la occisione . Probatur secundò idem anteceden-  
dens principale: quando ex parte damnificati  
habetur jus ad alimentum , nulla lege solvi  
potest debitum ex parte damnificantis , sed  
solum per voluntariam cessionem habentis  
jus : Ergo per illam legem , qua pœna talionis  
puniendus est homicida per Judicis sententiã,  
nequit solvi debitum ipsius homicidæ da-  
mnificantis. Probatur ista consequentia; quia  
hæredes , vel ii , qui ab occiso alimenta sume-  
bant , habent jus ad tale alimentum præstan-  
dum ab ipso homicida damnificante : Ergo si  
nulla lege potest solvi jus damnificati , & de-  
bitum damnificantis , jam per legem talionis  
non est homicida solutus à dño resarciendo ,

Eò vel maximè , quia lex sine delicto priva-  
tiva alicujus juris , esset injusta ; sed si aliqua  
lege esset solutus homicida à damno illato  
hæredibus occisi , jam illa lex esset privativa  
juris hæredum , absque delicto hæredum : Ergo  
esset lex injusta ; & consequenter lex illa talio-  
nis ex hoc capite saltem , quia privaret hære-  
des occisi jure , quod habent contra occiso-  
rem , diceretur injusta : quod non est dicendū .

Confirmatur: lex talionis sit ista : *qui gladio  
ferit gladio pereat : aut det animam pro anima.*  
Nunc sic arguo: lex ista datur ad compensan-  
dam injuriam factam Reipublicæ statuenti le-  
gem , quod nemo occidat alium ; vel si occidat ,  
reus sit mortis ; sed ultra hanc injuriam factam  
Reipublicæ propter homicidium , adsunt aliæ  
injurie , quarum una sit ipsi occiso , quæ per  
mortem homicidæ , si à Judice damnatur ad  
mortem , compensaretur ; & altera sit hære-  
dibus occisi circa alimenta , quæ præstaban-  
tur ab ipso occiso : Ergo ultra illam pœnam  
talionis subeundam , adhuc obligatus rema-  
net ad alia damna subsequuta resarcienda ; &  
hoc quidem donec vivat ipse homicida , &  
juxta prudentum æstimationem .

91. Probatur secunda pars: Remissio , quam  
facit occisus ante suam mortem occisori , non  
potest se extendere ad offensionem juris alio-  
rum , quod habent contra ipsum occisum .  
Ergo quamvis homicida , qui pœnam talio-  
nis subire debet , habeat remissionem ab oc-  
ciso , per hanc tamen non est solutus ab obli-  
gatione resarciendi damnum hæredibus illa-  
tum . Probatur antecedens primò quia remis-  
sio illa non se extendit ad hoc , ut possit Res-  
publica solvere homicidam à pœna talionis ;  
cum non se extendat talis remissio ad com-  
pensandum damnum Reipublicæ illatum ; sed  
tantum ad remittendam injuriam ipsi occiso  
illatam : Ergo neque potest se extendere ad re-  
mittendum debitum contractum cum hære-  
dibus ; quia sicut occisus , dum vivebat , tene-  
batur alere parentes , & filios , ita loco ipsius  
subintrare tenetur homicida . Probatur se-  
cundò idem antecedens ; nam sicuti parentes  
occisi jus habent , ut sibi alimenta præstentur  
ab ipso occiso , dum viveret , & non poterant

justè ab ipso spoliari tali jure ( quod natura-  
le est ) ; ita neque per remissionem factam  
occisori ab occiso possunt justè tali jure pri-  
vari ; alias remissio illa potius injusta , quàm  
justa diceretur : Ergo &c .

Confirmatur , quia remissio fit ad remitten-  
dum debitum contra jus , quod occisus ha-  
bet ; sed occisus habet tantum jus ad suam  
vitam : Ergo per talem remissionem tantum  
in homicida extinguitur debitum , quod con-  
trahit cum occisore : Ergo semper remanet  
debitum cum hæredibus ad alimenta præ-  
standa .

*Solvuntur Objectiones.*

92. **O**bjicies primò contra primam partem:  
Pœna stabilita est à Judice propter  
homicidium patratum ; Ergo cuicumque da-  
mno per ipsum homicidium subsequuto satis-  
fit per pœnam talionis ; Ergo dum homicida  
tenetur solvere pœnam talionis per Judicis  
sententiam , remanet solutus à quocunque  
damno resarciendo . Probatur consequentia ;  
per pœnam talionis satisfit Reipublicæ ta-  
xanti pœnam , & ipsi occiso compensatur  
injuriam : Ergo per ipsam pœnam talionis satis-  
fit cuicumque damno ex homicidio secuto ;  
nam cum quis tenetur satisfacere pro damno  
antecedenti , ad quod sequitur aliud damnum ;  
si aliqua lege punitiva solvitur debitum pro  
damno antecedenti , videtur etiam solutum  
debitum pro damno consequenti ; sed da-  
mnum in alimentis parentum , & filiorum est  
consequens ad damnum personale ipsius oc-  
cisi : Ergo quoties per pœnam talionis solvi-  
tur debitum personale , quod habet homicida  
relatè ad damnum factum occiso , dicitur  
etiam solutus à debito alimenta præstandi  
parentibus , & filiis ipsius occisi .

Respondetur negando consequentiam , &  
suppositum . Supponit ergo argumētum , quòd  
homicida non teneatur ad damna resarcien-  
da , nisi per sententiam Judicis , quod est omni-  
nò falsum . Tenetur enim ex justitia antequam-  
cunque Judicis sententiam , ita ut si nulla esset  
lex talionis pro homicidio , & Judex pœna  
mortis non damnasset homicidam , adhuc iste  
ex justitia teneretur ad quodcunque damnum  
resarciendum . Ad probationem , nego etiam  
consequentiam cum sua probatione . Unde  
dico , quòd solutus à debito pro damno ante-  
cedenti , tunc potest esse solutus à debito da-  
mni sequentis , quando Jus pro utroque da-  
mno stat in potestate unius , qui cedens priori  
juri , censetur hoc ipso cedere posteriori . Ut si  
vinea Caii fuisset devastata cum fructuum de-  
perditione , lucri cessantis , & dampni emergen-  
tis ipsius Caii ; quia in solius Caii potestate  
stat tam jus ad vineam , quàm ad fructus ex  
vinea , & ad lucrum percipiendum ex his , ideo  
potest

potest Cajus ex sua libertate dimittere omne debitum damnificanti, tam scilicet debitum ex damno antecedenti, quam ex damno consequenti, fructuum scilicet, & lucri cessantis. At quando Jus damni sequentis non est in potestate ejus, qui recipit damnum antecedens, quod est personale, sed in potestate alterius, scilicet parentum, vel filiorum; tunc ex solutione debiti pro damno antecedenti, non censetur solutum debitum pro damno consequenti. Quod patet, nam si vinea Caji devastata, maneret sub dominio utili Titii; quamvis Caju liberè dimitteret damnificanti debitum pro damno vineæ, illum solvendo à debito restaurandi vineam propriis expensis; non per hoc diceretur solutus ipse damnificans à damno consequenti, fructuum nimirum; quia jus ad fructus esset apud Titium dominum utilem illorum. Ita in proposito, estò concedatur, per pœnam talionis remanere homicidam solutum à debito pro damno antecedenti illato personæ ipsius occisi; non per hoc dici poterit solutus à debito pro damno consequenti illato parentibus habentibus distinctum Jus in alimenta. Dixi, estò concedatur, quia per legem talionis non solvitur à debito in personam occisi, sed solum à debito pro Republica injuriata per tale homicidium.

93 Ubi noto, homicidam per homicidium plura contrahere debita. Primum cum Deo, lædendo Jus divinum, quod habet in vitam hominum; ipsumque insuper injuriando per violationem præcepti: *non occides*. Secundò cum Republica, lædendo Jus, quod Republica habet in suos subditos, ut membra totius communitatis. Tertio cum persona occisa, illam in vita damnificando. Quartò tandem, cum hæredibus, Genitoribus, & filiis, ac etiam creditoribus ipsius occisi, damnificando Genitores, & filios in alimentis, & creditores in perdita spe recuperandi creditum. Primum debitum solvitur per condignam pœnitentiã. Secundum per pœnam talionis, vel aliam taxandam à Judice. Tertium per compensationem faciendam in bonis spiritualibus, ut per orationes, & sacrificia applicanda pro anima occisi. Quartum tandem solvitur per contributionem faciendam ex propriis pecuniis in alimentis Genitoribus, & filiis occisi; & satisfaciendo debitis ipsius occisi, si tamen occisus non habeat ex sua hæreditate, unde possint debita solvi creditoribus, sed solum illa solviturus esset ex lucris, quæ acquisivisset, si supervivisset.

94 Obijcies secundò contra secundam partem, probando, remissionem occisi solvere homicidam ab obligatione resarciendi damnum parentibus &c. illatum. Si homicidæ fuisset remissa injuria ab occiso pro damno, tam ei, quam suis hæredibus illato, jam hæredibus nullum remaneret jus exigendi alimenta ab occisore: Ergo in suppositione, quòd occisus

vellet remittere cum sua injuria, & damno, etiam damnum illatum hæredibus, jam solutus esset occisor ab obligatione restituendi hæredibus pro damno eis illato. Probatur consequentia, quia extincto Jure per remissionem factam, extinguitur etiam debitum, & obligatio ex parte occisoris: Ergo si occisus per remissionem factam occisori extinguit Jus suum, & hæredum, jam remanet occisor solutus, tum à debito resarciendi damnum illatum occiso, tum à debito alimenta præstandi hæredibus: Ergo &c.

Respondetur dicendo, argumentum militare in falsa suppositione; supponit enim Jus hæredum, Parentum scilicet, & filiorum, esse in potestate occisi circa alimenta necessaria pro eorum sustentatione: quod est falsum; cum tale Jus sit in sola hæredum potestate, sicuti Jus Reipublicæ læsum per talem occisionem est in sola Reipublicæ potestate, ita ut tale Jus non possit per liberam occisi remissionem extingui. Quare estò se explicet occisus, se velle remittere quodcumque debitum ab occisore contractum, non per hoc illa remissio ad jura aliorum se extendere potest; unde tam antecedens, quam consequens primi argumenti procedunt in falsa suppositione. Ratio, quare non posset occisus remittere debitum occisori de alimentis parètibus, & filiis, est, quia sicut non est in sua potestate, si viveret, solvere se à tali debito à natura sibi imposito ex justitia; ita neque erit in sua potestate, dum moritur, solvere alium, qui tale debitum contrahit; nam sicut ipse pro se non potest auferre, & spoliare hæredes jure, quod habent contra ipsum; ita neque in beneficium occisoris potest spoliare eosdem hæredes jure, quod eis acquiritur ex morte occisi, contra occisorem.

95 Ex his deducitur pro casuum conscientie resolutione primò, quòd homicida post mortem occisi ultra pœnam talionis, quam per Judicis sententiam subire debet, tenetur etiã resarcire damna, quæ ex homicidio sequuntur; ut alimenta præbere, tam filiis, quam etiam Genitoribus ipsius occisi, si adhuc essent vivi, & egerent alimento, præstando à filio occiso: quòd si in tali necessitate non essent, sed commodè vivere possent, sicut vivebant cum filio occiso, si supervivisset, tunc quia eis nullum damnum fuit illatum, nullam talem induceret obligationem homicida. Ut si occideretur filius Genitorum divitum, qui potiùs nutriebant filium, quam à filio nutriebantur, tunc homicida nullum inferendo damnum, nullum contraheret debitum. Idem dicendum est de filiis. Secundò, loquendo in suppositione de damno illato hæredibus, ad omne damnum resarciendum tenetur homicida: & sic post mortem occisi, cui damnum intulit, restitutionem facere debet. Ita tenent communiter Doctores. Tertio, si ex tali occisione etiam propinqui fuerint damnificati, ut uxor, fratres,

tres, sorores, & nepotes, etiam ad tale damnum refarciendum teneretur homicida, etiam si occisor non occidisset, animo eis nocendi; nam hoc, ut sæpe sæpius dixi, non salvat occisorem, neque quemcunque damnificantem à damno refarciendo, quando dat operam rei illicitæ, ut esset in proposito de homicidio: solum namque damnum sequens præter intentum damnificantis non inducit obligationem in damnificante, quando hic dat operam rei licitæ, vel saltem indifferenti: ut evenit in eo, qui iæctum sclopi immittit in feram, & occidit hominem. Et aliunde huiusmodi propinqui Jus habebant ad alimenta suscipienda ab occiso. Plura hic possent addi, quæ tractanda erunt (Deo dante) in præceptis Decalogi.

QVÆSTIO DVODECIMA.

De restitutione in bonis famæ.

*An imponens falsum crimen alicui, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur?*

**M**ateriam hanc de restitutione damni in bonis famæ tractat specialiter Doctor noster in 4. dist. 15. q. 4. Ubi ait; unum tripliciter posse alium diffamare. Uno modo, falsum crimen imponendo. Secundò modo, verum crimen, sed occultum, non servato ordine Juris, in publico proponendo. Tertio modo, verum crimen, sed occultum, in publico tamen sibi impositum, negando. Quanquã alii Doctores, tum Antiqui, tum Recentiores cum D. Thoma, Alense, & aliis affirmant, detractionem octo modis committi posse, quatuor scilicet modis directè, & quatuor modis indirectè, Scotus tamen loco cit. ad illos tres modos tantum reducit omnes, & singulos modos detractionem committendi, scilicet proximum infamandi: quod exprimit §. *Respondet*.

96 Quantum ad primum modum infamandi proximum procedit præsens quæstio; ut cum quis dixerit, Titium esse adulterum, furem, &c., & revera Titius non est talis. Ubi notandum est, quandoque eum, qui falsum crimen alteri imponit, peccare mortaliter, quandoque venialiter. Tunc peccat mortaliter, quando imponit falsum crimen circa rem gravem, ut dicendo, Titium esse adulterum, furem, blasphemum &c. vel etiam circa rem levem, sed respectu personæ in aliqua dignitate constitutæ; ubi ratione excellentiæ personæ impositio falsi criminis crescit notabiliter ad mortale peccatum: ut si quis diceret, Episcopum, vel Sacerdotem, vel Religiosum esse ebriosum, mendacem &c., nam quamvis in genere

imponere tale crimen falsum; de se non sit mortale peccatum, tamen attenda qualitate personæ, cui tale crimen imponitur, ratione scandali, quod inde insurgit, & detrimenti notabilis ipsius personæ, imponens tale crimen mortaliter peccaret. At si hoc crimen de ebrietate, imponeretur alicui Juveni non Ecclesiastico, cui nulla macula famæ resularet, tunc sic imponens crimen falsum, non peccaret mortaliter; cum Juvenes hæc committere soleant, & persæpè se hæc commisisse gloriantur. Est insuper notandum, quòd cum in re gravi, vel de persona gravi, falsum crimen imponitur, quandoque estò falsum crimen imponens peccet mortaliter, tamen ad restitutionem non tenetur: ut si quis diceret, Titium esse furem, adulterum &c., & propter alluefactionem talia crimina imponendi, non credatur: & etiam non credatur, quatenus Titius est in bono conceptu apud eum, qui tale crimen impositum audit; tunc quia fama à Titio non auferitur, tam propter malum nomen ejus, qui falsum crimen imponit, quam propter bonam famam Titii, ideo detrahens peccat mortaliter, sed ad restitutionem non tenetur. Et tandem est notandum, quod aliqua crimina falsò imposita de se sunt ad dehonestationem personæ; quædam alia non sunt ad personæ dehonestationem. Illa crimina falsò imposita, quæ sunt ad dehonestandam personam, obligant detractionem ad restitutionem: furtum nanque adulterium &c. sunt crimina, quæ si falsò alicui imponerentur, quia habent dehonestare personam, obligant imponentem, seu detrahentem ad restitutionem famæ, si audientes tali detractori fidem præbeant. Iracundia, superbia &c. sunt quædam crimina, quæ non habent dehonestare personam; unde si quis diceret, (& quidem falsò) Titium esse superbum, iracundum &c. non auferit à Titio famam, nec personam Titii habet dehonestare: & qui hæc falsa crimina imponit, non tenetur ad famam restitutionem; quia non sunt crimina per se tendentia ad famam auferendam, cum non sint dehonestativa personæ.

97 Suppono insuper, ad auferendam famam, cujus ablatio infamatori, seu detractori imputetur ad peccatum, & ipse obligetur ad restitutionem, tres requiri, & considerandas esse conditiones: primò, ut fama reipsa sit ablata: secunda, ut injustè ablata fuerit: tertia tandem, ut non fuerit recuperata. Ex quibus conditionibus deducitur; quòd si quis falsum crimen alteri imponeret, etiam de re gravi, & ei ab audientibus non præstetur fides, tunc fama non est ablata; in quo casu detractor peccat mortaliter, sed ad restitutionem non tenetur; quia nullum alteri nocumentum præbuit. Vel si quis falsum crimen ab aliis auditum manifestaret, ut auditum, tunc estò peccet contra charitatem, tamen ad famam restitutionem non tenetur; quia talis actus non est



actus injustitiæ de sua natura famæ devastatius, sed potius esset odium, si fiat animo nocendi proximo, quem tenemur præcepto charitatis amare. Vel si infamatus alia via suam famam recuperaverit; tunc infamator ad famam reddendam non teneretur; cum nemo teneatur reddere id, quod jam à creditore recuperatum est: ut dixi de eo, qui furtivè rem suam à creditore recuperavit, quando alio modo illam recuperare non posset.

98 His attentis, & notatis conditionibus, apparet, non omnem detractionem obligare detractorem ad restitutionem, sed illam solum; ubi tres illæ interveniant conditiones, quamvis omnis detraçtio, quæ sit de re gravi, vel de persona digna, estò non de re gravi, sit peccatum mortale, ut dixi num. 96. Hinc noto differentiam inter iudicium temerarium, detractionem, & contumeliam. Iudicium temerarium est illud, quo malum aliquod de proximo judicamus absque ullo fundamento sufficienti, & est solus actus internus absque ullo actu exteriori; nam si hoc iudicium manifestaretur, vel transiret ad speciem detractionis, vel ad speciem contumeliæ. Ex quo fit, quòd cum sit solus actus internus, si sit de re gravi, est mortale peccatum, & prohibitum, juxta illud Matth. 7. & Lucæ 6. *Nolite iudicare, & non iudicabimini*. Si verò de re levi, est tantum veniale peccatum. Sed hic est sermo de iudicio temerario sumpto pro pleno assensu intellectus falsò iudicantis de proximo; non de sola dubitatione, qua neutri parti intellectus assentitur: vel pro sola suspitione, qua inclinat intellectus ad unam partem, cum formidine tamen ad partem oppositam. Suspicio nanque de proximo, & dubietas non inferunt mortale peccatum. Ut si viderem Religiosum domum aliquam ingredientem, & dubitarem, vel suspitionem haberem, an ipsam ingredatur ad malum patrandum, tunc mortaliter non peccarem, at si temerè iudicarem plenè assentiendo, talem Religiosum domum illam ingressurum ad malum patrandum; tunc mortaliter peccarem ex pleno assensu, quem præberem uni parti, cum dissensu alterius partis. Hoc autem iudicium temerarium, juxta communem Doctorum opinionem, estò inducat mortalem culpam, non tamen ponit obligationem restitutionis, nisi sit manifestatum aliis, ex qua manifestatione fama proximi lædatur. Ratio hujus est, quia quoties actio est tantum interna, & nullam proximo affert nocentem, toties estò sit peccaminosa, quia contra præceptum, non tamen obligat ad restitutionem: quod patet de actione interna furandi, quæ, sine actione externa, qua furatur, & res aliena aufertur, estò sit peccaminosa, non tamen obligat ad restitutionem. Quare si iudicium temerarium non manifestetur, ex qua manifestatione lædatur fama proximi, nullam ponit obligationem restitutionis.

99 Detraçtio autem est alienæ famæ per occulta verba injusta læsio, & denigratio. Et quia supra actum internum iudicii temerarii, ponit actum externum, seu manifestationem, hinc utramque sit mortale peccatum, & quidem contra justitiam, est insuper obligatoria ad restitutionem (servatis tamen superioribus tribus conditionibus positis nu. 97.) Ubi noto, quòd quando fama alterius non injustè, sed iustè denigratur; tunc non erit detraçtio: ut si quis ad Patrem familias defectum occultum filii, vel ad Superiorem defectum occultum subditi, ut delinquentes corrigantur, deferat, tunc deferens talia crimina, non committit peccatum detractionis; modò fiat, non animo nocendi ei, quem accusat, sed solo animo, ut delinquens corrigatur.

Contumelia verò est injuria, qua alicui obijcitur aliquod crimen in sui præsentia, vel quasi in sui præsentia: ut si quis alium afficeret contumelia per verba injuriosa, dicendo, ipsum esse furem, adulterum, blasphemum, &c. & re vera non sit talis; vel si talis est, non ita ab aliis audientibus talia verba existimatur; tunc per contumeliam grave injuriosus committeret peccatum. Dixi (quasi in præsentia) ut si quis per Epistolam, communiter dictas, libellum infamatorium, ad infamatum scriptum, & missum, contumeliam inferret; quamvis injuriatus non sit præsens injurianti, est tamen quasi præsens, quia legendo libellum, injurias illas uti in sua præsentia dictas, audit. Et per hoc fecernitur contumelia à simplici detractione; quia detraçtio est in absentia ejus, cui quis detrahit; & ad aures ejus, cui detrahitur, non perveniunt verba illa promulgata, vel si perveniunt, hoc non per libellum famosum operatur detraçtor, sed per vocem audientium detractionem. Eo ergo prorsus modo differunt specie detraçtio, & contumelia, ut ferè omnes Doctores fatentur (Vulpio nostro excepto) ut furtum à rapina; nam sicut rapina addit malitiam violentiæ supra furtum, ita contumelia supra detractionem addit publicam manifestationem, & in præsentia injuriati, supra detractionem, quæ tantum fit per verba occulta. Ad hanc speciem contumeliæ reducuntur improprium, convitium, seu injuria, irrisio, derisio, susurratio, subsannatio, & similia.

100 Quantum verò spectat ad primum punctum quæstionis. An imponens falsum crimen alicui peccet mortaliter, sive hoc sit per actum internum, seu per temerarium iudicium ex pleno assensu, & de re gravi; sive per detractionem de re etiam gravi, vel de persona in dignitate constituta, estò non de re gravi; sive per contumeliam: omnes conveniunt, tamen temerè iudicantem, falsum crimen per actum internum imponendo, quam detraherentem, falsum crimen manifestando, quam contumeliosum, falsum crimen in præsentia publicando,

cando, mortaliter peccare, & quidem contra justitiam; quia jus alterius læditur, quod unusquisque ad suam famam habet; juxta illud Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine*, Et Prov. 22. *Melius est bonum nomen, quam divitia multa*. Sola igitur difficultas est, an lædens famam alterius per impositionem falsi criminis, teneatur ad restitutionem? Et quidem ad restitutionem, tam famæ, quam cujuscumque damni secuti ex infamia; ut si per talem infamiam infamatus impediretur à consecutione alicujus boni temporalis, ut est officium; vel matrimonium, si sit puella infamata; vel si impediretur à consecutione alicujus boni Ecclesiastici, ut esset beneficium, quod posset habere, si esset infamatus injuste. Et pro quaestionis resolutione

*DICO*, Imponentem alteri falsum crimen, & quidem animo nocendi ei, teneri ad restitutionem famæ, & cujuscumque damni ex infamia sequentis. Conclusio est communissima inter Doctores, & licet diversimodè eam explicent, eam tenent omnes Antiquiores, & Recentiores cum Scoto loco cit. & solum differunt in modo, quo facienda sit restitutio.

101 Probatur prima pars: Imponens alteri falsum crimen, nocumentum ei præbet, ejus famam lædendo; sed præbens alteri nocumentum cum læsione famæ, tenetur ex justitia ad famæ restitutionem; Ergo imponens alteri falsum crimen, tenetur ex justitia ad famæ restitutionem. Major supponitur certa; quia si nullum sequeretur nocumentum cum læsione famæ, non teneretur ad restitutionem, ut dixi num. 96. Probatur nunc minor, primò à pari; qui alteri præbet nocumentum, lædendo vitam, vel bonæ temporalia tenetur ad restitutionem æquivalentem damno illato; ut supra dictum est quæst. 10. circa restitutionem faciendam pro vita hominis: Ergo idem dicendum est de damno illato in bono famæ. Probatur consequentia: sicut jus naturale unusquisque habet ad suam vitam, & ad bona temporalia, ita idem jus habet ad bonum famæ: Ergo si quando quis patitur damnum in bono vitæ, & in bonis temporalibus, inferens damnum tenetur ad restitutionem, etiam inferens damnum in bono famæ ad restitutionem tenetur, quando in tali bono famæ patitur detrimentum.

Eò vel maximè, quia sicuti est majus bonum, bonum famæ bono temporali, seu fortunæ, ita damnum in bono famæ est majus damno in bonis fortunæ: Ergo sicuti propter damnum, quod quis patitur in bonis fortunæ, damnificans tenetur ad restitutionem, ita propter damnum, quod quis patitur in bonis famæ, damnificans tenetur ad restitutionem. Antecedens patet ex Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni*.

Probatur nunc eadem minor principalis

secundò. Quando præbetur nocumentum alteri cum læsione famæ, recipiens nocumentum privatur jure, quod habet ad bonam opinionem, & æstimationem, quam alii de eo habebant: Ergo ad reddendum tale jus, inferens nocumentum tenetur ad restitutionem. Antecedens est certum, quia ante impositionem falsi criminis, Titio V. G. impositi, audientes tale crimen in posterum in malam opinionem Titium habent. Probatur nunc consequentia: non potest reddi tale jus, quo infamatus privatur, nisi servata æqualitate inter damnificatorem, & damnificatum; sed talis æqualitas servari non potest, nisi per restitutionem, quæ est actus justitiæ commutativæ: Ergo ad reddendum jus, quo infamatus privatur, infamans tenetur ad restitutionem. Probatur minor: æqualitas tunc servatur, quando debitor reddit, quod debet: ut si ego apud me haberem centum Titii aliquo titulo vel iusto, vel injusto; tunc æqualitatem justitiæ commutativæ servo, quando pecuniam illam Titio reddo: Ergo similiter tunc æqualitas servatur in reddendo jus Titio ablatum circa suam famam, quando fama ablata illi restituitur: Ergo si imponens falsum crimen Titio, famam à Titio aufert, illam reddere tenetur.

102 Neque valet dicere, quod fama à Titio ablata non est apud infamantem, sicuti pecunia est apud debitorem; ac per consequens, cum nemo teneatur ad id, quod non possit, iccirco non obligatur inferens falsum crimen ad restitutionem.

Non valet, inquam; primò, quia idem valeret etiam de eo, qui devastasset vineam Caji, quæ cum non sit apud damnificantem, tunc damnificans non teneretur ad restitutionem: quod est falsum; nam damnum inferens, ad damnum resarciendum tenetur. Secundò, qui centum à Cajo abstulit, si apud furem talis summa non sit, sed jam destructa sit, sequeretur furem non teneri amplius ex bonis suis centum reddere Cajo: quod etiam est falsum ( dummodò non sit impotentia physica ad restituendum): Ergo similiter, quamvis fama à Titio ablata non sit apud infamatum, qui tamen infamans damnificavit eum, cui imposuit falsum crimen, ad famam reddendam tenetur, quando infamatus nocumentum in tali fama recepit.

Tertiò: estò apud infamantem non reperitur fama illius, cui falsum crimen imposuit, quia tamen infamans posuit inæqualitatem inter ipsum, & infamatum, fecit actum injustitiæ cum obligatione restitutionis: Ergo ad iterum stabiliendam, & reponendam æqualitatem, necessaria est famæ restitutio.

103 Probatur secundò eadem pars. In tantum imponens falsum crimen alteri, non teneretur ad restitutionem, in quantum non esset modus, quo facienda sit hujusmodi restitutio, & quidem congruus adæquatius læsioni datae

in proximi fama; sed datur hic adæquatius modus læsioni datæ per ablationem famæ, & quidem congruus: Ergo imponens alteri falsum crimen tenetur ad famæ restitutionem, quando adsit famæ nocumentum. Probatur major: in tantum quis censetur infamatus per impositionem falsi criminis, in quantum per illud falsum crimen, & quidem injustè impositum, illapsus est in malam opinionem illorum, apud quos fuit infamatus; sed per ablationem malæ opinionis, in qua habetur apud illos, apud quos fuit infamatus, congruè, & adæquatè fit famæ restitutio; retractando scilicet verbum injustè, & iniquè prolatum: Ergo &c. Probatur minor; nam si Titius coram pluribus injustè, & falsè dixisset, Cajum esse adulterum, quia Cajus apud illos cecidit in opinionem malam de adulterio ut commissio, quia Titio præbuerunt fidem, tunc teneretur Titius, retractando verbum suum, dicendo, *se falsum dixisse contra Cajum*, auferre illam malam opinionem; & hoc modo Cajus reponeretur in statu suæ prioris famæ: Ergo congruè, & adæquatè hoc modo retractando verbum suum, famam ablatam restitueret.

104 Neque dicas, neminem teneri retractare verbum suum, propter periculum suæ propriæ famæ; cum unusquisque teneatur magis propriam famam, quam famam alterius tueri, & amare.

Ne, inquam, dicas; quia, ut ait Scotus loc. cit. lit. B. §. Respondeo: tunc quis tenetur magis famam propriam tueri, quam famam alterius, illamque magis amare, quam famam alterius, quando fama propria justè ei debetur, secus verò quando ei debetur injustè; sed in casu, quo quis falsum crimen alteri imposuit, tunc ei non justè, sed injustè debetur fama; & è contra, ei, à quo famam abstulit, justè debetur: Ergo imponendo ei falsum crimen, tenetur suum verbum retractare, & famam ei reddere. Probatur minor; nam infamans injustè famam abstulit ab eo, cui falsum crimen imposuit; & propter tale delictum infamans voluntariè famam amisit: Ergo infamato justè debetur fama, & injustè debetur infamanti.

Eò vel maxime, quia Doctor loc. cit. adducit exemplum de eo, qui fornicatur coram duobus, vel tribus videntibus; si tunc videntes ipsum accusant, non eum diffamant, sed à seipso fornicator diffamatur, publicè peccando: Ergo pariter quando quis falsum crimen alteri imposuit coram duobus, vel tribus audientibus, & ipsi fidem præbentibus, per seipsum voluntariè infamatus est propter iniquum mendacium dictum: Ergo retractando falsum verbum, quod dixit, non amittit suam famam, quia hanc amisit post dictum mendacium, sed tunc tantum remittit famam proximo, ab eo injustè ablatam; & à se removet falsam laudè.

105 Neque etiam dicas, quòd hic modus retractandi verbum suum non sufficeret ad repo-

nendum infamatum in primo statu suæ famæ; quia audientes non credent retractationi illius verbi. Ne, inquam, dicas; quia quando audientes falsum crimen Titio V.G. impositum (scilicet, quòd sit adulter, & jam malam opinionem fecerunt de Titio, illum habentes pro adultero) nullam infamanti iterum præbent fidem, quoad verbi retractationem; jam Titius est apud illos in posterum pro adultero, non ex eo, quòd prius dixerat infamator, sed ex prava voluntate ipsorum: nam non est major ratio prudentialis credendi infamæ, quam ejus retractationi; imò vir prudens magis retractationi, quæ consona est conscientiæ, & bono ejus, qui infamatus est, credere debet, quam infamæ; cum retractatio sit actus justitiæ commutativæ, & infamatio sit contra ipsam justitiam.

106 Probatur secunda pars, quòd scilicet imponens falsum crimen tenetur resarcire etiam damna ex infamia secuta. Qui dat causam rei illicitæ, tenetur ad omnia damna secuta, vel secutura ex tali re; sed imponens alteri falsum crimen, ex quo injustè resultat infamia in eo, cui tale crimen imponit, dat causam rei illicitæ: Ergo imponens alteri falsum crimen, tenetur ad omnia damna secuta, & secutura ex tali infamia. Major est certa, quia per imponentem tale crimen falsum alter infamatus remanet, & infamia ipsa est opus illicitum, & peccaminosum. Major, quamvis sæpè sæpius in antecedentibus disputationibus probata sit, etiam nunc sic probatur. Qui dat causam rei illicitæ, ponit efficacem actionem, ut res illa sequatur; sed ex efficaci positione actionis causativæ rei illicitæ, sequitur infallibiliter aliud damnum connexum cum re illicita: Ergo non magis diceretur causare rem illam illicitam, quam omne damnum, ad ipsam rem consequens. Probatur minor primò, quia nisi ponatur actio illa causativa rei illicitæ, infamæ nimirum, non sequeretur aliud damnum, quod per infamiam patitur is, cui falsum crimen est impositum: ut si Titium propter falsum crimen ei impositum, quòd scilicet sit fur, multi fugiant in mutuandis rebus, vel in applicandis rebus negotiationi, & à commercio ipsius se retrahant; ex quo actu magnum detrimentum infallibiliter evenit Titio: Ergo ex efficaci positione infamæ Titio illata, detrimentum illud infallibiliter sequitur. Secundò probatur eadem minor: actio causativa infamæ est injuriosa; Ergo se extendit ad omne damnum consequens ex tali injuria. Probatur ista consequentia primò ex cap. *Si culpa sua, de injuriis, & damno dato*. Qui causam damni dat, damnum dedisse censetur: Ergo si imponendo falsum crimen, dat causam talis damni, quæ causa est infamia, sic imponens, damnum consequens ex infamia causaret. Secundò eadem consequentia probatur à pari; quia mutilans membrum alicujus, ex qua mutilatione sequi-

sequitur infallibiliter damnum, tum expensarum pro cura, tum impotentiae ad labores pro vitæ sustentatione, actio illa mutilationis se extendit ad omnia illa damna sequentia: sic ex combustione domus, vel ex furto, si plura ex his damna sequantur, actio illa comburendi injustè domum, vel furandi, ad omnia illa damna, quæ sequuntur obligat: & hoc est verum, etiam si illa damna à ponente causam, damnificationis non intendatur; nam sufficit ad ponendam obligationem restitutionis, ut per se, & directè sequantur ex actione aliqua illicita, & injusta. Ita discurrendum est in proposito de infamia.

Confirmatur hoc per aliqua damna particularia. Si quis diceret, Episcopum V.G. esse adulterum, Simoniacum &c. ex qua infamia sequatur, Pontificem illum deponere ab Episcopatu, tunc hic damnificatus extaret in fructibus ab Episcopatu percipiendis: hæc damna sequuntur infallibiliter ex illa infamia. Vel si quis ad Episcopatum aspiraret, & propter aliquam infamiam ei impositam, Episcopatum non obtineret, ad damna secutura, juxta prudentum æstimationem (nam multum interest inter habere, & prope esse, ut supra ex Scoto dixi) infamator teneretur. Vel si quis Religiosum alicujus Conventus infamaret, ex qua infamia notabile damnum eveniret ipsi Conventui, deperditionis elemosinarum &c. tunc ad omnia hæc damna refarcienda infamator teneretur. Vel si dicatur, puellam aliquam fuisse violatam, & injustè ei hoc crimen imponatur, & ex tali infamia, ut possit in matrimonium collocari, sit necessaria major summa dotium, tunc tale damnum refarcire tenetur ipse infamans: Ergo universaliter, ex infamia per impositionem falsi criminis, quæ impositio, ut actio injusta obligat ad restitutionem, ad omnia damna infallibiliter tenetur infamator.

*Solvuntur Objectiones.*

107. **O**bjicies primò contra primam partem. Qui imponit falsum crimen alteri, si teneretur ad restitutionem famæ, hanc restitutionem facere deberet, retractando verbum suum; sed nemini licet verbum suum retractare: Ergo qui alteri imponit falsum crimen, non tenetur ad restitutionem famæ. Major est Scoti, & ab omnibus Doctoribus recepta, licet diversimodè explicet modum retractationis. Probatum minor: si alicui esset licitum retractare verbum suum, esset ei licitum infamare seipsum; sed nemini licitum est infamare seipsum; præsertim quando ex sua infamia resultaret infamia totius Reipublicæ: ut si retractator esset Religiosus, vel Rector Civitatis, ex qua retractatione resultaret infamia totius Religionis, vel communitatis: Er-

go &c. Probatum primò major: ex retractatione sui verbi, quod prius dixerat, sequitur propria infamia: Ergo quoties esset licitum retractare verbum suum, etiam licitum esset infamare seipsum. Probatum nunc minor: infamans seipsum, peccat, nedum contra charitatem, qua quis tenetur suam famam diligere; sed etiam contra justitiam, quia quilibet jus habet ad suam famam, cujus dominus est; sed nulla actio licita est, quando est peccaminosa, tum contra præceptum charitatis, tum justitiæ: Ergo non est licitum infamare seipsum.

Respondetur, dicendo, solutionem hujus objectionis pendere ex eo, quod dictum est nu. 104. Unde in forma nego minorem; ad cujus probationem dist. majorem: esset ei licitum infamare seipsum, quando ei fama non justè competit, concedo majorem: quando ei fama justè competit, subdist. si ex infamia sui ipsius nullum detrimentum communitas, vel Reipublica patiatur, iterum concedo majorem: si aliquod detrimentum communitas, vel Reipublica patiatur, nego majorem; & dist. minorem: sed nemini licitum est infamare seipsum, quando ei competit injustè fama, nego minorem: quando ei competit justè fama, subdist. & ex infamia sequitur communitatis, vel Reipublicæ detrimentum, concedo minorem: & nullum tale detrimentum sequitur, nego minorem, & consequentiam. Quando alicui fama injustè competit, ex eo quod alium infamavit, tunc ei licitum est infamare seipsum, retractando verbum suum, ut alteri, scilicet infamato, fama reddatur, quæ ei justè competit, sicut injustè ab eo fuit ablata. At quando alicui fama justè venit, quia eam non amiserat propter infamiam alteri impositam, tunc si nullum detrimentum evenit communitati, vel Reipublicæ (ut si Titius V.G. sit persona privata, & sibi imponat aliquod crimen contra propriam famam, ex quo nullum, nec familiaris, nec communitati resultet damnum) tunc licitum est Titio seipsum infamare: si vero sit persona publica, & ex propria infamia sequatur scandalum, totius communitatis, ut si esset Religiosus, vel Rector Civitatis; tunc ratione harum circumstantiarum, nequit seipsum infamare; & hoc, non quia non haberet dominium suæ famæ, quod re vera habet, ut diximus qu. 6. secundæ disputationis; sed ratione circumstantiarum annexarum. Quem admodum si propter detrimentum, quod afferat filiis, Paterfamilias omnes suas destrueret facultates, tunc estò illas non posset licitè destruere, non per hoc tollitur, quin dominium in illas habeat, ita ut si nullum filius afferat detrimentum, non posset ad suum libitum de illis disponere. Circa hanc materiam de dominio famæ videte quæstionem illam sextam citatam.

Ad probationem majoris dist. antecedens: sequitur propria infamia ex actu, & in actu retracta-

retractationis verbi sui, nego antecedens: ex actu, & in actu impositionis falsi criminis, concedo antecedens, & nego consequentiam, in sensu supra explicato. Quando quis verbum suum retractat, tunc tantum habet aliis manifestare suam infamiam, quam acquisivit, cum injuste alteri falsum crimen imposuit; & insuper exercet actum virtutis, reddendo alteri, quod iuste ei competit, scilicet propriam famam: unde actus ille retractationis non est actus infamatus, sed est actus redditionis famae alterius. Solum sibi infamiam imposuit, qui alteri falsum crimen imposuit, in actu, quo alium infamavit; ex illa nanque falsa accusatione seipsum infamavit, mentiendo.

Ad probationem minoris dico, quod infamare seipsum ex genere suo, quando scilicet nullam alteri interat injuriam, neque est contra preceptum charitatis, neque justitiae (excipio intrinsicam malitiam mendacii): non contra preceptum charitatis, quia nos famam tantum debemus diligere propter bona aeterna, & supernaturalia, non quatenus bonum temporale est: neque est contra justitiam, quia dominium habemus in fama nostra, de illa ad nostrum beneplacitum disponendo, dummodo non cedat in detrimentum alterius, ut esset in Religiosis, Rectoribus &c. At quando nullum tale sequitur aliorum detrimentum, licitum est infamare seipsum: non quidem falsum sibi crimen imponendo, sed verum occultum revelando. Hoc enim adeo licitum est, ut sit etiam actus virtutis magnae humilitatis: ut si quis publice peccata sua confiteatur, ut fecit D. Aug. Haec doctrina verior, & communior est apud Doctores Navarrum, Lessium, Mastrium, Aretinum, de Lugo, Valentiam, Molinam, & alios contra Cajetanum, & Fabrum affirmantes, neminem esse dominum suae famae.

Ubi adverto, quod etiam si concedatur, nemini licere seipsum infamare, & quod nemo sit suae famae dominus, non per hoc posset is, qui alteri falsum crimen imposuit, liberari a restitutione famae; nam juxta regulam Scoti num. 104. citatam, quando fama uni competit iuste, & alteri injuste, tenetur quis verbum suum retractare, ut iuste famam alteri reddat, quae ei, ut infamanti, non iuste competit, sed injuste. Imò cum retractator sui verbi supponatur jam famam amisisse propter mendacium coram pluribus dictum contra proximum, non amitteret famam, dum verbum suum retractat, sed tantum redderet famam alterius; vel ad summum propalaret, & publicaret suam infamiam resultantem ex mendacio contra eum, cui falsum crimen imposuit.

108 Obijcies secundò: si imponens alteri falsum crimen teneretur ad restitutionem famae, sequeretur, quod si detractor moreretur, non retractando verbum suum, ut proximo fama redderetur; tunc tenerentur haeredes reddere

famam; sed hoc est falsum, cum haeredes nullum proximo praebuerint nocumentum, nec ad debitum mere personale alterius teneantur: Ergo imponens alteri falsum crimen, non tenetur ad restitutionem. Probatur major: si debitum ex justitia solvendum, non solvitur a debitore ante ejus mortem, obligatio solvendi tale debitum transit ad haeredes; ut patet de eo, qui debet Cajo centum: si solutionem non facit ante ejus obitum, tunc obligatio solutionis transit ad ejus haeredes: Ergo si esset in detractore obligatio restituendi famam, si haec non restituatur ante detractoris mortem, talis obligatio transiret ad ejus haeredes: Ergo &c.

Respondetur negando sequelam majoris, ad cujus probationem dist. antecedens: si debitum est personale tantum, nego antecedens: si est tam personale, quam in bonis debitoris, concedo antecedens, & nego consequentiam. Debitum nanque esse potest, vel personale tantum, vel tantum reale, seu in bonis debitoris; vel simul reale, & personale: tunc est tantum personale, quando quis suam personam tantum obligat ad aequalitatem servandam, & juri alterius adaequandum, bona sua non obligando: tunc verò est tantum reale, quando excipit personam, & solum bona sua obligat; tunc tandem est reale simul, & personale, quando tam bona, quam personam obligat. His notatis, pro solutione objectionis dico, quod debitum contractum a detractore servandi aequalitatem, & satisfaciendi juri, quod habet infamatus contra detractorem, est tantum personale, & nullo modo reale, seu in bonis; & quia debitum personale non transit in haeredes detractoris, sicut transit debitum reale, & in bonis, iccirco quoties ante mortem detractoris, non est fama ab ipso restituta, non remanet haeredibus ipsius obligatio restituendi. Et per hoc patet disparitas de obligatione restituendi, quando debitum est in bonis debitoris; quia sicuti bona illa transeunt in dominium haeredum, ita debent transire cum illo onere solvendi debitum; ita ut si non sufficerent ad totum debitum solvendum, jam nulla alia obligatio remaneret haeredibus satisfaciendi pro reliquo, sed solum compensandi cum haereditate. Hoc tamen est intelligendum de sola restitutione famae, cujus obligatio, ut pure personalis, non transit in haeredes; non verò est intelligendum de damnis secutis ex infamia, ut si detractor ex infamia damnificavit in bonis infamatum; quia tunc obligatio est in bonis ipsius detractoris: & sicuti bona detractoris transeunt in haeredes, ita pariter obligatio resarciendi damnum ad ipsos haeredes transire debet; quia ad ipsos transeunt cum eo onere, & debito, quod sibi detractor imposuit propter detractionem. Ita discurret Aretinus noster in 4. dist. 15. q. 4. art. 3. §. Dico secundò.

109 Obijcies tertio contra secundam partem. Qui falsum crimen alteri imponit, dicendo V.G. Bertam fuisse violatam, non intendit damnum, quod Berta passa est, vel parentes ejus in majori summa dotium pro ea collocanda in matrimonium: Ergo non tenetur ad refarciendum tale damnum. Probatur consequentia: quoties imponens falsum crimen non intendit damnum illud secutum ex infamia, illud damnum de per accidens sequitur, & non per se; sed ad damnum de per accidens secutum ex aliqua actione, & aliunde non per se intentum, nulla est restitutionis obligatio: Ergo &c. Probatur minor: ad infamiam violationis Bertæ non per se, sed per accidens sequitur, quod si illa in matrimonium collocanda sit, major summa dotium tradenda sit marito: Ergo ad tale damnum non tenetur infamator.

Respondetur transacto antecedenti, nego consequentiam. Dixi *transcat*, quia quandoque fieri potest, quod ita malo animo quis moveatur ad damnificandum alterum in fama, ut etiam per se intendat quodcunque malum sequens; & quandoque fieri potest, ut nullum tale damnum intendat. At quando malum illud non intendit, non sequitur, quod illud damnum non sequatur per se ex infamia, ratione connexionis saltem moralis, quam habet cum infamia: nam si Berta impediatur à matrimonio faciendo cum competenti dote propter infamiam, jam tale impedimentum moraliter est cum illa infamia connexum. Et sicuti qui dat causam, & quidem moralem, rei illicitæ, est per se causa damni connexi cum tali re, ita debitum satisfaciendi pro re illicita, se extendit etiam ad satisfaciendum pro damno, quod sequitur. Unde major illa est falsa; nam non ex intentione damnificandi sequitur damnum, sed ex connexionione cum re, cui damnificans dat causam: ut si occiderem hominem inimicum, intendendo tantum occisionem illam, ut à me inimicum tollam, & nullum damnum sequens intenderem, adhuc teneor ad damna secuta ex homicidio, estò à me non intentata; quia causam dedi homicidio, ex quo damna illa sunt secuta, uti connexa per se cum homicidio. Ità discurrendum est de famæ detractore, ex cujus infamia omnia illa damna sequuntur.

110 Ex his dictis, quantum spectat ad resolutionem casuum conscientiarum, plura infero. Primo, quod qui alteri falsum crimen imposuit, famam alterius injustè lædendo, ita ut apud auditores famam amiserit, & illam non recuperaverit, tenetur ad famæ restitutionem, retractando scilicet verbum suum. Ratio est, quia lædens famam, injuriam præbuit infamato, lædendo Jus suum, quod ad famam habet: & quia injuria refarcienda est per redditionem, & in proposito per verbi sui retractionem; ideo sic falsum crimen imponens tenetur ad restitutionem.

Secundò infero, quod tenetur etiam ad damnum aliquod, si est securum ex tali infamia per falsi criminis impositionem. Ratio est, quia dans causam rei illicitæ, tenetur ad omne damnum moraliter, saltem sequens ex re illa: ut si in existimatione hominum, ratione infamiae resultantis in Berta, quod fuerit deflorata, deberent parentes pati damnum majoris summae dotium: vel si propter infamiam Titio impostam, quod sit adulter, patiatur detrimentum non habendi beneficium, quod certò haberet, nisi esset infamatus: omnia hæc damna per se moraliter sequuntur ex illa infamia: Ergo ad illa refarcienda tenetur detractor, falsum crimen imponens.

Tertio infero, quod post mortem detractoris imponentis falsum crimen, hæredes, de bonis ex hæreditate acquisitis, tenentur damna infamati refarcire, non verò famam. Ratio primæ partis est, quia illa bona transeunt ad hæredes cum illo onere, & debito, quod detractor habebat ante suum obitum. Ratio secundæ partis est, quia restitutio famæ ponit debitum personale, quod extinguitur in morte detractoris, & non transit ad hæredes.

Quartò infero, quod si infamatus alia via recuperaverit famam, & bona deperdita per famam, ita ut nullum aliud ei supersit detrimentum; tunc infamator, quamvis contra justitiam peccaverit, non per hoc tenetur ad restitutionem, nec famæ, nec damni: quia tunc creditor jam jus deperditum recuperavit, nullum in posterum patiendò detrimentum. At si famam recuperaverit infamatus, & damna aliqua passus sit; tunc estò infamator non teneretur restituere famam, teneretur tamen refarcire damnum; quia causam dedit rei illicitæ, ex qua damnum secutum est. Sit exemplum: Titius fuit injustè de adulterio infamatus, ex qua infamia deperdidit beneficium, quod sperabat; famam suam Titius recuperavit, se ostendendo honestum &c, sed beneficium non recuperavit; quia durante infamia, alteri fuit collatum; tunc detractor estò sic de oneratus obligatione restituendi famam; quia hæc recuperata est, tenetur tamen ad refarciendum damnum pro beneficio perditò. Quemadmodum, si Titius recuperasset vineam perditam, & injustè à Cajo possessam, quamvis Caju amplius non sit debitor vineæ, est tamen debitor Titio omnium damnorum, quæ Titius passus est.

Quintò infero, quod etiam si infamator suam amiserit famam, tenetur reddere famam proximo, & hoc nedum si infamatus sit vivus, verum etiam si sit mortuus. Ratio est, quia infamatori injustè competit fama, & infamato competit justè; unde fit, quod justè reddi debeat ei fama, etiam post ejus mortem; nam sicut post mortem remanet ei infamia, ita jus ejus non extinguitur ad famam recuperandam; nam multi potius ad famam perpetuandam,

G g

quàm



quàm ad quodcunque bonum temporale acquirendum multa, & singularia naturæ prodigia perperrant.

111. *PETES PRIMO. An, si infamator sit in magna dignitate constitutus, & infamatus in minori, & privata persona, teneatur infamator famam restituere?*

Pro decisione dubii sit casus. Episcopus alicui personæ privatæ falsum crimen imponat, dicendo *V. G. esse furem*, quæritur, an teneatur famam illi restituere cum notabili jactura sui honorifici status, se retractando à verbo, quod dixerat in præjudicium infamati? Ubi Respond. cum communi Doctorum sensu, Episcopum (sic etiam de quacunque persona in magna dignitate constituta, Principe, &c. comparatis ad personas privatas) non teneri ad restitutionem famæ. Ratio ipsorum est, quia plus valet fama personæ Episcopi, vel Principis, vel Regis, quàm cujuscunque personæ privatæ; imò ex retractatione, & infamia Episcopi, magnum in Ecclesia, & Republica eveniret detrimentum; ad quod evitandum, teneretur persona offensa, potius pati privatum detrimentum, quàm permittere detrimentum illud publicum. At Ego puto cum Almaino, Maltrio, & aliis, neminem simpliciter excusari à famæ restitutione, sed tantum à modo communi illam faciendi. Unde si communiter, posita æqualitate personarum, infamatæ scilicet, & infamantis, persona infamans tenetur retractare verbum suum, ut justè reddat famam, per impositionem falsi criminis; personæ tamen dignæ relatè ad personam privatam, cum qua non habetur æqualitas, debet dari alius modus restituendi famam, sine jactura sui status, & dignitatis. Hic modus reddendi famam mihi videtur, quòd esse possit, si infamato det aliquem gradum, & officium, quod competere possit suo statui; vel tractando illum cum speciali confidentia; vel quandoque honorando; qui actus tendunt ad honorem, & famam personæ, & ad bonum nomen illius; nam in his casibus, concipere possunt ii, apud quos fuit persona illa infamata, quòd Episcopus V. G. cognoverit illam personam, cui crimen illud imputaverit, fuisse se mutatam à mala ad bonam vitam, & sic etiam ipsi ab opinione mala se mutant ad bonam habendam opinionem in posterum de illa persona. Hic est congruus modus restituendi famam, & simul salvandi propriam famam, & statum, quando infamans, & infamatus non sunt in æquali dignitate constituti.

112. *PETES SECUNDO. An, qui falsum crimen alteri imponit, dum restitutionem facit, debeat verbum suum retractare tantum apud quos alium infamavit, an etiam apud alios, apud quos per primos auditores fama divulgata est?*

Quàm difficilis sit solutio præsentis dubii, certum esse poterit ex varietate opinionum inter Doctores, & ex eo, quòd multum faciunt

Confessarii, qui ita rigorosè se gerunt contra pœnitentes, qui injultè falsum crimen alteri imponunt, ut quidam absque eo, quòd cognoscant animum pœnitentis, si velit integrè restitutionem facere, vel nolit, statim negant infamatori absolutionem, quasi cognoscendo impossibilitatem resarciendi tantum, & tale damnum, proximo illatum. Hoc modo legitur fecisse ex nostro Ordine Minorum de Observ. Pater Alphonsus de Castro, vir magnæ doctrinæ, prudentiæ, & animarum zelator, qui dum confessionem audiebat cujusdam viri nobilis, se jactantis coram aliis nobilibus de copula carnali habita cum quadam Matriona, quod re vera non fuit: Pater Alphonsus tunc nec aliud audiendo, nec obligatione ei imponendo, statim infamanti dixit, *Casus tuus est insanabilis*; & è loco, in quo sedebat, surrexit. Cognovit tunc Pater Alphonsus, impossibile esse infamatori, ut posset coram totis viris, & aliis, quibus fama promulgata fuit, se retractare, ut famam illi Matrionæ redderet. Hoc sit obiter dictum, ad movendum zelum Constatorum contra iniquos infamatores, falsum crimen proximo imponentes, putantes, esse leve peccatum, & jocose dictum, vel factum. Unde

Responderetur ad quæsitum, relictis aliorum placitis, quòd quando imponens falsum crimen, alium infamavit publicè, & coram majori populo Civitatis; tunc fama publicè restituenda est; & retractatio publicè est facienda. Et ratio est, quia sicuti infamia fuit publica, & damnum notabile, ita publicè fieri debet retractatio; ita ut apud omnes, apud quos pervenerit primò infamia illius, cui impositum fuit falsum crimen, perveniat postea retractatio talis infamæ, & infamatus redeat ad suum primum statum. Si verò infamia non fuit publica, sed tantum secreta, & coram tribus imposita, de quibus poterat infamator confidere, tunc estò per auditores divulgata sit fama ad alios, non tenetur publicè retractare verbum suum; sed satis est retractare verbum suum coram illis tribus, quibus manifestavit infamiam, non animo illam divulgandi. Et auditores, per quos infamia divulgata est, tenentur, & debent facere pervenire ad alios retractationem, & noticiam falsi criminis; cum illi auditores, non servato juris ordine, secretum manifestaverint, & infamiam illis tantum manifestam, fecerint publicam.

113. *PETES TERTIO. An, qui alium infamaverit, imponendo falsum crimen coram pluribus, si non recordetur, coram quibus tale crimen imposuerit, excusetur à restitutione faciendâ?*

Responderetur negativè. Quamvis enim dum non recordatur, coram quibus falsum illud crimen imposuerit, non teneatur verbum suum retractare; quia ignorat personas illas, apud quas infamatus manet in mala

malæ opinionæ ; tamen si unius personæ per diligentiam adhibendam recordatus fuerit, coram illa debet verbum suum retractare, & illam interrogare de aliis, ut faciat similiter. Et pro tunc, in quo non recordatur illarum personarum, tenetur alio modo restitutionem facere, nimirum coram pluribus in aliquo discursu laudare personam illam infamatam, præsertim in virtute opposita illi crimini falsò imposito ; ut si infamando dixisset, *Titium esse furem, adulterum &c.* teneretur illum laudare in virtute castitatis, & honestatis, ac in virtute justitiæ, & rectitudinis. Ex qua laude, si quis fuit auditor infamiæ primò illatæ, aliam faceret opinionem de Titio, & talis laus promulgata æquivaleret pro tunc ex defectu memoriæ, retractationi, & adæquatæ restitutioni; cum jam tunc Titius poneretur in pristino statu suæ famæ.

II4 PETES QVARTO. An, & qua sint causa excusantes imponentem falsum crimen à restitutione famæ ?

Respondetur dicendo, dubium hoc non esse generaliter sumendum, de causa excusante imponentem falsum crimen à famæ restitutione quomodocunque ; sed tantum in suppositione quòd fama revera sit ablata, & quidem injustè, & nunquam ab infamato recuperata, ut dixi nu. 97. exponendo condiciones requisitas ad restitutionem famæ. Unde in hac suppositione dico, plures esse causas excusantes eum, qui falsum alteri imposuit crimen, à restitutione faciendâ simpliciter ; & plures esse causas excusantes à restitutione faciendâ per verbi retractationem ; sed non simpliciter excusantes infamatorem à restitutione alio convenienti modo faciendâ.

Prima causa excusans simpliciter imponentem falsum crimen, quando revera fama est injustè ablata, & nunquam recuperata, est moralis saltem impossibilitas ad restituendû ; ut si quis Titium infamasset, eidem falsum crimen imponendo, & dum vellet restitutionem facere, impediretur à periculo vitæ, in quod evidenter infamator posset incurrere, verbum suum retractando : vel quando infamator recordatur de infamia imposita, sed nusquam recordatus fuerit de infamato, nec de personis, coram quibus oblocutus est malum, & facta quacunq; diligentia nunquam in ejus memoriam devenire potest, nec persona infamata, nec personæ, cum quibus malum oblocutus est. Isti duo casus impossibilitatem moralem ponentes in infamatore, excusant ipsum simpliciter à restitutione faciendâ. Ratio generalis est, quia ad impossibile nemo tenetur: sicut neque quis obligatus est pati in eo, quod est ordinis superioris, pro eo, quod est ordinis inferioris. Vita namque est bonum ordinis superioris ad famam; & idcirco ubi adest evidens vitæ periculum, & hoc diù permaneat, excusatur infamator à restitutione faciendâ. Quod

etiam patet de restitutione bonorum temporalium, ubi tale periculum adsit.

Secunda causa excusans simpliciter imponentem falsum crimen à famæ restitutione, est voluntaria, & libera condonatio injuriæ facta ab infamato; dummodo hæc condonatio non vergat in præjudicium aliorum ; nam si talis condonatio esset in aliorum præjudicium, non excusaret infamantem à restitutione famæ ; cum injuria aliorum resarciri debeat, ut justitiæ æqualitas servetur: ut si infamatus esset Religiosus, vel Episcopus, vel aliqua persona publica, tunc infamia redundaret in totius Religionis, vel Conventus, vel Communitatis detrimentum ; quare illa libera condonatio non excusaret simpliciter infamantem à restitutione famæ. Quòd verò, ubi libera condonatio non vergit in aliorum detrimentum, excuset infamantem à restitutione famæ, patet, quia cum quilibet sit dominus suæ famæ, sicut liberè vult jus suum adimpleri, ita liberè potest juri suo cedere: quod etiam est certum, si creditor bonorum temporalium liberè dimitteret suum creditum debitori, eadem ratione, quia suorum bonorum dominus est.

Tertia causa est, quando, ceteris paribus, unum alteri imposuit falsum crimen; & unum alteri suam propriam restituere debeat famam; tunc ratione justæ compensationis, potest uterque à restitutione famæ excusari, ut certò scio, quod tu mihi famam abstulisti, & ego similiter tibi famam abstuli; & pares sumus, ac insuper æqualis injuria est mihi, ac tibi. Tunc ego excusor à restitutione simpliciter faciendâ, sicut & tu excusaris. Ratio est, quia restitutio famæ faciendâ est ad servandam æqualitatem inter injuriantem, & injuriatum: cum igitur æqualitas jam servata sit in casu posito, ideo, quando est par injuria, & paritas personarum, quisque à restitutione faciendâ excusatur. Dixi, quando est paritas, tum injuriarum, tum personarum; quia si injuria unius sit major, & alterius minor: ut tu majus crimen mihi falsò imposuisti, quàm ego tibi imposui; tunc ex inæqualitate injuriarum tu non excusaris à restitutione mihi faciendâ de illa majori injuria. Ratio est, quia tunc non servatur æqualitas: quod patet de injuria bonorum temporalium; nam si mihi debes bis centum, & tibi debeo centum, non excusaris à restitutione mihi faciendâ, ob majus creditum, quod ego contra te habeo: & excusaberis, si tantundem mihi debes, quantum tibi debeo. Ex quo fit, ut ait Solonius cum Lessio, Bonacina, & aliis, quòd si majus crimen tu mihi falsò imposuisti, & ego tibi minus crimen, possem ego postponere restitutionem tuæ famæ, illamque retinere per modum pignoris, donec tu mihi restitutionem facias in eo, quo magis gravatus sum. Ratio esse potest, quia majus est debitum tuum quàm meum, majorem scilicet tu mihi inferendo injuriam, quàm ego tibi intuli.

Quarta causa excusans imponentem falsum crimen à restitutione simpliciter facienda, est, quando infamia per diuturnitatem, temporis jam est tradita oblivioni, ita ut infamatus redierit ad priorem statum suæ famæ. Ratio hujus est, quia ob diuturnitatem temporis infamatus nullum supponitur pati damnum ex infamia illi illata; & quia fama restitui debet ad resarciendum damnum, ideo dum non amplius infamatus damnum patitur, infamator à restitutione famæ excusatur. Quantum verò temporis requiratur ad hoc, ut infamia sit oblivioni tradita, multi multa dicunt; tamen, non recedendo à communi Doctorum opinione, dico, quòd tunc eximitur oblivioni data infamia, quando nulla mētio amplius de illa fit apud eos, apud quos alter fuit infamatus. Adde tamen, quòd, ut de hac oblivione certificetur infamator, debet absque novo examine, sed ex solo motivo rationabili attendere, & ponderare, si illi in posterum de tali infamia discurrant. Istæ causæ sunt speciales excusantes simpliciter imponentem falsum crimen à restitutione famæ; quæ causæ solentur sunt ex principalioribus Doctoribus, Navarro, Valentia, Lessio, Bonacina, Almaino, Mastrio, Solonio, Arragonio, Emmanuele Sà, Azorio, & aliis.

Causæ tandem excusantes imponentem falsum crimen, non simpliciter à famæ restitutione, sed tantum ab ea facienda rigorosè, & per retractationem verbi, sunt istæ. Prima, quando quis restituendo famam, patitur periculum famæ suæ dignioris famæ ablata, vel ratione dignitatis personæ, vel ratione officii ut si infamator sit Religiosus, Episcopus, vel persona publica, quorum fama magis existimanda est, quàm fama cujuscunque personæ privatæ. Licet autem isti excusentur à restitutione facienda per retractationem verbi, quomodo propria fama periclitaretur; non tamen excusantur simpliciter à facienda restitutione alio decenti modo, quo possent famam propriam salvare, ut dixi num. 111, scilicet honorando infamatum in aliquo officio competentis sui statui, ipsum confidenter tractando, & honorando, ipsumque laudando in virtute opposita crimini falsò imposito.

Secunda causa est, quando infamatus in aliquo crimine prius falsò imposito, immediate post, delictum illud patratum est, & publicum evadat. Ut si de Berta falsò quis diceret, *esse adulteram*, quæ nunc talis non est, & pro die sequenti fit adultera, & adulterium est publicatum; tunc estò infamatus non teneatur retractare verbum suum, ne putent auditores illum mentiri de publica infamia, quam sibi Berta imposuit; tamen tenetur ipsam laudare pro illo die, & tempore, pro quo delictum adulterii non erat commissum, dicendo, *erat mulier honorata famæ*, (non explicando tempus), & nunc cecidit in tale crimen, ita ut sit

publicè infamata. Hanc secundam causam excusantem imponentem falsum crimen, apud nullum Doctorem reperi; tamen neque ponit obligationem retractationis, quo ipsa se infamavit, ne auditores audita publica infamia, reputent ipsum infamatorem mendacem in tali retractatione, & defensorem injustum publicæ infamæ: neque simpliciter alio modo restitutionem faciendi excusant; cum jam pro aliquo tempore antecedenti, pro quo Berta fuit infamata, & quidem injurè infamator injuriam fecerit Bertæ, quam resarcire tenetur omni meliori modo, quo potest.

115 *PETES QUINTO*. An, quando quis excusatur à restitutione facienda, sive per retractationem, sive per alium modum condecensentem, seu simpliciter, possit restitutionem famæ pecuniæ compensare?

Respondetur cum communi Doctorum opinione, Navarro, Turriano, Fillucio, Azorio, Mastro, Bonacina, & alijs, dicendo, non posse, nec debere compensare restitutionem famæ pecuniæ. Ratio est, quia quando quis ob justam causam, præsertim ex illis quatuor assignatis, excusatur simpliciter à facienda restitutione, jam liber est à debito satisfaciendi injuriæ alteri illatæ, & injuriatus supponitur non rationabiliter invitus, sed injuriam condonasse: & sic sicut non tenetur simpliciter ad faciendam restitutionem, ita neque ad faciendam compensationem. Secundò tunc compensatio fieri debet, quando quis constituitur debitor; sed quando justa causa excusatur, jam non est debitor: Ergo nequit pecuniæ injuriam compensare. Ultraquamquòd, etiam si teneatur quis in illis casibus ad famam restituendam, saltem absque retractatione, tamen etiam est falsum, quòd possit fama pecuniæ compensari; nam fama est altioris ordinis pecuniæ, & non redderetur æquivalens famæ ablata per quamcunque pecuniam; ut colligitur ex Prov. 12. *Melius est bonum nomen, quàm divitiæ multa*. Adde tamen cum Bonacina, hoc esse intelligendum ex justitia, quòd fieri non possit compensatio ex pecuniæ; at si intelligatur ex æquitate, tunc fieri potest compensatio: ut si infamasti pauperem, cui per allatas causas non debes famam restituere, teneris non ex justitia compensare famam pecuniæ, sed tantum ex æquitate illum à paupertate sublevare, præsertim si infamatus acceptam habeat talem compensationem, & tu velis illam facere ad evitandum scrupulum: dummodò tibi nulum eveniat incommodum.



QUE

QVÆSTIO TERTIADECIMA.

*An, qui verum crimen, sed occultum, alterius manifestat, non servato juris ordine, ex quo infamia resultet, teneatur ad restitutionem famæ; & quomodo restitutio famæ sit facienda?*

**T**itulus præsentis quæstionis tangitur à Scotto loco supra cit. in 4. dist. 15. qu. 4., quem resolvit §. *De secundo dico*; ubi supponit, quod qui alium infamavit, manifestando verum crimen alterius, sed occultum, peccet contra justitiam, & ad restitutionem famæ teneatur, si non servat ordinem juris: & quod hic sit secundus modus diffamandi alterum, pro ut ipse Doctor dixerat supra §. *Respondeo*. Ubi suppono, quod illa limitatio (si non servet ordinem juris) est appositæ ad excludendum judicium faciendum coram Judice potestatem habente in inquirenda veritate; nam quoties quis non animo nocendi proximo, sed veritatem dicendi in judicio, & à Judice interrogatus circa occultum proximi delictum, tunc ille, qui coram Judice occultum crimen manifestaverit non diceretur infamator; imò ne perjurium committat, Judici interroganti supra tale delictum occultum, teneatur veritatem explanare. In quo casu, quia ordinem juris servaret, non esset tectus iniquus (ut infra dicemus) nec infamator. Solùm igitur est infamator, quando non servat ordinem juris, sed spontè, & malo animo secretum extra judicium manifestat.

**¶ 16** Quantum ad secundam quæstionis partem, de modo scilicet, quo facienda sit restitutio in hoc infamandi genere, scilicet *verum crimen occultum manifestanda, non servato juris ordine*, varii sunt modi dicendi Doctorum, qui tamen ad tres reducuntur, ut bene notat Mastrius noster, Primus dicendi modus est plurium Doctorum Navarri, Solonii, Lessi, Valentie, Stephani, Card. de Lugo, & ex nostris Aretini, & Hiribarnes, dicentium, famam in hoc genere ablatam, esse restituendam per usum verbi amphibologici, dicendo coram illis, cum quibus verum crimen, sed occultum promulgavit, non servato juris ordine, *se falsum dixisse, vel non dixisse verum*: ex quo in mente infamatoris publicantis crimen occultum fit mentalis verbi restrictio, scilicet se non dixisse verum publicum, vel se dixisse falsum publicum. At in hoc modo restituendi famam, militare videntur per usum verbi amphibologici, cum mentali restrictione, tres damnatæ propositiones ab Innoc. XI. Prima desumpta ex num. 26, ubi habentur hæc verba: *Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive*

*interrogatus, sive propria spontè, sive recreationis causa, sive quocunque alio sine, juret, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera nõ. mentitur, nec est perjurus.* Secunda propositio desumitur ex num. 27. ubi habentur hæc alia verba: *Causa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio censatur tunc expediens, & studiosa.* Tertia tandem propositio est desumpta ex num. 28. ubi habentur hæc verba: *Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.*

**¶ 17** Pro explanatione primæ, & secundæ propositionis ex nu. 26. & 27. pono casus, ut damnatio illarum magis percipiatur, sit casus primæ propositionis ex num. 26. Si Titius interrogetur, vel solus, vel coram aliis, an homicidium die Martis patraverit, vel commiserit pro illo die adulterium, & Titius juret, se non commisse homicidium, vel adulterium, restringendo in mente sua, non commisisse talia crimina pro die Jovis, non explicando voce talem conceptum mentis. Vel etiam si hoc dixerit spontè, & non interrogatus, vel causa recreationis. Quamvis in hoc casu conceptus mentis, quem habet Titius, sit verus, quod pro die Jovis non commiserit adulterium, vel homicidium; tamen quia non concordat cum conceptu explicito, & verbali, Titius mentiretur; & si præberet juramentum, esset periurus.

Insuper si Titius hac amphibologia uteretur, ut necessaria ad salutem corporis, vel ad tuendum suum honorem, vel bona sua; quia tunc Titius occultaret verbis amphibologicis veritatem, mentiretur, Quare deducimus pro hac secunda propositione ex num. 27. non esse expediens, nec studiosum occultare verbis amphibologicis veritatem, sive in judicio, sive extra, etiam si talis occultatio vergat in utilitatem, & necessitatem corporis, honoris, & bonorum temporalium; sicut nequæ ad tuendum quemlibet actum virtutis. Et pro prima deducimus, quod illa restrictio mentalis, quia non concordat cum expresso verbo, ponit mendacium; & si juramentum præstetur, stante tali discordantia, expressa locutio verbalis est perjurium. Ubi adverto, supradictas propositiones fuisse damnatas; quia Doctores eas propugnantes, asserabant, licitum esse in illis casibus loqui cum mentali restrictione, ad evitandum mendacium; at quoniam ex discordantia restrictionis mentalis cum vocali propositione re vera intervenit mendacium, & perju-

perjurium, si est cum juramento); ideo restrictio illa mentalis per amphibologicam locutionem, ut scandalosa, est damnata. Quia ergo illis propositionibus intervenit modus utendi verbis amphibologicis, aut mentali restrictione, ideo propositiones illæ damnatæ sunt; præsertim propter mentalem restrictionem.

118 Pro explanatione tertiæ propositionis ex num. 28. pono casum: si Titius sit vel mediante commendatione, vel munere promotus ad magistratum, vel alium publicum officium, & interrogetur, ut sub juramento fateatur crimen, vel impedimentum occultum, quo possit impediri à talis officii consecutione; & ipse respondendo, utatur verbis amphibologicis cum mentali restrictione non correspondente dicto verbali; quia committit mendacium, & perjurium, iccirco nequit Titius uti illa mentali restrictione. Ex quo casu deducimus, restrictionem illam mentalem, involuentem mendacium, & perjurium, esse à Summo Pontifice, damnatam, ut scandalosam, & temerariam. Ex motivo damnandi supradictas propositiones, videtur modus ille supra assignatus faciendæ restitutionis per usum amphibologiæ, ex mentali restrictione, esse periculosus, & scandalosus; cum restrictio illa mentalis discorder à verbo expresso, dicente mendacium. Et ex hoc motivo annotavi hæc supradictas propositiones, ut cognoscatur, hanc mentalem restrictionem involuentem mendacium non satisfacere injuriæ alteri illatæ per manifestationem occulti criminis, non servato ordine juris.

119 Secundus modus restitutionem faciendi, est laudare infamatum apud eos, coram quibus crimen occultum publicavit, præsertim in illa virtute opposita crimini publicato. Hunc modum restitutionem faciendi sequitur Cajetanus, cum Diana, Valentia, Soto, & aliis. Tertius tandem modus est Scoti in hoc 4. cit. q. 4. §. de secundo, & est iste: si detractor coram illis dicat, *malè dixi, fatuè dixi*; quia dixi in publico, quod non est verum publicum, sed privatum, & occultum, non servando ordinem juris. His itaque notatis, pro utriusque partis quæstionis resolutione

*DICO*, qui alium infamavit, manifestando verum crimen, sed occultum, non servato juris ordine, teneri ad restitutionem; quæ fieri debet, dicendo, *se malè, & fatuè locutum fuisse*, manifestando publicè, quod non est verum publicum, sed occultum, & privatum. Conclusio quò ad primam partem est communissima inter Doctores. Quò ad secundam verò partem est contra Doctores citatos pro primo, & secundo dicendi modo, & est Scoti loc. cit. D. Thomæ, A lensis, Navarri, Azorii, Aragonii, Silvestri, Medinæ, & aliorum, quam opinionem sequuntur ferè omnes Thomistæ, & Scotistæ, & alii.

120 Probatum prima pars. Manifestans pecca-

tum proximi occultum, ex quo ipsi infamia resultat, non servato ordine juris, injuriam proximo facit; sed ex tali injuria insurgit obligatio restitutionis: Ergo qui manifestat peccatum proximi occultum, non servato ordine juris, tenetur ad famæ restitutionem. Probatum primò major: tunc fit injuria proximo ex manifestatione secreti criminis, quando damnum aliquod ex tali manifestatione injustè patitur; sed quando quis, non servato ordine juris, manifestat occultum crimen proximi, hic damnum suæ famæ injustè patitur; cum cadat, citra jus, in malam opinionem illorum, qui tale crimen audierunt: Ergo injuriam facit ei, cujus crimen occultum manifestat. Probatum nunc minor principalis: injuria, quæ lædit jus alterius, ponit obligationem restitutionis in inferente injuriam; sed injuria, quam quis facit proximo per manifestationem occulti criminis, lædit jus illius, quod habet ad famam suam: Ergo ex tali injuria insurgit obligatio restitutionis. Probatum minor: injuria, quam quis facit proximo per manifestationem occulti criminis, reddit ipsum infamatum, quia constituit ipsum in mala opinione apud alios: Ergo lædit jus, quod ipse habet ad suam famam: Ergo &c.

Confirmatur: qui manifestat occultum crimen alterius, non servato ordine juris, ex qua manifestatione sequitur damnum illius, cujus crimen occultum manifestatur, peccat contra jus naturale, divinum, & humanum; sed peccans contra ista jura, ex quo peccato sequitur damnum alterius, tenetur ad restitutionem: Ergo &c. Probatum major: peccat contra jus naturale; nam jus naturale dicitur, opera virtutum esse manifestanda, opera verò contra virtutem esse celanda, ne alter damnum injustè patiatur. Et contra jus divinum, quia Deus præcipit, defectum proximi occultum, esse occultè corripiendum, ut patet ex illo Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripue eum inter te, & ipsum solum*: Ergo læditur hoc jus divinum, quoties non fiat correptio, & pro correptione præcepta manifestatur secretum crimen fratris sui. Est etiam contra jus humanum; nam Valentianus, & Valens Imperatores cap. de famosis libellis, statuerunt, ne quis alterius crimen prodatur, non servato juris ordine; & pœna capitis damnant eos, qui faciunt libellos famosos, ex quibus resultat publica proximi infamia. Hoc ipsum confirmant plura jura Canonica: Ergo asserendum est, quòd cum sit contra jura manifestare occultum crimen proximi, non servato ordine juris, jam manifestans tale crimen, propter injuriam damnosam proximo allatam, teneatur ad restitutionem.

Confirmatur insuper ratione, quam adducit Doctor noster de sigillo confessionis in 4. dist. 21. q. 2. §. de quis dico, sub litt. H. ubi dicit: *Transferens aliquid in alium de facto, quod non potest*

potest licite de jure transferri, non dat illi alteri jus utendi, vel transferendi istud in alium; quia ex quo non habuit jus, non potuit jus in alterum transferre; quia nemo dat, quod non habet. Ex qua doctrina, sic in favorem conclusionis arguunt: crimen occultum alterius, quod uni est manifestum, vel quia revelatum secretum a committente, vel quia coram eo commissum, non est sub jure istius, qui novit tale crimen, ut possit de illo uti, & in alios jus utendi transferre; sed quoties manifestaret occultum crimen alterius, se gereret, quasi haberet jus transferendi notitiam illius criminis: Ergo nequit sine præjudicio juris transferre secretum illud in alios per publicam manifestationem; ac per consequens quoties secretum crimen manifestaret, cum læderetur jus alterius, teneretur ad restitutionem.

121. Probatur secunda pars. Eo modo fieri debet restitutio famæ per manifestationem veri criminis, sed occulti, non servato ordine juris, quo modo detractor, sine mendacio, satisfacit damno, & injuriæ illatæ; sed quando detractor coram illis, quibus occultum crimen, licet verum, manifestavit, dicat, *fatue dixi, male dixi; quia nempe proposui in publico, quod non est verum publicum*, sine mendacio satisfacit damno, & injuriæ illatæ: Ergo hoc modo facienda est restitutio, quando verum crimen, sed occultum manifestatur. Probatur minor; per hunc modum detractor non mentitur, restituendo famam; quia verum dicit in retractione; & aliunde hoc modo dicendo, ponit sufficiens motiivum auferendi ab auditoribus illam priorem malam opinionem, in qua tenebant infamatum; sed quando sine mendacio habetur sufficiens motiivum auferendi malam opinionem, refarcitur damnum, & injuria illata ei, cujus crimen occultum, licet verum, manifestatum fuisset: Ergo &c.

Eò vel maxime, quia nil aliud ex justitia facere debet detractor in restitutione famæ, quam tollere malam opinionem ab iis, apud quos alter sua causa fuit infamatus; sed dicendo, *fatue dixi, male dixi; quia proposui in publico, quod non est verum publicum*, jam aufert malam opinionem, quam prius habebant de infamato: Ergo hic est verus modus restituendi famam per manifestationem occulti criminis, licet veri.

122. Probatur secundò: confutando ceteros dicendi modos. Primus modus dicendi erat, uti verbis amphibologicis cum mentali restrictione; verbi grati, dicendo, *falsum dixi, verum non dixi*. Sed hic modus dicendi non est rationabilis: Ergo non debet per hunc modum dicendi fieri restitutio famæ per manifestationem veri criminis, sed occulti, non servato ordine juris. Probatur minor: ille modus dicendi per verba sic expressa, dicit mendacium, & si juret, involuit perjurium; sed irrationabile est mentiri, & perjurium com-

mittere, in restitutione famæ; cum nemo teneatur cum animæ suæ detrimento exercere quemcunque actum virtutis; Ergo &c. Probatur major; dicendo, *se falsum dixisse, vel non dixisse verum*, jam mentitur; quia non imposuit falsum crimen, sed verum crimen, licet occultum: Ergo hic modus dicendi per verba sic expressa, dicit mendacium.

Ultraquamquod, ut notat Faber, & cum eo Matrius; si hic modus dicendi cum restrictione mentali, esset servandus in restitutione famæ per manifestationem veri criminis, licet occulti, non haberetur locus restituendi famam per impositionem falsi criminis; nam eodem prorsus modo restitueretur fama tam per falsum crimen impositum, quam per verum manifestatum, quod erat occultum; cum auditores æquè possent in tali restitutione concipere, infamatum revera crimen commississe, sed occultum, quam utrobique concipere infamatum, crimen illud non commississe: Ergo talis modus, per mentalem restrictionem non correspondentem voci, & verbo expresso, est omninò irrationabilis; imò ut talis, in superioribus propositionibus damnatus: Ergo &c.

Secundus modus dicendi erat, laudare infamatum, præsertim in virtute opposita crimini manifestato. Si fama, à proximo ablata, per publicationem veri criminis, sed occulti, non servato ordine juris, posset restitui, laudando ipsum infamatum in virtute opposita crimini manifestato, sequeretur, quòd in tali restitutione famæ, non deberet servari æqualitas; sed hoc est falsum: Ergo hic modus restituendi famam, laudando scilicet infamatum, non est congruus, ut reddatur fama ei, cujus verum crimen, sed occultum, fuit manifestatum, non servato ordine juris. Probatur major: tunc servatur æqualitas in restitutione famæ, quando satisfacit injuriæ, alteri illatæ, & infamatus restituitur in integrum, & pristinum statum suæ famæ; sed quando est ab infamatore laudatus, etiam in virtute opposita crimini manifestato, non satisfacit injuriæ illatæ, & infamatus non restituitur in pristinum statum: Ergo &c. Probatur minor: quia (si adest paritas personarum, in quo sensu facienda est restitutio famæ) possent auditores efformare judicium dubium, an sit vera prima locutio, vel vera secunda; & interim se non removere à prima opinione mala, concepta de persona infamata; sed tunc infamatus non restitueretur in pristinum statum: Ergo &c.

Eò vel maxime; hæc argumentatio valet, & magis urget, si infamatus laudaretur in aliis virtutibus, & non in illa, opposita crimini manifestato; quia possent auditores manere certi de infamia circa crimen illud manifestatum: Ergo &c. Quamvis hæc argumentatio videatur opposita doctrinæ, quam tradidi num.

114. de causis excusantibus à restitutione famæ



inæ faciendæ per retractationem verbi, tamen considerata ratione militante pro uno modo infamandi, & altero, per impositionem scilicet falsi criminis, & manifestationem veri criminis, licet occulti; & insuper attenda qualitate personarum infamantis, & infamatæ, videtur hæc doctrina non obstare priori: nam quamvis quando adest disparitas personarum, restitutio faciendæ per verbi retractationem cadat in præjudicium famæ infamantis, & boni publici, & restitutio famæ per laudationem personæ infamatæ, præsertim in virtute opposita crimini falso imposito, sit congrua, & decens statui personæ infamantis; tamen, attentis qualitatibus personarum privatarum, quibus æqualiter præstanda est fides, si laudaretur persona infamata ab infamatore manifestante verum crimen, sed occultum, non esset congrua restitutio, quia adæquatè non restitueretur in pristinum: sicut per laudem dignioris personæ, cui magis præstanda est fides, restituitur infamatus in pristinum.

### Solvuntur Objectiones.

123 **O**bjicies primò contra primam partem, probando, manifestantem verum crimen, sed occultum, non teneri ad famæ restitutionem. Non tenetur ad famæ restitutionem, nisi qui peccando contra proximum, facit actum contra virtutem justitiæ; sed manifestans verum crimen, quod est occultum, non servato ordine juris, non facit actum contra virtutem justitiæ: Ergo qui manifestat verum crimen, sed occultum alterius, non servato ordine juris, non tenetur ad famæ restitutionem. Probatur minor: qui manifestat verum crimen, licet occultum, manifestat id, quod verum est; sed manifestando id, quod verum est, non peccat contra virtutem justitiæ, sed ad summum contra charitatem, quatenus tenemur proximum diligere: Ergo &c. Probatur minor: manifestando id, quod verum est, non lædit jus, quod habet ad famam, sed supponit jus ex sua culpa læsum, dum peccavit: Ergo sic manifestando, quod verum est, non peccat contra virtutem justitiæ, sed solum contra charitatem.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dist. majorè: manifestat id, quod verum est, & occultum, cōcedo majorem: quod verum est, & non occultum, nego majorem, & dist. minorem: sed manifestando, quod verum est, & non occultum, non peccat contra justitiæ, sed ad summum contra charitatem, concedo minorem: manifestando, quod verum est, sed occultum, nego minorem, & consequentiæ. Dico igitur, quod qui manifestat crimen alterius, quod verum est, sed occultum, committit actum contra tres virtutes, contra charitatem, fidem, & justitiæ: contra charita-

tem, quia ex præcepto charitatis tenemur, nedum proximum diligere, sed etiam ipsum fraternè corripere, dum scimus, ipsum illapsum in aliquod crimen: peccat contra fidem, quia frangit sigillum naturale, quo tenemur, secretum proximi non manifestare, non servato ordine juris, quo modo est in proposito: & tandem peccat contra justitiæ, quia ex tali manifestatione damnum publicæ infamiæ evenit ei, cujus crimen secretum publicatur: & stante illa infamia obligatur ad famæ restitutionem, estò verum crimen manifestaverit; quia non manifestavit verum publicum, sed verum privatum, & occultum. Ad ultimam probationem dico, quod per crimen occultum commissum proximus famam non amittit; aliàs omnes peccatores occulti dicerentur infamati apud homines (licet dicantur tales apud Deum). Sed solum amittit famam, quando crimen illud occultum est publicatum; & quia manifestans tale crimen occultum, dat causam infamiæ, ideo ipse tenetur ad famæ restitutionem.

124 Objicies secundo contra secundam partem directè contra modum loquendi Scoti. Non est congruus restituendi famam ille modus, quo potius confirmatur infamia, quam hæc per talem modum auferatur; sed si detractor per manifestationem veri criminis, sed occulti, non servato ordine juris, diceret, *se fatuè dixisse, malè dixisse*, proponendo in publico, quod non est verum publicum, potius confirmat infamatum in infamia, quam eam auferat: Ergo per hunc modum dicendi non potest congruè fieri famæ restitutio. Probatur minor: si diceret, *fatuè se dixisse, proponendo in publico, quod non est verum publicum*, confirmat crimen patratum, ex quo per primam manifestationem resultavit infamia: Ergo confirmat infamiam. Eò vel maxime, quia auditores ex hoc modo loquendi non auferunt à se malam opinionem illius, cujus crimen occultum fuit manifestatum in publico; sed tunc fama congruè restituitur, quando auferitur mala opinio contra infamatum: Ergo per hunc modum dicendi non rectè, & congruè restituitur fama, quando fuit publicè manifestatū delictum secretum, non servato ordine juris. Hæc doctrina hoc exemplo exprimitur. Si Titius mihi dixisset, Cajum commisisse adulterium, quod re vera fuit commissum, sed occultè, jam formavi de Cajo malam opinionem: si insuper accederet ad me Titius, & diceret, *fatuè locutus sum de Cajo, quia proposui in publico, quod non est verum publicum*, tunc mihi non ponitur motivum deponendi primam opinionem de Cajo, sed potius confirmor in prima opinione, quod Cajus sit adulter: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem nego antecedens. Quando ergo infamator per manifestationem veri criminis,

minis, sed occulti, non servato ordine juris, alium infamavit, ut satisfaciat, & æqualitatem ponat inter damnificantem, & damnificatum, requiritur, quòd retractet verbum suum per oppositam propositionem, quam priùs dixerat. Et quia priùs dixerat crimen, ut publicum, quod erat privatum, & occultum, & non servavit ordinem juris, idcirco per oppositam propositionem, dicendo: *dixi in publico, quod non erat verum publicum*, debet verbum suum retractare. Et quia proponere in publico, quod est verum occultum, est fatua, & mala locutio, ideo ut congruè famam restituat, ait Scotus, quòd debeat dicere, *fatue dixi, male dixi &c.* Neque hoc est confirmare malam opinionem in iis, qui nunc audiunt detractorem revocantem verbum suum; quia hoc sufficit, ut illi non amplius habeant infamatum, ut publicum criminofum, sicut priùs illum habebant. Imò tenentur ex justitia, & charitate (ut ait Maltrius) illam malam opinionem deponere auditores. Et si auditores se confirmant in mala opinione, non obstante, quòd audiant à detractore, crimen illud occultum esse, & non publicum; hæc confirmatio non oritur ab ipsius detractoris dicto, sed ex eorum malitia.

Ad additum respondeo per hoc ultimum, dicendo, quòd si per illam revocationem factam ab infamatore non auferunt malam opinionem, in quam habuerunt infamatum de crimine vero, sed occulto; hoc non provenit, quia infamator rectè, & congruè non revocaverit primum dictum, sed ex eorum malitia oritur: quia potius fidem præstant infamanti afferenti malam propositionem, quam eidem revocanti talem propositionem. Sufficit namque ad restitutionem famæ, ut infamator satisfaciat debito suo, & non est attendenda prava auditorum voluntas; cum multoties auditores potius malo, quam bono adhæreant, ne dum quando crimen est verum, sed occultum, sed etiam quando est falsum. Idem dicendum est ad casum propositum.

225 Obijcies tertio probando, restitutionem per manifestationem veri criminis, sed occulti, fieri debere per mentalem restrictionem verborum, dicendo, *se falsum dixisse*, retinendo in mente, *publicum*. Quando quis alterum infamavit, manifestando verum crimen, sed occultum, debet ita famam restituere, ut omnino servet æqualitatem justitiæ inter damnificantem, & damnificatum; & insuper ut per restitutionem famæ auferatur ab auditoribus mala opinio de infamato; sed dum infamator dicit, *se falsum dixisse*, retinendo in mente *ly publicum*, intendendo in mente, *se falsum publicum dixisse*, jam servat æqualitatem justitiæ inter damnificantem, & damnificatum; & aliunde auferit ab auditoribus malam opinionem de infamato: Ergo per hunc modum cum mentali restrictione, congruè fama restituitur.

Probatum minor, primò quòd ponat æqualitatem justitiæ; nam tunc ponitur justitiæ æqualitas, quando injuriatus recuperat jus suum ad famam, quam per alium amiserat, dum fuit infamatus; sed jam recuperavit jus suum, si quod priùs infamator dixerat, in retractione negavit: Ergo &c. Probatum secundò eadem minor, quòd scilicet per illum modum auferit ab auditoribus malam opinionem. Tunc est congruus modus auferendi malam opinionem, quando auditores per oppositum primæ locutionis certificantur, primam propositionem fuisse falsam; sed dum infamator dicit, *se falsum dixisse*, restringendo in mente *ly publicum*, jam per hanc secundam propositionem certificantur auditores de falsitate primæ propositionis: Ergo &c.

Respondetur dist. minorem, quò ad secundam partem: auferit ab auditoribus malam opinionem, cum dubietate, an crimen primò impositum fuerit verum, vel falsum, concedo minorem: cum certitudine, quòd crimen illud erat verum, sed occultum, nego minorem, & consequentiam. Eodem modo respondeo ad probationem ejus. Licet concedamus, quòd quis dicendo, *se falsum dixisse*, cum illa restrictione mentali, ponat æqualitatem inter damnificantem, & damnificatum; tamen auditores per hanc secundam propositionem retractatoriam primæ propositionis, adhuc remanent in dubio, an crimen, quod primò manifestavit, sit verum, vel falsum. Nam juxta propositionem secundò prolatam, *se scilicet falsum dixisse*, deducere possent auditores, crimen manifestatum non fuisse verum, sed falsò impositum; cum non concipiant conceptum restrictionis mentalis retractatoris. Unde stante tali dubio, quamvis auditores possent à se ipsis auferre malam opinionem de infamato, tamen non certificantur de veritate criminis occulti publicè manifestati, sed potius certificari possent, ex hoc modo loquendi, de falsitate criminis. Et quia crimen est verum, licet occultum, ideo locutio illa, cum mentali restrictione, involuit mendacium explicitè; est non secundum conceptum implicitum, pro ut restitutor famæ intendit: ratione cujus mendacii, quòd est periculosum humano commercio, & fraudulentum, mens Sanctissima Innocentii XI. damnavit supradictam mentalem restrictionem verborum in locutione, ut patet in supradictis propositionibus, & quidem absolute, absque eo, quòd illas restringat ad solam causam injustam. Et præsertim ista mentalis restrictio evitanda est in hac materia de famæ restitutione, quia hic nulla posset esse justa causa talis restrictionis mentalis; cum jam auditores deciperentur, & possent affirmare, delictum impositum esse falsum, pro ut sonant illa verba, *falsum dixi &c.*

Ex his omnibus dictis aliqua dubia examinanda occurrunt circa hunc secundum modum

dum infamandi, quæ hic resolvemus.

126 *PETES PRIMO*. *An in aliquibus casibus licitè occultum crimen proximi manifestare?*

Respondetur, dicendo, quòd in omnibus illis casibus, in quibus manifestatio occulti criminis non est detractio, sed boni publici utilitas, posset quis licitè occultum crimen alterius manifestare. Ut si quis certò sciret, Titium esse furem, posset admonere eos, cum quibus conversatur, ut abstineant ab illius conversatione, ne incurrant periculum amittendi per furtum rem propriam, ex nimia confidentia; vel ne reputentur complices, vel fautores ipsius furis.

Si certò insuper scio, aliquem non esse medicum, & se talem fingat; possem eos, apud quos medendi causa accedit, admonere, ut consilio suo medicinam non sumat, ne periculum vitæ incurrant.

Si certò scio, Titium commisisse homicidium, pro quo innocens Cajus est morte damnatus; ad vitandam mortem Caji innocentis à Judice latam, possem homicidam manifestare, (dummodo hæc scientia non habeatur per Sacramentum confessionis.)

Si etiam certus sum, Titium habere uxorem alibi, & hic promittit Bertæ, illam in uxorem ducere; teneor occultum matrimonium manifestare, quod est impedimentum ad secundum.

Si scio, aliquem esse occultum hæreticum, & conversatur cum catholicis, præsertim indoctis, ut illos possit à vera Religione remove-re; tunc teneor tale delictum manifestare. In his casibus, & similibus, ubi non odio, & malo animo nocendi proximo, sed bono publico, & utilitati ejusdem contulendi quis movetur ad manifestandum occultum crimen proximi, talis manifestatio licita est, dummodo nullus alius modus inveniri possit ad impediendum damnum alterius, nisi sola criminis manifestatio cum moderamine inculpatae tutelæ. Ita hos, & similes casus resolvunt, & limitant, Bonacina, Mastrius, Bannes, Sotus, Lessius, Caspensis, Filiucius, Navarrus, & alii. Ratio eorum est; quia in his, & similibus casibus manifestatio secreti criminis non est inordinata, & contra charitatem, sed ordinata, tam ad bonum publicum, quàm ad bonum privatum. Unde quando nequit tam bono publico, quàm privato personæ innocentis alia via quis consulere, quàm manifestando occultum crimen alterius, tunc licita est manifestatio.

Dixi, quando non potest alia via; quia si quis sciat occultum crimen Titii in casibus propositis, & similibus, & per correctionem fraternam secretam (excipe casum hæresis) posset damna illa impedire; non deberet tale crimen occultum manifestare, sed deberet uti illa fraterna correctione, aliàs interveniret culpa in manifestante, quando posset damna per solam correctionem fraternam impedire.

127 Ex hac regula excipiuntur duo casus, Pri-

mus, quando crimen occultum esset Regis, vel Reipublicæ Rectoris. In quo casu, si hoc crimen manifestaretur, gravia damna in Regno evenirent, & in ipsa Republica ex quo fit, neminem posselicetè talia crimina occulta manifestare, etiam ad graviora tormenta vitanda. Exemplifico casum; si quis sciret, Regem habere determinatam voluntatem dandi potionem venenatam alicui nobili; & qui talem scientiam haberet, non posset hoc damnum impedire, quod illi nobili immineret; tunc nõ posset secretum illud Regis ipsi nobili manifestare, ne per talem voluntatem pravam Regis moveatur bellum, vel rebellio contra Regem.

Secundus casus est, quando crimen occultum quis sciat per Sacramentalem confessionem: in quo casu non posset confessarius manifestare secretum, etiam si quodcunque immineret damnum, ruina, combustio Civitatis, rebellio, mors Regis, & etiam propria confessarii; & etiam si esset positus in tormentis cum suæ vitæ periculo, secretum Sacramentale debet celare. Ita Doctores communiter: estò in hoc secundo casu de licentia pœnitentis posset confessarius hoc facere, secundum aliorum opinionem; quæ tamen opinio reprobatur à Scoto in 4. dist. 21. q. 2. Circa hanc materiam magis patebit ex iis, quæ dicenda sunt (Deo permittente) de sigillo confessionis.

128 *PETES SECUNDO*. *An Judicè potestatem habenti, & juridicè interroganti teneamur occultum crimen proximi in judicio manifestare?*

Respondetur dicendo, quòd si Judex directè de illo crimine interroget, tenemur veritatem fateri, & non mentiri, præsertim si Judex petiit ab interrogato juramentum. Ratio est, quia si habenti juridicam potestatem veritatem occultamus, mentimur; & jurando, committimus periurium. Sed nequit quis Judicè legitime interroganti de aliquo determinato crimine mendacium dicere, occultando veritatem criminis: Ergo &c. Ideò diximus in conclusione quæstionis, non servato ordine juris, esse infamiam manifestare occultum crimen proximi; quia ordo juris coram Judice potestatem habente expostulat, ut crimen manifestetur, quando sciens tale delictum fuisse patratum, à Judice interrogetur.

129 *PETES TERTIO*. *An possit dici Detrahor, qui peccatum publicum proximi in uno loco, manifestet in alio loco, ubi publicum non est?*

Suppono ante casus decisionem, publicitatem esse dupliciter accipiendam, jure scilicet, & facto. Tunc aliquod est publicum jure, quando est tale, vel per rei confessionem, vel per sententiam Judicis. Tunc est publicum facto, quando est tale commissum in publica via, in publica Civitate, & coram majori parte civium, itaut delictum facto evadat notorium: ut si Titius in platea coram personarum multitudine Cajum occidat, tale homicidium

à Ti.

à Titio commissum est notorium, & publicū factū. Si verò occultè Cajum occiderit, & per Testes fuerit probatus, vel per sui confessionem, vel per Judicis sententiam fuit manifestatus homicida, tunc delictum esset publicum jure. His suppositis,

Respondeo ad quæsitum, relictis aliorum placitis, dicendo, quòd si delictum sit publicum, sive Jure, sive factū in uno loco, tunc ille, qui tale delictum in alio loco manifestaret, non diceretur DetraCTOR. Hæc opinio est multorum Doctorum, præsertim Navarri, Bonacinz, Azorii, Lessii, Bannes, Mastrii, Filliucii, & aliorum. Ratio est, quia DetraCTOR est talis, dum peccat contra justitiam; sed manifestando delictum publicum, sive Juris, sive facti in uno loco commissi, in altero, non peccat sic manifestans contra justitiam: Ergo non dicitur DetraCTOR. Probatur minor primò, de delicto publico juris; nam mens Judicis damnans aliquem in uno loco pro delicto patrato, intendit per talem sententiam, criminofum esse, ut talem, cognitū, etiam in longinquis partibus, ut ex sententia illius pro ipso patrato delicto emendentur alii delinquentes aliarum regionum: & hoc à bono publico exigitur.

Eò vel maxime, quia per delictum jure probatum amisit famam, nedum in loco, ubi fuit sententiatus, sed etiam ubique, nisi per vitæ mutationem famam recuperet: Ergo &c. Probatur eadem minor de delicto publico facti. Ut plurimum evenit, quòd delictum aliquod notorium, & publicum publicitate facti typis mandetur, ut in aliis regionibus longinquis notificetur; quòd licitum non esset, si publicans in alio loco delictum notorium, peccaret contra justitiam: Ergo dicendum est, quòd in hoc casu, ubi delictum in uno est publicum quacunque publicitate, si in alio loco manifestetur, non peccat sic manifestans contra justitiam; nec dicitur DetraCTOR; sed ad summum peccat contra charitatem, præsertim si malo animo id faciat.

QVÆSTIO QVARTADECIMA.

*An, qui verum crimen occultum, in publico tamen sibi impositum, neget, ex qua negatione sequitur infamatio accusatoris, teneatur ad restitutionem; & quomodo facienda sit hujusmodi restitutio?*

**I**N supradicta quæstione 4. dist. 15. tangit difficultatem hanc Scotus §. In tertio membro, ubi quæsitum resolvit his verbis: *Quòd accusatus non tenetur retractare negationem suam, qua negavit in publico verum crimen sibi impo-*

*situm; quia non tenetur quicumque statim in judicio confiteri se reum, nondum convictus &c.*

Ubi adverto multa esse hic notanda circa judicium faciendum de Reo accusato circa aliquod delictum, quæ in proprio loco, ubi specialiter de Reo agemus, videnda sunt. Pro nunc satis est adnotare, quòd si Judex non interroget juridicè de aliquo occulto delicto, non tenetur accusatus statim crimen sibi oppositum confiteri; quia nemo tenetur delictum suum privatum publicè aperire, nisi sit probatus criminofus; & dum est accusatus, non est probatus; & ideo si quis accusaretur de aliquo occulto crimine, in publico non jam probato, posset licitè accusatus crimen illud negare pro sui defensione; quia defendere famam suam est de Jure naturæ. Suppono insuper, neminem posse licitè mentiri, sive interrogetur, non servato ordine Juris, sive juridicè; cum de se mendacium sit intrinsecè malum, & nulla circumstantia possit cohonestari.

Quantum nunc spectat ad præsentem quæstionem, pono casum pro ejusdem quæstionis claritate. Peccavit Titius peccato adulterii, & quidem occultè: accedit Cajus ad Judicem, accusans Titium de commisso adulterio, & Titius interrogatus, sed non probatus adulter, neget se adulterium commississe. Quæritur, an per talem negationem, ex qua resultat infamia in Cajo accusatore, teneatur Titius famam Cajo accusatori restituere? & quomodo facienda sit talis restitutio, an per retractationem suæ negationis, an per alia verba non præjudicantia famæ ipsius Titii, non juridicè accusati? Unde pro resolutione

*DICO*, eum, qui verum crimen occultum, sibi tamen in publico impositum negat, ex quo sequitur infamatio accusantis, non teneatur ex justitia ad famam restituendam Accusanti, sed tantum ex consilio charitatis, ad aliqualem restitutionem. Ita Scotus loco cit. & cum eo omnes Scotistæ: quam sententiam, quæ est de Reo non juridicè interrogato, suum crimen occultum negante, sequuntur etiam Navarrus, Valentia, Salon, Henricus, Silvester, Angelus, & quamplures alii Doctores.

130 Probatur prima pars. Qui negat verum crimen occultum, in publico tamen sibi impositum, ex quo sequitur infamatio accusatoris, justè, & licitè tale crimen in publico negat; sed qui justè, & licitè negat in publico crimen occultum, quamvis sequatur infamatio accusantis, non tenetur ex justitia ad restitutionem famæ: Ergo ille, qui verum crimen occultum, sibi tamen in publico impositum negat, ex qua negatione sequitur infamantis accusatio, non tenetur ex justitia ad restitutionem. Minor patet, quia cum licita, & justa negatione pro sui justa defensione non potest stare ex justitia obligatio restitutionis. Probatur nunc major: qui negat verum crimen occultum, in publico tamen

impositum, defensionem sui juris procurat; sed qui procurat jus suum defendere iustè, & licitè, crimen aliquod occultum negare potest in publico: Ergo &c.

Confirmatur; nam in tantum tenetur ex iustitia ad famæ restitutionem is, qui in publico crimen suum occultum negavit, in quantum ex tali negatione secuta fuit infamia accusatoris; sed ad talem accusatoris infamiam auferendam non tenetur ex iustitia accusatus, dum in publico crimen occultum negavit: Ergo, qui crimen occultum in publico sibi impositum negavit, non tenetur ex iustitia ad famæ restitutionem. Probat minor primò; quia, ut deducitur ex doctrina Scoti loc. cit. Infamia illa accusatoris non est directè intentata ab accusato negante in publico crimen occultum: Primò, quia negans in publico crimen occultum, intendit directè famam suam tueri: Secundò, quia infamiam illam sibi imposuit accusator voluntariè, quatenus, quòd dixit in publico, nò probavit: Ergo licèt ex tali negatione criminis secuta fuerit infamia accusatoris, non per hoc ex iustitia tenetur ad famæ restitutionem is, qui pro sui defensione in publico negat crimen occultum, sibi in publico impositum. Prob secundò eadè minor: si teneretur ad restitutionem negans in publico crimen sibi impositum, quando crimen fuit occultum, & quidem ex iustitia; tunc accusatus teneretur retractare negationem suam; sed negans in publico crimen occultum, non tenetur ex iustitia retractare negationem suam; aliàs, teneretur in publico confiteri crimen occultum, quod facere non tenetur, nisi prius sit convictus, & probatus criminofus, ut infra dicemus: Ergo &c. Illa sunt verba Doctoris §. cit. posita in initio quæstionis.

131 Probat secundam partem, quòd tantum ex motivo charitatis teneatur ad aliqualem restitutionem. Ad illam tantum restitutionem tenetur accusatus negans in publico crimen sibi impositum, quod commiserat in occulto, quæ est remotiva infamæ accusatoris, non huic directè illatæ per negationem criminis; sed ex solo charitatis consilio, negans in publico crimen occultum, si adhibeat aliqua verba sobria, à Doctore nostro loc. cit. insinuata, scilicet *non habeatis eum pro calumniatore; quia habuit bonam intentionem in proponendo objectum crimen, illudque probandi*; quæ verba sunt remotiva infamæ accusatoris satis remover infamiam indirectè illatam per criminis negationem: Ergo ad hanc tantum restitutionem ex charitatis consilio teneretur negans in publico crimen suum occultum, ex qua negatione secuta est accusatoris infamia. Probat minor: Illa verba sunt sufficientia ad ponendum in tuto conscientiam negantis verum crimen occultum, in publico sibi impositum: Ergo sunt sufficientia, quantum spectat ad indirectum infamatorem, ad removendam infamiam ex

causa sua ab accusatore: quòd si alias infamia non tolleretur, & à Iudice accusator puniretur, ut injustus accusator; hoc non eveniret ex causa negationis criminis, sed culpa sua, quia proposuit in publico, quod non probavit: & unusquisque tenetur in publico suam tueri innocentiam, ubi non est nocens publicus, nisi sit probatus, & convictus.

### Solvuntur Objectiones.

132 **O**bjicies primò contra primam partem: negans in publico crimen verum occultum, sibi tamen in publico impositum, ex cujus negatione sequitur infamia accusatoris, imputat accusatorem de mendacio; sed ex iustitia tenetur imputans alium de mendacio ad famam illi restituendam: Ergo qui verum crimen commisit, sed occultum, illud tamen in publico sibi impositum negando, ex qua negatione sequitur infamia accusatoris, ex iustitia tenetur ad restitutionem. Probat major: quando quis negat crimen sibi impositum, quod revera commisit, accusator talis criminis existimatur, falsum dixisse, accusando eum, qui crimen sibi in publico impositum, negavit: Ergo accusator imputatur de mendacio.

Deinde: nemo excusatur à restitutione famæ faciendâ ex iustitia, quando causa ipsius accusator, qui verum dixit, existimatur, ut mendax; sed causa illius, qui negavit in publico verum crimen, à se occultè patratum, accusator existimatur ut mendax: Ergo negans crimen, quod revera est commissum, est in occulto, si in publico sibi imponatur, non excusatur à restitutione famæ ex iustitia faciendâ.

Respondetur ad primum dist. majorem: imputat accusatorem indirectè de mendacio, concedo majorem: directè, nego majorem; & dist. minorem: sed ex iustitia tenetur &c. imputans directè alium de mendacio, concedo minorem: imputans indirectè alium de mendacio, nego minorem, & consequentiam. Quando nanque accusatus in publico de aliquo crimine occulto, de quo uò fuerit convictus, nec probatus, illud crimen negavit, licèt accusatori imputeretur mendacium, non tamen ei directè imputatur, sed indirectè; quatenus accusatus ex licita sui defensione, volendo se in publico manifestare innocentem, pro ut publicè innocens est, indirectè imputavit accusatorem de mendacio. Et sicut qui occidit injustum invasorem directè intendit defensionem suæ vitæ, & tantum indirectè mortem invasoris: ita in casu accusatus in publico de occulto crimine, ex quo ejus infamia publica sequitur, & famam suam tueri tenetur, potest se defendendo non directè intendere imputabilitatem proximi ad mendacium. Solum quis tenetur ex iustitia famam reddere alteri, quando

do directè imputat alium de mendacio : ut si convictus , & probatus de publico crimine, diceret, accusatorem, & Testes esse falsarios, & mendaces; in hoc solo casu teneretur ex justitia famam reddere, quia negando in publico, quod publicum est, & de quo est probatus, & convictus, imputat directè accusatorem, & Testes de mendacio . Ad probationem dico, quòd cum accusator existimatur, falsum dixisse, hoc non oritur ex culpa accusati negantis in publico crimen occultum, cui incumbit suam publicam innocentiam tueri; sed oritur ex culpa sua; quia non debebat proponere in publico, quod non erat crimen publicum; sed debebat non proponere: & per hoc sibi ipsi imputantur falsitates, & mendacium.

133 Respondetur ad secundum negando minorem. Resolutio patet ex superiori doctrina dicta; nam sicut non tenetur quis in publico proponere verum crimen, quod est occultum, imò potius tenetur, saltem ex charitate, & ut dictum est in præterita quæstione, etiam ex justitia, secretum crimen occultare; ita ei impuri debet mendacium, cum accusator sibi ipsi talem existimationem causaverit.

134 Obijcies secundò ad idem. In nullo casu licitum est mendacium, & si hoc est in detrimentum famæ proximi, qui mendacium dicit, tenetur ad restitutionem; sed si non teneretur ad restitutionem famæ, qui negat in publico crimen occultum, sibi in publico impositum, jam in hoc casu mendacium esset licitum: Ergo iste negans crimen occultum in publico sibi impositum, ex justitia tenetur ad restitutionem famæ. Probatur minor; nam negans in publico crimen, quod est occultum, dicit falsitatem de eo, quod verè commisit: Ergo licitè hanc falsitatem diceret; Ergo negando crimen, licet occultum, in publico sibi impositum, licitè mentiretur. Deinde: quoties non teneretur iste talis ad restitutionem ex justitia, neque per talem criminis occulti negationem, Judici interroganti factam, peccaret contra justitiam; sed hoc est falsum: Ergo &c. Probatur minor: talis negatio est in perniciem Reipublicæ, quæ impeditur à punitione justa, qua puniri debet criminofus: Ergo &c.

Respondetur ad primum concessa majori, negando minorem. Ad cujus probationem nego antecedens. Dico igitur, aliud esse, veritatem occultare, & tacere; & aliud esse asserere falsitatem. Qui falsitatem dicit, mentitur, & mentiendò peccat; & si contra justitiam, injuriam alteri inferendo, tenetur ad restitutionem. Qui verò veritatem occultat, illam tacendo, tunc nec ad restitutionem tenetur, nec contra justitiam peccat, neque mentitur. Ille nanque qui coram Judice interrogante est accusatus de occulto crimine, & nec juridicè est probatus, nec convictus, dicendo, se non commisisse tale crimen sibi in publico imposi-

tum, non dicit falsitatem, nec mentitur; sed tantum tacet, & occultat veritatem, quam non tenetur ullo jure fateri.

Neque ex occultatione veritatis sequitur expressa falsitas in respondendo interrogationi Judicis; quia accusatus, cum certò sciat, crimen fuisse occultum, & non publicum, nec probatum, scit insuper, Judicem eum juridicè interrogare de crimine publico, non de occulto, de quo Judex potestatem non habet; quare negando crimen juxta mentem interrogantis, non dicit falsitatem, quia Judex intendit interrogare de crimine publico, quod, cum non sit tale, illud negare, non est dicere falsitatem. Ex qua doctrina deducitur, quòd qui in publico negat, quod fecit in occulto, non mentitur, nec dicit falsitatem; sed tantum tacet veritatem occultam. Hanc doctrinam confirmat Doctor noster loc. cit. lit. G, his verbis: *Cauta est responsio juristarum: nego proposita, ut proponuntur, & hæc quidem sine mendacio dici possunt in proposito; quia proponuntur in publico, & ut publica, & publicè probanda; sic autem negare ea potest quis, si scit, ea non posse probari in publica.*

135 Respondetur ad secundum, negando minorem, & antecedens probationis. Non est in perniciem Reipublicæ negare, quod concedi non debet; aliàs unusquisque statim teneretur, etiam si non sit accusatus, coram Judice interrogante, & habente tantum suspicionem de occulto crimine, illud confiteri; quod non est dicendum. Respublica nanque debet punire justa punitione, quando crimen est publicum, & probatum per testes, non quando crimen est occultum, de quo nulla daretur justa punitione humana. Porro ea crimina, de quibus non datur justa punitione humana, justè puniuntur à Deo, cui cognita sunt omnia prava cordis humani.

136 *PETES PRIMO. An publicè interrogatus de crimine vero, sed occulto, si illud in publico neget, peccet mortaliter, mentiendò pro se, sem contra animam suam?*

Respondetur negativè. Ratio est adducta à Scoto loco cit. §. *sed remanet difficultas. Ubi ait: Durum videtur, quòd quilibet accusatus in publico ab uno, statim teneretur de necessitate salutis in publico confiteri illud, & sic statim se exponere patibulo in judicio sanguinis. Quare non videtur, quòd secundum rectam rationem debeat confiteri coram tali Judice. Imò potius confitendo crimen occultum coram tali Judice, sibi famam auferret; quia, ut ait ipse Doctor, confitenti contra se in judicio, creditur. Ex his infero, quòd si in conscientia quis non tenetur crimen occultum in publico coram Judice confiteri, illud non confitendo, non peccat mortaliter; cum non sit peccatum mortale, quod à justitia præcipitur, vel quod justitia permittit, præsertim quando nullum præjudicium alteri affert, ut dictum*



dictum est supra. Ubi adverto, quòd crimen illud occultum, estò sit peccatum, quia commissum contra aliquam virtutem; ut adulterium contra castitatem: non tamen est peccatum, ut coram Iudice publicè negatum, propter rationes supra assignatas.

137 PETES SECVNDO'. *An saltem negando crimen illud occultum, intendens illud negare, ut publicum, teneatur de tali negatione pœnitere?*

Respondetur cum Doctore loc. cit. infra litt. G. ubi ait, teneri pro tuta conscientia de illa criminis negatione pœnitere: non quòd peccatum mortale sit, vel quòd talis negatio sit prohibita. Et hoc quidem indistinctè, scilicet dicendo coram Confessario: *accuso me de tali negatione criminis, qualis est*, scilicet si est mortalis culpa, ut mortalis: si venialis, ut venialis. Ratio eliciendi hoc modo indistinctè actum pœnitentiæ, est, quam ipse Doctor adducit ex D. Greg. quòd bonarum mentium est culpam agnoscere, ubi culpa non est; & multò magis, ubi dubitatur, an sit culpa, & qualis culpa. Ex qua ratione Scotus insinuare videtur, non esse debitum pœnitere de illa negatione criminis, quatenus ipsa negatio iniquitatem involvat; sed tantum esse privilegiũ bonæ conscientiæ, quæ solet timere ubi culpa non est: unde pœnitere in tali casu est tutum, sed non debitum.

138 PETES TERTIO'. *An saltem negando tale crimen occultum, ut in publico impostum, peccet venialiter?*

Respondetur cum eodem Scoto, dicendo in tali casu neque venialiter peccare. Ratio est, quia tunc nullo pacto posset accusatus in publico de crimine occulto, respondere cum criminis negatione, scilicet: *non commisi, non feci &c.* nam saltem venialiter mentiretur: & mendacium veniale, & officiosum est etiam illicitum; & nemini est licita defensio cum culpa, quamvis veniali.

139 PETES QVARTO'. *An accusatus de crimine occulto, si publicè, & coram Iudice diceret, accusatorem mentiri, esse infamem &c. peccaret mortaliter, & ad restitutionem teneatur?*

Ante dubii resolutionem adverto, examen præsentis difficultatis pendere ex eo, quod plures Doctores proponebant, an sit licita defensio accusati, si in iudicio, si extra illud, per impositionem falsi criminis accusatori? Et quia hæc materia plura scandala involuebat, iccirco ab Inn. XI. fuerunt damnatæ sequentes propositiones. Prima ex num. 43. ubi habetur: *Quidni nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, falsò crimine elideret* Secunda desumpta ex num. 44. ubi habetur: *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imposuit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & bonorem defendat. Et si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.* Ad quarum propositionum exactam intelligentiam noto, quòd qui falsum crimen alteri imponit,

si in iudicio, si extra, peccat mortaliter, & ad famæ restitutionem tenetur, retractando scilicet verbum suum; eò quia lædit jus, & famam alterius. Unde infero, quòd nemini, citra mortale peccatum, & famæ restitutionem, licet imponere alteri falsum crimen, quamvis ab isto sit accusatus, nedum de vero crimine, sed occulto, verum etiam de falso crimine. Unde si Titius V. G. fuisset à Cajo accusatus de aliquo crimine occulto, sed vero, vel de falso crimine; non posset Titius pro sui defensione, neque per impositionem falsi criminis, neque veri criminis, sed occulti, licitè, & citra mortale peccatum Cajo accusatori imponere falsum crimen. Ratio est, quia mendacium, præsertim de re gravi, vel manifestatio gravis criminis occulti, est mortale peccatum. Ex quo patet falsitas utriusque propositionis, & omnimoda improbabilitas secundæ ex num. 44. Quare sit, quòd mendacium ipsum est mortale peccatum, si pro sui defensione dicatur, nedum quia sic dictum non inservit ad se defendendum, & pœnam judicariam vitandam (si dicatur in iudicio); vel famam suam servandam (si extra iudicium mentiretur per falsi criminis impositionem suo accusatori); sed etiam quia impositio falsi criminis in hoc casu non esset defensio, sed potius odium, & vindicta; cum ei non posset assignari moderamen inculpatæ tutelæ: nam iusta esse non potest illa defensio, quæ est calumniosa. Quapropter concludo, mortaliter peccare eum, qui iniquo accusatori falsum crimen imponit, si sit accusator in iudicio, si extra illud; per quod patet quàm sanctè, & iustè damnatæ fuerunt supradictæ propositiones. Modò pro dubii resolutione

Respondeo ad quæsitum ex hac præmissa doctrina, dicendo, mortaliter peccare eum, qui crimen revera commisit, & Iudici interroganti in publico iudicio respondeat, *accusatorem mentiri, esse infamem &c.* Ratio est, primò, quia accusator verum dixit, quamvis non dixit verum publicum, sed occultum: Ergo dicendo, accusatorem fuisse mentitum, eum de mendacio infamat; sed infamare aliud de mendacio est peccare contra justitiam, & sic infamans tenetur ad famæ restitutionem: Ergo nedum peccaret mortaliter, qui Iudici interroganti de crimine occulto, ut in publico imposto, diceret: *accusator mentitur: est infamis &c.* sed etiam teneretur ad restitutionem famæ de calumnia. Secundò ex præmissa doctrina in superiori §, constat, in nullo casu esse licitum imponere alicui falsum crimen, neque pro sua justitia tuenda, neque pro sui defensione: Ergo si damnatæ sunt illæ propositiones, quibus asserbatur, non esse mortale peccatum imponere falsum crimen iniquo infamatori accusanti de falso crimine, & quidem ut erroneæ, & scandalosæ; multò magis scandalosa, & erronea esset hæc alia: est licitum im-

imponere falsum crimen alicui, accusanti de vero crimine, licet occulto. Nam estò diceretur injustus accusator, quia publicavit quod est occultum; tamen in re verum crimen imposit: Ergo, &c.

QVÆSTIO QVINTADECIMA.

*An accusatus de vero crimine, & probatus Reus, per semiplenam saltem probationem, teneatur veritatem contra se fateri coram Iudice juridicè interrogante?*

**S**uppono, ex dictis in præterita quæstione, accusatum in publico de crimine occulto, illud tamen negando, ex cujus negatione sequitur infamia accusatoris, nec teneri ex justitia ad restitutionem, nec mortaliter peccare; & hoc, non obstante, quòd neget verum crimen commissum; quia illud negat, ut publicum, & ut in publico propositum: quare si accusatus de tali crimine occulto respondeat: *non commisi tale crimen; non feci &c.* non mentiretur, estò veritatem occultam taceat; nam juxta mentem interrogantis responderet, qui supponitur interrogare de crimine publico, & non de occulto, de quo potestatem non habet. Hoc modo accusatus respondendo, non uteretur mentali restrictione discordante à mente interrogantis (quo modo esset mendacium prohibitum in illis tribus propositionibus notatis in 13. quæstione hujus disputæ, damnatis ab Innocentio XI propter mentalem restrictionem); sed verum publicum responderet: aut si mentali uteretur restrictione, hæc non esset purè mentalis, quia in ea circumstantia non discordaret à mente interrogantis, sed cum illa concordaret; nam mens interrogantis est inquirere de crimine publico, saltem semiplenè probato, & non de occulto, de quo juridicam potestatem non habet: unde respondendo cum negatione *scilicet, nego quod publicè mihi impositum est*, non incurrit in damnationem illarum propositionum; cum nec mendacium committat, nec Judicem decipiat. Ex qua doctrina deduco, quòd quando Judex habeat jurisdictionem impeditam, vel illa omninò careat, vel non interroget juris ordine servato, scilicet præcedente semiplena probatione delicti; vel saltem expressis indiciis, (quo modo, ut volunt Juristæ, crimen evaderit notorium); tunc non tenetur accusatus de aliquo crimine, illud fateri. Hæc communissima est omnium Doctorem opinio, quæ patet per rationes assignatas in præterita quæstione, & præsertim ex eo,

quòd nemini licet infamare seipsum, ubi nulla adsit necessitas; & per crimen non probatum non potest reputari ut infamis. Imò si Judex cogeret accusatum, nondum Reum probatum, ad crimen confitendum, peccaret mortaliter, & contra justitiam, saltem distributivam.

Sola igitur difficultas restat in præsentem, an accusatus, & probatus Reus, vel saltem per semiplenam probationem, quæ fit per unum testem omni exceptione majorem, & hic à Jure dice juridicè interrogetur, teneatur contra se veritatem fateri. Ubi suppono, accusatum, & semiprobatum Reum posse esse talem de crimine capitali, ubi adest periculum vitæ in subeunda sententia, vel triremium, vel omnium bonorum confiscationis; vel tantum esse talem de crimine non capitali, ratione cujus criminis ad hanc pœnam damnari non possit. Et insuper noto, quòd tunc licitum foret Reo negare crimen sibi impositum, & semiprobatum, quando spem habet, quòd per talem negationem posset mortis sententiam vitare; quòd si nullam spem haberet mortis sententiam vitandi; tunc est apud omnes Doctores indubitatum, Reum in tali casu teneri in conscientia ad aperiendam veritatem. His, inquam, notatis, & suppositis, pro quæstionis decisione

*DIGO.* Accusatum de aliquo crimine commisso, & semiprobatum Reum, teneri coram Jure dice veritatè fateri, in causa non capitali. In causa verò capitali, si negando crimen, haberet spem evadendi sententiã capitalem, non teneri veritatè fateri, etiam coram Jure dice juridicè interrogante. Conclusio quò ad primam partem est communissima inter omnes Doctores. Quò ad secundam est Scoti in 4. dist. 15. q. 4. s. 1. *tertio membro*, sub lic. G, quem sequuntur omnes Scotistæ, & multi Doctores extra nostram Scholam, inter quos de Lugo, Bonacina, Cardenas in suis crisib. theol. Rosella, Panormitanus, Angelus, Silvester, Armilla, & alii, qui ipsissima Scoti ratione utuntur. Est contra Thomistas, Henricum, Paludanum, Lessium, Becanum, Sanchez, Layman, Filliuc, & alios, & est etiam contra Arretinum nostrum in 4. d. 15. q. 4. art. 6. con. 1. in quo loco Doctor hic non distinguit inter causam capitalem, & non capitalem.

140. Probatur prima pars. Quando quis de aliquo crimine est accusatus, & Reus semiprobatus, si à Jure dice juridicè interrogetur, cadit sub talis Judicis obedientiam; sed ex obedientiæ præcepto tenetur veritatem fateri, præsertim quando pœna delicto correspondens non est capitalis: Ergo quando pœna delicto correspondens non est capitalis, tenetur Reus semiprobatus, coram Jure dice juridicè interrogante, veritatem fateri. Major patet, aliàs si Reus semiprobatus non caderet sub obedientiam Judicis, potestas ipsius vana esset; & insuper

super injuste eum puniret, & carceribus manciparet. Probatur minor: quando poena delicto correspondens non est capitalis, si Reus non obtemperat Judici praecipienti, peccat mortaliter, nedum contra obedientiam Judici debitam, sed etiam contra justitiam legalem, ad quam obedientia, tanquam pars reducitur: Ergo ex obedientiae praecipiente tenetur Reus probatus, vel semiprobatus coram Judice veritatem fateri, quando poena non est capitalis.

Eò vel maxime; quia Reus semiprobatus fit subditus Judici juridicè interroganti; sed subditus in iis, quae non praedjudicant ejus vitæ, & animæ, tenetur ex praecipiente obedientiae suo superiori obedire: Ergo quando delictum non est poena capitali puniendum, tenetur Reus Judici juridicè interroganti veritatem fateri.

141 Probatur secunda pars. In tantum per adversarios teneretur Reus semiprobatus in poena capitali veritatem fateri coram Judice juridicè interrogante, in quantum hic potestatis habet obligandi Reum ad criminis confessionem, illique infligendi alias poenas, ut torturam &c. ad delictum aperiendum; sed hæc ratio non probat, quod in causa capitali teneretur Reus semiprobatus crimen confiteri, si ipsum negando, spem haberet evadendi poenam illam capitalem: Ergo dum Reus semiprobatus habet spem evadendi poenam capitalem, non tenetur crimen fateri coram Judice juridicè interrogante. Probatur minor illa ratio in tantum probaret, in quantum est lex humana praecipiens, ut Judici legitime interroganti veritas aperiatur; sed lex non obligat, ubi adest spes vitandi periculum vitæ per criminis negationem: Ergo &c. Probatur minor: nulla lex humana obligare potest, nisi modo humano possibili: Ergo illa lex, ut veritas aperiatur Judici legitime interroganti, non habet obligare, ubi adest spes evadendi periculum vitæ. Probatur antecedens: adest lex divina de non occidendo, de non surripienda re aliena, & tamen excipiuntur ab ista lege aliqui casus: ut est licita occisio injusti invasoris vitæ, & bonorum cum moderamine iuculpatæ tutelæ; & surripere aliena, vel quasi aliena in extrema necessitate: Ergo multo magis lex humana, dum obligat, non habet obligare, nisi modo humano possibili: Ergo &c.

Confirmatur hoc ex doctrina, quam tradit Scotus loc. cit. sub lit. G. ubi ait: *Durum videtur, quod quilibet accusatus in publico ab uno, statim teneretur de necessitate salutis in publico confiteri illud, & sic statim se exponere patibulo in judicio sanguinis; sed habendo oculum non tantum ad poenam, sed ad honestum, & inhonestum, non apparet, quod iste honestè, et secundum rectam rationem debeat confiteri coram tali Judice; quia ipse, plusquam quicumque alius accusatus singularis, auferret sibi famam; quia confitenti contra se in judicio creditur. Ex qui-*

bus Doctoris nostri verbis plura infero. Primo, quod sit durum, accusatum, est semiprobatum Reum, teneri ex necessitate salutis, id est in conscientia, statim crimen suum in publico, & coram Judice juridicè interrogante, fateri. Ratio est, quia durum est, quod quis statim, ac est semiprobatus delinquens se exponat patibulo in judicio sanguinis. Secundo, quod nulla adsit recta ratio, cur debeat iste talis coram Judice confiteri crimen suum. Ratio, quam ipse Doctor assignat, est, quia qui statim suum crimen confitetur, auferret sibi famam, plusquam ille, qui eum accusat; & hujus rationis assignat rationem, quia magis creditur ei, qui in judicio crimen suum confitetur, quam accusanti: Ergo absolute dicendum est, ex relata Scoti doctrina, quod quando Reus semiprobatus habet spem evadendi poenam capitalem, non tenetur crimen suum confiteri. Praesertim, quia (ut bene deducit Pater Mastrius ex relata Scoti doctrina) inhumanum videtur, ut qui convinci non potest, teneatur contra se arma præbere, quibus occidatur, aut gravem poenam subeat.

142 Probatur eadem secunda pars secundo. Reus semiprobatus de crimine capitali, si se in fugam dederit, non tenetur citationi Judicis obedire, quando per talem fugam spem habet evadendi poenam capitalem: Ergo neque dum est coram Judice tenetur crimen suum semiprobatum confiteri. Antecedens est certum, alias fugitius peccaret mortaliter, si ad vitam servandam se in fugam dederit. Probatur consequentia: in tantum Reus semiprobatus non tenetur obedire citationi Judicis, in quantum jus naturale habet ad vitam suam tuendam; sed nedum jus habet ad vitam suam tuendam per fugam, sed etiam per criminis negationem, quando per talem negationem habet spem evadendi periculum vitæ: Ergo utrobique est eadem ratio. Probatur minor: jus naturale dicitur, quemlibet vitam suam servare: Ergo pro illa servanda omnis modus licitus est adhibendus; sed non est modus licitus servandi vitam fuga potius quam negatio criminis: Ergo ad servandum jus ad vitam, potest licite crimen suum semiprobatum per testem negare.

Dixi in conclusione, non teneri Reum semiprobatum per testem, crimen suum fateri, quando per criminis negationem habet spem evadendi vitam; quia dum hanc spem non habet, sed sive neget crimen coram Judice, sive affirmet, poena mortis puniendus esset, vel alia capitali, ut damnatio ad perpetuos carceres, vel ad triremes; tunc teneretur Reus veritatem fateri sub peccato mortali; & deberet Confessarius eum cogere, ut veritatem fateatur, praesertim quando jam ducitur ad supplicium. Ratio est, quia tunc illa negatio, quæ jam non potuit esse in suæ vitæ utilitatem, in extremis est in detrimentum accusatoris, Testium,

stium, & Judicis, qui existimantur à publico, ut calumniosi, & iniqui, ac innocentiam damnantes. Ad quod vitandum in tali casu constitutus Reus in ultimo, tenetur in conscientia veritatem explanare.

*Solvuntur Objectiones.*

143 **O** Bicies primò contra primam partem, probando scilicet, quòd in causa non capitali non teneatur Reus semiprobatus crimen suum fateri. In tantum in causa non capitali teneretur Reus semiprobatus crimen suum fateri, in quantum Judex in tali casu potestatem haberet obligandi Reum ad veritatem dicendam; sed talis potestas non obligat Reum ad veritatem dicendam, etiam in causa non capitali: Ergo Reus semiprobatus in causa non capitali, non tenetur peccatum suum fateri. Probatur minor primò: si per talem potestatem obligandi Reum ad veritatem dicendam, Reus teneretur veritatem dicere in causa non capitali, eadem ratio militaret, etiam de causa capitali; sed in causa capitali potestas Judicis non se extendit ad obligandum Reum, ut veritatem fateatur: Ergo neque in causa non capitali. Probatur major; quia utrobique est potestas in Judice obligandi ad pœnam: Ergo utrobique etiam deberet esse in Reo obligatio sub culpa ad respondendum; & insuper utrobique est idem præceptum obedientiæ, sub quo præcepto Reus Judici obedire tenetur. Probatur secundò eadem minor principalis. Potestas illa in Judice obligandi Reum, ut veritatem fateatur, est tantum ad pœnam infligendam, si confiteatur crimen; at non habet ligare Reum sub culpa mortali, ut verum dicat: Ergo neque in causa non capitali habet ligare Reum ad veritatem dicendam.

Respondetur negando minorem, ad cujus primam probationem nego majorem, & ad probationem dico, disparem esse rationem de Reo in causa capitali, ac in causa non capitali. In causa nanque capitali, ubi adest periculum vitæ, ad quod vitandum Reus spem habet, si delictum neget, adest justa lex naturalis, qua Reus eximitur ab obligatione imposita à Judice ad veritatem dicendam; quia naturali lege tenetur vitam suam servare, non obstante quacunque lege humana obligante; cum hæc non possit obligare, nisi modo humano contra legem naturæ; quo modo non obligaret, si obligaret ad veritatem dicendam, quando ex una parte adest semiplena probatio, & ex alia imminet periculum vitæ. Ceterum in causa non capitali, non adest pro Reo semiprobato lex naturalis, quæ habeat eximere Reum ab illa obligatione à Judice imposita, propter pœnam non capitalem, cum hanc etiã innocentes, & testes quandoque subeant, præ-

sertim carceris, absque ullo præjudicio: & lex humana obligans sub hac pœna non capitali esset lata modo humano; & ideo teneretur Reus in causa illa non capitali veritatem aperire; & aliter faciendo, peccaret contra obedientiam, & justitiam legalem, ut dictum est num. 48. Ad secundam probationem minoris dico, verum esse, quòd illa potestas ex parte Judicis sit tantum ad pœnam, ac ex parte Rei est sub culpa; quoties enim aliquis non excusatur ab observantia alicujus præcepti, toties sub culpa mortali tenetur præceptum illud servare: ut est de præcepto jejunandi &c. & quia adest præceptum obediendi Judici legitime interroganti, si Reus sit semiprobatus talis (quo modo sit subditus illi); iccirco in causa non capitali tenetur Reus obedire, dum præcipit, ut veritatem fateatur. Ex quo infero, quòd potestas illa obligandi Reum ad veritatem dicendam in causa non capitali, est potestas ad pœnam ex parte Judicis, & est sub culpa ex parte Rei semiprobati, ut veritatem dicat, si nulla lege eximatur à veritate dicenda, ut evenit in causa non capitali.

144 Obicies secundò contra secundam partem, probando, quòd etiam in pœna capitali teneatur veritatem fateri. Si Reus semiprobatus de delicto capitali non teneretur coram Judice juridicè interrogante veritatem fateri, posset coram eodem Judice licitè mentiri; & si Judex obligaret ad juramentum, posset etiam Reus licitè committere perjurium; sed in nullo casu licet mentiri, & perjurium committere: Ergo Reus semiprobatus de capitali delicto, tenetur coram Judice juridicè interrogante veritatem fateri. Probatur major: quando Judex de delicto probato, estò capitali, interrogat, & Reus veritatem occultat, tunc in judicio dicit falsitatem, & si in illa falsitate jurat, est perjurus: Ergo quoties non teneretur veritatem fateri, posset licitè mentiri, & perjurare.

Deinde: nequit dari bellum ex utraque parte justum; sed daretur bellum ex utraque parte justum, si in causa capitali, ubi sit spes evadendi vitam, Reus semiprobatus non teneretur veritatem fateri Judici interroganti: Ergo tenetur Reus semiprobatus, etiam in causa capitali, veritatem fateri. Probatur minor; nam Judex ex una parte justè, & legitime interrogaret, etiam obligando Reum ad respondendum; & ex altera parte Reus, si non teneretur veritatem fateri, etiam justè non responderet: Ergo jam bellum inter Judicem interrogantem, & Reum non respondentem, vel veritatem non consententem, ex utraque parte justum esset.

Respondetur ad primum negando sequelam majoris, ad cujus probationem nego antecedens. Aliud itaque est (ut dixi in præterita quæstione num. 40. respondendo ad secundam objectionem) occultare veritatem, & aliud est dicere falsitatem. Ex hoc quòd Reus

semiprobatus de crimine capitali, ad vitandum periculum vitæ, ubi negatio criminis ponat spem vitandi periculum, veritatem occultet, non diceretur mentiri, & si juret, non esset perjurus; quia tunc non diceret expressam falsitatem, sed aliquibus verbis licitis veritatem tantum occultaret; expressa nanque falsitate secuta ex Rei responsione, sequitur mendacium de se illicitum, & perjurium: Ut si Judex legitimè interrogat Reum semiprobatum de homicidio, & Reus de homicidio semiprobatus respondeat absolutè, *nunquamzale homicidium commisi*, tunc Reus falsitatem diceret, & mentiretur, & si juraret, esset perjurus. At si Judici interroganti Reus responderet, *nescio, quid de me dicunt; vel non sum in culpa de eo, quod mihi opposuerunt* tunc occultat licitè veritatem, & falsitatem non dicit. Nam hoc modo respondendo, absque mentali restrictione, & mendacio, suæ conscientiæ satisfaceret; quia prima propositio, *nescio quod de me dicunt*, facit hunc sensum, non habeo scientiam utilem ad respondendum: vel non habeo scientiam ad id, quod est in præjudicium meæ vitæ. Et hoc modo licitum est occultare veritatem sine mendacio, & mentali restrictione. Secunda item propositio, scilicet, *non sum in culpa*, primò potest rectè dici cum veritate, & sine falsitate, si de homicidio illo coram confessorio sit confessus, & absolutionem obtinuit, quo modo ei fuit culpa remissa: secundò, quia veritatem etiam diceret Judici legitimè interroganti, quia hic potestatem habet interrogandi de delicto, quò ad pœnam, non quoad culpam; & ideo Reus in tali modo respondendi, etò licitè veritatem occultaret, nullam tamen diceret falsitatem.

Dices: si Judex esset ita peritus, ut ex hoc respondendi modo intelligeret, Reum velle veritatem occultare, & iterum interrogaret Reum, dicendo, dicas nunc si es in pœna talis criminis? si tunc diceret Reus, quòd non, jam mentiretur: si affirmat, confessus est crimen: Ergo vel dicendum est, quòd Reus semiprobatus teneatur crimen fateri coram Judice legitimè interrogante; vel si non teneretur, jam licitè posset mentiri, quòd non est dicendum.

Respondetur, dicendo, quòd si Judex ex illa prima responsione data à Reo per occultationem veritatis, iterum interroget, an sit in pœna, posset Reus etiam absolutè negare; quia pœna hic potest etiam sumi æquivocè, vel de pœna per decretum Judicis lata, vel per legem taxatam. Unde si diceret Reus, *non sum in pœna*, intelligitur de pœna lata per decretum Judicis, quæ non dum lata est; quia hæc est finale Judicis decretum; non verò intelligitur de illa pœna taxata per legem, & nondum per Judicis decretum executioni mandata. Et hoc modo Reus nec crimen confiteretur, nec mentiretur.

145 Respondetur ad secundum, transacta ma-

jori ( dico *transcat*, quia in aliquibus casibus, ubi pro utraque parte stant jura, juxta probabilem opinionem, potest dari bellum pro utraque parte justum, vel propter ignorantiam invincibilem ex parte utriusque ). Unde stante opinione de possibilitate belli justii ex utraque parte, concedo minorem, & nego consequentiam. Dico igitur, nullam esse repugnantiam admittendi bellum justum ex utraque parte inter Judicem legitimè interrogantem, & obligantem Reum ad respondendum, & ipsum Reum crimen negantem, seu veritatem occultantem; nam pro utraque parte stant jura bellum moventia: pro Judice stat jus interrogandi ad bonum commune, pro quo Reum obligat ad carceres, & ad torturam ( non verò ad culpam, cum hanc facultatem non habeat ): & pro Reo stat jus naturale tuendi vitam suam, quando spem habet illam defendendi cum negatione, vel occultatione veritatis.

Dices: dum Reus est semiprobatus, amisit jus suum ad vitam: Ergo injultè indiceret bellum contra Judicem interrogantem. Probatum antecedens; nam quando Reus est semiprobatus, obediendi Judici interroganti debitum habet: Ergo jam amisit jus ad suam vitam tuendam.

Respondetur negando antecedens, ad cujus probationem dist. antecedens: habet debitum obediendi sub pœna, concedo antecedens: habet debitum obediendi sub culpa, nego antecedens. Quia ergo Judex non habet jus præcipiendi, & obligandi sub culpa, sed tantum sub pœna, iccirco Reus tantum debitum habet obediendi Judici obliganti sub pœna. Ex quo fit, quòd cum non teneatur sub culpa obedire Judici interroganti, non amisit Jus ad vitam suam tuendam: unde fit, quòd absque culpa, cum spem habeat vitandi periculum vitæ, non tenetur Judici interroganti veritatem fateri. Adverto ( ut benè notat Pater Cardenas in crisi theol. dissert. 19. cap. 7. illa non esse correlativa essentialiter, *potestas obligandi sub pœna, et debitum respondendi, et obediendi sub culpa*; sed tantum illa sunt correlativa, *potestas obligandi sub culpa, et debitum obediendi sub culpa: vel potestas obligandi sub pœna, et debitum obediendi sub pœna*. Et quia Judex non habet potestatem obligandi sub culpa, quando juridicè de semiprobato delicto interrogat, ideo nullum est debitum in Reo obediendi sub culpa.

146 Pro complemento hujus quæstionis adverto, hanc sententiam de Reo non obligato in conscientia ad confitendum crimen coram Judice legitimè interrogante, valere tantum de Reo simpliciter probato per unum testem, omni exceptione majorem, non de Reo plenè probato; quia circa Reum non convictum Judex non habet potestatem obligandi sub culpa, sed tantum hæc potestas est in Confessorio cogente ipsum Reum, quando hic jam est

est

est ad penam capitalem damnatus, quo modo amittit spem tuendi vitam suam; & hoc fieri debet ad salvandam famam Judicis, Testiū, & Accusatoris, ne imputentur de injustitia. Aliter sentiunt de Reo probato, ac de semiplene probato in causa capitali P. P. Faber, & Mastrius, quorum sententiam secutus sum ad ad mentem Doctoris nostri loc. cit. & aliorum Doctorum.

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

*An suspectus Reus de aliquo crimine, non probatus, nec convictus, ad evitanda gravissima tormenta, possit licite sibi illud falsum crimen imponere, non obstante, quod ex tali confessione certo sciret, se esse morte damnandum?*

**A**Nte presentis questionis resolutionem suppono primo, in aliquibus casibus licitum esse infamare seipsum, præsertim ubi nullum est detrimentum famæ aliorum; nec periculum vitæ infamantis: unde regulariter loquendo, cum quilibet sit dominus suæ famæ, iccirco nulla adjuncta circumstantia, potest seipsum infamare. Secundo suppono, posse licite aliquem, si velit, crimen suum occultum Judici manifestare, quo foret mutilandus, vel damnandus ad patibulum: & hoc valet præsertim quando est homicida. Idque Doctor noster insinuavit in 4. dist. 15. quæst. 3. lit. G. quando dixit: *Expediret animæ homicidæ, quod solveret per passiones voluntarias, vel patienter susceptas, scilicet ut occideretur pro homicidio.* At ad hoc faciendum non tenetur in conscientia, vel sub aliquo præcepto obligante, ut voluntarie se morti exponat; vel quod sit lex aliqua obligans ad id faciendum pro compensatione delicti; quia, ut dictum est in præterita quæstione, potest alio modo homicida satisfacere pro homicidio; sed solum dicimus, quod si homicida hoc faceret, justam exhiberet compensationem pro homicidio patrato: quia nulla est lex in contrarium, ne fiat. Et quamvis lex naturalis salvandi, & tuendi propriam vitam stet pro Reo, tamen hæc lex facit, ut si nolit vitam suam tueri, licite illam morti exponat; si velit illam tueri, licite illam non exponat morti, sed veritatem esplando tueatur. Ex his infero, quando delictum est commissum, sive sit plene probatum, sive tantum semiplene probatum, sive sit occultum, & nondum Judici denunciatum, posse delinquentem, nedum ad gravia, verum etiam ad levia vitanda tormenta, delictum illud manifestare.

147 Sola difficultas est, quando delictum non est commissum, sed alicui est falso impositum: ut si Titius fuisset accusatus, vel denunciatus, quod commiserit homicidium, & per talem falsam accusationem, vel denunciationem poneretur à Judice in tormentis: quaeritur, a licite, & absque peccato poterit crimen, ut commissum, fateri, etiamsi certo sciat, quod præmissa tali confessione, esset mutilandus, vel morte afficiendus, aut in patibulo suspendendus? In hac re pro certo habeo, non posse in conscientia falsum crimen, ut à se commissum, fateri, ad evitanda tormenta levia, ut essent carcerationes, jejunia &c. nam non posset tunc Titius excusari, quod suæ morti causam injustam dederit, sine rationabili motivo; ac per consequens non posset à peccato mortali excusari. Et insuper est certum, quod nec ad vitanda gravia tormenta, poterit Titius sibi falsum crimen imponere, quando mors ejus est in detrimentum aliorum (ut diximus de eo, qui per verbi retractationem in restitutione facienda, quando famæ restitutio est in aliorum perniciem, nequit famam restituere, saltem per retractationem verbi): ut si esset Religiosus, infamia cum evidenti periculo vitæ est in Religionis detrimentum: vel si esset Paterfamilias, qui tenetur alere filios &c. Restringitur difficultas in hoc solum, an possit quis sibi falsum crimen imponere ad vitanda gravissima tormenta, dummodo mors ejus certo secutura per talis falsi criminis confessionem, non sit in perniciem, & notabile aliorum detrimentum? Quibus notatis, pro quæstionis resolutione

*DICO*, posse absque gravi culpa aliquem sibi falsum crimen imponere, dum est de reitate suspectus, & nec falso probatus, ad vitanda gravissima tormenta, etiamsi per criminis falso impositi confessionem esset morte perimendus; dummodo tamen mors ejus non sit in alterius detrimentum. Conclusio hæc est magis communis inter Doctores, quam tenent ex nostris Faber, & alii, & sequuntur Caspensis, Amicus, Petrus Navarrus, Tolemus, Lessius, Sotus, Valencia, Silvester, & alii contra Covarruviam, de Lugo, Molinam, & alios. Hanc etiam tenet P. Mastrius disput. 8. q. 3. art. 3. num. 77.

148 Probatur: efficacissima ratione (relictis aliorum probationibus non bene inferentibus intentum). Si non posset Reus suspectus de falso crimine accusatus, vel denunciatus, illud sibi imponere per sui confessionem ad vitanda gravissima tormenta, etiamsi certo sciret per talem confessionem fore perimendum; vel hoc esset propter sui infamiam, vel propter mendacium, quod coram Judice diceret; vel quia esset causa moralis suæ mortis certo secutura; sed ex nullo capite impeditur, quin possit licite fateri falsum crimen coram Judice, ad gravissima tormenta vitanda: Ergo potest



test licitè fateri falsum crimen sibi imposi-  
tum, ad tormenta gravissima vitanda, ex cuius  
confessione sequeretur ejus mors. Probatur  
minor, & primò quòd non impediatur ex ca-  
pite infamiz. In genere non est illicitum infa-  
mare seipsum, præsertim cum necessitate ad  
majus malum vitandum, ut sunt tormenta  
gravissima morti æquivalentia; sed solùm est  
illicitum ratione circumstantiarum, vel com-  
munitatis, vel familiar, vel ratione scandalis.  
Ergo quamvis per confessionem criminis  
falsi, sibi ipsi infamiam imponeret, posset  
licitè hoc facere, ad gravissima vitanda tor-  
menta.

Probatur eadem minor secundò de men-  
dacio. Illud mendacium est sub gravi culpa  
prohibitum, & contra præceptum, quod est  
perniciosum, vel bono publico, vel aliis, vel  
mentienti; sed estò in tali confessione interven-  
niat mendacium, hoc nemini perniciosum  
est: non bono publico; quia Juxta ob bonum  
publicum obligat ad criminis confessionem  
per prævia illa tormenta. Non aliis, quia sup-  
ponimus, talem confessionem criminis, de  
quo falsò fuit accusatus, vel denunciatus, &  
sibi imponit, non cedere in aliorum detri-  
mentum. Neque ipsi confitenti; quia ad evi-  
tandam prolixam, & acerbam mortem, per  
tormenta, liberè confitetur, ex qua confes-  
sione solùm mors ejus indirectè sequitur: Er-  
go tale mendacium nemini est pernicio-  
sum.

Probatur tertio eadem minor, quòd neque  
ratione causæ moralis suæ mortis impedia-  
tur. Dum quis, ad vitanda gravissima tormen-  
ta, confitetur delictum à se non commissum,  
estò sciat, se fore perimendum, non est causa  
directa moralis suæ mortis, sed tantùm indi-  
recta: Ergo &c. Probatur hoc assumptum;  
nam tantùm causat suam mortem, quia inten-  
dit vitare tormenta gravissima morti æquiva-  
lencia; sed intendens vitare gravissima tor-  
menta, ex qua vitabilitate de consequenti se-  
quitur mors ejus, non habet directè mortem  
suam moraliter causare: Ergo &c. Probatur  
hæc minor primò. Si quis pro sui defensione,  
adhibito moderamine inculpatae tutelæ, aliū  
occideret, nõ esset causa moralis directæ mor-  
tis invaloris, sed solùm indirecta, & de conse-  
quenti, ut suo loco dictum est: Ergo quando  
quis ad vitanda gravissima tormenta crimen  
à se non commissum confiteretur, ex cuius  
confessione sequitur infallibiliter sua mors,  
non diceretur causa moralis, & directæ suæ  
mortis, sed tantùm de consequenti, & indire-  
ctæ. Consequentia sequitur; quia tam in uno  
casu, quàm in alio directæ intentio non est  
mors secutura, sed in uno est vitabilitas pro-  
priae mortis, & in alio vitabilitas tormentorū.  
Probatur secundò eadem minor: si alicui cri-  
minoso, vel etiam non criminoso, sed solùm  
suspecto de crimine, offeratur potio venenata,

quam si sumere nollit, in gravissimis ponere-  
tur tormentis, tunc ille posset licitè potius  
portionem illam sumere, ex qua mors sequere-  
tur, quàm illa tormenta diuturna eligere; &  
quidem licitè, non intendendo directè per-  
sumptionem illius portionis suam mortem,  
sed tantùm vitare illa gravissima, & diuturna  
tormenta: Ergo similiter dicendum est in casu  
nostro. Per solutionem objectionum magis  
patebit veritas nostri asserti.

### Solvuntur Objectiones.

149 **O**bjicies primò: si posset quis sibi im-  
ponere falsum crimen per confes-  
sionem criminis non commissi, de  
quo fuit falsò imputatus, posset in tali casu  
mentiri; sed in nullo casu potest quis mentiri;  
cùm mendacium sit peccaminosum: Ergo ne-  
quit quis licitè sibi falsum crimen imponere,  
per confessionem criminis à se non commissi,  
ad vitanda gravissima tormenta. Probatur  
major: dum quis diceret, se commississe crimē,  
quod non commisit, falsum diceret; & si jura-  
ret, esset perjurus; sed dicendo falsum, menti-  
tur: Ergo in tali casu posset mentiri. Probatur  
major: affirmare, quod non est, ex regula dia-  
lectica, est affirmare falsum; sed dicere, se com-  
mississe crimen, quod non commisit, est affir-  
mare, quod non est: Ergo est affirmare falsum;  
ac per consequens est mentiri. Major est certis-  
sima; nam si quis diceret, Petrum nunc vigi-  
lare, & re vera non vigilat, sed dormit, falsum  
affirmat: Ergo &c.

Responderetur dist. majorem: posset mentiri,  
cum alterius perniciæ, & præjudicio, nego ma-  
jorem; sine ullo præjudicio, & perniciæ, con-  
cedo majorem; & in primo sensu concessa mi-  
nori, negata in secundo, nego consequentiam.  
Mendacium nanque, sive sit de re gravi, sive le-  
vi, quoties non est in alterius præjudicium, &  
perniciem, toties non est peccatum mortale;  
quia mendacium est peccatum mortale, ratio-  
ne læsionis, quam proximo, vel sibi ipsi men-  
dax infert. In casu ergo, quo quis, ad vitanda  
gravissima tormenta, confiteretur crimen à se  
non commissum, utique mentiretur, sed non  
mendacio pernicioso, sed solùm officioso, &  
dicto pro tormentis illis vitandis, morti æqui-  
valentibus; & iccirco sine culpa mortali pos-  
set in casu mentiri; cùm nemini tale menda-  
cium nocuum afferat, ut dictum est nu-  
mero 56. Et per hoc patet ad probationes,  
quæ veræ sunt in sensu explicato.

Aliter etiam responderi potest ad menda-  
cium vitandum, si teneretur, quòd in nullo ca-  
su, etiam sine alterius detrimento, liceat men-  
tiri; dicendo, quòd in interrogatione facta à  
Judice inquirente de veritate criminis, Reus  
suspectus, & productus, ad illa tormenta vitan-  
da, posset sine mendacio respondere: *commissi  
illud*

*illud crimen, prout alii dicunt me commisisse.*  
 Nam hoc modo respondendo confiteretur crimen, prout intendit Judex; & insuper illud non confiteretur, ut à se commissum, sed pro ut fuit illi imputatum. Et hoc modo respondendo, quamvis crimen à se non commissum confiteretur, evitaret mendacium; quia confiteretur illud, ut sibi imputatum.

150 Obijcies secundò. Nemo potest suæ morti illicitè cooperari; sed si quis ad vitanda gravissima tormenta crimen non commissum confiteretur, ex cujus confessione secutura esset ejus mors, jam illicitè iste talis suæ morti cooperaretur: Ergo non potest ad gravissima vitanda tormenta, crimen non commissum fateri, ex cujus confessione secutura esset ejus mors. Major est certa, cum nemo sit dominus suæ vitæ; illamque solum licitè exponere possimus periculo evidenti pro Religione catholica tuenda. Probatur minor: certò sciret, quòd ex tali confessione esset perimendus, & non obstante tali scientia, vellet liberè in suæ vitæ præjudicium crimen non commissum fateri: Ergo jam suæ morti illicitè cooperaretur.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dist. antecedens: & eo non obstante, vellet &c., cum directa intentione terminata ad suam mortem, nego antecedens: cum sola indirecta, & consequenti intentione terminata ad suam mortem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Quando quis ad vitanda gravissima tormenta, confitetur crimen, quod non commisit, tunc non directè intendit mortem suam secutam ex tali confessione, sed tantùm illam intendit indirectè; & solum directè intendit vitare illa tormenta, ut diximus supra num. 56. Hoc exemplum efformo pro claritate: sit Titius innocens de crimine sibi objecto: producat coram Judice, à quo emanavit decretum de ipso Titio cruciando atrocissimis tormentis, ut crimen fateatur: Titius confiteatur, quod re vera non commisit; tunc Titius, dum crimen à se non commissum confitetur, hoc facit, directè intendendo vitare illa atrocissima tormenta; & quamvis ex tali confessione sequatur sua mors, hæc tamen non est per se intenta, & directè à Titio, sed tantùm de consequenti venit, & indirectè. Et hoc modo non diceretur Titius suæ morti directè cooperari. Aliàs idem Judicium efformari posset de eo, qui occidit injustum invasorem; & tamen excusatur, quia mors invasoris de consequenti venit ad defensionem occisoris, primò, & directè ab ipso occisore intentam.

151 P E T E S. *An qui delictum commiserit, sciens, innocentem de illo fuisse morte puniendum, quia ad vitanda tormenta, quod non commisit, confessus est; teneatur suum crimen manifestare, ut innocens liberetur?*

Pro præsentis. quæsitæ resolutione pono casum. Titius fuit invasor nocturnus, qui simul

eum furto homicidium commisit: Judex habeat suspectum Cajum de tali invasione, ex qua furtum cum homicidio secutum est; & in vinculis ponat Cajum, simulque in tormentis; qui Cajus innocens, ad tormenta gravissima vitanda, confitetur, se commisisse crimen illud, quod re vera non commisit; ex qua confessione movetur Judex juxta allegata, & confessus, ad damnandum Cajum morte. Sciat Titius, qui fuit injustus invasor, Cajum esse innocentem, & innocenter fuisse morte damnatum; quæritur, an Titius teneatur liberare Cajum à morte? & quomodo possit an publicando, & manifestando suum crimen, vel alio modo?

Resolutio hujus dubii pendet ex pluribus doctrinis in hac materia restitutionis famæ, & etiam de restitutione in communi, assignatis. Ex quibus suppono primò, neminem teneri ex justitia, crimen suum occultum in publico manifestare; præsertim ubi adest periculum, nedum suæ famæ, sed etiam vitæ; & consequenter ex hujus delicti occultatione mortaliter non peccat, quia jus naturale habet, tam ad famam, quàm ad vitam. Suppono insuper, debitum ex justitia oriri, quando damnum, quod sequitur, sit directè causatum, & intentum ab eo, qui committit crimen, vel crimen falsò imponit, vel de crimine testimonium facit. Ut si Titius crimen commisit, intendendo, quòd tale crimen de faciliè potuisset Cajo imputari, quatenus hic erat inimicus occisi; tunc ex hac intentione damnificandi Cajum, si aliunde revera damnum sequitur, contraheret Titius debitum ex justitia, damnum illud resarciendi, etiam si deberet se exponere periculo mortis; quia ipse fuit injusta causa illius damni, & quidem directè. Si verò falsò crimen imponit, ut Cajus pereat, tunc falsus accusator contraheret debitum ex justitia ad damnum resarciendum. Similiter dicendum de falsis testibus. Si verò nullo præcesserit accusatio, vel denunciatio, neque falsa testium depositio; neque malus animus Titii criminosis intendentis damnum mortis subeundæ à Cajo innocente; tunc Titius criminosis de illo delicto, à se occultè commissò, de quo pro vitandis tormentis confessus fuit ipse Cajus, & morte damnatus; non teneretur ex justitia se in publico manifestare Reum, ad liberandum Cajum innocentem; cum justitia eum non obliget ad resarciendum illud damnum, quod præter sui intentionem, & à se directè non causatum, evenit. Solum tenetur resarcire ex justitia damnum ibatam personæ occisæ, & omne damnum temporale in bonis fortunæ secutum, ut dictum est in præterita disputatione. Circa Cajum verò, qui morti damnatur innocenter, tantùm ex quadam æquitate, orta ex motivo charitatis, teneretur eum, quantum potest, liberare: scilicet se conferendo ad prudentem Confessarium, ipsamque rogandò, ut confe-

fat

rat Judici casum (occultando nomen delinquentis) asserendo in conscientia ei consistere, Cajum esse innocentem de crimine, quod ad tormenta vitanda confessus est. Et hoc valet quantum ad debitum justitiæ, quod Titius non contrahit cum Cajo innocenter morte damnato, propter homicidium confessum. Titius tandem tantum contraheret debitum, ex justitia cum persona occisa, pro qua, vel teneretur orare, vel se morti exponere pro bono publico Ecclesiæ; vel insuper, ut ait Scotus loc. cit. in initio quæstionis lit. G. *Expediret anima homicida, quod occideretur pro homicidio*; scilicet manifestando se Judici in pœnam commissi criminis; non verò ad innocentem liberandum: immò dum Scotus dicit, quod *expediret*, non absolutè ponit, quod debeat, & teneatur occidi pro homicidio; sed tantum intendit ponere mortem pro morte in justa compensatione facienda. Ex his patet resolutio dubii.

### QVÆSTIO DECIMASEPTIMA

*An ante accusationem, & denunciationem judicialem præcedere debeat fraterna correctio?*

**S**ufficienti habita notitia in præcedentibus quæstionibus de Reo, & præsertim coram Judice interrogato, nunc de Accusatore, & denunciatore, sive verum crimen, sive falsum proponentibus, erit sermo. Ubi tanquam certo suppono ex dictis in superioribus quæstionibus, accusantem in publico, aut denunciantem de falso crimine, sive hoc crimen per testes probetur, sive non, semper istos ad famæ restitutionem teneri; quia accusatum notant de infamia, & calumnia; ac insuper contra justitiam peccare. Insuper suppono, juxta sensum Juristarum, non esse idem accusatorem, & denunciatorem. *Accusator nanque est delator criminis ad publicam vindictam, interveniente legitima subscriptione*. Ex qua accusatoris definitione deducimus, accusationem esse talem, quando accusator, aut alicujus criminis delator libellum accusationis subscribit, suscipiendo in se onus probandi crimen, & si non probet, pœnam talionis incurrat. *Denunciator verò est tantum criminis delator nulla interveniente subscriptione*. Et hoc modo, nec suscipit in se onus probandi delictum, nec si non probat, pœnam talionis incurrit. Tam accusator, quam denunciator respiciunt publicam vindictam exercendam contra Reum: & per hoc isti ab Actore differunt, cum Actor in aliqua causa judiciaria tantum tendat ad bonum suum particulare.

152 Plures assignari solent conditiones pro solemnitate accusationis. Prima, quòd in scriptura, seu libello ab accusatore subscripto notentur dies, & annus, quibus libellus ipse co-

ram Judice præsentatur.

Secunda, quòd in libello apponantur dies, annus, & locus, in quibus delictum Judici delatum, fuerat commissum; cum nominibus accusatoris, delinquentis, & delicti, ut Juris ordine servato, Judex juridicè procedat per viam accusationis.

Tertia, quòd libellus brevis sit, & clarus, ne pariat confusionem, in quo clarè contra Reum contineatur accusatoris intentio.

Quarta tandem, quòd accusator, vel inscribat, vel saltem subscribat libellum contra Reum Judici traditum, cui insuper se obliget ad pœnam talionis subeundam in casu, quo delictum non probetur. Omnes istæ conditiones, (ut volunt Juristæ, & præsertim Julius Clarus q. 12. per plura num.) requiruntur ad solemnitatem accusationis. Unde quoties istæ non apponantur in libello accusationis, incerta redderetur accusatio. Ad denunciationem verò omnes conditiones requisitæ ad accusationem requiruntur (excepta subscriptione ad pœnam talionis obligante; cum denunciator tale onus probandi crimen non suscipiat.) Hinc noto, quòd quamvis denunciatio à Canonistis in cap. *Novit ille, de Judiciis*, dividatur in quatuor species, scilicet Evangelicam, Canonicam, Judicialem, & Regularem; tamen meliùs ad duas species restringenda est, scilicet ad denunciationem paternam, & judicialem. Prima est illa, qua crimen Prælato denunciatur ad emendationem fratris. Secunda est illa, qua crimen denunciatur Judici ad punitionem delinquentis. Quantum ad primam denunciationem paternam, adverto, quòd si crimen fratris Superiori denunciatur, ut illum juridicè puniat; tunc illa denunciatio erit judicialis, & non paterna, quia præcisè respiceret delinquentis punitionem.

His itaque præhabitis, quantum spectat ad certam notitiam præsentis quæstionis, suppono, aliqua delicta esse Reipublicæ perniciosæ, & inevitabilia per fraternam correctionem; ita ut certò quis sciat delinquentem, aut criminofum non esse emendandum, si corripatur: & alia sunt delicta, quæ tale damnum Reipublicæ non afferunt, & per fraternam correctionem de facili evitari possunt. Quæcunque sint hujusmodi delicta, dum perveniunt ad alienam notitiam, queritur, an antequam Judici denuncientur, vel per accusationem proponantur, debeat priùs accusator, vel denunciator corripere fratrem, ex charitatis præcepto, ipsum delinquentem? ita ut non nisi quando fratrem correptus non respuerit, utendum sit præcepto Christi Domini Matth. 16. *Si te non audierit, dic Ecclesiæ*; id est accusetur, aut denunciatur Judici ab ipso puniendus? Et ante quæstionis resolutionem

Suppono, nos hic non loqui de delictis hæresis, vel ubi habetur suspicio de hæresi; cum ista delicta denunciari debeant, nulla præmissa

missa fraterna correctione: ut habetur in Decreto Sanctis. Inquil. sub Alex. VII. edito ann. 1660. (quicquid in contrarium aliqui dixerint apud Dianam p. 9. tract. 8. resol. 46.) Decretum S. Congreg. Incipit: *Licet aliàs; in quo habentur hæc verba sub §. 4. Præterea idem Sanctissimus declaravit, præfatos subditos, absque ulla participatione, etiamsi nulla petita venia à superioribus, etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit, omninò teneri &c. quos noverint esse de fide, etiam leviter suspectos &c.*

*DICO*; ante denunciationem, vel accusationem Judicalem, præcedere debere fraternam correctionem, non quidem ex debito justitiæ, sed ex præcepto charitatis. Conclusio est plurium Doctorum, præsertim, Filii. Bonacinae, Toleti, Lessii, Maltii, Sanchez, & aliorum contra Fabrum ex noitris, Navarrum, & alios asserentes nullum esse debitum de præmittenda correctione fraterna ante accusationem: & est etiam contra Sotum, Durandum, & alios asserentes, esse debitum ex justitia de præmittenda fraterna correctione.

153 Probatur primò, quòd non sit debitum justitiæ. Si ex debito justitiæ ante accusationem, vel denunciationem, præmittenda esset fraterna correctio, sequeretur, quòd qui fratrem, seu proximum videret criminiosum, illumque Judici accusaret ad publicam vindictam, vel denunciaret, non præmissa correctione, peccaret contra justitiam; sed hoc est falsum: Ergo non ex debito justitiæ præmittenda est fraterna correctio ante denunciationem, vel accusationem. Probatur minor: qui proximum accusat, vel eum Judici denunciat, ut criminiosum, incendit publicam vindictam faciendam de crimine commisso, pro ut justitia legalis exigit; sed in accusatione, vel denunciatione facienda, qua intenditur publica vindicta, si non præmittatur fraterna correctio, non peccat contra justitiam: Ergo &c. Probatur minor; aliàs illa denunciatio, vel accusatio non esset justa, facta ex solo motivo publicæ vindictæ: Ergo &c.

154 Probatur secundò, quòd sit debitum ex præcepto charitatis. Quando quis certò sciat, proximum esse delinquentem, & si fraternè corripiatur, spem habet emendationis, tenetur ex præcepto charitatis ipsum admonere, antequam delictum ejus Judici denunciet: Ergo ex præcepto charitatis præmittenda est fraterna correctio denunciationi, vel accusationi. Probatur antecedens: quando habet spem, quòd delinquens emendetur, non est recurrendum ad publicam vindictam, quæ tantum est posita ad pœnam infligendam, si delinquens sùtat in sua pertinacia: Ergo quando habet spem, quòd per fraternam correctionem proximus emendetur, debet ex præcepto charitatis præmittere fraternam correctionem. Hoc insinuare videtur illud Christi Domini

Matth. 16. *Si peccaverit in Te, (vel coram Te) frater tuus, vade, & corripe eum inter Te, & ipsum solum: si Te audierit, lucratus eris fratrem tuum: Si Te non audierit, dic Ecclesie.* In hoc dicto Christus Dominus videtur insinuasse, quòd delictum proximi sit primò corripendum fraternè, & charitative; & deinde, quando correctio non est valida, sit recurrendum ad publicum judicium, ut delictum vindicetur: Ergo quoties habetur spes, quòd proximus emendetur per solam correctionem, non est recurrendum, ex debito charitatis, ad judicalem denunciationem, vel accusationem, non præmissa ipsa fraterna correctione.

Dixi, quando adest spes emendationis per fraternam correctionem, quia si accusator, vel denunciator nullam talem spem haberet, quia criminiosus est pertinax; tunc statim absque ulla præmissa fraterna correctione deberet delinquentem accusare, vel denunciare; quia tunc certitudinem, saltem moralem habet, quòd fraterna correctio evaderet infructuosa. Et quia crimen ad Rei emendationem, & ad aliorum exemplum est puniendum; ideo in tali casu excusatur etiam à debito charitatis, si absque ulla præmissa correctione recurrat ad judicalem denunciationem, vel accusationem.

### Salvantur Objectiones.

165 **O**bjicies primò, probando, esse debitum ex justitia præmittere fraternam correctionem ante denunciationem, & accusationem. Quæcunque denunciatio, vel accusatio fieri debet cum minori detrimento, quod possibile sit, ipsius accusati, vel denunciati; sed quando fit cum præmissa fraterna correctione, tunc fit cum minori detrimento ipsius accusati, qui si moneretur fraternè, haberetur spes emendæ: Ergo est debitum ex justitia præmittere fraternam correctionem ante accusationem, vel denunciationem. Probatur major, quia accusator, vel denunciator, ne imputentur de iniquitate, & injustitia, debent moveri ad denunciandum, vel accusandum, ut delicta puniantur, & emendentur, propter bonum publicum, & non ex odio, & vindicta: Ergo ex justitia tenetur ad minus detrimentum ipsius accusati; sed minus detrimentum est, si antequam accusetur, vel denunciatur, fraternè corripiatur; cum ex tali correctione possit haberi spes emendationis, absque publica punitione: Ergo &c.

Respondetur dicendo, hoc argumentum, nil probare ex debito justitiæ, sed tantum ex præcepto charitatis. Nam denunciator, vel accusator, quando possunt ex sola fraterna correctione lucrari fratrem suum, prout Christus præcipit, tunc non est ad judicalem denunciationem, vel accusationem recurrendum; cum

cum minus detrimentum sit sola fraterna correctio ipsi delinquenti, quam judicialis punitionis: illa enim est secreta, hæc autem publica, & per sententiam Judicis. Quare si non præmitteretur fraterna correctio judiciali denunciationi, vel accusationi, estò majus sequeretur detrimentum delinquenti, non præmissa illa fraterna correctio, ex qua habeatur spes emendationis; nihilominus contra solum præceptum charitatis peccarent accusator, & denunciator. Ex quo deducimus, debitum illud esse solum charitatis, & non justitiæ.

Dices: qui absque prævia correctione fraterna accusat, vel denunciatur Judici delinquentem, præsertim quando crimen est occultum, & habetur spes emendationis per fraternam correctionem, injuriam facit accusato, vel denunciato; sed hæc injuria oritur ex violatione debiti ex justitia: Ergo non præmissa fraterna correctio, quando habetur spes emendationis, denunciator, vel accusator peccat contra justitiam. Probatur major; quia propter accusationem, absque prævia correctione, damnificatur per pœnam à Judice latam propter commissum crimen, præsertim si est occultum; & insuper de infamia imputatur, ex manifestatione occulti criminis: Ergo injuriam facit accusato: Ergo ex justitia tenetur ad illam refarciendam.

Respondetur negando majorem ( loquendo de injuria rigorosè accepta ); ad cujus probationem, nego consequentiam. Quamvis ergo delinquens per accusationem, vel denunciationem occulti criminis ( servato tamen ordine juris, de quo est sermo in præsentibus ) damnificetur per pœnam à Judice latam, & insuper de infamia notetur; ad talem tamen infamiam, & damnum refarciendum, non tenetur ex justitia accusator, aut denunciator; quia accusando, & denunciando servaverunt ordinem Juris, Judici scilicet potestatem habenti inquirendi juridicè de quocunque crimine pro bono publico, manifestando delictum. Ille nanque teneretur de injuria, damno, & infamia, qui non servato ordine Juris, crimen proximi occultum manifestavit, ut dictum est in secunda quæstione hujus disputationis. Et quidem, si de tali injuria, damno, & infamia accusati, teneretur accusator, vel denunciator; nullus posset dari casus justæ accusationis, & denunciationis: neque in casu, ubi bonum publicum damnum pati videtur, propter occultam hæresim, falsificantes monetas, vel Republicæ proditores &c. qui statim apud Judicem accusandi sunt; præsertim quando hujusmodi crimina alio modo, præter judicialem accusationem, vel denunciationem, impediri non possunt. Sententia nanque Judicis, habita per justam accusationem, nemini præjudicat; & quamvis accusatus remaneat per sententiam à Judice latam infamatus, injuriatus, & damnificatus; hæc omnia non in-

justè patitur per illam accusationem, sed justè, quia fuit ut criminofus in judicio accusatus, & probatus: & sic sibi ipsi fuit causa injuriæ, damni, & infamiæ. Concludo igitur, quòd solum accusator peccat contra charitatem, quantum poterat habere spem emendationis, si ante accusationem judicialem admonisset delinquentem, ut se emendaret; & hoc à charitate præcipitur.

156 Obijcies secundò, probando, neque esse præceptum charitatis de præmittenda fraterna correctione. Accusatio, & judicialis denunciatio tendunt immediatè, & directè ad publicam vindictam malorum: Ergo etiam si nulla præcederet fraterna correctio de crimine delinquentis, absque ullo debito potest quis delinquentem accusare, vel denunciare. Antecedens patet, præsertim de accusatione ex cap. *qualiter, & quando 2. de accusationibus*, ubi habetur: *Sicut denunciationem debet præcedere correctio fraterna, sic accusationem legitima inquisitio*. Ex quibus verbis patet, quòd ad accusationem non debeat præcedere fraterna correctio. Et ex hoc probari potest veritas consequentis.

Deinde: si accusationem præcedere debeat fraterna correctio pro criminis emendatione, sequeretur, quòd quis non posset justè, & licitè accusare apud Judicem delinquentem de criminibus præteritis; & de jã emèdatis, & de his posterioribus, quia nulla est necessaria fraterna correctio; sed hoc est falsum: Ergo ex nullo debito præmittenda est fraterna correctio ad judicialem accusationem, vel denunciationem. Probatur minor: tunc licitum, & justum est accusare aliquem de aliquo crimine, quando crimen illud exigit justam punitionem, culpæ commensurandam, & ad aliorum exemplum, & ut bonum publicum servetur; sed estò delictum sit præteritum, vel de eo delinquens sit emendatus, tale crimen exigit justam punitionem culpæ commensurandam, ad aliorum exemplum, & ad bonum publicum servandum: Ergo &c.

Respondetur ad primum dist. antecedens: accusatio &c. quantum spectat ad debitum ex justitia, concedo antecedens: quantum spectat ad præceptum charitatis, nego antecedens, & consequentiam. Verum est, quòd accusatio directè tendit, & immediatè ad publicam malorum vindictam, quantum spectat ad debitum justitiæ, quæ non habet pro scopo fraternam correctionem respicere, sed solam vindictam malorum. At quantum spectat ad præceptum charitatis, nedum habet tendere ad publicam malorum punitionem, & vindictam; sed etiam ad proximi emendationem, quæ fit ex prævia fraterna correctione, qua delinquentis emendatio speratur. Unde illa doctrina Juristarum ex cap. *Qualiter &c.* est intelligenda quantum spectat ad justitiæ debitum, non quantum spectat ad charitatem. Quapropter si quis alium

accu-

faret, non præmissa fraterna correctione, justè illum accusaret, quia per se bonum publicum intenderet: peccaret tamen contra charitatem, quia intentum, saltem de delinquentis emendatione, sperare poterat ex sola fraterna correctione.

157 Respondetur ad secundum, negando sequelam majoris. Æquè benè stare potest, quòd quis justè, & licitè, alterum accuset, tam de crimine actuali, quàm de præterito, quàm etiam de emendato; & quòd peccet contra charitatè, si spem emendationis habeat de delinquentè, ex sola fraterna monitione, præsertim quando crimen non est directè contra bonum publicum, ut in casu hæresis occultæ, falsificantium monetas, & proditorum. Nam ad justam accusationem satis est, quòd non fiat animo iniquo; odii scilicet, & vindictæ, sed quòd fiat ad malorum justam punitionem. Et quia multoties quando delictum non est emendatum, habetur spes, ut emendetur per solam fraternam correctionem; ideo est justè delinquentem accuset, tamen non servata prævia monitione fraterna, peccat contra charitatem. In casu verò, quo quis delinquentem accusaret de crimine jam emendato, quia tunc correctio fraterna supponitur ab aliis facta, vel saltem non necessaria, ideo in tali casu dicimus, quòd accusator justè accusaret, & contra charitatem non peccaret; quia tunc nullus esset locus faciendæ monitionis. Quare concludimus, quòd ubi habetur spes emendationis ante judicialem accusationem, si non est emendatus delinquens, peccat contra charitatem, & non contra justitiam accusator.

158 *PETES PRIMO*. An sit obligatio accusandi, vel denunciandi delinquentem de quocunque crimine?

Ante dubii resolutionem suppono, crimina considerari posse dupliciter, vel pro ut sunt maximè Reipublicæ perniciofa, quo modo sunt furta gravissima, occultæ hæreses, prodiciones, & monitarum falsificationes. Et alia sunt, quæ nullum grave, & notabile detrimentum inferunt Reipublicæ; ut sunt rixæ leves, frequentia ad lupanaria &c. Crimen, tam Reipublicæ perniciosum, quàm non perniciosum, aliud est emendatum, & aliud non emendatum: aliud est impedibile, & emendabile per solam fraternam correctionem; & aliud non impedibile, & emendabile, per solam fraternam correctionem. Quibus suppositis, adverto cum Cardinale de Lugo, in nullo casu esse obligationem accusandi accusatione propriè dicta, qua scilicet accusans obligari debeat ad pœnam talionis subeundam, si delictum, de quo delinquens accusatur, probari non possit. Et insuper ea, quæ sunt per accusationem, æquè benè provideri possunt per solam denunciationem, qua denunciatus non obligatur ad pœnam talionis, si delictum non probatur. Unde pro quæsti resolutione

Respondeo, dicendo, obligationem esse denunciandi coram Judice delinquentem de illo crimine omninò inevitabili, inemendabili, & inimpedibili; sicut etiam de omni eo, quod maximum detrimentum Reipublicæ infert, nisi statim denunciatur. De illo verò crimine, quod per fraternam correctionem est evitabile, emendabile, & impedibile, nulla est obligatio denunciandi illud coram Judice. Hæc opinio est ferè communis inter Doctores cum Valentia, Solonio, Bannes, Navarro, Toletio, Abellio, Bonacina, & ex nostris Fabio, Astesano, Mastrio, Poncio, & aliis. Ratio est, quia in illis casibus, in quibus correctio fraterna non juvat ad malum vitandum, emendandum, & impediendum, præcipit Christus Dominus, crimen esse dicendum Ecclesiæ, id est Judici, cum intentum cujuscunque sit vitare omnia illa mala, præsertim Reipublicæ nociva, ad malorum vindictam, & punitionem. Ergo in omnibus illis casibus est obligatio denunciandi, in quibus videtur, fraternam correctionem non juvare; quia vel facta est absque utilitate, vel quia si fieret, nocumentum præberet potiùs facienti illam. Eò vel maxime, quia quilibet, cum sit membrum Reipublicæ, tenetur bonum publicum ipsius præferre bono privato cujuscunque personæ: Ergo unusquisque obligationem habet ad procurandam quietem Reipublicæ, quæ haberi non posset sine extirpatione malorum, eorumque punitione.

159 *PETES SECUNDO*. An quando delictum est occultum, quod probari non possit, teneatur illud denunciare, dum per fraternam correctionem vitari non possit?

Pro majori claritate hujus dubii adverto, denunciationem, vel fieri posse Judici, juridicè procedenti in malorum punitionem per sententiam ad delicta vindicanda: vel Judici paternè castiganti. Omnia nanque delicta subditorum denunciari possunt Judici, ut jurisdictionem superioris exercenti, vel ipsi, ut paternam exercenti potestatem. Hoc notato, (quicquid controversatur inter Doctores),

Respondeo ad quæsitum dicendo, quòd quando delictum est occultum, & magnum affert communitati detrimentum, ac Religioni, ita ut per fraternam correctionem vitari non possit, nec emendari, & impedi; tunc denunciari debet Judici tanquam Patri, ut paternè de illo corrigat subditum, & ne in majora illabatur crimina. Si verò nullum detrimentum Communitati, & Religioni affert, imò vitari posset per solam fraternam correctionem; tunc non debet illud crimen Judici, etiam ut Patri, manifestari, & denunciari. Et in utroque casu est sermo de delicto occulto, quod juridicè probari non possit. Si tandem delictum est occultum, & probari non potest, nec per fraternam correctionem vitari possit, & impedi, non debet denunciari Ju-



dici juridicè procedēti (exceptis casibus contra bonum commune, & præsertim occultæ hæresis, & sollicitationis mulieris in actu Sacramentalis confessionis; in quibus casibus faciēda est denunciatio, etiamsi delicta probari non possint.) Ratio primi asserti est, quia Judex paternè procedens in castigandis criminosis, utitur illa noticia, ad bonum publicum rectè, quietèque servandum, ne scandalum oriatur, & ad majora vitanda crimina, quæ in magnam communitatis perniciem oriri possent. Et insuper denunciāns nullam asserti denunciatio injuriam, præsertim quia delictum est commissum, & per talem denunciationem non redditur denunciatus infamatus; cum Judex tunc tanquam Pater procederet in punitione delicti.

Ratio secundi asserti; nam quando aliquod salvari potest per fraternam correctionem, non est recurrendum ad paternam denunciationem, sic Christo Domino volente: *Vade, & corripe eum inter Te, & ipsum solum; quod si Te audierit lucratus eris fratrem tuum.* Nam quando æquè benè à zelatore obtineri potest per secretam correctionem, ac per paternam denunciationem, non est recurrendum ad denunciationem; aliàs contra charitatem peccaret denunciāns, ut dictum est in præterita quæstione: Ergo &c.

Ratio tertii asserti est; quia denunciatio, quæ fit Judici juridicè procedenti, si non probetur, involuit infamiam denunciantis; sed nemo ad manifestandum occultum proximi crimen, quod probare non potest, adeo tenetur, ut obligari debeat ad se infamandum: quando nanque occultum est crimen, & non probatur, & de eo Judex juridicè procedit, remanet denunciatus infamatus, ut injustus denunciator: Ergo &c.

### QVÆSTIO DECIMOCTAVA:

*An quando delictum est publicum, quod probari possit, & quis teneatur accusare, vel denunciare, & non accusat, vel denunciatur, peccet, & obligetur ad restitutionem?*

160 **S**uppono, aliud esse debitum ex justitia, & aliud esse debitum ex sola charitate. Debitum ex justitia oritur, quando quis justitiam violat; debitum verò charitatis est, quando quis non facit ea, quæ à charitate præcipiuntur. Unde fit, quòd aliqui tenentur accusare, vel denunciare ex solo motivo charitatis præstandæ bono publico; & aliqui tenentur etiam id facere ex motivo justitiæ. Ut si quis certò sciret, Petrum crimen aliquod perpetrassè contra bonum pu-

blicum, vel defraudando gabellas, vel arma ferendo, per Regias Pragmaticas prohibita; vel aliud contra bonum publicum perpetrando; si ipsum Petrum non accusat, vel denunciatur, peccat, & ad restitutionem damni Reipublicæ illati tenetur. Ubi tanquam certum suppono apud omnes, eos, quibus ex officio non incumbit vigilare pro bono Reipublicæ, si non accusant, vel denunciant criminofum, peccare tantum contra charitatem, & non contra justitiam; & sic ad restitutionem non teneri: cum obligatio restitutionis oriatur ex violatione justitiæ, & isti tantum charitatem violent, & non justitiam. Quod peccent contra charitatē, patet, quia quilibet debet Rempublicam diligere, eiq; quantum potest, succurrere, & damnum ejusdem reparare; ac per consequens non accusando, vel denunciando delinquentem, quando crimen est publicum, & probari potest, peccant contra charitatem. Solum restat difficultas in præsentia de iis, quibus ex officio incumbit accusare, & denunciare crimen publicum, quod probari potest: ut sunt fiscales, exactores gabellarum, & alii officiales. Et pro quæstionis resolutione

*DICO*, eos, quibus incumbit accusare, vel denunciare ex officio, si non accusant, vel denunciant delictum publicum, peccare contra justitiam, & ad restitutionem teneri. Conclusio hæc est plurium Juristarum, & Canonistarum, quam tenent Navarrus in manu. cap. 17. Bonacina, Faber, Poncius, & Solonius cum aliis. Et

161 **Probat**ur. Qui non impedit, quod impedire tenetur ex officio, ex cujus impedimenti omissione sequitur damnum alteri, & præsertim Reipublicæ, peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur; sed illi, quibus incumbit accusare, & denunciare, & non accusant, & denunciant, non impediunt, quod impedire tenentur ex officio: Ergo isti peccant contra justitiam, & ad restitutionem tenentur. Major patet ex dictis in 2. quæst. quartæ disp. Probat minor: qui ex officio tenentur accusare, & non accusant delictum publicum, non remouent damnum, quod Reipublicæ evenit, ad quod removendum tenentur: Ergo non impediunt, quod impedire tenentur ex officio.

Eò vel maximè, quia qui talia damna non impedit, quando impedire tenetur, illa damna secutura permittit; sed qui permittit damnum secuturum, ratione cujus violatur justitia, peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur: Ergo &c. Tandem: maxima injustitia fit Reipublicæ, quòd qui mercedem ab ipsa recipiunt, ad aliquod officium rectè, fideliterque præstandum, id non præstant: Ergo omnes officiales, quibus ex officio incumbit accusare, & denunciare crimen, & non accusant, & denunciant, peccant contra justitiam, & ex injustitia Reipublicæ facta, tenentur ad restitutionem.

*Solutum*

*Solvuntur Objectiones.*

162 **O** Bjicies primò . Si quis certò sciret, Titium defraudasse gabellas, & hoc faceret ad suæ necessitati gravi, vel extremæ providendum, etiam si ex officio teneretur ipsum accusare, vel denunciare, si non accusat, vel denunciat, nec contra justitiam peccat, nec ad damni restitutionem tenetur. Ergo in nullo casu, qui tenetur accusare, & non accusat, peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur. Antecedens patet, quia saltem in extrema necessitate, licitum est aliena surripere, ut dicemus: Ergo est licitum omni meliori modo providere suæ necessitati. Probatur nunc consequentia; nam qui teneretur accusare, & non accusat, in tantum tenetur ad restitutionem, & mortaliter peccaret, inquantum violaret justitiam, non impediendo damnum secutum, & secuturum Reipublicæ; sed non magis in aliis casibus sequitur damnum Reipublicæ, quam in illo de eo, qui fraudat gabellas ad suæ necessitati providendum: Ergo in omni simili casu, qui tenetur ex officio accusare, & non accusat, non peccat contra justitiam, nec ad restitutionem tenetur. Deinde: posset dari casus, quòd defraudantes gabellas, sint consanguinei Principis, Rectoris &c., sed nemo propter ista crimina tenetur accusare ex debito justitiæ dictos consanguineos; imò neque cogi possunt (ut tenent Juristæ) ad testificandum contra eos in judicio, nisi in causa hæresis, etiam occultæ, vel gravissimi criminis, quod aliunde probari non possit: Ergo neque peccat contra justitiam, neque ad restitutionem tenetur, alios non accusando, vel denunciando, quando ei ex officio incumbit.

Respondetur ad primum concessio antecedenti, negando consequentiam. Verum est apud omnes Doctores, quòd qui ad providendum extremæ suæ necessitati gabellas fraudant, non imponunt officialibus scientibus talem fraudem, obligationem accusandi, vel denunciandi; & per hoc tam à restitutione, quam à peccato contra justitiam excusantur; quia laborantes extrema præsertim necessitate possunt uti jure suo naturali contra quascunque leges humanas, statuta, & pragmaticas; cum quilibet omni meliori modo, quo potest, debeat suæ necessitati providere; & nulla lex humana in prohibendo includat illos, qui sunt in extrema necessitate constituti. Quare in hoc casu officiales, estò regulariter loquendo, accusare teneantur, & in casu non accusent, non peccant contra justitiam; quia in casu extremæ necessitatis idem prorsus esset defraudantes in tali necessitate accusare, ac eos non accusare; cum supponatur, istos justitiam non violare. Ceterum in aliis casibus, in quibus

non est ista necessitas, quia damnum proptè gabellarum fraudem evenit Reipublicæ, tenentur ex justitia delinquentes accusare, vel denunciare; quia in illis justitia violatur.

Dices: munus officialium Reipublicæ est impedire damna ventura ipsi Reipublicæ: Ergo dum damna non impediunt, non peccant contra justitiam; ac per consequens neque tenentur ad restitutionem. Probatur consequentia; quia officium receperunt ex distributiva justitia, quæ non habet obligare ad restitutionem: Ergo &c.

Respondetur negando consequentiam, ad cujus probationem dico, quòd estò officiales Reipublicæ receperunt officium ex distributiva justitia, exercitium tamen illius est ex debito justitiæ commutativæ. Nam justitia distributiva inclinatur ad distribuendos honores, & conferenda officia ad æqualitatem personarum, quæ dignæ censentur ad illa officia exercenda: justitia verò commutativa inclinatur, ut illi, ad quos spectat, attendant ad hoc, ut servetur æqualitas inter datum, & acceptum, & ut unicuique reddatur quod suum est. Hoc insuper patet de Judice, qui munus judicatus accepit ex distributiva justitia, & illud tenetur exercere ex justitia commutativa, faciendo scilicet, ut unicuique reddatur quod suum est, & servetur æqualitas inter datum, & acceptum. Ita dicendum est dum officialibus, qui officium quidem in Republica acceperunt ex distributiva justitia, illud tamen exercere debent ex justitia commutativa, qua tenentur damna Reipublicæ impedire, quæ nisi defraudantes gabellas, ut pœnam subeant, accusent, aut denuncient, ipsi officiales ad restitutionem damni tenentur.

163 Respondetur ad secundum dicendo, hunc alium casum esse excipiendum de consanguineis, ut notat Navarrus loc. cit. Quare non tenentur officiales accusare, aut denunciare consanguineos, propter rationem inter arguendum datam. Ratio hujus est, quia illi, ad quos spectat condere leges, & statuta (si expressè non includant consanguineos) non intendunt, illos legibus obstringi, eo prorsus modo, quo ipsi legislatores legibus ipsis non obstringuntur. Quare dum officiales sciunt, consanguineos Principis, vel Judicis, vel Rectoris Civitatis, ferre arma prohibita, vel gabellas defraudare, si eos non accusant, nec peccant, nec ad restitutionem tenentur; quia præsumitur, illos esse à legibus solutos, & minimè obstrictos. Quapropter dicimus, quòd his duobus casibus exceptis, in omnibus aliis tenentur officiales delicta publica accusare, & denunciare, & si non accusant, nec denunciant, peccant contra justitiam, & ad restitutionem tenentur.

164 Objicies secundò: officiales constituti ad aliquod officium publicum, tantum tenentur eorum munus adimplere ex debito humanæ

fidelitatis: Ergo quando illud non adimplent, tantum peccant contra fidem humanam: Ergo dum tenentur accusare, & non accusant, non peccant contra iustitiam, nec ad restitutionem tenentur. Probatur antecedens; nam dum assumuntur ad tale officium publicum, promittunt Principi, vel Reſtori Civitatis invigilare in iis, quæ ad tale officium spectant: Ergo tantum vi promissionis invigilare tenentur, quæ promissio ponit debitum ex humana fidelitate.

Responderetur negando absolute antecedens, cum consequenti probationis. Quamvis officiales, dum assumuntur ad publicum, officium promittant invigilare in iis, quæ spectant ad eorum munera, tamen cum hac promissione non solum stat debitum ortum ex humana fidelitate, sed etiam debitum ortum ex iustitia commutativa. Primo, quia contractus promissionis est titulus, quo persona promittens ex stricto iure obligatur ad satisfaciendum promisso: unde dum officialis promittit Principi, aut Reſtori observare fidelitatem, & suo muneri invigilare, quando in aliis, & præsertim subditis videt inobservantiam, & transgressionem statutorum, & legum, tenetur ratione promissi denunciare, & accusare delinquentem. Secundo, etiam si hæc promissio non esset expressa, quia officium secum fert talem observantiam, & vigilantiam, ideo qui tenentur invigilare in iis, quæ sunt bona publica, ex cujus vigilantie omissione sequitur damnum in bonis fortunæ Reipublicæ, peccant, nedum contra fidem humanam, sed etiam contra iustitiam, & insuper ad restitutionem tenentur. Hoc etiam patet in bonis fortunæ, & corporis, ubi qui tenentur ex officio invigilare, & omittunt, contra iustitiam peccant, & ad restitutionem tenentur.

165. *PETES PRIMO. An Regulares scientes, Religiosum aliquem esse sua Regula publicum, transgressorem, sicut etiam statutorum, teneantur in conscientia illum superiori denunciare?*

Responderetur supponendo, quod dixi n. 67. quod quando delictum Religiosi est occultum, & vitari possit per solam fraternam correctionem, & aliunde nullum scandalum, & detrimentum afferat Religioni, tunc in conscientia non tenetur Religiosus sciens, crimen illud superiori manifestare, vel per accusationem, vel per denunciationem; nam quando potest emendatio per fraternam correctionem haberi, non tenetur ex debito quis delinquentem accusare. Suppono insuper, quod si de occulto crimine delinquens accusetur, vel denunciatur suo superiori, etiam non præmissa fraterna correctio, tunc accusans, & denuncians, non peccaret, nec contra iustitiam, nec contra charitatem, si crimen illud denunciaret superiori, ut Patri; & insuper ex motivo emendationis, (ut dicemus in materia de præceptis virtutum theologiarum). His in-

quam suppositis, solum est sermo de crimine publico, & pro resolutione

*DICO* ad quæsitum, quemlibet Religiosum teneri in conscientia publicum crimen Religiosi delinquentis suo superiori denunciare, quod sit contra Religionis statuta, & regulam, quando sciat fraternam correctionem non esse delinquenti profuturam. Et 166 Probatur. Quilibet in conscientia tenetur zelare pro bono publico cujuscunque communitatis, ne scandalum eveniat: Ergo quilibet tenetur in conscientia superiori denunciare crimen publicum Religiosi delinquentis, quando scit, fraternam correctionem non esse delinquenti profuturam. Probatur consequentia; nam ex tali crimine publico scandalum, maximumque detrimentum toti Religioni inferitur: unde Sanctus Pater Franciscus maledixit Fratres illos, qui suo malo exemplo confundunt, & destruunt, quod per Sanctos Fratres ædificatum est: & D. Paulus agebat 1. ad Tim. 5. *Peccantes, coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant*; nec videtur major correctio, quam illa, quæ fieri potest à Superiore, dum infructuosa videtur fraterna, & secreta correctio. Adde, quod quilibet Religiosus, cum de bono communi Religionis vivat, videtur non excusabilis à non denunciando crimen delinquentis, ut error iuste vindicetur strictiori iure; quo modo dictum est de officialibus, qui de bonis communitatis vivunt: Ergo &c.

167. *PETES SECUNDO. Quot modis accusatio fieri possit injusta?*

Responderetur, juxta ea, quæ dicit Gratianus Can. *Si quem perituerit* 2. q. 3. relatus à Fabro in 4. d. 15. q. 3. disp. 54. num. 180. tribus modis posse accusationem fieri injustam. Primo modo per calumniam, quando scilicet accusator falsum crimen imponit alicui; & ex hac falsi criminis impositione, nedum accusator tenetur ad famæ restitutionem, sed etiam ad omne damnum secutum ipsi accusato, ut dictum est in 1. qu. hujus disp.

Secundo modo per tergiversationem, quando scilicet accusator in totum recedit à lite sine Judicis auctoritate, quod esset terga vertere accusationi. Ubi advertendum est, quod si accusator recederet ab accusatione, conscientia motus, quatenus certò sciret, accusatum esse innocentem, tunc sic recedendo non peccaret, sed esset à Judice propter tergiversationem puniendus.

Tertio modo per prævaricationem, quando scilicet accusator cum Reo colludit, adjuvans partem adversam, contra quam procedit. Et hæc prævaricatio fit, vel adducendo falsas probationes, vel veras dissimulando, ut accusatus possit se tueri. Ubi noto, quod si crimen est verum, de quo quis fuit accusatus, tunc prævaricator peccat mortaliter, malitiosè scilicet impediendo punitionem criminis commisi;

missi; si verò crimen est falsò impositum, non peccaret.

168 *PETES TERTIO*. An, quando Reus sit à crimine absolutus, tunc denunciator erit condemnandus pro expensis ratione imposita calumniae?

Respondetur dicendò, quantum spectat ad jus commune, denunciatores in tali casu teneri ad expensas. Ratio est, quia fuit injusta causa damni, quod passus fuit Reus denunciatus, & propter suam innocentiam postea absolutus. In hoc tamen est advertendum, hujusmodi jus commune loqui de denunciatore, vel etiam accusatore, qui calumniam spontè, & non ex officio imposuerunt Reo; nam illi, qui hoc fecerunt ex officio per solam suspicionem, quam de Reo habuerunt, non tenentur ad expensas, dum Reus, ut innocens, est absolutus. Et insuper noto, quòd si non solum de falso denunciatore, vel accusatore haberetur præsumptio, sed etiam appareret de calumnia falsò imposita; tunc denunciator, vel accusator deberet gravius puniri; imò falsus accusator plectendus est pœna talionis, cui se subscripsit. At ut notat Julius Clarus q. 7. vers. *Sed inquiri*. Et qu. 18. vers. *Postea num. 2.* hujusmodi satisfactio in expensis, tam quoad denunciatores, quam quòd ad accusatores, recessit ab aula.

QVÆSTIO DECIMANONA.

De Iudice

An Iudex teneatur necessariò in omni casu judicare secundum allegata, & approbata?

**A**ntequam ad exactam notitiam tituli questionis deveniamus, plura supponenda sunt. Primò, Judicem priusquam iudicium faciat contra Reum, posse contra eundem procedere, nedum per accusationem, vel denunciationem, ut supra dictum est, sed etiam per inquisitionem, sive generalem, quæ est de delicto in genere, & de delinquire in genere; quam inquisitionem facit Iudex, sive secularis, sive Ecclesiasticus, sive Regularis ad inquirendam personam in aliquo delicto criminolosam: sive per inquisitionem specialem, quæ à Iudice fit de speciali delicto, & determinato delinquire, vel saltem de delicto in specie. Ubi adverto, quòd Iudex à generali inquisitione descendere debet ad specialem, sive velit ad formam juris punire, sive velit paternè castigare. Hic modus procedendi per generalem, & à generali per specialem inquisitionem, est usitatissimus in visitationibus faciendis à superioribus Regularibus, ad hoc, ut certifi-

cari possint, an subditi religiosè vivant. Et si in visitatione constet, fuisse delictum aliquod commissum à Religioso aliquo, tunc à paterna visitatione deveniunt superiores ad specialem inquisitionem, tam delicti, quam delinquentis.

Suppono secundò, Judicem posse aliis duobus modis contra delinquentem procedere, scilicet per deprehensionem alicujus in fraganti crimine: vel per notorietatem delicti. Ut Iudex procedat contra Reum deprehensum, in fraganti crimine, debet examinare testes, si sint præsentès: si nullus sit testis, statim examinet ipsum Reum sic deprehensum, qui si confitetur, debet illum condemnare pœna capitis (si delictum talem pœnam exigat); si verò neget, debet eum torquere, ut crimen confiteatur. Unde infero, quòd deprehensio illa in fraganti crimine non est sufficiens ratio ad sententiam capitis, sed tantum ad Reum statum examinandum, & torquendum in casu negationis criminis. Imò Reo sic deprehensò dandæ sunt defensiones, antequam ad sententiam deveniatur; cum nemo damnari possit, præsertim pœna capitis, indefensus. Si verò quis sit deprehensus in fraganti crimine de re levi, ut esset furtum uvarum ex vinea, pomorum &c., tunc ad pœnam possunt Iudices statim devenire absque alio examine, præsertim quando sit ita deprehensus à Curia officialibus. Quando tandem crimen est notorium, ut scilicet in publico commissum, coram majori parte populi, ita ut criminolosus de tali crimine nullam habere possit excusationem, vel defensionem: in efformatione processus de delicto notorio non sufficit ad tale delictum probandum examen duorum, vel trium testium, sed majoris partis illorum, qui delicti evidenciam habuerunt. Hoc deducitur ex regulis Juris Criminalistarum, & præsertim Julii Clari. At isti modi procedendi, tam de deprehensione in fraganti crimine, quam de delicto notorio, non differunt à modo procedendi per inquisitionem, sed sunt ipsamet specialis inquisitio.

Suppono tertio, dari alium modum procedendi contra Reum, scilicet per querelam, quando scilicet injuriatus, vel offensus querelam facit contra injuriantem, & offensorem de recepta injuria, vel offensa: Et querelans dicitur Actor. At iste modus, quamvis novus in Curia, non tamen est distinctus ab accusatione. Quoniam verò hæc materia potius spectat ad purè criminalistas quam ad morales, accircò alias notitias speciales relinquo videndas apud Julium Clarum, vel apud Fabrum nostrum loc. supra citato.

169 Quantum spectat ad nostrum intentum, & pro examine præsentis questionis notandum est, Judicem quatuor modis posse contra Reum procedere. Primò per ordinariam potestatem, ut si esset Iudex ordinarius, ut Pontifex in to-

to orbe terrarum, Reges in suis Regnis &c. Secundò per potestatem delegatam, quæ traditur ex commissione Judicis ordinarii, & hæc potest esse ad universalitatem causarum, vel tantum ad causam aliquam specialem. Tertio per potestatem arbitrariam, & habetur, quando quis arbitrio, & consensu partium eligitur in Judicem, vel arbitrum alicujus causæ: unde partes ligantur ad standum Judici hujus personæ, sic in Judicem electæ. Hac autem potestate Judex potest ligare partes sua sententia, non tamen potest cogere Judicem ordinarium ad sententiam proferendam, juxta suam decisionem. Quartò per potestatem accessoriam, & hanc habet Judex in eum, qui crimen committit in sua jurisdictione, quamvis alias criminofus non sit ejus subditus; sit enim subditus accessorie per crimen commissum in jurisdictione Judicis. Ex his infero, quòd nemo, nisi aliquo modo ex his quatuor assignatis, potest juridicè contra Reum inquirere, & multò minus sententiam proferre; & si aliter faciat, peccat mortaliter, & ad restitutionem damni tenetur, propter usurpatam jurisdictionem.

170 Rursus ex his infero, quatuor esse necessarias condiciones ad Judicem contra Reum procedentem. Prima legitima potestas, sive ordinaria, sive delegata, sive arbitraria, sive accessoria. Secunda sufficiens scientia, quam Judex habere debeat, ut secundum veritatem judicet, & in conformitatem legum, tam divinarum, quam humanarum; & quidem ut bonam habeat sui muneris administrationem. Tertia, ut in judicando servet formam à Jure, & legibus præscriptam; ita ut in causis civilibus servet harum causarum formam; & in Criminalibus criminalium: ut tenent Criminalistæ omnes cum Julio Claro. Quarto tandem, ut Judex in exequenda sententia à se lata firmus sit, & constans, nec ullo favore, aut humano timore, & respectu flectatur, & sententiam revocet. His notatis conditionibus, pro decisione præsentis difficultatis suppono, Judicem debere ferre sententiam juxta allegata, & approbata, præsertim quando nullam aliam scientiam habeat in contrarium. Unde sola difficultas restringitur, an etiam debeat judicare juxta allegata, & approbata, quando privatam scientiam habet in contrarium: ut V. G. si Judex certò sciret, Titium esse innocentem de crimine aliquo sibi impositum, de quo probatus fuerit, & insuper ad vitanda tormenta confessus, teneatur tunc Judex sententiam ferre contra Titium innocentem (per ea, quæ Judex certò scit extra judicium) in judicio Reum probatum, convictum, & confessum; vel potius teneatur illum dimittere, vel sententiam non ferre. Et insuper, si Judex certò sciat, Cajum commississe delictum aliquod, & accusatus, processatus, & constitutus coram Judice, non sit criminofus probatus, nec convictus, nec confessus, teneatur tunc Judex il-

lum ut innocentem dimittere, pro ut in actis constat; vel possit in Cajum ferre sententiam, propter scientiam habitam extra Judicium. De his duobus casibus procedit præsens questio; & pro resolutione

*DICO*, non licere Judici ferre sententiam, juxta falsò allegata, & probata contra eum, quem per privatam scientiam cognovit innocentem. Debere tamen absolvere eum falsò probatum innocentem, quem privata scientia cognovit nocentem, & criminofum, si est Judex subordinatus: si tamen est Judex supremus, & absolutus, solum in casu notabilis damni Reipublicæ potest uti illa scientia privata contra allegata, & approbata. Conclusio quò ad primam partem tenetur à nostro Bernardino de Bustis 2. part. Rosarii serm. 3 l. 10. & cum eo plures Scotistæ, Vulp. Mastrius, & alii, & ex antiquioribus Angelus, Panorm. Tolet. Rosella, Filliuc. & alii, contra D. Thom. 2. 2. q. 7. art. 2. Cajet. Sotum, Valentiam, & alios, & est ferè contra omnes summistas; & insuper contra Riccar. de media villa, & Alensem. Et quantum ad causas capitales, & criminales, est etiam opinio quorundam Recentiorum, Lessii, Malderii, Bonacinæ, de Lugo, Navarræ, & aliorum. Quò ad secundam partem tenetur à supradictis Recentioribus, & à Poncio, & Mastrio ex nostris.

171 Probatur prima pars potissima ratione, quam adducit Bernardinus de Bustis, & cum eo Nicolaus de Lyra. Nequeunt à Judice licitè fieri, quæ in se mala sunt, & cognita, ut mala; sed ferre sententiam, juxta falsò allegata, & probata contra eum, quem Judex per privatam scientiam cognovit innocentem, est in se malum, & cognitum, ut malum: Ergo non licet Judici in hoc casu ferre sententiam.

Major est certa, quia Judex debet in judicando rectè agere. Probatur minor: ferre sententiam contra veritatem, etiam habitam scientia privata, est agere opus impium; sed non ageret opus impium, nisi esset in se malum: Ergo &c. Probatur major ex illo Exod. 23. vers. 7. *Mendacium fugies: Insontem, & justum non occides: quia averteris impium*, (scilicet qui facit istud, est impius): Ergo qui fert sententiam contra veritatem, etiam habitam scientia privata, facit opus impium.

Confirmatur hoc: in tantum liceret Judici ferre sententiam contra eum, quem privata scientia cognovit innocentem, in quantum (ut tenent Juristæ, & Canonistæ) Judex debet ex lege positiva ferre sententiam, juxta allegata, & probata; sed hæc ratio est nulla: Ergo non licet Judici ferre sententiã, juxta allegata, & approbata, & quidem falsò, contra eum, quem privata scientia cognovit esse innocentem. Probatur minor primò: omnis lex positiva, ad quam hic Juristæ, & Canonistæ confugiunt, est humana; sed lex humana, cum sit inferior legi naturali, & divinæ, nequit licitum

aitum reddere actum, qui per leges naturæ, & divinæ est illicitus : Ergo &c. Quod autem ferre sententiam contra eum, quem Judex cognovit privata scientia, esse innocentem, sit actus illicitus ex lege naturæ, & divinæ, probatur ex illo Exod. 23. vers. 1. & 2. *Non suscipies vocem mendacii: nec sequeris turbam ad faciendum malum; neque in judicio plurimorum acquiesces sententia, ut à veritate devies* : Ergo ferre sententiam contra eum, qui privata scientia cognoscitur innocens, est facere actum ex lege divinæ illicitum. Et etiam ex lege naturæ, cum hæc dicat, non esse credendum mendacio, nec faciendum opus contra veritatem: Ergo &c.

172 Neque valet, si dicas, has autoridades Scripturæ esse intelligendas de scientia habita in judicio, non extra illud; quomodo non est licitum Judici ferre sententiam contra probatum innocentem.

Non valet, inquam. Primò, quia iniquissimus esset Judex, si morte, vel mutilatione membrorum, vel quavis pœna damnaret eum, qui fuit probatus innocens, & revera nunquam fuit, ut nocens cognitus; quia innocentiam sententiaret, non minùs, ac Judæi damnarunt Dominum nostrum Jesum Christum innocentem repertum, & probatum. Imò magis, quàm Judæi, esset impius Judex; quia illi damnarunt Jesum sub prætextu violationis legum eorum, & quòd se Regem fecisset; iste verò, absque ullo colorato titulo damnaret innocentem: Ergo videtur responsio omninò irrationabilis.

Secundò, expressè patet ex illis verbis Scripturæ citatæ: *neque in judicio plurimorum acquiescas sententia, ut à veritate devies*; Et sensus hujus præcepti divini est, quòd si plures in judicio dicant contra veritatem, extra illud à Judice cognitam, non debeat Judex illorum sententiæ acquiescere: Ergo illæ autoridades loquuntur de scientia veritatis habita extra Judicium, non in judicio; aliàs extra casum procederetur.

173 Probatur secundò eadem pars, & simul minor principalis confirmationis. In tantum Judex debet ferre sententiam juxta allegata, & approbata contra eum, quem privata scientia cognovit esse innocentem, in quantum Judex ad justam ferendam sententiam, debeat esse plenè certificatus de facti veritate, quæ necessaria est ante sententiam; sed quando Judex per scientiam privatam cognovit aliquem esse innocentem de crimine falsò probato, convicto, & confesso, est plenè certificatus de facti veritate: Ergo jam injustè, & illicitè sententiam ferret contra eum, quem privata scientia cognovit innocentem. Probatur minor primò: per illam privatam scientiam jam plenè Judex cognovit, Titium V. G. esse innocentem, & Cajum criminisum de delicto, de quo fuit imputatus, processatus, & convictus, & qui-

dem falsò, Titius. Et insuper ex tali scientia cognovit, Testes fuisse mendaces, & iniquos, sicut etiam accusatorem: Ergo jam per talem scientiam fuit plenè certificatus de facti veritate: Ergo quoties contra talem veritatem ferret sententiam, injustè, & illicitè ageret.

Probatur secundò eadem minor: tunc Judex est plenè certificatus de facti veritate, quando potest tuta conscientia affirmare, hoc esse verum; sed quando habet scientiam privatam de innocentia, potest tuta conscientia affirmare, hanc esse facti veritatem, & non illam habitam in judicio; imò hanc esse facti falsitatem: Ergo &c.

Eò vel maximè, quia tutior est illa scientia, quam Judex habet extra judicium de proprio visu, quàm illa, quam habet ex aliis in judicio, ex dictis: Ergo tutior debet esse illa sententia, quam fert ex scientia sua privata, quam ex allegatis, & probatis in judicio. Probatur consequentia; nam in tantum Judex in sententia ferenda debet uti scientia judiciali juxta allegata, & approbata, in quantum in ferenda sententia debet esse, saltem moraliter, certus, quòd in ea ferenda non erret; sed erraret, & esset certus, etiam physicè, quòd erraret, si ferret sententiam contra scientiam suam privatam: Ergo tutior esset illa sententia, quam fert ex sua scientia privata, quàm contraria ex allegatis, & probatis.

Ex his infero, quòd si Judex vidisset, Cajum coram se commississe homicidium in personam Sempronii, & de tali homicidio fuisset Titius accusatus, vel imputatus, & per testes procederetur contra Titium innocentem, qui ad vitanda tormenta confiteretur crimen à se non commissum; non posset tunc Judex contra Titium licitè ferre sententiam, quem scit certò esse innocentem; quia ageret contra conscientiam, & contra veritatem certò cognitam: sed deberet (ut dicunt authores citati) si est Judex inferior, & subordinatus, deponere judicium illius causæ, illamque supremo Judici remittere, ipsum certificando de sua innocentia, de falsis accusatore, & Testibus, & de confessione falsa facta ab illo ad vitanda tormenta; & hoc facere debet ob suæ conscientia securitatem; aliàs si ad sententiam deveniret contra innocentem certò cognitum, illicitè, & injustè ageret. Si verò esset Judex supremus, multò magis deberet illum, ut innocentem dimittere in conscientia, & in conformitatem legis divinæ supra citatæ.

Addit ad hoc ultimum Giraldus de Odonis, ut notat Bernardinus de Buis, quòd si Judex supremus non vult causam facere, sed iterum illam remittit Judici inferiori, tunc Judex inferior debet sententiam ferre, juxta veritatem sibi notam. Quod probat primò, quia estò agendo contra probationes habitas in judicio, faciat contra legem humanam, & contra ordinem justitiæ; tamen agendo contra verita-



veritatem facit contra legem divinam, & contra justitiam, aut contra rem justitiæ; sed majus peccatum est agere contra legem Dei, & contra rem justitiæ, quia est peccatum ex genere; quam agere contra legem humanam, & ordinem justitiæ, quod est peccatum tantum ex circumstantia: Ergo in tali casu præferenda est veritas præcepta per legem divinam, probationibus cognitis falsis, præceptis per legem humanam dictantem, sententiam esse ferendam juxta allegata, & probata. Secundò Judex debet judicare loco Dei, sed Deus judicat pro veritate: Ergo etiam Judex debet judicare pro veritate. Probatur minor ex illo Tobix tertio: *Justus es Domine, & omnia judicia tua vera sunt.*

174 Probatur tertio ex pluribus legibus. 1. ex lege 1. ff. de Jurisd. omn. Jud. habetur: *Judex ut in pluribus potest judicare, pro ut sue conscientia rationabile videtur; & quod optimum est, statuere.* Idem habetur *L. appellari, ff. quis, & à quo.* Item ff. de arbitriis *L. qualem.*

Secundò Capiculum ad nostram, de consuet. ait: *Postquam tibi de meritis causæ constiterit, sententiam proferre valeas, sicut ordo postulat rationis, non obstante contraria consuetudine &c.*

Tertio *L. placuit*, ubi habetur: *Placuit in omnibus rebus, præcipuam esse justitiæ æquitatem, quam stricti juris rationem.*

Quartò ex Innoc. IV. cap. Cum æterni de sent. & re judic. in 6. habetur. *Si quis autem Judex Ecclesiasticus ordinarius, aut delegatus fama sue prodigus, contra conscientiam, & justitiam in gravamen alterius partis in judicio quicquam fecerit, per gratiam, vel per sordes, ab executione officii per annum noverit se suspensum, ad estimationem litis parti, quam læserit, condemnandus.* Ubi expressè Summus Pontifex vult, sententiam non esse ferendam contra conscientiam, quo modo ferenda esset, si Judex damnaret aliquem, quem cognovit privata scientia esse innocentem. Idem habetur ex pluribus aliis Sacris Canonibus, quibus præcipitur Judicibus, in ferenda sententia, debere habere Deum ante oculos, & juxta voluntatem Dei, leges divinas, & justitiam, judicare.

175 Probatur secunda pars: In tantum non deberet Judex, præsertim inferior, absolvere eum, qui probatus est innocens, quem ipse Judex cognovit privata scientia nocentem, & criminofum; in quantum illa privata scientia esset sufficiens motivum ad publicam ferendam sententiam; sed hoc est falsum: Ergo debet Judex absolvere eum, qui probatus est innocens, non obstante, quod ipsum per privatam scientiam cognoverit nocentem. Probatur minor primò: Nemo potest (loquendo de causis non inferentibus notabile damnum Reipublicæ) puniri, præsertim pœna capitali, nisi sit probatus, & convictus Reus; sed illa privata scientia, quam Judex habet de crimi-

ne occulto, non reddit Reum probatum, & convictum: Ergo non est sufficiens motivum ad publicam ferendam sententiam. Minor est certa; quia ad reddendum Reum probatum, & convictum, requiritur plena probatio in judicio, quam non facit privata scientia Judicis, nec publica infamia per crimen commissum resultans, nisi crimen ipsum, per duos saltem testes, sit coram Judice probatum. Probatur major: injustus diceretur Judex, si pœna capitali puniret eum, qui in judicio repertus est innocens; cum ut innocentem, non ut Reum, eum damnaret: Ergo &c. Probatur secundò eadem minor principalis: Quamvis propter rationes supra adductas, ad liberandum innocentem, sufficiat illa Judicis privata scientia, ne contra conscientiam agat; tamen ad puniendum, debet ordinem Juris servare; sed ex ordine Juris privata scientia criminis non est ratio sufficiens ad puniendum, licet (ut dictum est) sit sufficiens ad absolvendum: Ergo non est sufficiens motivum ad ferendam publicam sententiam.

Dixi in conclusione, quod si Judex sit supremus, & privatam scientiam habeat de criminoso in gravi, & notabili crimine in Reipublicæ detrimentum, possit tunc Judex uti illa scientia ad eum damnandum, non obstante quod per allegata, & probata repertus sit innocens: quia in casu ita gravi præferendum est bonum publicum vitæ privatæ hominis; & hoc quidem ex jure naturæ. In aliis verò casibus, ubi tale detrimentum non inferitur Reipublicæ, nequit Judex, etiam supremus, uti sola privata scientia ad criminofum damnandum, quando crimen non est in judicio probatum: Et ratio est, quia quilibet habet jus naturale ad se defendendum, & suum honorem servandum; & quia non est infamatus per crimen occultum, & solo Judici notum, iccirco non debet licite Judex illum, & infamare, & damnare per solam privatam scientiam criminis.

### *Solvuntur Objectiones.*

176. **O**bjicies primò contra primam partem. Judex nequit licite ferre sententiam, sive punitivam, sive absolutivam, nisi juxta allegata, & probata: Ergo potest licite Judex damnare eum, quem privata scientia cognovit innocentem. Probatur antecedens: Judex sustinet personam publicam; sed ut persona publica stare debet in decretando allegatis, & probatis: Ergo &c. Probatur minor ex pluribus legibus. Joan. Glosiator qu. 7. cap. *Judicis*: Host. de off. ord. cap. 2. Et Inn. extra de cens. cap. *venerab.* dicunt, quod Judex, ut persona publica, debet agere in forma Judicis: quod est agere juxta allegata, & probata; & non secundum veritatem habitam extra judicium: Ergo &c. Deinde:

Deinde: scientia illa, quam Judex habet extra judicium, habet ut homo, non ut Judex; sed Judex debet ferre sententiam, ut Judex, & non ut homo privatus: Ergo licet ut Judex damnaret eum, quem cognovit privata scientia, esse innocentem.

Respondetur ad primum dist. antecedens (loquendo de sententia punitiva): nisi juxta allegata, & probata, quando aliunde veritas facti haberi non possit, concedo antecedens: quando aliunde, seu per privatam scientiam, veritas facti opposita falsitati judicii publici, haberi possit, nego antecedens, & consequentiam, & eodem modo dist. probationem ejus. Utique verum est, quod quando veritas facti certa scientia haberi non possit, nisi juxta allegata, & probata, tunc Judex licet fert sententiam ex allegatis, & probatis; ex quibus prudenter existimat, veritatem facti constare per Testes, & per Rei confessionem: & in hoc casu tenetur ad sententiam ferendam juxta allegata, & probata. At quando Judici constat evidenter veritas facti per scientiam privatam; tunc ad ferendam sententiam non debet stare allegatis, & probatis. Ratio est, quia per illam scientiam privatam certo cognoscit, judicium publicum esse omnino falsum; ac per consequens, juxta illud ei non licere ferre sententiam contra eum, quem privata scientia cognovit innocentem. Ad leges adductas dico, in nulla lege expressè inveniri, Judicem debere sententiam ferre juxta allegata, & probata; sed tantum quod Judex in ferenda sententia, illam ferat juxta leges, & ordinem Juris. Et quia nulla lex, nec ordo juris obligare potest Judicem ad decernendum contra conscientiam, præsertim quando Judex est certus de veritate facti opposita judicio habito contra innocentem; ideo quando per privatam scientiam Judex est certus de innocentia alicujus, non potest licet illum poena, præsertim capitali, punire, si per testes falsos sit probatus Reus. Vel dicendum est, juxta superiorem doctrinam, quod etiam si adsint leges decernentes, Judicem debere ferre sententiam juxta allegata, & probata, tunc hoc est verum, quando per scientiam privatam sibi non constet in conscientia innocentia illius, de quo falsum est formatum judicium; secus verò quando in conscientia constat illius innocentia, contra quam innocentiam non potest licet procedere.

177 Respondetur ad secundum, concessis præmissis, negando consequentiam. Licet Judex scientiam illam privatam habeat, non ut Judex, sed ut homo; & sententiam ferre debeat, ut Judex, id est servando ordinem Juris, procedendo ad examen testium, ad Reum convincendum, illumque damnandum, quando ei aliunde non constat oppositum ei, quod per judicium probatur contra innocentem; tamen in foro conscientiae indistincti sunt in

eadem persona hujusmodi respectus, Judicis scilicet, & hominis: solum ergo in foro externo distinguuntur. Unde petere possem ab adversariis, si anima Judicis, cui constat in conscientia, Titium damnasse poena mortis innocenter; cum ipsi, ut homini privato, constet sententiatum esse innocentem, in infernum esset justo Dei judicio damnata propter talem injustam sententiam, utrum tunc anima ejus, ut homo privatus, posset salvari? Fortasse huic petitioni, si responderent dicendo, Judicem in tali ferenda sententia non peccasse; tunc insurgo sic: Judex in tali sententia ferenda ageret contra conscientiam, pro ut est persona privata, quia contra veritatem certo cognitam: Ergo damnaretur, ut homo privatus. Nec relatio Judicis haberet vim, animam ejus liberandi. Quare concludo, quod estò privata scientia sit in Judice, ut persona privata est, tamen non potest, ut Judex, contra privatam scientiam ferre sententiam, in casu, quo constat ei extra judicium de innocentia.

Dices: Judex, ut talis, non peccare; quia non damnaret illum, ut innocentem, sed ut Reum probatum, & convictum: Ergo non ageret contra conscientiam, estò per privatam scientiam sit certus de innocentia.

Respondetur negando assumptum. Ut Judex in ferenda sententia dicatur peccare, requiritur, ut contra veritatem certo cognitam sententiet, sive hæc veritas habeatur per testes in judicio, sive per privatam scientiam extra judicium: & quia in casu, Judex ferret sententiam contra veritatem ab eo cognitam, ut persona privata, hinc est, quod peccaret; præsertim, quia veritas de innocentia cognita cadit sub divinum, & naturale præceptum: & ferre sententiam ad formam Judicis stat sub solo humano præcepto non potente dispensare in lege superiori, & in conscientia. Ad illud, quod infertur, quod non damnaret eum, ut innocentem, sed ut Reum probatum, & convictum, dico, quod quia per scientiam habitam de innocentia certo sciret, ipsum esse innocentem, ideo diceretur, non damnare Reum probatum, & convictum; sed innocentem, ut Reum: unde solum esset quædam coloratio reitatis, (ut quandoque faciunt injusti Judices inveniunt, & per tergiversationem procurantes reitatem, ubi nullam inveniunt). Quare concludimus, nullam esse rationem, qua possit Judex à peccato excusari.

178 Obijcies secundo. In tantum non posset licet Judex ferre sententiam contra eum, quem scit privata scientia esse innocentem, in quantum illa privata scientia haberet vim mutandi judicium juxta allegata, & probata; sed hoc est falsum: Ergo potest licet Judex ferre sententiam contra eum, quem privata scientia cognovit esse innocentem. Probatur minor: scientia privata, quam Sacerdos habet de

aliquo excommunicato non vitando, non potest facere, ut Sacerdos ipse in publico neget Sacramentalem communionem ipsi excommunicato non vitando; nam illam noticiam Sacerdos habet, ut persona privata, & officium Sacerdotii ministrandi Sacramentalem communionem habet, ut persona publica: Ergo neque illa notitia, quam Judex habet, ut persona privata, habet vim mutandi iudicium per allegata, & probata. Antecedens est certum ex can. *Si tantum*, & can. *placuit* 6. q. 2. & ulterius patet ex dictis in secunda questione hujus disputationis de peccato occulto, quod non debeat manifestari in publico propter infamiam; sed tantum Judici deferendum, quando grave damnum Reipublicæ imminet. Consequentia sequitur à pari; nam utrobique munus est publicum, & scientia est hominis privati: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem, nego consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia vitare excommunicatum est præceptum jure positivo: quare si aliquis esset excommunicatus, & non vitandus, quia non publicus, non deberet Sacerdos per hanc privatam scientiam ei denegare Sacramentalem communionem, & ipsum vitare. Ceterum sententiare innocentem, ita cognitum per privatam scientiam, est facere contra jus divinum, & naturale, ut dictum est in probationibus. Et per hoc patet, quod Sacerdos in communicando sacramentaliter excommunicatum non vitandum, non debet illa scientia privata uti, & Judex in sententiando innocentem debet uti scientia illa privata, qua ei constat de innocentia. Eodem argumento utor contra adversarios: si Sacerdos negaret excommunicato non vitando Sacramentalem communionem, peccaret, saltem contra charitatem, faciendo publicum, peccatum illius occultum; imò per nos etiam contra justitiam, lædendo. Jus naturale, quod ipse habet ad suam famam: Ergo pariter si Judex damnaret aliquem ad poenam, quem cognovit privata scientia esse innocentem, peccaret contra justitiam, lædendo jus naturale, quod habet ad vitam, & famam suam; & etiam jus divinum, ut supra dictum est. Hæc responsio est ad mentem Giraldi. Melior disparitas erit assignanda in solutione sequentis objectionis.

179. Obijcies tertio contra secundam partem: In tantum Judex deberet servare ordinem juris in ferenda sententiâ absolutoria illius, quem cognovit privata scientia nocentem, & criminofum; in quantum illa scientia privata non sufficit ad ferendam sententiam poenalem; sed hæc ratio non valet: Ergo per illam scientiam Judex, in quocunque casu, gravi saltem, est non contra bonum publicum, debet, & tenetur judicare, non secundum allegata, & probata; sed juxta veritatem habitam scien-

tia privata. Probatur minor: Judex in ferenda sententiâ punitiva, debet mutare iudicium, quando sibi privata scientia constat, quod condemnaret innocentem: Ergo pariter debet mutare iudicium in ferenda sententiâ absolutoria, quando certò scit per privatam scientiam, quod absolveret Reum. Patet antecedens, ex prima parte. Probatur consequentia, quia non magis incumbit Judici absolvere innocentem, quam punire Reum: Ergo quoties mutare debet iudicium in ferenda sententiâ punitiva, quando aliunde constat de innocentia, etiam mutare illud debet, quando per scientiam privatam constat de reitate.

Respondetur negando minorem, & consequentiam probationis, cum paritate. Disparitas evidentissima est; quia sicut jus naturale exigit, quod innocens non occidatur, & vita ipsius servetur, ejusque fama; ita idem jus exigit, ut peccatum, & crimen privatum non publicetur: & ultra jus naturale, sunt etiam ad hoc jura positiva. Quare deduco, quod in tantum non licet damnare eum, qui privata scientia est cognitus innocens, in quantum aliter faciendo Judex peccaret contra jus naturale, & divinum; & iccirco potest, ac debet iudicium mutare in ferenda sententiâ. At si mutaret sententiam in iudicio ferendo, quando scientiam privatam habet de reitate, tunc publicaret crimen, quod est occultum, faciendo contra jura præceptiva, secretum non esse publicandum. Hæc etiam disparitas adaptatur alteri paritati adductæ de excommunicato non vitando in num. 85. prout dixi inter respondendum. Addo huic doctrinæ, quod magis est consonum æquitati, & justitiæ, ut liberetur innocens cognitus talis per scientiam privatam, quam quod puniatur Reus non probatus, nec convictus. Unde videmus in aliquibus casibus, etiam mortis, ex pietate Principum, quamvis sint probati criminofum, liberari; præsertim in illis casibus, in quibus nec adest Reipublicæ detrimentum, nec populi tumultus per justas querelas; nec cedat in præjudicium partis læsæ.

## QVÆSTIO VIGESIMA.

*An Iudex in ferenda sententiâ teneatur sequi opinionem magis probabilem?*

180. **I**N hac materia duæ sunt propositiones damnatæ. Prima ab Alex. VII. sub num. 26. Ubi habetur: *Quando litigantes habent pro se opiniones aequè probabiles, potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda sententiâ in favorem unius præ alio.* Secunda propositio est Inn. XI. in num. 2. ubi habetur: *Probabiliter existimo, Iudicem posse judicare, juxta opinionem, etiam minus*

*minùs probabilem* : Pro intelligentia primæ propositionis, suppono, quòd estò multi Doctores affirmant, posse Judicem absque alterius injustitia, stante æquali probabilitate, judicare potius pro uno, quàm pro altero; & hoc quidem ex sua libertate, quam habet in judicando arbitrariè ( sicut patet in concursu ad aliquod beneficium, ubi duo concurrentes sint æquè digni, si uni præ alio gratis concedatur, hoc licitè à conferente fit ) : Tamen quando Judex movetur ad ferendam sententiam potius pro una parte, quàm pro alia, quia ab illa pecuniam accepit; hæc sententia ita lata pro illa parte, præjudicat justitiæ, & æquitati. Primò, quia propter pecuniam ad unam propenderet partem, alteram reiiciendo; & sic reititudinem justitiæ depravaret, ex fine inhonesto pecuniæ, seu aviditatis. Secundò, quia tunc non posset Judex excusari ab injustitia ex corruptela, & aviditate pecuniæ: & à nota, quòd esset acceptator personarum. Tertio, quia Judex in ferenda sententia debet æqualitatem servare inter litigantes, quæ non servaretur, si pro illa parte decerneret, à qua pecuniam accepit; cum potius pro illa pecunia moveretur ad decernendum in favorem hujus partis, quàm ex sua arbitraria voluntate, quam habet ex vi justitiæ distributiæ. Imò præcluderetur via compositionis inter partes litigantes, ad quas componendas teneretur Judex in casu æqualis probabilitatis, ut aliqui Doctores putant. Quidquid autem sit de hoc ultimo, an teneatur Judex in æquali probabilitate partes litigantes concordare, vel non? nil confert ad damnatam propositionem. Sed videtur illa fuisse damnata, ex eo, quòd insinuare videbatur, posse Judicem pecuniam recipere ab uno ex litigantibus, & pro illo sententiam ferre, relicta æquali probabilitate alterius. Et iccirco, ut erronea, scandalosa, & in fide non tuta; imò quia contra justitiam, damnata fuit illa propositio. Ubi noto, quòd ex hac damnata propositione posset dari via aperiendi illud iniquum iudicium de plus offerendo, in quo casu res illa, de qua litigatur, neque quò ad minimam partem transfret in dominium ejus, qui pecuniam tradit, sed quò ad majorem partem, imò quò ad totum, multoties transfret in dominium Judicis.

181 Quantum ad notitiam secundæ propositionis ex Innoc. XI. præsens quæstio movetur. Ubi noto, aliam esse probabilitatem facti, & aliam Juris. Probabilitas facti est, quando dubitatur, an res aliqua sive possessa, sive possidenda sit hujus, vel alterius: vel dubitatur, an aliquod delictum sit à Cajo commissum, vel à Titio. Probabilitas verò Juris est, quando dubitatur, an lex sit pro hac, vel illa parte; an aliquid præcipiat, vel non in tali casu: & an extendatur, vel non ad tale factum. Sit exemplum: dubitat Titius, an vinea, quam possidet, sit sua, vel Caii; hæc dubietas, & probabilitas

dicitur facti, quia est circa rem, de qua dubitatur. In hac dubietate, & probabilitate, si major est probabilitas pro Titio, quàm pro Cajo, vinea illa fit Titii; tum ex illa legali ratione, quòd melior sit conditio possidentis; tum etiam quia illa major probabilitas stat cum tutiori conscientia. Si verò stat major probabilitas pro Cajo, vinea illa fit Caii. Ex hac probabilitate facti, infero exemplum in materia Juris. Videat Judex rationes Titii, & simul Caii, & juxta leges cognoscat, probabiliores esse rationes pro Titio, quàm pro Cajo; tunc Judex decernere debet juxta opinionem magis probabilem. Quare damnatio illius propositionis procedit tam in materia facti, quàm Juris; non solum in considerandis rationibus pro utraque parte, sed etiam in considerandis juribus ipsis, quid pro una, & quid pro altera parte justè decernant.

Ante quæstionis decisionem suppono, opinionem probabiliorum posse esse talem, vel ab intrinseco, vel ab extrinseco. Tunc opinio est probabilior ab intrinseco, quando urgentiori nititur ratione, sive naturali, sive theologica: tunc verò est probabilior ab extrinseco, quando nititur majori sapientum autoritate. Ubi noto, quòd hujusmodi autoritas major, non desumitur à majori numero Doctorum; sed à præstantiori doctrina eorum. Quod quæritur in præsentia, est, an Judex in ferenda sententia teneatur sequi opinionem magis probabilem, relicta minùs probabili? Et pro resolutione

DICO, Judicem in ferenda sententia teneri sequi opinionem probabiliorum, relicta minùs probabili. Hæc conclusio nunc est certa, quia opposita sententia est damnata; quam sequuntur Becanus, Vasquez, Valentia, Layman, Cardenas, Azorius, Filliuc, Mastrius, Villalobos, & alii ante damnationem oppositæ sententiæ: & est contra Bonacinam, Martinez, Medinam, Sanchez, & alios. Et hanc opinionem docui in secundo sententiarum in q. de conscientia probabili, in disp. de Moral. actiù. 182 Probatur: in concursu duarum opinionum, quarum una sit altera magis probabilis, Judex debet prudenter, & justè decernere; sed non posset prudenter, & justè decernere, nisi sequatur opinionem magis probabilem, relicta minùs probabili: Ergo debet Judex in ferenda sententia sequi opinionem magis probabilem, relicta minùs probabili. Probatur minor: tunc justè Judex, & prudenter decernit, quando in ferenda sententia se conformat rationibus urgentioribus, & probabilioribus in iudicio reproductis; & nititur majori autoritate sapientum; sed solum quando sequitur opinionem magis probabilem relicta minùs probabili, se conformat urgentioribus rationibus ( quæ faciunt probabilitatem intrinsecam ), & nititur majori autoritate sapientum ( quæ facit probabilitatem extrinsecam ); Ergo &c. Major est certa ex supra rela-

tis; nam sicuti probabilitas simpliciter oritur à ratione, vel naturali, vel theologica (si est probabilitas intrinseca): & ab autoritate sapientum, si est probabilitas extrinseca; ita major probabilitas à majori ratione, & autoritate oriri debet, Probatur nunc minor: magis justè, & prudenter agit, qui agendo se conformat majori rationi, & sapientum autoritati, quàm qui minori rationi, & autoritati; nam qui ex majori ratione, & autoritate movetur ad ultimum judicium formandum, cum majori certitudine agit; sed qui tenetur ex officio ad publicum Reipublicæ bonum, & ex ejus decisione pendet damnum alterius, tunc solum prudenter, & justè agit, quando se conformat majori rationi, & sapientum autoritati: Ergo quando Judex se conformat urgentioribus rationibus, & nititur majori autoritate, tunc solum justè, & prudenter agit.

Confirmatur: sit in materia facti lis inter Cajum, & Titium, quòd vinea, quæ à Titio possidetur per paternam hæreditatem, alio justo titulo jus ad illam vineam habeat Cajus, Ostendantur Judici pro utraque parte rationes, & sapientum autoritates. Si ex una parte, Caii V. G. rationes sint urgentiores, & probabiliores, & innixæ majori sapientum autoritate, tunc quamvis rationes, & autoritates pro Titio sint probabiles, si tamen sint minus probabiles, Judex in tali casu, ut justè, & prudenter decernat, ferre debet sententiam pro Cajo. Probatur hoc assumptum; quia si pro Cajo militent urgentiores rationes, & autoritates, jam Cajus majus Jus habet ad vineam illam, quam Titius; sed tunc Judex justè, & prudenter decernit, quando in ferenda sententia stat pro eo, qui majus habet Jus: Ergo &c. Probatur minor; quia Judex, cum sit persona publica, juxta merita causæ debet decernere: Ergo quando merita causæ urgentiora sunt pro una parte, quàm pro alia, Judex in ferenda sententia stare debet pro eo, qui habet majus Jus.

Eò vel maximè, quia majus Jus insurgit ex urgentiori ratione, & autoritate majori sapientum: Ergo &c.

### *Solvuntur Objectiones.*

183 **O**bjicies primò Judex, judicando juxta opinionem, licèt minus probabilem, prudenter agit: Ergo estò in concursu probabilioris ferat sententiam secundum minus probabilem, potest licèt talem sententiam ferre: Ergo non tenetur sequi opinionem magis probabilem. Probatur antecedens: tunc Judex prudenter agit in ferenda sententia, quando judicat ex aliqua opinione suas habente rationes, & sapientum autoritates, probabiliter suadentes, hoc esse licitum; sed judicando juxta opinionem minus

probabilem, judicat ex hac opinione propter rationes, & autoritates probabiliter suadentes, licitum esse decernere juxta talem opinionem; Ergo &c. Probatur minor; decernendo juxta opinionem minus probabilem, certò cognoscit, rationes pro hac opinione non esse improbables, æquivocas, & ficticias: Ergo judicat, has rationes, & autoritates esse probabiles; Ergo judicat, licitum esse decernere juxta talem opinionem.

Respondetur negando antecedens, & minorem probationis (loquendo in concursu probabilioris opinionis), & nego consequentiam ultimæ probationis. Dico igitur, Judicem, ut prudenter agat in judicando, debere attendere, ne jus alterius lædatur, & damnum alteri inferatur. Et quia in decernendo pro eo, cui minus probabiles sunt rationes, & sapientum autoritates, læditur jus illius, eique damnum inferatur, pro quo majores sùt rationes, & autoritates, cum majus ex parte istius insurgat jus; iccirco non ageret prudenter, si decerneret juxta opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, Unde quando cognoscit certò, has rationes, & autoritates esse validiores, tunc imprudenter judicaret, licitum esse decernere, juxta rationes minus validas. Ad judicium ergo prudens, nedum requiritur, quòd ex his rationibus, & autoritatibus inferatur, hoc esse licitum, quia probabile; sed ulterius requiritur, quòd inferatur, hoc esse licitum, & nemini præjudicare, quia probabile. At quando Judex decernit juxta opinionem minus probabilem, tunc non infert, hoc esse licitum, & nemini præjudicare; & quia ex majori probabilitate alterius partis jam præjudicaretur juri istius; iccirco Judex non ageret prudenter, imò imprudenter, & injustè, si juxta minus probabilem opinionem decerneret.

Dices: solum Judex efformaret judicium, imprudens in materia facti, judicando juxta minus probabilem; secus verò dicendum in materia Juris: Ergo &c. Probatur assumptum; quamvis leges, & statutorum interpretatio sint potius pro probabiliori, & constituent majus Jus ex parte unius, tamen loquendo in materia juris, in qua Judex libertatem habet in decernendo, attendita altera rationum probabilitate, licèt minori, potest prudenter juxta suum judicium judicare: Ergo &c. Probatur antecedens, quia alterius partis lex, & statutorum interpretatio non est improbabilis, sed probabilis; Ergo Judex juxta hanc legem, & interpretationem potest prudenter judicare; Ergo &c.

Respondetur negando assumptum cum antecedenti probationis. Quamvis ergo lex, & statutorum interpretatio pro altera parte minus probabili non reddat opinionem hanc absolute improbabilem, quia saltem minus probabilis est speculativè talis, in comparatione

ad probabiliorem tamen non est practicè probabilis. Unde ad argumentum principale dico, iudicium illud Iudicis, in decernendo, juxta minùs probabilem in concursu probabilioris, esse imprudens, tam in materia Juris, quàm facti. Quod sic ostenditur; nam ex prudenti iudicio ex parte facti debet sequi prudens iudicium ex parte juris; & ex probabiliiori opinione ex parte facti debet sequi probabiliior opinio ex parte juris. Quare si Titio magis favet lex, & statutorum interpretatio possessionis vineæ propter aliquem iustum titulum, quàm faveat Cajus; majus Jus ratione facti habet Titius, quàm Cajus ad vineam illam: & quia Juxta in decedenda lite inter eos, servare debet justitiam distributivam, iccirco in materia Juris decidere debet pro eo, cui magis favet lex, & statutorum interpretatio; & aliter faciendo, injustè, & imprudenter ageret. Quapropter concludimus, quòd tam in materia facti, quàm Juris, tenetur Juxta decernere juxta opinionem magis probabilem.

184 Obijcies secundò: si Juxta teneretur sequi opinionem magis probabilem, sequeretur, quòd opinio minùs probabilis non esset vera, sed falsa; sed hoc non est dicendum, aliàs non esset probabilis, sed improbabilis: Ergo non tenetur Juxta sequi opinionem magis probabilem, sed potest, si vult, sequi opinionem minùs probabilem. Probatur sequela; nam in tantum teneretur sequi probabiliorem, quia hæc opinio esset vera: Ergo ideo non possit licitè sequi minùs probabilem, quia esset falsa: Ergo &c. Probatur consequentia; nam ex duabus opinionibus probabilibus, si illa, quæ sequenda est, est vera; altera, quæ non est sequenda, debet esse falsa: Ergo quoties sequenda est probabiliior, relicta minùs probabili, & probabiliior est vera, tunc minùs probabilis est falsa.

Respondetur negando sequelam majoris, cum supposito. Supponit nanque argumentum, opinionem probabilem includere intrinsecè veritatem, & ex natura rei (quod est contra probabilitatis conceptum); nam eo ipso, quòd aliquod est tantum probabile, non est intrinsecè, & ex natura rei verum, sed tantum apparenter verum; cum opinioni probabili possit subesse falsum. Quare ex eo, quod ex duabus opinionibus una sit magis probabilis altera, tantum sequitur, quòd illa, quæ est magis probabilis, utpotè nixa majori fundamento, magis opponatur improbabilitati, quàm altera, non verò falsitati. Neque ex magis apparenti veritate unius sequitur absoluta falsitas alterius; sed tantum sequitur minor veritatis apparentia, quàm sit apparentia veritatis alterius. Est etiam falsum, quòd Juxta teneretur sequi probabiliorem, quia est vera absolute, & ab intrinsecò, sed solum quia propter urgentiores rationes, & auctoritates apparet magis vera, quàm alia; & per hoc non sequitur, quòd altera minùs probabilis sit falsa.

185 Ex his infero, Juxta non posse licitè sequi opinionem minùs probabilem in concursu probabilioris, & tutioris opinionis. Primò, quia cum sit Justitiæ minister, debet servare æqualitatem Justitiæ distributiæ, quæ servari non potest, dum Jus majus alterius lædatur: undè si pro suo arbitrio Juxta decerneret, juxta opinionem minùs probabilem, jam jus alterius partis, pro qua majus Jus staret, læderetur, & damnum ei inferretur. Secundò, quia in iudicando debet formare iudicium prudens de reitudine justitiæ exercendæ circa valorem, & substantiam actus iudicati; & quia hoc iudicium censendum est prudens, quando cognoscit, has rationes, & auctoritates esse validiores; iccirco juxta probabiliiores iudicare tenetur.

186 Hæc materia probabilitatum, tum inter antiquos, tum modernos Doctores est posita in tanta controversia, ut vix in iis, quæ ad conscientiam spectant, sequi possit opinio minùs probabilis in concursu probabilioris; præsertim quando cognoscuntur ex utraque parte rationes, & in probabiliiori apparet majus fundamentum, ratio, & auctoritas. Non est licitum sequi minùs probabilem opinionem, quando ex illa jus alterius læditur, & alteri fit iniuria, & præiudicium; & hoc est circa valorem, & substantiam actus: ut esset de Juce, de Medico, de Ministro Sacramentorum, de Advocato, & de Rege inferente bellum. Isti nanque si cognoscant duas esse probabiles opiniones, quarum una sit probabiliior, sequi debent probabiliorem, & tutiorem, ne illicitè, & imprudenter agant, & reddant actum invalidum. In aliis autem casibus, ubi tantum adsit honestas, & turpitudine actus, absque alterius præiudicio, volunt aliqui Doctores, posse sequi minùs probabilem, relicta probabiliiori: ut sunt sequentes casus: Jurare in re levi, esse veniale peccatum: Non esse necessariò confitendam circumstantiam de peccato, ut commissio in die festi: Non necessariò statim esse confitendum de peccatis: Accipere ultra fortem ex mutuo, ratione lucri cessantis; In extrema necessitate surripientem alienam, dum pervenit ad pinguiorem fortunam, non teneri ad restitutionem; Condemnare innocentem per privatam scientiam, probatum tamen innocentem, & criminofum per allegata, & probata: & alij casus similes. Volunt isti Doctores, in his casibus posse licitè has opiniones sequi, quia probabiles sunt, quamvis oppositæ sint magis probabiles; quia majori nituntur fundamento, & Doctorem auctoritate. Quidquid tamen sit de hoc, in illis casibus, in quibus cognoscuntur probabiles rationes pro utraque parte, an hoc scilicet sit peccatum, vel non; an hoc sit licitè faciendum, vel non &c.: ubi actio est à persona publica, semper standum est opinioni magis probabili; sicut etiam ubi Doctor consilium alteri dat ad



ad aliquid faciendum, ut magis auferat scrupulosam conscientiam ab eo, qui consilium petit: in aliis autem casibus, ubi actio est à persona privata, & non læditur lex, nec Deus legislator, cum hæc privata persona sibi soli prudenter providere debeat, ad vitandam occasionem peccandi, potest sequi minus probabilem opinionem: sed hoc non semper est expediens, dicente Apostolo 1. Cor. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*; præsertim quia, ubi persona aliqua pro tuta sua conscientia operatur, attendere debet, quòd illud debet amplecti, quod est magis rationi, & authoritati Doctorum consonum; ut omnem formidinem, & dubietatem reiiciat. Mihi tamen magis tutum, & expediens videtur, in omni casu morali, & practico, illam opinionem esse sequendam tutiùs, quæ cognoscitur inter ceteras probabilior, sive sit circa substantiam, & valorem actus, sive tantum circa actus honestatem.

187 Ex hac doctrina magis conscientie consona, sequendi scilicet opinionem magis probabilem, propono aliam propositionem damnatam ab eodem Inn. XI. ex num. 3. ubi dicit: *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quamvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeat, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus*. Ex rationibus propositis pro explananda falsitate secundæ propositionis ab eodem Pontifice damnatæ, satis constat, imprudenter agere eum, qui operatur, juxta opinionem minus probabilem, relicta probabiliori; quia tunc relinqueret maiores, & urgentiores rationes, & authoritates, & sese determinaret ad sequendas minoris valoris rationes, & sapientum authoritates; (quamquam hoc sit dictum de Judice in discernendo, non in omni materia.) Nunc videndum est, quomodo sit intelligenda hæc damnata propositio. Et suppono, sensum hujus propositionis, nedum esse de persona publicum officium exercente, verum etiam de persona privata; & non in aliquibus tantum casibus, sed in omnibus; ut exprimitur per *ly Generatim*. Et insuper suppono, aliud esse, opinionem esse probabiliter probabilem, & aliud esse, opinionem esse tenuiter probabilem. Tunc est tenuiter probabilis, quando estò habeat probabilitatem apparentem, tamen sapientes de ejus probabilitate dubitant: unde illa tenuitas diminuit probabilitatem; quare illa opinio, quæ est tenuiter probabilis, est dubie probabilis, ac includens formidinem ad probabilitatem. Tunc verò est probabiliter probabilis, quando nedum in se habet probabilitatem apparentem; sed etiam de ea opinione efformatur iudicium probabile, & prudens, quo tollitur omnis dubietas de illa opinione. His suppositis, est certissimum, quòd generaliter loquendo, imprudenter agimus, agendò juxta opinionem tenuiter probabilem: impru-

dens enim est, qui operatur, juxta sensum aliquorum, de cuius sensus probabilitate dubitatur: ut si sciret probabile esse, non esse peccatum defraudare gabellas, nec ad restitutionem teneri; si dubitando de probabilitate huius opinionis, hanc sequeretur, relicta opposita tutiori, tunc imprudenter ageret; quia vix ad probabilitatem deveniret talis opinio. Et iccirco propositio illa, ut scandalosa damnata fuit.

## QVÆSTIO VIGESIMAPRIMA.

*In qua varia dubia de Testibus resoluuntur.*

### QUÆRES PRIMO.

*An testis à Iudice competente interrogatus teneatur veritatem fateri sibi cognitam, & de crimine testari?*

188 **S**uppono, tanquam certum apud omnes Criminalistas, præsertim apud Julium Clarum, triplici modo posse certum, plenamque notitiam haberi de Reo, ut contra hunc Judex devenire possit ad diffinitivam pœnalem sententiam. Primus modus est, quando Judex coram duobus saltem testibus apprehendit Reum in fraganti crimine, homicidii V. G. furti, adulterii &c., & Reus carceribus mancipatur; qui si neget, ante finalem sententiam, debeat Judex contra illum procedere ad alia tormenta, ut Reus confiteatur. Secundus modus est libera, & spontanea Rei confessio, cum ejusdem confessionis ratificatione. Tertius tandem est probatio legitime habita per testes, qui nedum necessarij sunt ad delictum, & delinquentem probandum, sed etiam ad ipsum in iudicio convincendum. De hoc tertio modo procedit præsens dubitatio, & quæritur an testis reproductus coram Iudice competente, dum ab illo interrogatur, teneatur veritatem sibi cognitam fateri, vel possit licite illam occultare?

189 Ubi suppono ex iis, quæ in superioribus quæstionibus dicta sunt, quòd coram Iudice non habente potestatem interrogandi, non tenetur testis delictum secretum manifestare: potestas nanque juridica Iudicis non se extendit ad crimen privatum, quod uni tantum est notum, sed ad publicum, pluribus scilicet notum; quare fit, quòd quando testis certò sciat, crimen esse occultum, & nulli alteri manifestum, tunc non tenetur delictum publicare, & fateri, sed tenetur veritatem occultare; nam sicut Judex in tali casu non habet potestatem interrogandi de crimine occulto, sed tantum de publico ita (ut dictum est in superioribus quæstionibus, ad quas me remitto)

non

non tenetur respondere Judici interroganti, nisi ad mentem ipsius; unde quia supponit, Judicem de crimine, ut publico, interrogare, incircò respondendo, se nescire, vel aliis consimilibus verbis, non mentiretur testis, nec perjurium committeret, si juraret. Solùm igitur hic inquirimus, an teneatur testis veritatem fateri, tam quando crimen est publicum, quod probari potest, quàm quando criminofus est publicus. Et pro resolutione quæriti

*DICO*, quando crimen est publicum, quod probari potest, teneri testem, ad probationes faciendas coram Judice competente, veritatem fateri. Hæc est communissima apud omnes Doctores. Et

190 Probatur: subditus cogi potest à superiore ad testificandum, ut veritas in judicio habeatur; & tenetur suo superiori præcipienti, & interroganti, ex præcepto obedientiæ, veritatem fateri (si per legem superiorem non sit à tali præcepto exemptus); sed quando cogi potest, ut obediat, & ad interrogata respondeat, jam supponitur obligatio ex parte testis ad veritatem dicendam: Ergo tenetur testis coram Judice competente veritatem fateri (si aliunde non sit per legem superiorem exemptus). Minor patet, quia testis sit subditus Judicis auctoritatem habentis. Probatur major: si testis, ut subditus, cogi non posset ad veritatem in judicio dicendam, duo sequerentur absurda. Primum, quòd nemo, etiam in notabili damno Reipublicæ, posset induci ad accusandum criminofum de quocunque crimine; quia non posset illud probare per testes, utpotè non obligatos ad testificandum, ut supponitur. Secundum, quòd omnia crimina impunita essent; imò Judex injustè carceribus manciparet quandoque testes, ad veritatem criminis habendam, quod facere non posset Judex, si testes obligationem non habeant ad testificandum, nec cogi possent ad veritatem dicendam: Ergo ad hæc absurda vitanda, dicendum est, posse Judicem cogere testes ad veritatem dicendam, & hos teneri ad veritatem ipsam fatendam.

Confirmatur hoc: quoties testis veritatem publicam in judicio taceret, & accusator pœna talionis puniretur, ad tale damnum teneretur testis occultans veritatem, quam fateri debebat in judicio, quam ipse aliunde occultare non debebat: Ergo tenetur in judicio coram Judice veritatem fateri. Et quidem nedum ex præcepto obedientiæ, sed etiam ex virtute Justitiæ, qua quis obligatur ad non causandum alteri damnum; quod injustè eveniret accusatori propter occultationem criminis factam à Teste. Et quamvis sequatur etiam damnum alteri parti, scilicet Reo ex confessione testis, isti tamen sequitur damnum justè, propter patratum delictum; accusatori verò injustè, quia de vero, & publico crimine accusavit.

191 Dixi supra, si per legem superiorem testis non sit exemptus à testificando; quia si delictum alicui testi innotuerit per sigillum, vel Sacramentale, vel naturale, teneretur tunc, ratione divini Juris ex primo sigillo, & naturæ ex secundo, veritatem occultare (dummodò tamen occultatio non cedat in notabile detrimentum Reipublicæ, loquendo de naturali sigillo, sicut in superioribus quæstionibus dictum est). Vel si innotuerit per injuriam, etiam ab eo publicatam, ut per apertionem epistolarum &c. Ergo in his casibus, nequit testis veritatem dicere, & aperire, sed potest illam occultare, dicendo Judici interroganti eo modo, quo diximus de Reo: *si scirem id, de quo me interrogas, veritatem dicerem*. Ubi *ly scirem* sumi potest (hoc modo respondendo) per scientiam subjiciendam Judici, quæ est extra hos casus. Scientia nanque per sigillum, vel per injuriam subjici non potest Judici. Quare testis sic respondendo Judici interroganti, quando delictum ei per sigillum, vel per injuriam innotuerit, non mentiretur, sed verum diceret, nec perniciofa mentali restrictione uteretur, ut diximus, assignando rationes, propter quas damnatæ fuerunt tres illæ propositiones ab Inn. XI. in q. 2. hujus disp. num. 21. 22., & 23.

QUÆRES SECUNDO.

*An liceat Testi pro vero testimonio ferendo aliquid accipere, absque obligatione restitutionis?*

192 **N**on est fermo in præfenti de teste falso testimonium ferente, an scilicet pro eo posset testis aliquid ab una parte accipere. Nam dictum est in disp. 4. de rest. incommuni q. 7. acquisita ob turpem causam, post patratam turpitudinem, non esse restituenda, quamvis sint acquisita cum peccato; quia si ex pacto facto causa turpis evenit, jam contractus validus est, & sic res illa transit in dominium acquirentis. At antequam delictum sit patratum, indubitatum est apud omnes, nihil posse accipi ob turpem falsi testimonii causam; quia lucrum illud accipiendum, non solum esset ordinatum ad malum finem, sed etiam damnificaret alteram partem, contra quam falsum ferretur testimonium; & sic ex justitia teneretur, nedum pecuniam acceptam restituere, sed etiam ad omne damnum sequens resarciendum. Hæc opinio est ferè communis inter Doctores, quos citatos habetis in illa 7. q. 4. disp. Solùm igitur est fermo de vero testimonio ferendo; ubi suppono tanquam certum apud omnes Doctores, quòd quando testi vocato ad testificandum, occurrunt expensæ in itinere, vel ei cesset lucrum, aliquod pro illo tempore, pro quo deponere debet, potest aliquid ad compensationem accipere à parte, à qua productus est in judicio. Hoc tenetur in Jure cap. *si Testis*. q. 3. Sola igitur

igitur difficultas est, quando nulla expensa, lucrum cessans, vel damnum emergens occurrant ipsi testi pro tempore, pro quo detinetur ad testificandum; sed solum, quod accipiat pecuniam pro ipso vero testimonio ferendo. Et pro dubii resolutione

*DICO*, non teneri ad restitutionem, qui pecuniam recipit pro vero testimonio ferendo (dummodo illam non receperit ex pacto damnificandi alterum; nec ita, ut ex illa pecunia moveatur ad verum dicendum in iudicio, quod aliter faceret, si pecuniam non reciperet). Conclusio hæc est plurium Doctorum, Navarri, Bannes, Valentia, Soti, Bonacina, & aliorum, contra plures alios, præsertim contra Lessium, & de Lugo. At reconciliata ex illa limitatione, mihi videtur, nullam in re posse esse controversiam inter Doctores.

193 Probatur: nemo tenetur ad restitutionem, nisi sit violata iustitia; sed quando quis pro ferendo vero testimonio coram Iudice competente, ad quod ferendum obligatur ex obedientia, & iustitia, & quidem gratis, non violatur iustitia: Ergo non tenetur ad restitutionem. Probatur minor: nequit violari iustitia, nisi vel ex prava actione operantis, vel ex pravo fine; ex quorum pravitate sequitur damnum alterius: ut patet de eo, qui accipit pecuniam pro occisione alterius, vel vineæ combustione; sed quando quis in testimonio ferendo accipit pecuniam, actio illa veritatem dicendi, non est prava; neque finis, ob quem movetur, scilicet, ut veritas pateat, est prava: Ergo &c. Et quidem quando absolute offeratur testi pecunia, ut veritatem in iudicio fateatur, & illam ipse recipiat absque inuito pacto damnificandi tertium, tunc nullam testis ipse obligationem habet restituendi. Si vero tale pactum adesset; quia pactum de damnificando deturpat nedum actionem, sed etiam finem, propter quem testis movetur ad testificandum, violaretur iustitia, & teneretur ad restitutionem. Quod si testis non moveretur ad testificandum, nisi ductus pecunia illa, tunc quia etiam iustitia aviditate violatur, & corrumpitur, igitur ad restitutionem acceptæ pecuniæ tenetur; nam qui ex iustitia tenetur aliquid facere, & non faceret, nisi aviditate motus; sicuti si non faceret, vel contrarium faceret, peccaret contra iustitiam; ita faciendo ductus pecunia, hanc acciperet contra iustitiam; sed acceptum contra iustitiam, obligat ad restitutionem: Ergo &c.

#### QUÆRES TERTIO.

*An testis citatus à Iudice ad testificandum, si non compareat, & aliquis iniuste lædatur ab Adversario, peccet, & quomodo?*

**I**N hac re duæ sunt opinioniones. Prima est Valentia, Lessii, Bonacina, Mastrii, Layman, de Lugo, Molina, & aliorum, qui dicunt, testem

in tali casu, quo se subtrahat à testimonio ferendo, & non compareat, dum est citatus, peccare contra obedientiam. Secunda vero est Navarri, Soti, Malderii, Sanchez, Azorii, & aliorum, dicentium, testem in tali casu peccare contra iustitiam. Unde pro dubii resolutione

*DICO*, testem citatum à Iudice ad testificandum, si non compareat, est aliquis iniuste lædatur ab adversario, non peccare contra iustitiam. Est iuxta primam opinionem. Et

194 Probatur: citatio neque ante intimationem factam testi, neque post factam intimationem habet vim obligandi ex iustitia, sed tantum ex præcepto obedientiæ: Ergo quando aliquis testis est citatus à Iudice, & non comparet ad testificandum, quamvis alter iniuste lædatur ab adversario, non peccat contra iustitiam, sed tantum contra obedientiam. Probatur antecedens: si citatio haberet vim obligandi ex iustitia, tunc qui est citatus, & non comparet, diceretur iniustus; sed hoc est falsum: Ergo &c. Maior est certa, quia obligatus ex iustitia ad aliquid faciendum, si non facit, iniustus censendus est. Probatur minor primò: non magis testis citatus talem ex iustitia obligationem haberet comparandi, quam Reus in fugam positus, aufugiendo præsertim pœnam capitalem; sed nemo tenetur ex iustitia (unde censeretur iniustus, non comparando) subire mortem, per citationem sibi intimatam: Ergo multò minus testis diceretur iniustus, non comparando citationi, ei intimatæ. Probatur secundò eadem minor: si Iudex per citationem intimaret Titio, ut suscipiat curam alicuius pupilli, & Titius recusaret, quamvis Titius diceretur contumax, non obediendo Iudicis mandato, non per hoc diceretur iniustus: Ergo neque testis censendus erit iniustus, non obediendo Iudicis citationi. Consequentia sequitur à pari; quia utrobique eodem prorsus modo habet vim obligandi citatio Iudicis; cum utrobique ex negatione obedientiæ sequatur læsio alterius partis: Ergo &c.

195 Dices primò: quando testis citatus non comparet, & alter ab adversario iniuste læditur, tunc testis ipse est causa moralis efficax damni, secuti parti læsæ: Ergo non comparando, si iniuste alter ab adversario læditur, peccat contra iustitiam, cum onere restituendi. Probatur antecedens: à vero testimonio ipsius testis dependet iudicium Iudicis in ferenda sententia: Ergo quoties ex defectu ipsius testimonii alter damnificatur, damnum recipit causatum moraliter ab ipso teste non comparente, dum est citatus: Ergo &c.

Respondetur primò pro Mastrio dicente, testem aliquo ex prædictis modis à testimonio tergiversantem, licet sit aliquo modo causa damni illati parti, eius testimonio indigentem, non tamen ad restitutionem teneri; nisi positi-

ve falsum testificatio, fuerit causa talis damni. Hæc responsio meo videri non est consona suæ opinioni affirmanti cum aliis Doctoribus, testem non comparentem, est altera pars lædatur iniuste ab adversario, non peccare contra iustitiam. Quare dum nunc respondet, non teneri testem ad restitutionem, posset adversarius inferre, quod sufficiat, ut peccet contra iustitiam non obligantem ad restitutionem. Et insuper dum dicit, quod sit aliquo modo causa damni illati parti, eius testimonio indigenti, posset etiam adversarius inferre, quod pro illo modo, quo esset causa damni, peccaret contra iustitiam, & teneretur ad restitutionem. Unde

Respondetur melius per nos, negando antecedens, & consequentiam probationis. Testis ille, sicuti nullo iustitiæ præcepto obligari potest ad comparendum in iudicio, & testificandum, ita non comparendo nemini ex iustitia præiudicat; sed tantum obedientiæ Iudicis præiudicat. Et quamvis sequatur damnum parti læsæ indigenti testimonio illius testis, tale damnum, nec physicè, nec moraliter causatum fuit à Teste non comparente, sed efficaciter causatum fuit à parte contraria. Neque dicas, quod non evenisset tale damnum, si ipse testis comparuisset, ac testificatus esset: Ergo quia non comparuit, & testimonium non tulit, secutum est, causa ipsius, illud damnum. Non inquam, dicas. Nam aliud est, quod damnum est secutum, quia testis noluit testificari; & aliud est, quod damnum fit secutum, quia nolens testificari causavit damnum. Si damnum est secutum, quia testis noluit testificari, jam non fuit causa damni; cum non tenebatur ex iustitia ad testificandum; aliàs etiam testes non citati, qui sciunt partem adversam molestare iniuste Titium, tenerentur ex iustitia se conducere in iudicium ad spontè testificandum pro Titio, quem cognoscunt iniuste damnum pati: quod non conceditur à Doctoribus: si verò damnum est secutum, quia nolens testificari causavit damnum, hoc est falsum; quia sicuti nemo tenetur mandato Iudicis obedire ex iustitia, sed solum ex obedientiâ; ita si nõ obediendo sequitur aliquod damnum, tale damnum causare non diceretur: præsertim, quia munus suum non est, damnum illud impedire; neque ex officio, neque ex iustitia.

196 Dices secundò: si Iudex citet aliquem ad deferendam in Iudicio scripturam ad causam aliquam pertinentem, & citatus illam occultet, vel laceret, tunc hic teneretur parti ad restitutionem: Ergo similiter dicendum est de teste citato ad testificandum, ex defectu cuius testimonii, alteri sequitur damnum. Probatur consequentia; quia utrobique pars altera est læsa, tam ex scripturæ occultatione, vel laceratione, quam ex occultatione testimonii: Ergo &c.

Responderetur negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia scriptura est res externa, ratione cuius Iudex aliquid decernendo per ipsam, dat jus litiganti super illa bona: quare si à lacerante, & occultante impediretur tale ius (saltem quò ad usum rei, ut dicit de Lugo), tunc impediens peccat contra iustitiam; & si damnum sequitur ex illa laceratione, & occultatione, tenetur lacerans, & occultans ad restitutionem. At prolatio testimonii est actio personalis, ad quam actionem exhibendam Iudex non potest obligare ex iustitia, sed solum ex obedientia.

QUÆRES QUARTO.

*An testes singulares faciant plenam fidem?*

197 **H**oc dubium explicando, resolvam. Advertendum itaque est, eum esse testem singularem (ut notat Faber d. 15. de pœnit. disp. 54. cap. 7.) qui solus est in deponendo, nec quò ad locum, nec quò ad tempus, & alias circumstantias requisitas in veritate facti, de quo Iudex inquit, habet contestem, & concordem. Contestes verò sunt illi, qui in omnibus requisitis ad habendam facti veritatem concordant. His notatis, tanquam certum, & indubitatum est apud omnes, quòd quando unus testis singularis in iudicio affirmet, & duo, vel tres, etiam singulares negent, tunc ille unus testis singularis non facit plenam fidem, quavis sit omni exceptione maior. Ratio est, quia in iudicio standum est dicto plurium magis, quam unius; nam in ore duorum, vel trium stat omne verbum. Quando verò est unus testis singularis pro actore, & alter etiam singularis pro Reo, nullo altero interveniente conteste; tunc Iudex neutri fidem præstare debet. Ratio est, quia Iudex, si uni crederet, & alteri non, tunc ei, cui non crederet, injuriam faceret, quasi dixisset mendacium in iudicio. Si tandem testis est etiam contestis, & omni exceptione maior, licet non faciat plenam omninò probationem, habet tamen Iudex iustum motuum interrogandi Reum, ipsumque ad torturam sentiendi (si delictum est grave); si verò delictum est leve, ad aliam pœnam ordinariam. Ratio desumitur, ex eo, quòd contestis hic supponat alium testem deponentem de omnibus iisdem circumstantiis, de quibus testis, & contestis deposuit; & sic veritas habetur facti in iudicio; etsi non ad finalem sententiam, saltem ad ordinariam, vel ad torturam, si delictum est grave, & Reus non est confessus. Hanc doctrinam desumpsit Faber citatus à Julio Claro, & communissima est inter omnes Jurisperitos. De hac materia plura videntur apud Jurisperitos ipsos, quæ ad moralem theologiam non spectant.

QVÆSTIO VIGESIMASEGVN-  
DA, ET VLTIMA.

*In qua varia dubia resolvuntur de  
Advocato, & aliis Officialibus  
concurrentibus ad iudicium  
formandum.*

QUÆRES PRIMO.

*An Advocatus peccet contra iustitiam, exercendo  
officium, circa quod est imperitus?*

198 **A**D rectum, iustumque iudicium for-  
mandum, antequam ad finalem sen-  
tentiam ferendam deveniat Iudex  
contra Reum, tum in criminalibus, tum in  
civilibus causis, assignandus est Advocatus  
ipsi Reo, qui ejus faciat defensiones, causam-  
que patrocinetur; aliàs si ad sententiam Ju-  
dex procederet contra Reum, ei non assignan-  
do terminum ad tales defensiones, injustus es-  
set, & si est Iudex inferior à suo superiore pu-  
niri deberet, quia contra ordinem juris pro-  
cessit in ferenda sententia. Unde fit, ut no-  
tant omnes Juristæ, & Doctores, Advocatum  
debere esse in hoc officio peritum, ut causam  
sui Clientis defendat, & ne propter ejus im-  
peritiam, Clientis causam suã justam amittat.

Suppono, quæsitum non procedere de Ad-  
vocato perito, si teneatur de culpa levi, quan-  
do in exercitio sui muneris non est diligentis-  
simus, & prudentissimus; nam quando peri-  
tus est, & adhibet sufficientem diligentiam,  
ad causam sui Clientis defendendam, quan-  
tam præstare tenetur, putans bona fide, ma-  
jorem adhibere non debere; tunc si majorem  
non adhibet diligentiam, non peccat. Ratio  
hujus est, quia nemo in sui muneris exercitio  
tenetur esse prudentissimus, & diligentis-  
simus; quia diligentiam adhibere debet talem,  
qualis exigitur ab ipsa materia causæ, majori,  
vel minori; nec in omni causa est necesse,  
ut diligentissimus sit. Ex quo fit, quòd licet  
Advocatus perdat causam, non adhibendo  
omnem prorsus diligentiam ad illam tuen-  
dam, tantum de levi culpa imputatur, & non  
de gravi; imò, ut dicunt Bonacina, Maltrius,  
Azorius, Lessius, & alii, tunc Advocatus ad  
damni restitutionem non tenetur. Sola igitur  
difficultas restat de Advocato imperito in ta-  
li munere, Et pro dubii resolutione

*DICO, Advocatum imperitum in tali mu-  
nere exercendo, si illud exercent cum amissio-  
ne causæ, peccare contra iustitiam, & ad resti-  
tutionem damni Clienti teneri. Hæc est inter  
Doctores communissima, & deducitur ex L.  
Nemini ff. de Advocatis, Et*

199 Probatur: Advocatus imperitus, si ob ejus  
imperitiam Clientis amittit causam, suum Cli-  
entem damnificat; & quidem sua culpa lata, &  
gravi; sed qui sua culpa lata, & gravi alium  
damnificat, peccat contra iustitiam, & ad re-  
stitutionem tenetur: Ergo Advocatus imperi-  
tus, exercendo munus Advocati, si causam  
Clientis amittit, peccat contra iustitiam, & ad  
restitutionem tenetur. Probatur major: Advo-  
catus imperitus est certus de sua imperitia,  
ex qua probabiliter saltem sequitur amissio  
causæ, quam assumit tuendam pro suo Clie-  
nte: Ergo ex tali imperitia habetur amissio  
causæ: Ergo propter illam imperitiam damni-  
ficatur Clientis.

Eò vel maxime: vel Advocatus imperitus  
sumit mercedem pro causa tuenda, quæ amit-  
titur ob talem imperitiam; vel mercedem non  
sumit? Si primum: Ergo apertissime constat,  
ad illam restituendam teneri, ut injustus rei  
alienæ usurpator; & quia etiam alia dama-  
patitur Clientis ad illa resarcienda etiam tene-  
tur. Si verò mercedem non suscipit: Ergo sal-  
tem ad alia damna tenetur, quæ moraliter sal-  
tem ex culpa ejus gravi sunt secuta: Ergo &c.

QUÆRES SECUNDO.

*An Advocatus peccet contra iustitiam, tuendo cau-  
sam injustam?*

199 **A**Dvertendum est, causam, quæ assu-  
mitur tuenda in iudicio, vel dicen-  
dam esse certò, & evidenter justam;  
vel probabiliter tantum justam, quatenus ha-  
bet suas rationes, & autoritates pro ipsa fa-  
vorailes: vel tandem esse evidenter injustam,  
ut cum certò cognoscitur nullam inveniri  
posse rationem directam, & autoritatem pro  
ipsa favorailes. Quando causa est evidenter  
justa, potest, & debet Advocatus illam tueri;  
quia habet justum motivum faciendi actum,  
adducendi rationes, & doctrinas suo Clienti  
favorailes; in qua causa, ut evidenter justa, ita  
gerere se debet Advocatus, ut nullo dolo, &  
fraude utatur in damnum sui Clientis, sed il-  
lam cum omni fidelitate, & reſtitutione tueri  
tenetur. Quando verò est probabiliter tantum  
justa, tunc videre debet Advocatus, an causa  
pro altera parte contraria sit evidenter justa,  
vel etiam probabiliter tantum justa? Si est evi-  
denter justa, non potest tuta conscientia Advo-  
catus assumere ad tuendam causam probabi-  
liter justam contra causam evidenter justam;  
cum sciat, causam posse amitti cum damno sui  
Clientis, sed suum Clientem admonere debet  
de evidenti causæ sui adversarii; qui Clientis  
sic admonitus, si velit Advocatum sumere in  
sua causæ patrocinium, tunc Advocatus de  
damno secuto ad restitutionem non tenetur;  
quia damnum sibi Clientis causavit. Si verò ex  
altera parte etiam est probabiliter justa, sed  
magis

magis probabilis, imò probabilior, tunc Advocatus nec etiam potest causam illam assumere defendendam, præsertim in causis civilibus; quia per cognitionem probabilioris causæ alterius partis certitudinem habere debet, quòd adversarius sui Clientis causam habeat pro se, & Clientis suam perdat; ex qua causæ amissione Clientis damnificaretur. Solùm excusatur à culpa, & restitutione Advocatus, quando hic admoneret Clientem, & sic admonitus vellet suæ causæ patrocinium. Quando ex altera parte est æquè probabilis, tunc licitè potest causam sumere, & si adhibita omni diligentia amittatur, non peccat tunc Advocatus.

Solùm inquirendum est de causa evidenter injusta, an licitè possit advocatus illam tueri? Ubi suppono, hanc causam injustam, vel esse Clienti notam, vel ignotam, antequam Advocatum assumat. Et insuper, an Advocatus admonuerit Clientem de injusta causa, vel non admonuerit? Quibus notatis pro resolutione

*DICO*, Advocatum semper contra justitiam peccare, quando assumit tuendam causam evidenter injustam; & ad restitutionem teneri damni secuti parti contrariæ, & Clienti; at excusatur à restitutione facienda Clienti, si hic sit admonitus de injustitia causæ; & insuper si certò sciebat causam fuisse injustam. Et

201. Probatur prima pars: Quoties Advocatus cognoscit causam esse evidenter injustam, & ipsam tuetur, est causa damni in expensis parti contrariæ, & suo Clienti; sed qui est causa alicujus damni, tenetur ad restitutionem: Ergo Advocatus, nedum contra justitiam peccat, assumendo defensionem causæ evidenter injustæ, sed etiam ad restitutionem damni secuti parti contrariæ, & Clienti tenetur. Probatur major: dum Advocatus cognoscit causam evidenter injustam, habet etiam evidentiam, quòd causa ex justitia debetur parti contrariæ, & non suo Clienti; sed dum vult defendere causam contra evidentiam justitiæ, & ex tali defensione injusta sequitur damnum, tam parti contrariæ, quam Clienti, damnum illud causare videtur: Ergo &c.

202. Probatur nunc secunda pars: quando Advocatus admonet Clientem de injustitia causæ; vel etiam hic sciat causam esse injustam, tunc Clientis ipsimet causat damnum: Ergo quamvis Advocatus assumens defensionem illius causæ teneretur ad refarciendum damnum illatum parti contrariæ, non tamen teneretur Clienti. Probatur antecedens, quia Clientis tunc efficaciter vellet patrocinium injustæ causæ, ex quo damnum ei sequeretur: Ergo sibi ipsi damnum causaret.

QUÆRES TERTIO.

*An Advocatus aliquando teneatur gratis patrocinari causam pauperum?*

203. **P**resentis dubii solutio pendet ex eo, quod fusiùs pertractat Doctor noster in 2. dist. 30. quæst. un. de opere misericordiæ erga pauperes exercendo, quando scilicet isti verè pauperes sunt, & auxilio alterius indigerent, sive sint in carceribus positi, sive in quacunque alia necessitate, præsertim gravissima, & extrema, in quo statu per propria bona sublevari non possunt. Ubi suppono, quòd sicut multa opera misericordiæ non valent exerceri propter aliquam impossibilitatem: ut si indigens alterius ope, sic in partibus longinquis; tunc Advocatus manens hic non potest talem pauperem sublevare, & causam ipsius patrocinari: vel si indigètia alicujus esset occulta Advocato, quo modo non obligatur ad invenire indigentes: unde fit, quòd in his casibus ob impossibilitatem exercendæ misericordiæ, non tenetur Advocatus causam pauperum patrocinari. Solùm igitur sermo est quando casus est possibilis, & pauper ostendit Advocato suam indigentiam. Et pro resolutione

*DICO*, Advocatum quandoque teneri gratis patrocinari causam pauperum, quando isti aliunde sibi provideri non possunt. Conclusio est Scoti loc. cit. in 2. dist. 30. quæst. un., & est communissima.

204. Probatur: patrocinari causam pauperum est opus misericordiæ; sed ad opera misericordiæ unusquisque tenetur, sicut ad eleemosynam faciendam: Ergo quandoque Advocatus gratis tenetur causam pauperum patrocinari. Probatur minor ex Sacra Scriptura: 1. ex prima Epist. Joan. 3. num. 17. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?*

Secundò ex Apost. 1. ad Tim. 5. ubi habetur: *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Ex quibus Sacra Scriptura verbis constat, unumquènque ad opera misericordiæ teneri; Ergo &c.

205. Pro complemento hujus disputationis advertendum est, cum communi Doctorum assensu, Advocato quatuor præcipuas conditiones esse necessarias. Prima est peritia, ac conveniens diligentia, quam Advocatus exercere debet in causa patrocinanda; ita ut si esset imperitus, vel nullam convenientem adhiberet diligentiam in patrocinanda causa, & Clientis damnum pateretur per amissionem causæ, tunc Advocatus mortaliter contra justitiam peccaret, & ad restitutionem damni teneretur, ut dictum est supra. Secunda



conditio est iustitia in patrocinio exhibendo; ita ut si Advocatus certò sciat, causam, quam assumit defendendam, esse injustam, non debeat illam patrocinari; & si aliter faceret contra iustitiam peccaret, & teneretur ad restitutionem, ut dictum est supra.

Tertia conditio est, fidelitas Advocati in agenda causa; quapropter tenetur Advocatus ex fidelitate, secreta causæ non revelare parti contrariæ, ne hæc præmuniatur contra suum Clientem. Unde si ex tali secretorum manifestatione damnum Clientis pateretur, tunc Advocatus teneretur ad restitutionem: quia ob talem manifestationem esset moralis causa illius damni. Ratione ejusdem fidelitatis tenetur Advocatus causam quantocitiùs expedire, ne ob tarditatem suus Clientis causam amittat; & ad tale damnum, ob Advocati incuriã, ipse Advocatus teneretur. Insuper nequit, ratione ejusdem fidelitatis, utranque partem patrocinari, & quidem in eadem causa; quia semper suspectus esset alteri parti: in diversis verò causis potest esse utriusque personæ Advocatus. Ut si Titius duas causas haberet contra Cajum, tunc Sempronius Advocatus potest unam causam Titii patrocinari contra Cajum, & alteram Caii (licet non eandem, quam pro Titio patrocinatur) contra Titium: in quo casu Advocatus non potest fieri, uni, vel alteri personæ suspectus.

Quarta tandem conditio est, quòd Advocatus pro patrocinio causæ non nisi iustum pretium accipiat: & illud est iustum pretium, quod iudicio prudentum taxatum est. Ex qua conditione plura infero ferè communia apud Doctores. Primum, Advocatum posse licitè pretium, quò ad totum recipere à Cliente, etiam si hic post inceptam advocacionem vellet litem deserere. Ratio est, quia per Advocatum non stetit, litem terminare, & laborare. Quod patet à pari de eo, qui conduxit domum aliquam, & infra annum pro suo libito vellet domum deserere, ut Juristæ tenent ex *L. qui operas. ff. Locati*. Secundum, Advocatum non posse convenire cum Cliente de pretio post inchoatam causam, sed vel ante inchoationem, vel post terminum causæ. Ratio est, quia tunc Clientis dolosè cogeretur ad standum cuilibet pretio, ne ab Advocato prodatur, Hoc infer-

tur ex can. *Infames 3. q. 7.* Tertium tandem infero, Advocatum, qui annum salarii recipit à Cliente, si pro aliquo anno nullam causam pro suo Cliente defenderit, posse licitè salarii recipere. Ratio est, quia etsi non laboravit in actu exercito, habuit tamen obligationem in habitu, quæ obligatio habitualis est pretio æstimabilis, & sic pecunia compensanda, Ultraquamquòd contingit in aliquo anno, plures causas defendere, pro quibus majorem pecuniam mereretur, & tamen stat tantum pro taxato salario: Ex quo fit, quòd pro illo anno, in quo nullam defendit causam, & quidem non ex suo defectu, tunc licitè annum salarii recipere potest.

206 Advertendum est tandem, quantum spectat ad Notarium, qui Officialis est in ipso iudicio ferendo, ut officium hujus rectè, justèque administretur, omnes, & singulas intervenire debere conditiones, quæ ad Advocatum spectant: & ultra illas, etiam sequentes servare debet sub pœna peccati mortalis, quòd scilicet nec occultet, nec rumpat, nec dilaceret instrumentum necessarium parti, nec illud falsificet. Quòd non omittat, nec dolo, nec lata culpa necessarias solemnitates, ex quarum defectu remaneat nullum, & irritum instrumentum. Solemnitates autem istæ sunt, nomen Notarii, ejusque signum, Testes, annus, dies, mensis &c. Quòd non conficiat instrumentum in die festo propter avaritiam, cum commodè possit structuram ipsius in alium diem transferre. Quòd non addat clausulas obscuras, vel necessarias omittat, ratione quarum aliquis legatum amittat. Quòd scienter non conficiat instrumentum de usurario contractu, nec de quovis alio illicito, Quòd de omnibus elaboratis instrumentis habeat in sua Curia, vel domo registrum, seu protocolium. Aliter faciendo, peccat mortaliter; & si est causa, cur aliqua persona ex malitia, & dolo, aut fraude ab iplo Notario illatis, damnificetur, tenetur ipse Notarius ad restitutionem, Hæc sufficiant pro hujus disputationis complemento, ad laudem omnipotentis Dei, Beatæ Mariæ semper Virginis, sine labe conceptæ, ac omnium Sanctorum, qui in Cælis regnant. Amen.



# DISPUTATIO SEXTA

## De restitutione in bonis Fortunæ,

### QVÆSTIO PRIMA.

#### De Furti Restitutione

*An teneatur ad restitutionem, qui plura modica furta commiserit, deveniendo ad quantitatem notabilem?*



Ræfens materia, quæ specialem habet inquisitionem in disputatione de præceptis Decalogi, tangitur à Doctore nostro in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 3. qui distinguit furtum à rapina per hoc,

*Quod furtum sit acceptio, seu detentio injusta, & occulta rei aliena, invito Domino rationabiliter. Rapina verò est injusta occupatio rei aliena cum violentia. Unde fit, quod furtum, & rapina specie distinguantur, ratione violentiæ, quam rapina addit supra furtum: eo prorsus modo, quo raptus, vel defloratio Virginis malitiam moralem specie distinctam addunt supra simplicem fornicationem. Ratio autem hujusmodi specificæ distinctionis, est, quia fur per furtum injuriam facit tantum in bonis ei, cui rem furatur; per rapinam verò, nedum in bonis, sed etiam in persona injuriatur ille, cui infertur violentia. De hac specifica distinctione inter furtum, & rapinam nulla videtur inter principales Doctores controversia; cum omnes eam admittant inter furtum, & rapinam (Vulpio nostro excepto.)*

1 Solùm in præfenti examinandum occurrit, an qui plura modica furta commiserit, deveniendo ad quantitatem, teneatur ad restitutionem? Ubi suppono, modicum furtum illud esse, quod materiam sublatam dicit levem, includentem respectum ad personam non indigentem, cui res furto auferitur, attentis tamen pragmaticis, & constitutionibus locorum, & Provinciarum. Unde si res aliqua parvi momenti furto auferatur à Divite, ut unus carolenus V.G. tunc furtum hoc diceretur levis materia respectivè ad illam personam divitem; quod furtum si esset commissum in personam pauperem, quæ per rem illam debebat sustentari, & vivere, licet in genere diceretur leve, tamen respectivè ad personam

indigentem, esset grave, & mortale peccatum obligans ad restitutionem, propter damnum tali personæ indigenti illatum. Insuper tale furtum unius caroleni potest dici grave, si aliqua municipalis lex, aut constitutio Regni, vel Provinciæ esset, prohibens sub gravi pœna tale furtum unius caroleni: in hoc casu ex speciali prohibitione furtum illud non diceretur leve, sed grave. In hac, inquam, suppositione, juxta varias Doctorum opiniones, concludo, tria requiri ad faciendum, & declarandum furtum modicum, & leve. Primum, quod materia sublata sit levis. Secundum, quod res illa sit furto sublata personæ non indigenti. Tertium tandem, quod materia illa furto sublata non sit in illo loco, vel Regno specialiter prohibita. Una nanque ex his conditionibus deficiente, furtum, quod in genere est leve, fit grave. Ab opposito, verò furtum grave est illud, quod est de materia gravi, vel circa personam indigentem, vel speciali prohibitione prohibitum. Quare fit, quod quantitas materiæ furto sublata reddit furtum in genere grave; persona verò, cui res furto auferitur, quia est indigens, & prohibitio specialis locorum faciunt furtum grave, tantum ex circumstantia (dummodò non sit summa notabilis; quo modo furtum esset tunc tam in genere, quàm ex circumstantia grave.)

2 Suppono insuper, plura furta modica posse esse facta, vel pluribus personis, vel uni personæ successivè: ut si Titius nunc à Cajo, nunc à Sempronio, vel ab aliis personis rem valoris unius caroleni furetur, ita ut infra aliquod tempus ista plura modica furta deveniant ad notabilem quantitatem summæ totalis, Vel si Titius à solo Cajo successivè furetur plures carolenos, ita ut deveniatur ad aliquam quantitatem Cajo injuriosam. In primo casu quot sunt personæ, quibus res furto sublatae sunt,

tot

pot sunt injuriati à Titio fure, non obstante, quòd modica res sit furto sublata cuilibet personæ. In secundo casu tantùm Cajus est iniuriatus, à quo res furto sublata est. Tanquam certum etiam suppono apud omnes Doctores, quòd qui plura modica furta commiserit, animo, nedum conquirendi notabilem quantitatem, verùm etiam nocendi eis, quibus furatus est, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur, tum ratione prave intentionis, tum ratione damni alteri illati: & nedum illa pauca furta, si unam respiciat personam, verùm etiam si plures respiciat personas.

Sola igitur difficultas restringitur in eo, qui absque tali prava intentione furetur plura pauca, deveniendo ad summam totalem, notabilem, nedum relatè ad unam personam, verùm etiam ad plures personas. In qua re notanda est quædam damnata propositio ab Inn. XI. sub num. 38. scilicet: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Ex hac damnata propositione apparet, quàm certa sit opposita ejus, quæ ante tempus damnationis illius controvertebatur inter Doctores. Unde pro resolutione

*DICO*, eum, qui plura modica furta commiserit, sive ab una, sive à pluribus personis, deveniendo ad notabilem summam, peccat mortaliter; & ad restitutionem totius summæ teneri. Conclusio quòd ad primam partem nunc est certa; quia opposita propositio fuit damnata. Et ante damnationem oppositæ tenebatur à Lessio, Sanchez, de Lugo, Maffrio, Molina, Bonacina, Caspense, & aliis contra Navarsum, Medinam, Angelum, & ex nostris contra Poncium (loquendo de furtis, quæ sunt facta ex pluribus personis.) Quòd ad secundam verò partem tenetur à Medina, Corduba, & aliis, & existimatur probabilis à Maffrio contra citatos Doctores, & alios. Et colligitur ex Scoto loc. cit.

3 Probatur prima pars de pluribus modicis furtis factis uni tantùm personæ; & quidem ad hominem. In tantùm qui plura modica furta uni tantùm personæ facta, etiamsi deveniretur ad quantitatem, non peccaret mortaliter, nec teneretur ad restitutionem, in tantùm illa plura furta in se considerata sunt materia levis; sed hæc ratio non probat: Ergo dum fur per plura pauca furta devenit ad quantitatem, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Major est fundamentum oppositæ sententiæ. Probatur minor: estò illa plura furta, in se considerata, sint materia levis, tamen ut moraliter saltem conjuncta cum ultimo furto parvo, constituyente cum aliis materiam notabilis quantitatis, extrahuntur à levitate materiæ, & habent reddere totam ipsam materiam gravem: Ergo &c. Probatur assumptum antecedentis: omnia illa furta par-

va, ut conjuncta, moraliter saltem, cum ultimo furto faciente materiam gravem, & notabilem, habent reddere personam illam notabiliter damnificatam, & quidem ipsa invita, cui res illæ fuerunt furto sublata. Sed quando persona aliqua, ipsa invita, est sic damnificata, sive una, sive pluribus vicibus, jam tota materia furto sublata redditur gravis: Ergo illa modica furta, ut moraliter conjuncta cum ultimo furto habent reddere totam materiam gravem; sed ratione hujus gravitatis materiæ fur obligatus est ad restitutionem: Ergo &c.

4 Neque valet, si dicas, argumentum valere duntaxat, quando dominus rei est unica actione damnificatus, non verò quando damnificatus est pluribus actionibus; ut eveniret in casu per plura modica furta successive.

Non valet, inquam; quia pluralitas illarum actionum non habet variare substantiam materiæ gravis furto sublata; neque habet constituere dominum non damnificatum, ipso rationabiliter invito: Ergo sive damnum illud sequatur unica actione furandi, sive pluribus, semper fur peccat mortaliter, & est ad restitutionem damni obligatus. Probatur antecedens: si quis pluribus actionibus furandi Cajo surriperet decem aureos, ex quo furto Cajus damnificatur; tunc in ratione damni illati illæ plures actiones æquivalerent uni, si unica vice simul summa illa à Cajo surriperetur. Et insuper, sicut summa illa decem aureorum est materia gravis, si unica actione surriperetur, ita summa ipsa est materia gravis, si surripiatur pluribus actionibus: Ergo æquè Cajus diceretur, ipso invito, damnificatus unica actione, ac pluribus; nam illæ actiones respiciunt eandem materiam gravem, ex qua damnificatus est Cajus.

Deinde: illa pluralitas actionum furandi solùm faceret, quòd si non deveniretur ad notabilem quantitatem, neque dominus tunc diceretur damnificatus, neque furta illa modica facerent materiam gravem: Ergo quoties per plures actiones furta illa deveniunt ad quantitatem, & dominus est damnificatus, quoties fur peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem.

5 Probatur secundò de modicis furtis factis pluribus personis. Si per modica furta, deveniendo ad quantitatem, facta pluribus personis, fur nec peccaret, nec esset ad restitutionem obligatus, multa, quæ absurda sunt, licita forent; sed hoc non est dicendum: Ergo fur peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur ex modicis furtis factis pluribus personis, deveniendo ad quantitatem. Probatur sequela majoris. Primò, posset licitè fieri, ut exigatur gabella unius assis ab homine privato, ad hoc munus non posito à Republica, & quidem à transeuntibus per pontem; quæ gabella non est imposita; sed hoc nedum non est licitum, sed etiam damnatum in Bulla

Conæ

Cœnz domini : Ergo &c.

Secundò : posset quis pluribus vicibus licite furari summam notabilem tritici à communitate involuente pluralitatem personarū.

Tertiò: venditores vini, olei, casei &c. posset licite à quolibet emente surripere, ultra taxatum pretium, aliquam levem monetam; vel cuilibet ementi dare deficientem mensurā.

Quartò tandem : posset etiam venditor uti statera, in qua pro qualibet libra deficiat una uncia ; quòd est contra dictum Proverb, 11, *Statera dolosa abominatio est apud Deum*. Sed hæc omnia nedum illicita sunt, sed absurda: & ex adversariorum sententia sequerentur: Ergo &c.

Confirmatur hoc: ex his assignatis absurdis maxima infertur injuria, & damnum Reipublicæ, & communitati, tum ex damno Civibus illato, tum ex fraude eisdem facta, ac præstita; sed hujusmodi injuria, & damnum refarciri debent per restitutionem faciendam: Ergo quamvis illa modica furta sint perpetrata pluribus personis, deveniendo tamen ad quantitatem, fur tenetur ad restitutionem. Probatur major, quia Cives sunt membra Reipublicæ, & communitatis: Ergo &c.

6 Neque valet, si dicas, injuriam, & damnum evenire Reipublicæ, & communitati, quando fur modica illa furta usque ad quantitatem committeret, intendendo damnum illud, & injuriam; secus dicendum, quando fur nec damnum, nec injuriam intendit.

Non valet, inquam, Primò, quia non semper solus animus damnificandi, & injuriandi proximum obligat ad restitutionem; sed multoties ad illam obligat executio damni, & injuriæ: ut patet in eo, qui deflorat Virginem, vel adulterium committit ex solo motivo carnalis delectationis, absque animo damnificandi Virginem, vel adulteram, Et in eo, qui vineam Caji comburit, vel summam notabilem furatur ob sui commoditatem. In quibus casibus, estò non interveniat malus animus damnificandi, & injuriandi; quia re vera damnum est secutum, sic damnificans ad restitutionem tenetur: Ergo quamvis fur, qui modica furta commiserit pluribus personis, deveniendo ad quantitatem, non habeat animum illas personas, vel communitatem damnificandi; quia tamen re vera damnum est secutum, tenetur ad restitutionem.

Secundò: multoties intervenit pravius animus damnificandi, & injuriandi, & damnum non est secutum: ut patet in eo, qui habet animum occidendi, & non occidit; vel habet animum furandi, & non furatur; sed tunc estò ex pravo animo is peccet mortaliter, non tamen ad restitutionem tenetur; quia nullum infert damnum, nullamq; injuriam: Ergo estò in fure, qui plura modica furetur, deveniendo ad quantitatem, non sit pravius animus damnificandi; quia tamen damnum illud est se-

cutum, jam ad restitutionem tenetur.

7 Ubi adverto, quòd sicut minùs patiuntur damnum plures personæ per illa modica furta usque ad quantitatem, quàm una tantum persona, cui paulatim notabilis summa sit furto sublata; ita major obligatio est contracta cum una, quàm cum pluribus personis; & majus Jus est in una persona contra furem, quàm in pluribus. Sit fur, qui furetur decem aureos paulatim Cajo tantum. Et insuper sit fur, qui furetur decem, quinque personis: tunc Cajus habet Jus ad decem; & singulæ illæ personæ habent Jus respectivè ad summam ipsis sublata. Ubi apparet, quòd sola differentia sit inter furta commissa uni, & pluribus personis, quòd facta uni personæ ponat majorem obligationem, quàm furta facta pluribus personis; & hoc non relatè ad rem, quæ furto est sublata; cum supponatur eadem summa; sed solum relatè ad damnum, & injuriam præstitam magis uni, quàm pluribus personis.

8 Probatur nunc tertia pars, quòd scilicet fur teneatur restituere totam summam, quam surripuit per pauca furta. Id tenetur fur restituere, qui furatus est notabilem quantitatem per modica furta, quod constituit ipsum debitorem; & dominum, cui res sublata est, creditorem; sed tota quantitas, quæ paulatim sublata est, habet reddere furem debitorem, & dominum creditorem: Ergo totam illam quantitatem tenetur fur restituere, quando per modica furta devenit ad notabilem quantitatem. Major est certa, quia cum restitutio sit actus justitiæ commutativæ, debet supponere jus in uno, & debitum in altero. Probatur minor: si illa modica furta in se considerentur, & ut præcisa à notabili quantitate, sicut nõ essent materia peccati mortalis, ita neq; ponerent obligationem restitutionis: Ergo sicuti tota quantitas simul sumpta est materia gravis, ita hæc tota habet reddere furem debitorem, & dominum rei creditorem. Probatur consequentia: in tantum illa quantitas simpliciter constituit furem debitorem, & dominum creditorem, in quantum ipsi quantitati est adjunctum ultimum furtum, reddens summam illam materiam gravem; sed non est gravis materia illa quantitas ex solo ultimo furto; cum hoc in se consideratum etiam sit materia levis; sed est talis, ut coalescens ex omnibus illis furtis: Ergo tota illa quantitas habet constituere furem debitorem, & dominum creditorem: Ergo tota illa quantitas est restituenda.

9 Neque valet, si dicas, hoc valere, quando tota quantitas furti sit apud furem, ex qua quantitate fur dives factus sit; non verò valet, si solum ultimum furtum sit apud furem, & priora furta sint destructa, vel victu, vel vestitu, vel ludo, vel alio modo.

Non valet, inquam, Primò, quia si hæc responsio valeret, nedum fur non teneretur restituere totam quantitatem furto, sed neque

que teneretur restituere illud ultimum furtum commissum, quod apud se retineret: Ergo instantia nulla est. Probatum assumptum; quia illud ultimum furtum, quod manet apud furem, est, in se consideratum, materia levis, non obligans ad restitutionem: Ergo quamvis priora furtiva sint consumpta, & solum ultimum perseveret, jam fur neque pro hoc ultimo teneretur ad restitutionem (quod non conceditur a respondente ad probationem).

Secundò, quia prima furtiva, estò apud furem non perseverent physicè, tamen perseverant moraliter; sed ad obligationem restitutionis sufficit moralis perseverantia, consistens in debito, quod fur habet ad reddendum, quod alterius est, & in Jure, quod dominus habet contra furem: Ergo estò tantum physicè perseveret ultimum furtum, non per hoc sequitur, quòd hoc duntaxat sit restituendum, & non cetera antecedentia jam physicè consumpta. Probatum minor: quamvis fur furatus sit summam aliquam Cajo, V. G., & talem summam consumpserit, adhuc in fure remanet summa illa furto sublata moraliter; id est obligatio restituendi: Ergo à pari idem dicendum est in casu nostro, in quo jam summa totalis ponit obligationem restitutionis.

### *Solvuntur Objectiones.*

IO **O**bjicies primò contra primam partem. Omnia furtiva pauca seorsim sumpta non ponunt in fure obligationem restitutionis: Ergo neque simul sumpta, pro ut faciunt notabilem quantitatem. Antecedens est certum, quia quodlibet seorsim sumptum, & in se consideratum est materia levis. Probatum consequentia: quia plura peccata venialia seorsim sumpta, & in se considerata non faciunt materiam gravem, ideo si hæc omnia conjungantur, non integrant unam materiam gravem: Ergo etiam, quia illa furtiva parva seorsim sumpta non ascendunt ad materiam gravem obligantem ad restitutionem, neque ascendunt ad gravitatem obligantem ad restitutionem si conjungantur. Probatum consequentia; nam utrobique habetur sola multiplicatio materiæ levis, quæ estò unitivè faciat quantitatem, non tamen extrahit actus illos à levitate materiæ: Ergo &c.

Respondetur dist. antecedens: si omnia furtiva parva contineantur intra parvitatem, non deveniendo ad quantitatem, non ponunt in fure obligationem restitutionis, concedo antecedens: si non contineantur intra parvitatem, sed deveniant per ultimum furtum ad notabilem quantitatem (ut supponimus) nego antecedens, & consequentiam. Ad cujus probationem, dist. antecedens: quando peccata venialia sunt diversæ speciei, & ex illis nulla sequatur injuria alterius, non integrant unam

materiam gravem, concedo antecedens: si sunt peccata venialia ejusdem speciei, & ex illis sequatur injuria alterius, nego antecedens, & consequentiam. Dico igitur, quòd quando furtiva illa modica non deveniunt ad notabilem quantitatem, ratione cujus notabilis quantitatis per replicatos actus furandi, proximus notabile patitur damnum, tunc utique verum est, quòd simul sumpta non ponunt obligationem restitutionis: secus dicendum, quando deveniunt ad notabilem quantitatem, ratione cujus damnum alteri inferitur. Unde sive sumantur seorsim, sive copulativè, quando deveniunt ad notabilem quantitatem ipsorum, sicut faciunt materiam gravem, ita etiam ponunt obligationem restitutionis. Per hoc patet ad paritatem de peccatis venialibus: plura namque peccata venialia, nec seorsim, nec copulativè integrant unam materiam gravem peccati mortalis, quando ipsa sunt specie distincta inter se; & ex illis nullum sequitur damnum proximo; secus verò dicendum, quando sunt ejusdem speciei, & ex illis sequitur damnum, & quidem notabile proximo. Quod patet, quia quando sunt specie distincta contra diversas specie virtutes, non potest ex illis coalescere unum specie peccatum mortale; cum non appareat contra quam virtutem hoc mortale peccatum militaret. In casu nostro omnia illa modica furtiva tendunt contra eandem specie virtutem justitiæ; quibus multiplicatis ad notabilem quantitatem, constituunt unum specie mortale peccatum: & quia notabile damnum sequitur proximo, hujusmodi quantitas ponit obligationem restitutionis. Ultraquamquòd plura peccata venialia non opponuntur gratiæ: adeoque &c.

II **O**bjicies secundò, contra secundam partem. In tantum si fur per modica furtiva, deveniendo ad quantitatem, furatus esset pluribus personis, ad restitutionem teneretur, in tantum illæ personæ dicerentur damnificatæ; quòd damnum resarciri deberet à fure; sed per modica furtiva non essent damnificatæ: Ergo fur per illa plura modica furtiva facta pluribus personis, non tenetur ad restitutionem. Probatum minor: Si venditor uteretur statera, in qua pro qualibet libra deficeret una uncia, tunc vendendo caseum V. G. in una uncia læderet emptores; sed lædere emptores in una tantum uncia, non est illos damnificare, damno quidem obligante ad restitutionem: Ergo &c.

Respondetur transacta majori, negando minorem, & minorem probationis. In illo casu, quo venditor uteretur statera, in qua pro qualibet libra una deficeret uncia, propter læsionem, quam haberent emptores, essent damnificati, præsertim si emptores sint pauperes maximè indigentes tali uncia; quapropter damnum reciperent obligans damnificantem ad restitutionem. Vel etiam si nullum in seipsis emptores suscipereut damnum ex fraude il-

lius

llus uncia pro qualibet persona eunte , tamen damnum notabile eveniret communitati, & Reipublicæ, ortum ex illa fraude. Et per hoc dixi, transeat major ; quia estò notabile damnum non eveniret emptoribus ; tamen, quia illa modica furta multiplicata ad notabilem quantitatem majus præjudicium, & damnum afferunt communitati, & Reipublicæ, iccirco venditor ad restitutionem tenetur . Quod evidentissimè patet, quia si non teneretur ad restitutionem , posset licitè tunc venditor ex tali fraude ditescere , & diu vivere ex furto ; quod erroneum est asserere.

12. Obijcies tertio contra tertiam partem, probando non esse restituenda omnia furta modica , donec deveniatur ad notabilem quantitatem, sed tantum illam partem , quæ cum ceteris facit summam gravem . Illud est à fure restituendum quod est materia gravis in linea injustitiæ; Sed tantum illa ultima res surrepta, ceteris adiuncta furtis levibus, constituit materiam gravem in linea injustitiæ : Ergo tantum illa ultima res surrepta restituenda est à fure . Probatum minor : si illa ultima res surrepta demeretur à ceteris , non constitueret totum furtorum complexum in linea injustitiæ ; cum supponantur cetera furta ( dempto ultimo) non pervenire ad quantitatem in linea injustitiæ, nec obligationem ponere in fure ad restitutionem : Ergo tantum illud ultimum furtum constituit materiam gravem in linea injustitiæ; Sed quod constituit materiam gravem in linea injustitiæ , est quantum restituendum: Ergo &c.

Respondetur retorquendo argumentum ex ipsa majori propositione. Illud est à fure restituendum , quod est materia gravis in linea injustitiæ; sed omnia illa modica furta simul sumpta, ratione notabilis quantitatis, ac notabilis damni illati, faciunt materiam gravem in linea injustitiæ: Ergo omnia ea, quæ per illa modica furta sunt surrepta , restitui debent. Nunc in forma concessa majori, & minori, nego consequentiam . Quamvis illud ultimum furtum, ut ceteris adiunctum, faciat materiam gravem in linea injustitiæ , tamen consideratum in se ipso non minus est materia levis, sicut cetera seorsim sumpta . Et quia omnia illa copulativè sumpta, adveniente ultimo, faciunt materiam gravem, ideo omnia obligant ad restitutionem: nam sicut omnia illa faciunt peccatum mortale injustitiæ, propter injustam acceptionem, & retentionem, ita ratione talis injustitiæ , omnia ponant obligationem restitutionis. Ad probationem minoris ( si quis vellet illam propositionem negare , quæ tamen, ut sonat, concedenda est), dico: vel illud ultimum furtum demeretur per restitutionem, vel demeretur, ipsum non committendo . Si primum : Ergo etiam res surreptæ per cetera furta deberent restitui; quia sicut illud, quod fuit ultimum , in seipso inspectum , non erat

materia gravis, sed tantum , ut copulatum cum ceteris, materiam constituit gravem; ita cetera antecedentia furta , cum hoc primo conjuncta, faciunt materiam gravem obligantem furem ad restitutionem . Si dicatur secundum : Ergo sicut illa priora furta , non adveniente ultimo complete materiam gravem, remanent in eorum levitate , absque justitiæ præjudicio, & damno proximi; ita nullam ponent in fure obligationem restitutionis.

13. Ex his deduco, quod hæc doctrina in praxi amplexanda est ab omnibus Confessariis, ad deterrandos eos, qui ceteros paulatim defraudant, tum si sint publici venditores, tum si sint artifices, qui solent plura pauca furta committere, sub prætextu levitatis materiæ: immò paulatim surripiunt notabilem summam, sive uni, sive pluribus personis. Et hoc quidem facere debent Confessarii, ad removendos homines ab hoc iniquissimo vitio furandi: ut cum doctissimo Lessio, notant Mastrius, & Cardenas. Propter hujusmodi abusum, & inconvenientiam Sanctissima mens Innocentii XI, mota fuit ad damnandam supradictam propositionem in num. 38.

14. *PETES PRIMO*. An si hujusmodi modica furta usque ad notabilem quantitatem fuerint commissa à familiaribus Domini, scilicet Uxore, filiis &c. eodem modo isti ad restitutionem teneantur?

Ante dubii resolutionem suppono ex illa damnata propositione, nemini licere per modica furta aliena surripere, præsertim deveniendo ad quantitatem talem, quæ taxata per prudentem judicium humanum, ponat in fure obligationem restitutionis. Et ex hoc quod nemini liceat aliena surripere, deducimus, quo ad omnia illa bona, quæ manent sub dominio Titii V.G. Patris familias, posse tantum Titium de illis disponere, & nullatenus Uxorem, vel filios ejus. Quare

Respondetur ad quæsitum, dicendo, Uxorem, & filios teneri ad restitutionem illorum bonorum, quæ paulatim surripiunt à Patre, familias, deveniendo ad notabilem quantitatem . Hæc autem notabilis quantitas debet esse majoris excessus, ac si surrepta fuerit à fure extraneo. Ratio primæ partis est; quia cum bona Patris familias cadant sub ejus potestate, quoties ab Uxore, vel filiis sunt surrepta, ipso rationabiliter invito, surrepta sunt ; Sed quoties fur ( quicumque sit ) rem alienam surripit, invito rationabiliter domino, tenetur ad restitutionem : Ergo sive per plura modica furta, deveniendo ad quantitatem notabilem, sive per unum, Uxor, vel filii furentur bona Patris familias, ad restitutionem tenentur. Ratio verò secundæ partis est, quia non eodem modo Pater familias censendus est rationabiliter invitus respectu Uxoris, & filiorum, ac respectu extraneorum: Ergo ut sit rationabiliter invitus respectu Uxoris, & filiorum, debet esse

N n

esse



esse sublata summa talis, qualem ipse rationabiliter vellet apud se retinere, & eam ab Uxore, & filiis non surripere; sed hæc summa semper debet esse major, quam illa sublata à fure extraneo: Ergo &c. Probatur hæc minor; quia ob amorem, quem habet maritus erga Uxorem, & Pater erga filium, iudicatur Pater in filio, & maritus in Uxore tolerare rem illam, ut non notabilem ab ipsis sublatam, quæ rem non tolerant in extraneo: Ergo ut furtum obliget Uxorem, & filios ad restitutionem, debet esse majoris summæ, quam si surripiatur ab extraneo.

- 15 Quanta verò debeat esse huiusmodi quantitas ad obligandam Uxorem, vel filios ad restitutionem, Doctores in hoc varia dicunt. Ex quorum varietate in hoc duntaxat conveniunt, quòd attendenda sit qualitas personæ magis, vel minus indigentis: unde si Mulier à marito habente in bonis suis decem millia, paulatim surripiat decem aureos (vel etiam si id faciat filius); tunc hæc summa denaria non erit censenda notabilis quantitas obligans Uxorem, vel filios ad restitutionem; præsertim quia, ut dixi, respondendo ad quæsitum, in tali summa circa Uxorem, & filios, non diceretur Paterfamilias rationabiliter invitus. Multò magis quia propter amorem erga Uxorem, & filios, quidam solent paulatim hanc, & majorem summam ipsis liberè donare. Si verò paulatim Mulier, aut filii surripiant à Patrefamilias eandem summam denariam, qui tamen non habeat in bonis suis, nisi summam centenariam, aut minorem centenaria summa, tunc notabilis quantitas censenda erit illa summa denaria. Quia in hac materia de filiis, & uxore solent occurrere casus paulatim surripiendi bona Patrisfamilias, sub prætextu, quòd in morte Patris succedent ad hæreditatem, & quòd ante mortem Patris, sint quasi condomini bonorum Patris; & uxor sub prætextu quòd in bonis mariti sint etiam ejus dotes; iccirco advertere debent confessarii, ut has falsas opiniones, tam ab uxore, quam à filiis removeant: cum Pater de bonis suis sit absolutus dominus, & de dotibus sit usufructuarius, de quibus bonis, & fructu ipse solus potest ad suum beneplacitum disponere, dum vivit.

- 16 *PETES SECUNDO*. An plures successive furantes parvam quantitatem eidem domino, quæ parvæ quantitates reddunt dominum notabiliter damnificatum, teneantur ad restitutionem?

Dubium hoc non procedit de iis, qui unico consilio, & communi consensu alium damnificant simul ad damnum cooperando: ut si plures de communi consensu ingrediantur vineam Caii, & unusquisque accipiat pro se ipso racemum uvæ; qui racemi simul sumpti, & multis comedentibus, damnum inferunt domino vineæ. De his parvis furtis non procedit dubium; cum certissimum sit apud om-

nes Doctores, ut dictum est in 4. disp. num. 15. & 36. omnes simul teneri ad restitutionem, damni illati: vel si unus tantum restitutionem faciat, ceteri remanent obligati pro rata ad hunc restituentem (ut diximus de mente Doctoris nostri). Solùm igitur est difficultas de iis, qui modicum damnum intulerunt, seorsim sumpti, absque ullo consilio inter eos invito, vel consensu præstito; ita ut omnes damnum notabile intulerint, unus independentè ab alio.

Pro hac re suppono, casum posse dupliciter considerari, uno modo, quòd fur, qui hodie parvam quantitatem furatus sit, sciat, alios fures furatos esse alias parvas quantitates. Alio modo, quòd fur, qui nunc furatus est parvam quantitatem, nesciat, an alii fures furati sint alias parvas quantitates. Si casus accipiatur primo modo, tunc quia unus, habita scientia de aliis damnis, licet etiam parvis, illatis domino rei, diceretur scienter volens damnum illud; idè ad restitutionem suæ partis teneretur, quamvis ex se levis: nam ut conjuncta cum aliis est gravis. Si verò casus accipiatur secundo modo, tunc ignorantia ipsa de damno illato ab aliis, excusat hunc à restitutione facienda; quia semper probabiliter existimat, materiam illam levem nullum intulisse damnum domino rei; ac per consequens non obligare furem ad restitutionem.

## QVÆSTIO SECUNDA:

*An tam in extrema, quam in gravi necessitate sit licitum aliena surripere?*

- 17 **S**upponendum est, tanquam certum apud omnes Doctores, non idè prorsus esse aliena surripere, ac furari: furtum nanque supra surreptionem ponit specialem malitiam ortam à substantia rei furto sublata, & quidem invito rationabiliter domino: surreptio autem non ponit semper hanc specialem malitiam, sed quandoque est tantum circa usum rei: ut si quis vellet iter facere Salernum versus, & acciperet Equum Caii ad commodè iter faciendum, invito Cajo, animo tantum utendi equo illo, tunc iste talis non diceretur fur, sed surreptor rei alienæ quantum ad usum, licet ad damnum resarciendum teneretur, si tale damnum eveniret. Et quandoque etiam est circa substantiam rei, sed non invito rationabiliter domino: ut si filius à parente parvam quantitatem surriperet; tunc quia non diceretur Pater rationabiliter invitus, filius non esset censendus fur, sed surreptor illius rei. Vel si quis in extrema positus necessitate pro sui sustentatione aliquid à Cajo

Cajo auferat; tunc iste talis non esset dicendus fur, sed surreptor; quia tunc Cajus non esset rationabiliter invidus, præsertim quia surripens uteretur jure suo, quod est Jus poli ( ut dicit Scotus ) seu naturale; quo omnia sunt communia.

18 His suppositis, adduco hic exponendam quandam damnatam propositionem ab Inn. XI. ex num. 36. Ubi habentur hæc verba: *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Hæc propositio duas continet partes: unam, quæ asserit, permissum esse furtum in extrema necessitate; & aliam, quæ asserit, esse quoque permissum furtum in gravi necessitate. Ubi noto, necessitatem extremam esse illam, ratione cujus non habet homo, unde simpliciter possit vivere, suamque familiam sustentare; ita ut ei deficiat victus quotidianus. Necessitas verò gravis est illa, ratione cujus homo habeat, ut simpliciter vivat, suamque sustentet familiam, sed non habet, ut commodè vivat in suo honorifico statu: ut si nobilis persona haberet tantum, quantum sufficit ad vivendum, suamque sustentandam familiam, sed non haberet tantum, quantum ei sit necessarium ad honorificè vivendum. Hac habita notitia, suppono, quòd furtum, ut tale, cum sit detentio rei alienæ, invito rationabiliter domino, est lege divina prohibitum in præcepto illo Decalogi, *Non furaberis.* Quapropter in nullo casu licitum est furtum; & à labe peccati contra tale præceptum nemo excusari poterit in specie furandi, nedum in gravi, sed etiam in extrema necessitate, ( ut benè, & doctissimè notat Pater Cardenas in crisis Theologicis, sapientissimas assignans rationes ex D. Thoma desumptas. ) Per hæc dicta patet, propositionem fuisse damnatam, quia authores illius admittebant, licitum esse furtum in aliquo casu, tum extremæ, tum gravis necessitatis: quod est omninò dissonum, & contra assignatum Decalogi præceptum. Quare si illa propositio admittit furtum quandoque, & in illis necessitatibus esse licitum, jam quoad utranque partem subjacet damnationi.

19 Sub aliis verò terminis omninò à furto distinctis, videndum est in præsentia, an scilicet licitum sit, tam in extrema, quàm in gravi necessitate aliena surripere? Et suppono ly *aliena*, non esse accipienda in rigoroso sensu, pro ut ille, cui res sublata sit, plenum Jus, & particulare habeat circa illa, ita ut nullo alio jure fieri possint alterius: sed accipienda sunt in lata acceptione, quatenus detinentur, & justè possidentur, sed aliquo Jure communi fieri possunt alterius. His notatis, & suppositis, pro quæstionis resolutione

DICO, licitum esse aliena surripere in extrema necessitate; non verò in gravi necessitate. Conclusio hæc quò ad primam partem est communis inter Doctores: quò ad secundam ve-

rò est ferè etiam communis contra Lessium, Caspensem, Vasquez, Stephanum à S. Gregorio, & alios: & quò ad utranque partem est Scoti in 4. cit. *S. ad quintum*, cum quo omnes Scotistæ.

20 Probatur prima pars: qui aliena surripit in extrema necessitate, accipit de alieno, tãquam de communi; sed jure naturæ, qui accipit de alieno, tanquam de communi, licitè accipit. Ergo qui aliena surripit in extrema necessitate, licitè surripit: Ergo &c. Probatur major: Jure naturæ quisque tenetur ad suam vitam servandam, seipsum, & suam familiam sustentandam: eodemque Jure omnia sunt communia pro vita servanda, & sustentanda; sed hoc Jure nemo teneretur ad vitam servandam, & sustentandam, neque pro eadem vita servanda, & sustentanda omnia forent communia, si aliena surripens in extrema necessitate, non acciperet de alieno, tanquam de communi: Ergo qui aliena surripit in extrema necessitate, accipit de alieno, tanquam de communi. Major quò ad primam partem est indubitata apud omnes: quò ad secundam verò partem, probatur; quia dominium rerum, earumque divisio, qua hoc dicitur meum, illud tuum, introducta sunt Jure gentium ad lites, jurgiaque removenda; sed jus gentium nequit juri naturæ præjudicare, præsertim in iis, quæ inserviunt ad vitam servandam, & sustentandam: Ergo tali jure naturæ omnia debent dici communia pro vita servanda, & sustentanda.

Ed vel maximè, quia in *extra de verb. signif. Exiit, qui seminat*, & nunc est in 6. decret. hæc sententia jure positivo est sancita. Unde Doctor noster in loco cit. supra hunc textum ait: *Ad aliud, scilicet ad quintum, aut detinens est in extrema necessitate, scilicet surripens, & ille, cujus res est, non; sed habet aliquid citra extremam necessitatem; & tunc dicendum, quòd ista res fit hujus detinentis jure proli, scilicet naturæ, quo in extrema necessitatis articulo, ad providendum sustentationi naturæ, via omnibus in extrema necessitate detentis concessa est.* Ex quibus verbis infero, quòd jure naturæ permissum, licitumq; est aliena surripere in extrema necessitate, saltem ex illo, qui non est in tali necessitate positus.

21 Probatur nunc secunda pars, quòd non sit licitum aliena surripere in gravi necessitate. Gravis necessitas est illa, ratione cujus indigens, estò non habeat, unde commodè, & honorificè vivat, habet tamen, unde simpliciter vivat, suamque familiam sustentet; sed quando quis est positus in tali necessitate, ut ei tantum deficiat, ut commodè, & honorificè vivat, ei non est permissum, imò est illicitum, aliena surripere: Ergo in gravi tantum necessitate non est licitum aliena surripere, Probatur minor: Jus naturæ nemini concedit statum honorificum, & commodum, ita ut possit quis ex alienis rebus hunc statum

tueri; sed tantum concedit statum simpliciter vivendi, & vitam servandi: Ergo qui est positus in necessitate, ut tantum ei deficiat, ut commodè, & honorificè vivat, non est ei licitum aliena surripere. Probatur antecedens; nam si Jus naturæ concederet statum honorificum, & commodum vivendi, ita ut possit quis ex alienis rebus hunc statum tueri; sequerentur duo inconvenientia: primum, quod non licitè foret introducta dominiorum divisio, quæ introducta fuit ad jurgia, litesque removendas; sed hoc est inconveniens, aliàs continuò essent lites, & jurgia; imò nullum posset assignari caput tuendi, quandonam sublatio rei alienæ esset furtum; cum quisque vellet commodè, & honorificè vivere: Ergo &c. Secundum inconveniens esset, quod omnibus permittitur esset furari in gravi necessitate; quia haberet pro seipso Jus naturale concedens statum honorificum; quod est damnatum in illa 36. propos. ab Inn. XI. relata supra num. 18. Ergo ad hæc omnia inconvenientia vitanda, dicendum est, non licere aliena surripere in gravi tantum necessitate.

Confirmatur hoc. In gravi tantum necessitate dominus rei surreptæ diceretur rationabiliter invitus: Ergo non est licitum aliena surripere in tali necessitate. Probatur antecedens: dominus rei tunc censendus est rationabiliter invitus, quando rationabiliter non vult, rem suam ab alio injustè detineri; sed quando quis est positus tantum in gravi necessitate, & rem alienam surripit, tunc dominus illius rei rationabiliter non vult, rem suam ab isto injustè detineri: Ergo dñs diceretur rationabiliter invitus. Prob. minor; quia nemo vult, quod alter de sua re commodè vivat, præsertim quando est in incommodum, & damnum ejus, qui dominus est: Ergo &c.

Eo vel maxime: ex cap. 3. de furtis habetur: *Si quis ob necessitatem famis, aut nuditatis, cibaria, vestes, aut panem furatus fuerit, pœnitent hebdomadas tres, & si reddiderit, non cogatur jejunaire.* Quamvis autem hoc caput amplient etiam ad extremam necessitatem, tamen de sola gravi intelligendum; cum lege superiori, scilicet naturæ, excludatur necessitas extrema.

### Solvuntur Objectiones.

22 **O**bjicies primò contra primam partem, probando, quod in extrema necessitate nõ sit licitum aliena surripere. In nullo casu licitum est furtum; sed si esset licitum aliena surripere in extrema necessitate, in hoc casu esset licitum furtum: Ergo in extrema necessitate non est licitum aliena surripere. Major est certa; aliàs prima pars illius damnatæ propositionis non subjaceret damnationi. Probatur minor: aliena surripere licitè in extrema necessitate, est licitè in tali necessitate furari:

Ergo &c. Probatur antecedens: aliena surripere in extrema necessitate, est accipere, & retinere aliena, invito domino: Hoc ipsum est furari; Ergo quoties esset licitum surripere aliena in extrema necessitate, esset etiam in tali necessitate licitum furari.

Respondetur negando minorem, & dist. majorem probationis: aliena surripere in extrema necessitate est &c. invito domino irrationabiliter, concedo majorem: invito domino rationabiliter, nego majorem, & concessa minori in secundo sensu, negata in primo. nego consequentiam. Pro clariori notitia solutionis, suppono ea, quæ dicta sunt in initio quæstionis num. 17. ubi diximus, furtum importare quandam specialem malitiam supra surreptionem, & quidem ortam ex eo, quod per furtum accipitur res aliena, tum quò ad usum, tum quò ad substantiam, invito rationabiliter domino; quod non evenit in simplici surreptione, quæ stare potest absque eo, quod dominus sit rationabiliter invitus; imò in casu extremæ necessitatis, si dominus rei surreptæ nollet, dominium rei esse transferendum in laborantem tali necessitate, jam hujusmodi actus nolitionis non esset rationabilis, sed irrationabilis; quia esset contra jus naturale, quo Jure omnia fiunt communia. Ex his patet, quod licet sit licitum aliena surripere in extrema necessitate, non est tamen licitum in eadem necessitate furari. Quod patet expressis verbis ex illo 3. cap. de furtis: *Si quis ob necessitatem famis furatus fuerit &c.* Ubi si caput illud extendatur ad necessitatem extremam, solum habet excludere furtum, quod sæper est invito rationabiliter domino; secus verò habet excludere ablationem, seu surreptionem quomodocumq; faciendam, volente domino, vel saltem eo invito irrationabiliter.

Dices: potest dari casus, quod extremè indigens surripiat rem aliquam ab alio, etiam extremè indigente; sed tunc surreptor non licitè rem illam surriperet: Ergo absolute non est licitum aliena surripere in extrema necessitate. Exemplifico majorem propositionem. Sit Titius in extrema necessitate positus, ita ut nisi aliena surripiat, jam fame periret: Videat Titius Cajum, etiam extremè indigentem, habere panem, quo vellet se, suamque familiam sustentare; & surripiat Titius à Cajo panem illum: tunc extremè indigens surriperet rem ab extremè indigente. Hoc posito casu, nunc sic probò minorem: si Titius extremè indigens, licitè surriperet panem illum à Cajo, etiam extremè indigente, posset Titius licitè pro tuendo suo Jure naturali, agere contra Jus naturalem simul, & gentium, quod habet Cajus, à quo panis ille fuit surreptus; sed hoc non est dicendum; quia plura, & potiora Jura, imò Prælatio ipsa ex dominio acquisito jure gentium, stant pro Cajo, & non pro Titio surreptore: Ergo &c. Probatur major; nam

Cajus

Cajus, ex quo panis fuit surreptus, habet ratione extremæ necessitatis jus naturale ad panem illum; habet insuper Jus gentium, quo ratione Prælationis factus est suus: Ergo &c.

Respondetur admissio casu majoris, dist. minorema; tunc non licitè rem illam surriperet, si is, ex quo res surripitur sit positus inæquali necessitate illo tempore, quo res surripitur, concedo minorem: si non sit positus inæquali necessitate, & pro eodem tempore, sed ille, ex quo res surripitur cadat immediatè post in extremam necessitatem, nego minorem, & cōsequentiam. Ex hac doctrina patet ad probationes ejus. Unde dico, quòd si indigens extremè, pro sui sustentatione auferat, ac surripiat panem à Cajo; tunc si Cajus, postquam fuit ab eo surreptus panis, cadat in extremam necessitatem, vel posito aliquo temporis intervallo; possit surreptor panem illum licitè surripere; cum non supponatur Cajus in eodem tempore esse extremè indigens: & sic potest surreptor extremè indigens, uti Jure suo naturali, ut dictum est in probatione primæ partis. At quando Cajus, ex quo res, aut panis fuit surreptus, sit in eodem tempore positus in æquali necessitate cum surreptore tunc non potest surreptor licitè panem illum surripere à Cajo, etiam extremè indigente, propter rationes inter arguendum datas: quia in tali casu Cajus, ex quo panis fuit surreptus, ultra Jus naturale, quod pro se habet, habet quoque Jus gentium, quo panis ille factus est suus.

Hanc responsionem ægrè ferunt Thomistæ quidam cum Cajet. Soto, Lessio, Bonacina, & aliis, volentibus, quòd etiam, in æquali extrema necessitate licitum sit aliena surripere. Sed hujus oppositum tradit Doctor noster loco, & s. supra cit. his expressis verbis: *Si autem ambo, detinens scilicet, & cujus res detinetur, sunt in extrema necessitate, si prius devenit dominus ad illam extremam necessitatem, debet reddi domino duplici jure: tum quia prius suum, tum quia jam ex illa necessitate factum est suum.* Et immediatè post subdit: *Si verò prius devenit detinens, factum est suum, & tunc domino, post devenienti ad istam necessitatem, non debet reddi; quia cessavit dominium ejus in re illa, & factum est alterius, jure poli:* Et quantum ad nostram responsionem spectat, concludit: *Si ambo simul deveniant, debet reddi domino; quia nunquam cecidit à dominio.*

23 Contra hanc Scoti doctrinam duplici via arguunt adversarii. Prima via, ratione, quam sibi ipsi obiicit Doctor in textu loco cit. Quilibet magis debet se diligere, quàm proximū, & per consequens magis vitam suam corporalem, quàm vitam proximi; & per consequens istam rem simpliciter necessariam sibi magis retinere, quàm dare proximo. Ita Doctor. Nunc sic: si quilibet debet magis seipsū diligere, quàm proximum, & magis vitam suam servare, quàm vitam proximi; Ergo

quando surreptor surriperet in extrema necessitate ab alio, etiam actualiter extremè indigente, licitè surriperet.

Secunda via arguunt ratione; quia accedente jure naturæ, quod est præstantius quocunque Jure positivo, cessat Jus gentium: Ergo ille, cui surrepta fuit res ab extremè indigente, quamvis esset in eadem necessitate positus, amittit Jus positivum, & gentium supra rem illam, quæ Jure superiori translata fuit in dominium surripientis.

Respondetur ad utramque instantiam. Primò ad primam ex verbis ipsius Doctoris Subtilis, dicendo, quemlibet magis diligere debere seipsū, vitamque suam corporalem, quàm proximum, & vitam proximi, si hujusmodi dilectio sui ipsius, & vitæ suæ, est justa, & ordinata ad vitam æternam: non verò debet magis diligere vitam suam, quàm proximi, quando vita sua non est justa, & nec est ordinata ad vitam æternam; ut eveniret in proposito; nam si extremè indigens surriperet rem aliquam ab alio extremè indigente, tunc non esset justa, & ordinata ad vitam æternam dilectio illa surripientis; quia læderet Jus possessionis alterius, positi in æquali necessitate. Hæc sunt verba Doctoris: *Respondeo, magis debet diligere vitam suam ordinatè, ut est dirigibilis ad vitam æternam: & ita magis conservationem justam vitæ suæ, quàm conservationem justam vitæ proximi: sed non magis conservationem injustam vitæ suæ, quàm conservationem justam vitæ proximi.* Et assignans rationem hujus doctrinæ paulò post, ait: *Quia dilectio vitæ corporalis injustè custodita, non est dilectio ordinata; quia non est ad dilectionem animæ, nec Dei.*

Ad secundam instantiam dist. antecedens: accedente Jure naturæ &c. cessat Jus Gentium, si in altero non esset idem Jus naturæ, concedo antecedens, sed nego suppositum ipsius; nam si casus, in quo tantam vim faciunt Adversarii contra Scotum, est de duobus positus in æquali extrema necessitate, debet etiam supponi, quòd ambo habeant ex lege naturæ idem Jus ad illam rem: si in altero esset idem Jus naturæ, nego antecedens, & consequentiam. Dico, quòd quando duo sint in æquali extrema necessitate positi, jam Jus naturale in ambobus æquale, imò idem est in rem illam pro vita sustentanda. At ille qui prius rem ipsam possidebat, duplici Jure dominium in ea habebat, uno Jure naturæ, ratione extremæ necessitatis, altero verò Gentium, quia sua erat. Et quia in æquali Jure naturæ potior est conditio possidentis, quàm surripientis, hinc est, quòd surripientis in extrema necessitate ab altero, etiam extremè indigente, non licitè surriperet.

24 Obijcies secundo contra secundam partem, probando, quòd etiam in gravi necessitate possit quis licitè aliena surripere. Quando ex præcepto, saltem charitatis, unus debeat alteri

ri subvenire, ob alterius gravem necessitatem; tunc si res ab isto posito in tali necessitate surripiatur ei, cui incumbit ex charitate subvenire, licite res illa surripitur: Ergo licite surripit aliena, qui positus est in gravi necessitate. Probatur assumptum antecedentis: talis necessitas gravis facit, quod surreptor, nisi surripiat, grave damnum in honore patiat, cadendo a suo honorifico statu: Ergo alter tenetur ex precepto, saltem charitatis, ei subvenire: Ergo &c. Consequentia sequitur, & patet ex illa Christi Domini fulminata sententia ex Evang. Matt. 25. *Ite maledicti in ignem aeternum: esurivi, & non dedistis mihi manducare &c.*

Respondetur negando assumptum antecedentis, cum consequenti probationis. Quamvis adsit preceptum charitatis subveniendi ei, qui positus est in gravi necessitate; juxta illud, *quod tibi non vis, alteri ne feceris: & libere non subveniendi ei, qui in tali necessitate positus est, peccat contra charitatem, negans succurium; imò contra ipsum est fulminata sententia illa Matth. 25. non tamen per hoc sequitur, quod stante tali precepto, is, qui positus est in gravi necessitate, Jus acquirat, & quidem naturale, contra eum, qui potest ei subvenire, ita ut ipsi indigenti licitum sit rem alienam surripere, domino rationabiliter invito, quasi per compensationem negationis præbendi succursum. Nam preceptum charitatis solum obligat dominum rei ad subveniendum necessitati indigentis, non verò habet vim ponendi in indigente Jus surripiendi proprii domini rem; sicut tale Jus ponitur in extreme indigente. Ratio hujus est, quia Jus naturale favet tantum ad vitam sustentandam, & non ad famam divitiarum, & honorificum statum conservandum.*

25 Ex his plura infero pro resolutione casuum conscientiarum. Primum, quod tum in gravi, tum in extrema necessitate non sit licitum furari. Ratio est illa supra adducta, quia in nullo casu licitum esse potest furtum, cum prohibitum sit ex precepto Decalogi, *non furaberis.*

Secundum, quod in gravi necessitate neque sit licitum aliena surripere. Ratio est primò, quia tali solum posita necessitate, surreptio non esset simplex, sumpta pro rei acceptione, non invito rationabiliter domino; sed esset propriè furtum; cum surripiens acciperet, invito rationabiliter domino. Secundò, quia Jus naturale non potest ei suffragari; cum hoc Jus sit tantum ad vitam simpliciter tuendam, & sustentandam, non verò ad sustentandum statum honorificum.

Tertium, quod in extrema necessitate licitum est aliena surripere. Ratio est, quia positus in tali necessitate, ratione Juris naturæ, acciperet aliena, tanquam de communi; & quilibet Jure naturæ tenetur sibi providere necessaria pro sui, suæque familiæ sustentatione.

Quartum, quod surripiens ab eo, qui est si-

mul in æquali necessitate extrema, nequit licite surripere. Ratio est, quia in hac suppositione æqualis necessitatis, ille, cui res surripitur, habet duplex Jus ad rem illam, naturale scilicet, ortum ex necessitate extrema; & Jus Gentium, quo primò facta est sua. Hæc omnia deducuntur ex iis, quæ dicta sunt in corpora quæstionis.

### QVÆSTIO TERTIA.

*An qui aliena surripit in extrema necessitate, si pervenerit ad pinguiorem fortunam, teneatur ad restitutionem?*

**D**Ubi hoc tangitur à Scoto in 4. cit. 5. *sed nunquid.* Ubi post solutionem quinti argumenti principalis de surripiente rem alienam positò in extrema necessitate, sibi ipsi objicit, quod nos speciali dubio præsentem efformamus quæstionem; an scilicet aliena surripiens in extrema necessitate, si postea pervenerit ad pinguiorem fortunam, teneatur ad restitutionem? Quare suppono, sicut supra dictum est, surripere in extrema necessitate licitum esse ratione juris naturæ, quo omnia sunt communia; unde ea, quæ in tali necessitate accipiuntur, justè accipiuntur, non quidem ex illo, qui in æquali sit positus necessitate, sed ex illo, qui non sit in æquali positus necessitate.

26 Casus hic potest dupliciter considerari: vel quod surripiens in extrema necessitate consumpserit rem illam surreptam, durante necessitate illa; vel quod adhuc perseveret, transacta illa necessitate, & in statu illo pinguioris fortunæ. Utroque modo procedit præsens dubitatio, & pro ejusdem resolutione

*DICO*, eum, qui aliena surripit in extrema necessitate, etiam si ad pinguiorem pervenerit fortunam, non teneri ad restitutionem, si res illa surrepta, sit in eadem necessitate consumpta: si verò res illa adhuc perseveret transacta necessitate illa, teneri surripientem ad restitutionem. Conclusio est Scoti in 4. dist. 15. q. 2. §. cit. & cum eo omnes Scotistæ, nec non Lessius, Azorius, Navarrus, Bonacina, Filliucius, & alii.

27 Probatur prima pars. Si surripiens in extrema necessitate rem aliquam in eadem necessitate consumptam, teneretur ad restitutionem, dum pervenerit ad pinguiorem fortunam; vel hoc esset ratione injustæ acceptionis, vel ratione rei acceptæ: (quæ sunt præcipuæ radices restitutionis, ut dictum est de restitutione in communi); sed ex neutro capite potest obligari ad restitutionem: Ergo quando in ipsa extrema necessitate res surrepta, est consumpta,

sumpta, dū furti piens pervenerit ad pinguiorem fortunam, non tenetur ad restitutionem. Probatur minor primò, quòd non teneretur ad restitutionem, ratione injustæ acceptionis. Ille tenetur ad restitutionem ratione injustæ acceptionis, qui rem alienam injustè accipit; sed furti piens in extrema necessitate, in tali necessitate non accipit injustè, sed justè; quia accipit illam rem ex jure naturæ, quo fit sua, ad vitam suam, suæque familiæ servandam. Ergo &c. Minor est probata in prima parte præteritæ quæstionis. Probatur nunc secundò eadem minor principalis, quòd scilicet non teneretur ad restitutionem, ratione rei acceptæ. Tunc quis tenetur ad restitutionem ratione rei acceptæ, quando res potuit esse accipientis aliquo jure, & ipsum Jus non semper perseveraret; ut patet de equo furto sublato, & empto bona fide, qui transit in accipientem ratione bonæ fidei, & durante bona fide, est emptoris, accedente postea mala fide, statim restituendus est equus; sed furti piens rem alienam, quæ consumpta sit in eadem extrema necessitate, in qua surrepta est, habet pro se idem Jus naturæ, usque ad rei consumptionem, quo justè rem illam accepit, & consumpsit. Ergo neque ratione rei acceptæ tenetur ad restitutionem; ac per consequens, quando res in illa necessitate sit consumpta, nulla appareat radix, unde teneatur furti piens ad restitutionem.

28 Confirmatur hoc ex doctrina Scoti in calce cit. §. ubi ait; *sed si nunquam ante necessitatem occupasset, tunc justè simpliciter occupasset rem suam, nec ad aliquam tenetur restitutionem.* Quæ Scoti doctrina intelligenda est de furti piente in ipsa extrema necessitate, quòd scilicet non teneretur furti piens ad restitutionem; & est id, quod nos quærimus in præsentibus; nam loquendo de eo, qui rem alienam furti pisset ante extremam necessitatem, & illam consumpsit in ipsa necessitate, si hic porro pervenerit ad pinguiorem fortunam, jam ad restitutionem teneretur, ut dicit ipse Doctor in superioribus verbis sui textus; & assignans rationem, ait; *quia obligatio ad æquivalentem videtur ortum habuisse per comparisonem ad occupationem illam primam rei alienæ, quæ fuit injusta ante extremam necessitatem.* Et ibidem subdit. *Et illa obligatio per extremam necessitatem non est extincta, sed sopita.* Ex quibus verbis infero, aliud esse furti perere rem ante extremam necessitatem, & rem illam in necessitate consumere; & aliud esse furti perere rem in extrema necessitate, & illam in eadem necessitate consumere. Primus modus furti piendi est furtum obligans furem ad restitutionem; cum rem illam occupat injustè ante necessitatem. Secundus verò modus furti piendi non est furtum; sed justa rei suæ occupatio, ut hæcenus dictum est.

Pro hujus doctrinæ claritate pono exemplum: furti piat hodie Cajus unum aureum,

crastina die incidat in extremam necessitatem, in qua necessitate consumet aureum illum; post octo dies perveniat ipse Cajus ad pinguiorem fortunam. Tunc, quia ante illam necessitatem injustè surripuit, quamvis per subsequentem illam necessitatem obligatio restituendi sit sopita, non tamen est extincta, sed resurgit, dum ad pinguiorem redactus est fortunam. Hoc autem non valet, si furti piat aureum in ipsa necessitate, qua jure naturæ justè aureum illum surripere poterit.

29 Probatur nunc secunda pars, quòd scilicet si res non sit consumpta in extrema necessitate, teneatur furti piens ad restitutionem. Quando cessat finis, ob quem Jus naturæ facit, rem esse justè surripendam à constituto in extrema necessitate, cessat etiam ipsum Jus justè retinendi, transacta ipsa necessitate; sed finis, ob quem Jus naturæ facit, rem esse justè surripendam, cessat, si permaneat res, ipsa surrepta, quando furti piens pervenerit ad pinguiorem fortunam: Ergo etiam cessat ipsum Jus naturæ justè retinendi, transacta ipsa necessitate; ac per consequens si res ipsa surrepta permanerit, transacta necessitate, jam furti piens ad restitutionem teneretur. Major patet, quia cessante jure, quo quis justè accepit, non potest justè retinere: ut patet de emente equum bona fide, quem justè retinere non potest, accedente mala fide. Probatur nunc minor: Jus naturæ tantum facit, quòd extremè indigens, aliena ut sua surripiat, ad suam vitam sustentandam; sed quando furti piens pervenerit ad pinguiorem fortunam, jam habet aliud, extra rem surreptam, unde possit suam sustentare vitam: Ergo dum furti piens pervenerit ad pinguiorem fortunam, si extat res surrepta in extrema necessitate, jam finis justè retinendi rem illam cessat: Ergo &c.

Confirmatur hoc, & simul exemplificatur. Si quis esset positus in extrema necessitate, ratione cujus non posset evadere manus inimicorum, & ut manus eorundem evaderet, surriperet equum à Cajo, tunc justè surriperet equum illum, ad suam vitam salvandam. At si postquam se posuerit in tuto, permaneret equus, tunc furti piens ad restitutionem equi teneretur. Quod probatur, quia tunc furti piens tantum usu illius equi indigebat: Ergo cum equus, transacta illa necessitate, adhuc perseveret, restituendus erit. Hoc ipsum valet de furti piente pecuniam ad suam vitam sustentandam, quæ si adhuc perseveret, transacta necessitate, pecunia illa restituenda erit.

*Solvuntur Objectiones.*

30 **O**bjicies primò contra primam partem, probando, quòd furti piens in extrema necessitate, etiam si consumpsit rem in tali necessitate, teneatur ad resti-



restitutionem, dum pervenerit ad pinguiorem fortunam. Si furripiens in extrema necessitate, rem in eadem necessitate consumperit, per talem necessitatem, & rei consumptionem, non est in eo omnino extincta obligatio restituendi. Ergo dum furripiens in tali necessitate, & rem in eadem necessitate consumens, pervenerit ad pinguiorem fortunam, tenetur ad restitutionem. Cōsequentia sequitur, quia nemo excusari potest ab omnimoda restitutione faciendā, nisi per omnimodam physicam impossibilitatem; ratione cujus nunquam deveniat ad statum pinguioris fortunæ, ut dictum est in 4. q. 4. disp. & ibidem probatum sub num. 40. Probatur antecedens: furripiens alienam ante extremam necessitatem, est ea consumperit in ipsa necessitate, si postea pervenerit ad pinguiorem fortunam, non est per talem necessitatem in furripiente extincta obligatio restituendi: Ergo idem dicendum est in proposito. Antecedens est certum, & est doctrina Scoti loc. cit. desumpta ex cap. Odoardus; & posita in num. 23. Probatur nunc consequentia; nam utrobique consumptio rei in tali necessitate, & necessitas ipsa, habent excusare furripiens ab actuali restitutione faciendā; quatenus in tali necessitate constitutus, est impotens; & non à restitutione simpliciter faciendā, dum potest; sed dum pervenerit furripiens ad pinguiorem fortunam, tam si furripuerit ante necessitatem, quàm in ipsa necessitate, non excusatur à restitutione simpliciter faciendā: Ergo &c.

Respondetur negando antecedens, & concessio antecedente probationis, nego consequentiam, & paritatē. Disparitas itaque inter utrumq; furripiens, scilicet qui furripuerit ante extremam necessitatem; & qui furripuerit in ipsa extrema necessitate, tacta est num. cit. 28. ex Doctore nostro; quod nimirum, ille, qui furripuit ante extremam necessitatem, & rem consumperit in ipsa necessitate, injustè rem alienam occupavit, quæ nullo Jure potuit fieri ipsius furripiens: & iccirco furripiens ante talem necessitatem, est rem in necessitate consumperit, dum postea ad pinguiorem pervenerit fortunam, ad restitutionem tenetur: nam ait Doctor noster loc. cit. quod hujusmodi obligatio ortum habuit per comparisonem ad illam occupationem primam, quæ fuit injusta ante extremam necessitatem. At ille, qui furripuerit in ipsa extrema necessitate, & rem in tali necessitate consumperit, non occupavit rem alienam injustè, sed justè, quæ, stante tali necessitate, Jure naturæ facta fuit ipsius furripiens. Per hoc patet, quantas sit disparitas inter unum, & alterum furripiens; nam furripiens ante necessitatem extremam, verè diceretur fur; cum aliena furripiat, invito rationabiliter domino; secus verò furripiens in ipsa extrema necessitate.

31 Obijcies secundò contra secundam par-

tē, probando, quòd neque teneatur ad restitutionem furripiens in extrema necessitate, si res surrepta permanferit in statu pinguioris fortunæ. Qui rem alienam furripit in extrema necessitate, verum illius rei dominium acquirit ex Jure naturæ; sed qui aliena furripiendo, verum acquirit dominium alicujus rei, etiam si res illa permanferit in statu pinguioris fortunæ, nō tenetur ad restitutionem: Ergo qui alienam rem furripit in extrema necessitate, & res illa adhuc permaneat in statu pinguioris fortunæ, non tenetur ad restitutionem. Major debet esse certa, aliàs non justè furriperet in extrema necessitate. Probatur nunc minor. Qui invenit thesaurum in loco publico, ita acquirit dominium illius, ut fiat ipsius inventoris ex jure naturæ, & Gentium: ut patet: ex *inst. de rerum divis. & L. un. C. de Theauris*; & inventor in quocunque statu non tenetur ad restitutionem; saltem in foro conscientie (quicquid decernatur per leges, & pragmaticas particulares Regnorum; quæ tantum habent vim obligandi in foro externo: ) Ergo quia furripiens aliena in extrema necessitate acquirit jure naturæ verum dominium rei surreptæ, in nullo casu, etiam pinguioris fortunæ, tenetur ad restitutionem.

Respondetur dist. majorem: verum illius rei dominium acquirit in acceptione rei, e jusque usu usque ad consumptionem in eadem necessitate, concedo majorem: verum dominium illius rei acquirit in retentione rei, e jusque usu, transacta necessitate, nego majorem, & in secundo sensu concessa minori, negata in primo, nego consequentiam cum consequentia suæ probationis. Unde dico, quòd dominium ex Jure naturæ acquiri potest dupliciter, vel tantum in acceptione justa rei usque ad ipsius consumptionem: vel tum in justa acceptione rei, tum in justa retentione rei ad ipsius domini beneplacitum. Quando acquiritur dominium (quocunque Jure) tum ex justa rei acceptione, tum ex justa ejusdem rei retentione ad beneplacitum ipsius dominium acquirentis, tunc res transacta in dominium illius, adhuc si perseverat in quocunque meliori statu, semper est acquirentis dominium. At dum solum acquiritur dominium ex justa rei acceptione, & non ex justa retentione in quocunque meliori statu, tunc res illa per dominium ex justa acceptione acquisita, in illo tantum statu, in quo quis justè accipit, fit sua, ita ut si res illa perseveret usq; ad meliorem statu, jam desinit esse sua; quia jus naturale tantum permittit ea posse furripi licitè, & justè accipi, quæ inserviunt pro vitæ sustentatione. Per hoc patet ad paritatem; nam inventor thesauri, & justè accipit, & justè retinet, etiam si inventor thesauri, ante inventionem sit dives, & post thesauri inventionem, succedat ad maximam hereditatem. At surreptor in extrema necessitate tantum justè accipit ad suam vitam

vitam fervendam, sed non justè retinet, ipsa necessitate transacta; & per hoc ad restitutionem surripens tenetur, si res surrepta perseveraverit in statu pinguioris fortunæ.

32 Ex his, pro casuum conscientia resolutione, plura infero. Primò, quòd qui aliena surripit ante extremam necessitatem, & rem illam, sive ante, sive in ipsa necessitate consumpserit, tenetur ad restitutionem, Ratio est; quia sic surripens fuit injustus rei alienæ acceptor; imò censendus erit fur, quia rem alienam accepit, invito rationabiliter domino.

Secundò, quòd surripens in extrema necessitate, si rem consumpserit in ipsa necessitate, et si pervenerit ad pinguiorem fortunam, non tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia justè accepit rem illam, ac justè consumpsit, pro ut Jus naturæ eam concessit.

Tertiò, quòd rem alienam surripens in extrema necessitate, si illam in tali necessitate non consumpserit, tenetur ad restitutionem illius, si res surrepta perseverat in statu pinguioris fortunæ. Ratio est, quia transacta illa necessitate, surripens non justè retinet rem illam concessam à Jure naturæ ad necessitati subveniendum; & cessante fine, qui est illa necessitas, cessat etiam Jus retinendi rem illam.

QVÆSTIO QVARTA.

*An fur, quoties re aliena utitur, de novo peccet? & in super tandiu actualiter peccet, quandiu restituere potest?*

**D**UO tanguntur in præsentì quæstione, primum, an quoties fur re aliena utitur, de novo peccet? ut si Titius furatus sit equum Cajo, quoties equo illo utitur, de novo peccet, ratione injusti usus illius equi; vel tantùm dicatur continuare illud idem peccatum, quod commisit ex injusta acceptione, & retentione ipsius equi? secundum, quod quaeritur est, an tandiu fur actualiter peccet, quandiu restituere potest? Et est sensus, an Titius fur V.G. qui hodie furatus est equum, potest hodie restituere, & non restituit: poterit in super crastina die, & non restituit, sed permanet in sua pertinacia non restituendi; tandiu dicatur peccare actualiter, quandiu potest restitutionem facere, & non facit?

33 In hac re, quantum ad secundum dubium, communis est omnium Doctorum sensus, furem toties peccare de novo, quoties advertens ad rem alienam injustè possessam, & quòd facere debeat restitutionem, ipsam restitutionem negligit. Sola opinio est inter Doctores, an continuè fur eodem peccato peccet, quandiu potest restituere, & non restituit, & quidem

eodem actuali peccato, quo furtum commisit? Circa hanc difficultatem duæ sunt opiniones extremæ. Prima est Vasquii, Mastrii, Lessii, Soti, Gabrielis, & aliorum dicentium, furem, quandiu restituere potest, & non restituit, non peccare novo peccato distincto à primo, quo furtum commisit, sed tantùm peccare eodem peccato per liberam voluntatem inchoatam, quo voluit rem alienam retinere. Secunda sententia est Thomistarum ferè omnium cum Cajet. Caspense, & aliis dicentibus, furem esse tantùm in statu peccati habitualis, & non actualis, quandiu non restituit; ac per consequens de novo non peccare, nec eodem, nec distincto peccato actuali, quandiu non restituit. Pro resolutione utriusque dubii, ex eo quod deducitur ex Doctore nostro in 4. dist. 15. q. 2. art. 4.

*DICO*, furem quoties re aliena utitur, de novo non peccare, sed solum primum continuare peccatum: neque distincto peccato peccare, sed eodem actuali continuato, quandiu potest restituere, & non restituit. Conclusio quò ad primam partem est contra quosdam Thomistas, & tenetur à Mastrio, Lessio, Amico, & aliis. Quò ad secundam verò est contra Doctores nuper citatos, Et

34 Probatur prima pars: vel res, quæ furto sublata est à fure, est usu consumptibilis, ut sunt comestibilia &c. vel non est usu consumptibilis, ut esset aurum, lapides pretiosi, & similia. Sed quæcunque sit ista res, sive usu consumptibilis, sive non, fur, dum re illa utitur, de novo non peccat, sed solum continuat primum peccatum: Ergo &c. Probatur minor: sive res sit usu consumptibilis, sive non usu consumptibilis, fur, dum rem injustè accipit, eam occupat animo ipsa utendi, vel eam destruendi ad suum beneplacitum, & de illa liberè disponendi (licet hujusmodi dispositio sit injusta); sed dum rem occupat animo utendi, vel destruendi, de novo non dicitur peccare, dum illa utitur: Ergo &c. Probatur minor: quia actualis usus illius rei non est actus peccaminosus distinctus à primo peccato injustitiæ, quo fur habuit animum usurpandi rem illam ad suum usum: Ergo &c.

Confirmatur hoc à pari, & simul probatur hoc ultimum antecedens. Qui actu libidinoso fornicatus est, dum post actum consummatum fornicationis exerceret tactus libidinosos, per tales tactus fornicator non diceretur de novo peccare, sed tantùm diceretur continuare primum peccatum, quo fornicatus est; Ergo à pari per actualem usum rei furto sublata, non diceretur fur de novo peccare peccato distincto à primo, quo rem alienam furatus est; sed tantùm diceretur illud idem primum peccatum continuare. Antecedens est certum apud omnes Doctores in materia de præceptis Decalogi. Probatur consequentia; nam in tantùm per tactus libidinosos subsequentes

O o ad

ad actum fornicationis, fornicator non dicitur de novo peccare, in quantum tactus illi, si antecedunt, sunt prævix dispositiones ad actum fornicationis; si subsequuntur, sunt effectus naturaliter sequentes ipsum actum fornicationis; sed etiam usus rei furto sublata est effectus naturaliter sequens ipsum actum furti commissi; imò furtum fuit commissum propter talem usum: Ergo &c.

35. Probatur secunda pars, quòd scilicet fur non peccat novo peccato distincto à primo, quando restituere potest, & nò restituit. Dum fur rem alienam surripit, invito rationabiliter domino, voluntatem positivam habet illam retinendi pro suo usu, & libera dispositione: Ergo estò in illo actu furandi insurgat in fure obligatio restituendi, quoties tamen talem omittit restitutionem, non peccat novo peccato omissionis, sed tantum continuat illud primum peccatum, in quo moraliter perseverat pravius animus non restituendi. Probatur consequentia: si novo peccato omissionis peccaret fur, non restituendo, dum potest, & advertit ad rem alienam, quam injustè retinet, jam surreptio illius rei, invito domino, esset distincta ab usus retentione, seu à voluntate positiva retinendi rem pro suo usu; sed hoc est contra rationem formalem furti; nam, ut diximus in initio hujus disp. *Furtum est acceptio, & detentio injusta rei, invito domino rationabiliter*: Ergo quando fur retinendo rem illam furto sublata, illam non restituit, estò actualiter peccet per continuationem primi peccati, non tamen novum committit peccatum distinctum à primo. Dixi, quòd fur actualiter peccet, dum non restituit, quia moraliter illud idem peccatum actuale injustitiæ perseverat in fure usque ad rei restitutionem, contra adversarios dicentes non perseverare illud idem actuale peccatū, sed tantū remanere peccatū habituale: unde fur per ipsos diceretur tantum habitualiter peccare, dū potest restituere, & nò restituit, non verò diceretur peccare actualiter; quæ per solutionē argumentorum contra secundam partē, falsa esse, ostenduntur.

### Solvuntur Objectiones.

36. **O**bjicies primò contra primam partem, probando, quòd toties peccat fur de novo, quoties re aliena utitur. Qui non est detentor rei alienæ, & re aliena, invito rationabiliter domino, utitur, toties de novo peccat, quoties re illa de novo utitur: Ergo qui est detentor rei alienæ, & ipsa re utitur, toties de novo peccare debet, quoties re illa de novo utitur. Antecedens est certum, quia per replicatos usus illus rei, dominus ejusdem rei damnificatur, vel saltem injuriatur. Probatur consequentia: non est melioris conditionis detentor rei alienæ,

quàm non detentor: Ergo si non detentor rei alienæ, propter damnum, quod patitur dominus rei, vel propter injuriam, quam recipit, toties de novo peccat, quoties re aliena utitur; etiam detentor rei alienæ toties peccat, quoties re illa utitur.

Resp. concesso antecedente, negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia nò detentor rei alienæ per distinctos illos usus distinctos actus furti moraliter multiplicat; cum pro quolibet usu, distinctè diceretur damnificatus, vel injuriatus dominus rei, quæ, ipso invito rationabiliter, uteretur. Ceterum detentor rei alienæ per distinctos illos usus non multiplicat moraliter distinctos actus furti, sed tantum illos multiplicat physicè, remanente eodem primo actu in genere moris; quia detentor rei alienæ non damnificat, nec injuriat dominum rei toties, quoties re illa utitur: adeoque &c.

Dices: distincti illi usus provenientes à non detentore rei alienæ multiplicant actus furti moraliter, quia toties damnificatur, & injuriatur dominus rei, quoties non detentor re illa utitur: ut si Titius surriperet equum Cajo, ipso Cajo invito, & ipso equo hodie uteretur: cras eundem equum surriperet, etiam Cajo invito: eodem modo procedendo per plures actus utendi, nulla facta detentione ejusdem equi; Sed non magis damnificatur dominus rei per illos replicatos usus à non detentore rei, quàm ab ejusdem rei detentore. Ergo si illi replicati usus multiplicant moraliter actus furti à non detentore rei, etiam debent moraliter multiplicare actus furti à rei detentore.

Respondetur negando majorem. Unde dico, non esse illam rationem præcisam multiplicationis actus furti moraliter in non detentore rei; quia scilicet quoties non detentor utitur re aliqua, invito domino, dominus damnificatur, & injuriatur; sed tantum præcisæ ratio est, quia in non detentore non potest assignari caput moralis continuationis actus utendi re aliena; cum jam actus sint interrupti, tum physicè, tum moraliter, non obstante, quòd dominus, sit pluries injuriatus, & damnificatus. At in detentore assignatur caput moralis continuationis actus, scilicet detentio rei quòd ad omnem usum furis; nam fur quando furatur, animum habet utendi re illa, quoties vult; & ideo actus ille furti non est interruptus à detentore, sed adhuc perseverat. Si tamen daretur casus in detentore, (qui dari potest) hujusmodi moralis interruptionis: ut esset, si fur nunc haberet propositum restituendi, qui est oppositus detentioni rei, & postea non restitueret, sed iterum re illa uteretur; quia actus moraliter non perseveraret; tunc fur per usum illius rei, stante interruptione morali, de novo peccaret; quia ageret contra propositum non restituendi. Et quamvis mul-  
toties

toties magis est injuriatus, & damnificatus dominus rei per ejusdem rei detentionem, quam per solos replicatos usus: hujusmodi damnificatio tantum facit, quod augeatur idem peccatum in genere moris; sicut habet augere furtum quantitas rei furto sublata; non autem habet multiplicare actus peccaminosos.

37 Obijcies secundò contra secundam partem, probando, quod fur, quando potest restituere, & non restituit, non actualiter peccat, sed tantum habitualiter. In tantum qui potest restituere, & non restituit, diceretur actualiter peccare, in quantum detentio injusta rei alienæ esset actio nova continuativa illius primi actus moraliter peccaminosi per pravam voluntatem, quam fur habet non restituendi; sed falsum est hoc: Ergo fur nullo modo dici potest actu peccare, dum restituere potest, & non restituit; sed tantum diceretur habitualiter peccare. Probatur minor: illa injusta detentio rei alienæ est effectus actionis præteritæ, qua fur commisit furtum: Ergo non est nova actio continuativa illius primi actus peccaminosi.

Deinde: ut fur actualiter peccet, quando restituere potest, & non restituit, requiritur, quod quando restituere potest, faciat de novo propositum non restituendi: Ergo per solam omissionem restitutionis, dum potest, non est dicendus fur actualiter peccare, sed tantum habitualiter. Probatur antecedens: ut quis dicatur actualiter peccare peccato homicidii, non sufficit actus ille odii, quo quis sumit arma contra inimicum, sed requiritur novum propositum occidendi, & quod re vera occidat: Ergo similiter, ut quis actualiter dicatur peccare peccato furti, dum potest restituere, & non restituit, non sufficit ille actus, quo furtum commisit, sed requiritur novus actus, aut propositum non restituendi: Ergo &c.

Respondetur ad primum, negando minorem, & antecedens probationis. Falsum namque assumitur ab Adversariis, quod scilicet illa injusta detentio rei alienæ sit effectus primæ actionis, qua fur commisit furtum; sed est vera actio continuativa primi actus moraliter peccaminosi: unde quoties fur potest restituere, & non restituit, est non committat peccatum distinctum à primo, quo rem alienam injustè accepit, peccat tamen actualiter per continuationem primi actus, quo voluit rem esse suam, & non reddere proprio domino; qui actus, cum non sit à detentore interruptus, adhuc perseverat, quando potest restituere, & non restituit.

Dices: si ille primus actus moraliter perseveraret, sequeretur, quod etiam absque ulla advertentia ad faciendam restitutionem, fur illum primum actum continuaret; imò etiam actus ille continuaretur, quando fur dormit, oraret, vel aliquid aliud ageret; sed hoc non est dicendum; cum actus ille furti esset jam

interruptus: Ergo jam non perseveraret moraliter, donec posset restituere, & non restituit.

Respondetur negando minorem quò ad utramque partem. Non ergo, ut fur dicatur actu peccare, & continuare actum illum primum, quo furtum commisit, usque ad illud instans, in quo potest restituere, & non restituit, necesse est, ut cogitet se alienum injustè retinere, ratione cujus cogitationis advertat ad rem illam injustè retentam; sed sufficit voluntas virtualiter, & interpretativè perseverans in omissione restitutionis. Et iccirco diximus cum Doctore nostro in prima quæst. 4. disput. quod restitutio cadat sub præceptum negativum, quatenus aliena retinens semper, ac potest, restituere tenetur; & ibidem loc. cit. in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 4. ait Doctor, quod ad respiciendum à furto commisso requiritur interpretativa voluntas, seu propositum volendi reddere, quando adest opportunitas. Ex quo infero, quod sicuti ad destruendum actum peccati furti commissi, sufficit propositum, & voluntas reddendi, quando adest opportunitas, quatenus non requiritur, ut statim fur actu externo restituat; ita ad continuandum actum illum furti non est necessaria plena, & formalis ommissio restitutionis; sed sufficit tantum continuatio primi propositi nolendi restitutionem facere. Unde estò fur non advertat ad restitutionem faciendam, quando potest restituere, & non restituit: vel quando dormit, aut orat, aut aliquid aliud facit, semper tamen, ac perseverat primus actus peccati furti cum proposito non restituendi, dicitur actualiter peccare, non quidem actu distincto à primo, sed eodem continuato, ut probatum est.

38. Respondetur ad secundum, dist. antecedens: Ut fur actualiter peccet &c. requiritur, quod faciat de novo propositum non restituendi, si novum, & distinctum peccatum furti commissurus esset, concedo antecedens: si tantum habeat continuare idem peccatum primum commissum, nego antecedens, & consequentiam; & concessio antecedente probationis, nego consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia in tantum ad committendum peccatum homicidii, requiritur novum propositum occidendi inimicum, ab illo actu distinctum, quo quis ex odio arma sumit contra inimicum; in quantum distincto peccato quis arma sumit contra inimicum, & inimicum occidit; imò unum peccatum est diversæ speciei ab altero; cum primum sit actus iræ contra virtutem mansuetudinis, & secundum homicidii contra præceptum non occides. At quando quis potest restituere, & non restituit, non committit distinctum peccatum à primo, quo rem alienam furatus est; & ideo non requiritur novum propositum non restituendi, sed sufficit ille primus actus, quo liberè rem alienam furatus est, in quo actu adest interpreta-

tiva voluntas non restituendi. Si verò forent multiplicandi actus peccaminosi in specie fur- ti; tunc certissimum est, quòd ad distinctum actum peccaminosum patrandum, requireret- ur novum propositum non restituendi, quod peccatum reduceretur ad furis pertinaciam.

Concludendum igitur est, furem nec de- novo peccare, dum re furto sublata utitur; nec novo, & distincto peccato peccare, dum po- test restituere, & non restituit; sed eodem pri- mo peccato moraliter perseverante, & non- habitualiter tantum, sed actualiter.

## QVÆSTIO QVINTA.

### De ludi Restitutione.

*An, qui vi, metu, & fraude traxerit alium ad ludendum, teneatur ad restitutionem lucri per ludum acquisiti?*

**D**E hac materia ludi valde durum est per- tractare; cum ludus, estò ex natura sua licitus sit, tamen iniquissimus fieri soleat ex annexis imperfectionibus, quasi infallibi- liter ortis ex ipso ludo: ut sunt blasphemix, ri- xæ, odia, mendacia, perjuria, & similia, quæ omnia notabiliter aggravant animam luden- tis. Et quantum spectat ad bona temporalia, etiam iniquissimus est, cum ex eo, ut pluri- mum familiæ lusorum, quò ad earum substā- tiam subvertantur; imò multi ludentes in ma- ximam lapsi sunt paupertatem. Dixi, durum esse de hac materia pertractare; quia contra- ctus ille, ut est ludus, adinventus causa re- creationis, pro corporis quiete, ex hominum malitia factus est cumulus iniquitatis; imò omnium malorum radix.

Itaque ludus, *Qui est contractus, quo lu- dentes inter se paciscuntur, ut Victori cedatur, quod uterque deposuit; alius est à fortuna, & alius ab ingenio.* A fortuna est ille, qui non propria ludentis virtute, & dexteritate cau- sat lucrum, aut ludentis victoriam, sed for- tuitò accidit lucrum, aut ludentis victoriæ; huiusmodi sunt ludi alearum, taxillorum, & alii. Ludus verò ab ingenio est ille, qui pro- pria ludentis virtute, & dexteritate causat lu- crum, vel ludentis victoriam, ut est ludus scacchorum. (Dixi, qui causat lucrum, aut victoriam; quia ludentes, vel pro lucro acqui- rendo, vel pro victoria habenda, ludunt.) Ubi suppono, ludum (quicumque sit) in se consideratum, ut præscindit ab illis narratis imperfectionibus, sive sit propter lucrum præ- cisè justè acquirendum, sive propter solam recreationem, non esse peccaminosum; sit ta- men peccaminosus, imò prohibitus, tam jure

Canonico, quàm Civili, ex adjuncta malitia, quam ludus ex lusorum iniquitate secum- fert. Et hæc iniquitas esse poterit, vel ex frau- de unius lusoris, vel ex utriusque iniquitate, in blasphemando, rixando, perjurando &c. Iccirco nedum Clericis ludus prohibitus est à pluribus Conciliis, & fuit ultimò renovata prohibitio per Conc. Trid., sess. 22., cap. 1. de Re- form., incipit, *Nil est, quod alios magis ad pie- tatem &c.* verum etiam laicis, propter scan- dala, fraudes, mendacia; perjuria, & alia huius- modi, ut constat ex L. 1. 2. & 3., ff. de aleæ lusu. Hic autem ludus, sive à fortuna, sive ab inge- nio, si fiat causa tantum recreationis, absque acquisitione lucri, & absque scandalo: immò moderatè; non videtur, nec laicis, nec Cleri- cis prohibitus. At si fiat causa acquisitionis lucri, & cum scandalo, ac immoderatè, tunc utriusque status, ac sexus personis prohibi- tus est.

40. Quantum spectat ad præsentem quæstio- nem, an scilicet teneatur ad restitutionem lu- cri acquisiti per ludum, qui vi, metu, & fraude alium traxerit ad ludendum? adverto, Docto- res quatuor assignasse condiciones ad vali- dum licitumque ludum necessarias; quæ con- ditiones oriuntur ex illis assignatis in prima quæst. 3. disp. de contractibus in communi; & pro quolibet contractu in particulari. Prima, est libera potestas lusorum de re, de qua ludunt; unde sit, quòd omnes illi, qui non possunt de- re aliqua liberè disponere, non possunt redde- re validum, & licitum ludum: ut sunt Religio- si, & pupilli manètes sub Tutoris cura, & filii- familias manentes sub patria potestate, præ- fertim de bonis paternis: (nam aliter sentiunt Doctores de bonis castrensibus, & quasi ca- strensibus).

Secunda est, ut neuter ex collusoribus utatur fraude contra legem ludi.

Tertia, quòd inter ludentes sit æqualitas peritæ ludi, ita ut alter altero non sit magis in ludo peritus; ratione cujus peritæ sit certus de lucri acquisitione per ludum.

Quarta tandem, quòd unus non trahat alium ad ludendum, vi, metu, & fraude, sed il- lum in sua libertate relinquat, si velit, vel nolit ludere. His servatis conditionibus, licitus, va- lidusque est contractus ludi. Quibus benè con- sideratis, devenio ad quæstionis resolutionem fundatam in hac ultima conditione. Et

*DICO*, eum, qui alium traxit ad ludendum, vi, metu, & fraude, teneri ad restitutionem lu- cri acquisiti per ludum. Conclusio est D. Thom., D. Bonaventuræ, cum omnibus Tho- mistis, & Scotistis, & multis Canonistis con- tra Molinam, & alios, Et est Scoti loc. cit.

41. Probat: qui traxit alium ad ludendum, vi, metu, vel fraude, damnificavit eum, qui sic tractus in ludo summam aliquam perdidit lu- dendo; sed damnificans alium vi, metu, & fraude, tenetur ad restitutionem, & reartio- nem

nem damni illati : Ergo qui alium traxit vi, metu, & fraude ad ludendum, tenetur ad restitutionem lucri per ludum acquisiti, Major patet, quia sic tractus ad ludendum, suam perdit pecuniam, quam non perdidisset, si non esset violentia motus ad ludendum. Probatur minor primò: damnificans alium vi, metu, & fraude, injuriam facit ei, qui liberè noluit injuriam recipere; sed quoties quis liberè non vult injuriam recipere, & illam recipit vi, metu, & fraude, toties faciens injuriam tenetur ad restitutionem damni, per injuriam illati: Ergo &c. Probatur eadem minor secundò: in tantum per Molinam damnificans alium vi, & metu, inductum à damnificante ad ludendum, non teneretur ad restitutionem damni illati, in quantum sic inductus liberum præstitit consensum ad ludendum, & voluntariè simpliciter lusit; sed hoc est falsum, quia coactio, vis, & metus auferunt voluntarium simpliciter, & reddunt actum simpliciter involuntarium: immò hujusmodi coactio, vis, & metus sunt causa invalidandi, & rescindendi contractum: Ergo &c.

Confirmatur hoc: qui vi, & metu inducit alium ad peccandum, tenetur ad damni restitutionem, ut dictum est in 5. disp. q. 1. quamvis sic inductus liberè peccet: Ergo estò liberè ludat, qui vi, & metu est inductus ad ludendum (ut concedi potest ipsi Molinæ); tamen sic inducens ad ludendum tenetur ad restitutionem. Probatur consequentia: in tantum in primo casu tenetur ad restitutionem inducens alium ad peccandum, in quantum estò liberè peccet, non tamen liberè moveretur ad liberè peccandum, sed coactè, vi scilicet, & metu; sed etiam inductus ad ludendum, estò liberè ludat, non tamen liberè motus est ad liberè ludendum: Ergo utrobique eadem est ratio. Hæc doctrina est clarè, & diffusè tacta in num. 8. citatæ quæstionis, respondendo ad secundam objectionem.

*Solvuntur Objectiones.*

42 **O**bjicies primò argumento Molinæ, In tantum ad restitutionem lucri acquisiti per ludum teneretur ille, qui alium traxit ad ludendum &c. in quantum sic inductus, non voluntariè simpliciter lusit; sed hoc est falsum: Ergo qui alium traxit vi, metu &c. ad ludendum, tenetur ad restitutionem lucri acquisiti per ludum. Probatur minor: qui tractus fuit ad ludendum vi, & metu, habuit talem libertatem ad ludendum, qualis requiritur ad transferendum dominium rei perditæ ad victorem; sed hujusmodi libertas est illa, qua liberè lusit; & hæc reperitur in ludente, etiam tracto vi, & metu: Ergo qui lusit non omninò involuntariè lusit, ut possit contractum ludi rescindere, & obligare collusorem.

ad restitutionem lucri acquisiti per ludum.

Responderetur dist. majorem: in quantum non voluntariè lusit, voluntarietate opposita coactioni, concedo majorem: voluntarietate orta ex indifferentia ad ludendum, & non ludendum, nego majorem, & dist. minorem: loquendo de voluntarietate indifferentiæ, concedo minorem, loquendo de voluntarietate opposita coactioni, nego minorem, & consequentiam, cum majori probationis. Dico igitur, voluntarietatem, seu libertatem posse sumi dupliciter: uno modo, pro ut opponitur coactioni; alio modo, pro ut opponitur determinationi, quo modo dicit indifferentiam potentia volitivæ ad volendum, vel non volendum, aut ad volendum hunc actum præ alio. Quamvis ergo, qui ab alio vi, & metu sit tractus ad ludendum, voluntariè ludat; non tamen voluntariè ludit voluntarietate opposita coactioni, quæ injuriam infert coactio, seu inductio ad ludendum; sed tantum ludit voluntariè voluntarietate indifferentiæ; quia poterat coactori vim inferre, juxta illam legem *vim vi repellas*. Et quia coactus ludit, & ex ludo damnificatur, iccirco qui talem damnum causat, ad restitutionem tenetur. Quod patet etiam de eo, qui vi, & metu inducit alium ad peccandum; & de eo, qui eadem vi, eodemque metu movet alium ad comburendam vineam Capi V. G.

Vel responderetur juxta ea, quæ dicta sunt q. 1. primæ disputationis cit. nu. 8. quod scilicet, qui ludit inductus, & tractus ab alio ad ludendum, liberè ludit, sed non liberè moveretur ad ludendum, sed coactè, & illa coactio est causa damni sequentis. Ut quis autem excusetur à refartione damni sequentis actum extortum ab alio, non sufficit illius libertas in operando talem actum damno annexum, sed insuper requiritur plenà libertas voluntatis se moventis liberè ad talem actum producendum. Et quia in casu ludens non se liberè moveret ad ludendum, iccirco inducens ad ludendum tenetur ad restitutionem.

43 **O**bjicies secundò. Si teneretur ad restitutionem lucri acquisiti per ludum, qui vi, & metu alium traxit ad ludendum, non esset major ratio, quare non esset obligatus ad eandem restitutionem inductus ad ludendum, si in illo ludo vicerit, & pecuniam lucratus fuerit: Ergo vel etiam iste vicissim teneretur ad restitutionem, vel neuter. Probatur assumptum: Ludus est contractus; sed ratione contractus utraque persona contrahens est obligata ratione damni illati; vel neutra; Ergo &c. Probatur minor; nam contractus ex sua natura servat omnimodam æqualitatem inter contrahentes; ita ut, qui ex contractu damnificatur, non sit inæqualis ei, qui damnificat: Ergo &c.

Responderetur negando assumptum antecedentis, ad cujus probationem dist. minorem:

Si



Si utraque persona contrahens malitiosè , & ex propria culpa causat damnum , concedo minorem : si una persona contrahens causat, vel sibi , vel alteri damnum ex propria malitia, & culpa, & altera non causat tale damnum, nego minorem, & consequentiam. Dico igitur, utique verum esse , quòd ambo contrahentes, etiam in contractu ludi, servare debeant æqualitatem ; quando scilicet , vel neuter causat damnum, & contractus ex hoc diceretur licitus ; vel saltem alter alteri vicissim causat damnum ( quo modo attendenda esset proportio damni ex utraque parte ) : Ut tu mihi damnum intulisti in summa centenaria : & ego tibi damnum intuli in alia summa centenaria: tunc nec ego obligationem habeo tibi reddendi centum , nec in te est similis obligatio. At quando tu mihi damnum intulisti in summa centenaria, & ego tibi nullum damnum intuli, tunc tu solus es mihi obligatus ; quia tui causa damnificatus fui.

Vel si tu ex tua malitia absque mea culpa damnum recepisti ; quia tu fuisti causa tui damni, ego non teneor ad damnum resarciendū. Quod patet: si quis luderet cum Titio falsis chartis, & Titius lucratus esset summam centenariam, non teneretur Titius , præsertim inscius de falsis chartis, ad restitutionem; quia alius collusor provocans Titium ad ludendum , sibi ipsi ex propria malitia damnum causavit . Ita in proposito , quando collusor inductus vi, & metu, vicerit ludendo, sic coactus, non teneretur ad restitutionem , ipsum inducenti ad ludendum ; quia sui causa perdidit pecuniam , At quando ipse inducens traxit alium ad ludendum, & huic damnum intulit, ad damnum resarciendum teneretur.

Ex his dictis concludo , trahentem alium, vi, & metu ad ludendum, teneri ad restitutionem lucri acquisiti per ludum.

### QVÆSTIO SEXTA.

*An, qui certò, sciat se excedere alium in peritia ludi, teneatur ad lucri restitutionem ?*

**T**itulus præsentis quæstionis pendet à secunda conditione requisita ad validum, licitumque ludum, posita num. 40. hujus disp. quòd scilicet inter ludentes sit æqualitas peritiæ ludi . In qua re suppono tanquam certum apud omnes Doctores , quòd si uterque collusor ignoret peritiam alterius , tunc qui excedit alium in peritia ludi, ad restitutionem lucri non teneretur ; quia tunc hic existimat, collusorem esse æqualiter peritum. Sola difficultas præsens est de eo , qui scienter alium in peritia ludi excedit , ita ut possit esse certus , quòd ludendo vincat.

44 In hac re suppono insuper , quòd collusor, qui non est peritus in ludo, nesciat peritiam in alio : nam si peritiam sciret, & vellet ludere, exponendo se periculo perdendi , tunc superans istum in peritia ludi, non teneretur ad restitutionem ; quia ex sua culpa se exposuit tali periculo . His omnibus suppositis , pro quæstionis resolutione

*DICO*, scientem certò, se alium excedere in peritia ludi, & hic nesciat collusoris peritiam, ad lucri restitutionem teneri . Conclusio est communissima inter Doctores , & ab Azorio, Lessio, Medina, Molina, Mastrio, Poncio , & aliis exagitur, ad validandum, licitumque reddendum contractum ludi . Et

45 Probatur primò . Tunc ratione alicujus contractus quis obligatur ad restitutionem, quando , vel ponit fraudem in altero contrahente , vel saltem minori periculo exponit pecuniam suam; sed quando quis certò sciret, se excedere alium in peritia ludi, fraudem ponit in altero contrahente , & minori periculo exponit pecuniam suam : Ergo qui certò scit, se alium excedere in peritia ludi , tenetur ad restitutionem . Probatur primò minor, quòd ad primam partem : tunc alter contrahens in ludo fraudatur , quando hic supponit alterum ex contrahentibus habere æqualem peritiam ludi , & non excedere ipsum in tali peritia ; unde solùm subesse vult fortunæ ad vincendum, & non majori peritiæ; sed hoc haberetur in casu ; aliàs collusor, qui tantam, & æqualem non haberet peritiam , si esset certus de majori peritia sui collusoris , non luderet: Ergo jam haberetur fraus in ludendo . Probatur nunc minor principalis , quòd ad secundam partem : tunc ludens se exponit minori periculo perdendi pecuniam suam, quando est certus, quòd saltem per majorem peritiam, alter non superet ipsum in ludo : & insuper est certus , quòd minus dependet à fortuna in vincendo; sed quando est certus de excessu in peritia ludi, tunc est certus, quòd collusor minus peritus ipsum non superet in ludo : & insuper est certus , quòd minus dependet à fortuna in vincendo: Ergo tunc minori periculo exponit pecuniam suam.

46 Probavi minorem , relicta majori , quia illam suppono certam in materia de contractibus , præsertim quòd ad primam partem . At pro majori intelligentia probo ipsam majorem , quòd ad secundam partem universaliter. Qui minori periculo exponit pecuniam , habet lucrum magis certum , quàm alter , qui majori periculo pecuniam suam exponit ; sed quando unus est magis certus de lucro, quàm alter contrahens, obligatur ad restitutionem lucri ratione talis certitudinis: Ergo &c. Probatur minor : si ego certò scirem merces Caii, salvas esse in Civitate Januæ , & Cajus talem scientiam nõ haberet: si tunc ego vellem emere , vel assecurare merces illas in Civitate Januæ,

nuz, ubi manent, Cajo infcio; tunc quia lucrum meum est magis certum, & minori periculo, imò nulli, expono pecuniam meam, quam suum lucrum exponat Cajus; teneor ad restitutionem ratione majoris certitudinis, quam ego habeo de lucro. Ita in proposito dicendum est de eo, qui certus est de majori peritia ludi, qui minori periculo exponit pecuniam suam: Ergo &c.

47 Probatur secundò exemplo, & paritate, à Mastrio adducta. Si quis in ludo exponeret monetam, quæ valet decem, pro moneta, ut viginti, & collusor exponeret monetam, quæ valet, ut viginti; tunc qui posuit monetam, quæ valet tantùm decem, & accepit lucrando monetam, quæ valet viginti, tenetur ad restitutionem illius excessus, ratione minoris periculi, cui exposuit pecuniam suam: Ergo à pari, quia minori periculo exposuit pecuniam suam ille, qui certò sciebat, se excedere alium in peritia ludi, ad lucrum, saltem ex illò excessu, restituendum tenetur. Dixi, quòd teneatur ad lucrum restituendum, saltem acquisitum ex illo excessu; quia hic quamvis certus sit de excessu in peritia ludi; quia tamen quodammodò à fortuna dependet, etiam pecunia sua est periculo exposita, licet minori. Et iccirco non ad totum lucrum restituendum teneretur, sed tantùm ad illam partem lucri, quam judicat lucratum se fuisse per talem excessum. Hanc limitationem ponunt quidam ex citatis Doctoribus.

*Solvuntur Objectiones.*

48 **O**bjicies primò. Qui certò scit, se alium excedere in peritia ludi, & alter de tali peritia sit infcius, nullam fraudem ponit in eo, quem in ludi peritia excedit: Ergo non potest obligari ad restitutionem. Probatur antecedens à pari: si venditor certò sciat, rem brevi esse minùs valituram, infcio emptore, potest licitè, absque fraude, merces suas vendere currenti pretio: Ergo quamvis unus ludens certò sciat, se superare alium in peritia ludi, & cum eo ludat; nullam in eo fraudem ponit. Antecedens est certum, & speciali dubio resolutum, & probatum est 3. disp. nu. 95. Probatur nunc consequentia à pari; quia venditor, stante illa certitudine, etiam rem suam exponit aliquo periculo, quòd forsan plus valebit; & ideo non defraudat emptorè: Ergo à pari &c.

Eò vel maxime; quia liberè, absque ulla sui injustitia, inicit contractum: Ergo cum ludens etiam exponat rem suam aliquo periculo, licet minori; & colludens liberè, absque ulla sui injustitia, faciat contractum ludi, non erit censendus defraudator, qui alium in peritia ludi excederet, &c.

Respondetur negando antecedens, ad cujus

probationem, concessò antecedente, ut dictum est loco cit. nego consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia venditor, qui vendit rem currenti pretio, estò sciat, propter viciniorum abundantiam, rem illam minùs valituram, justè, & licitè vendit ex prudentum judicio, absque emptoris deceptione. Ratio est. Primò, quia venditor se legi Principis conformat, & æstimationi prudentum in vendendo. Secundò, quia ignorantia de vicina minoritate pretii ex parte emptoris, non habet ponere ipsum in majori periculo, in quo non se ponat venditor; nam in æquali periculo se ponit venditor, ac emptor; quia si ob aliquos casus fortuitos, qui contingere possent, augetur pretium, quod certò putabatur minuendum, ipsis casibus fortuitis non advenientibus; tunc venditor, vendendo nunc pretio currenti, re ipsa pateretur diminutionem lucri; adeoque se poneret nunc in æquali periculo de non lucrando, sicut nunc se ponit emptor, emendo pretio currenti. Ceterum non ita res est in casu nostro; quia ludens cum excessu in peritia, minori se exponit periculo, ac suus collusor non tam peritus in ludo: nec prudenter existimari poterit, majorem illam peritiam in ludo posse ponere inter ludentes æqualitatem requisitam ad justitiam; cum tunc non servetur æqualitas, quando unus ex contrahentibus se ponit magis in tuto, quam alter; ut eveniret in casu. Et sic haberetur fraus ex parte Collusoris.

49 Ad additum, nego antecedens. Estò collusor minùs expertus in peritia ludi liberè inicit contractum ludi, tamen quia supponit alterum ludentem non esse magis peritum, iccirco ludit; nam si certò sciret, alterum esse magis peritum, forsan non luderet; vel si luderet, & perderet ludendo, tunc causa sui perderet, & magis peritus non teneretur ad restitutionem, ut dixi num. 44. quia tunc fuit ipse causa sui damni: Ut patet in aliis contractibus, in quibus, quando unus contrahens sibi voluntariè causat damnum, alter contrahens ad nihil tenetur.

50 Objicies secundò. In tantùm certò sciens, se superare alterum in peritia ludi, teneretur ad lucri restitutionem, in quantum iste se poneret in minori periculo, ac ille, qui peritiam non habet; sed hæc ratio non valet: Ergo qui certò scit, se excedere alium in peritia ludi, non tenetur ad restitutionem. Probatur minor: in ludo, præsertim à fortuna, periculum potest esse æquale, tam in perito, quam in imperito: Ergo falsum est, quòd peritus se ponit in minori periculo. Probatur antecedens: lucri acquisitio, vel periculum amittendi lucrum, dependent ab influxu fortunæ, quæ magis prona est ad unam partem, quam ad aliam; immò multoties fortuna in ludo magis favet imperito, propter innocentiam ejus, quam perito, propter ejusdem malitiam: ut patet in

in ludo alearum, in quo multoties peritiores volentes alterum ludentem decipere, remanent decepti; præsertim ludendo falsis chartis: Ergo tam in perito, quàm in non perito, periculum esse potest æquale: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, & dist. antecedens probationis: periculum potest esse æquale, tam in perito, quàm in imperito, pro ut præcisè uterque collusor subest fortunæ, concedo antecedens: periculum potest esse æquale, ratione circumstantiæ ludi, nego antecedens, & consequentiam. Dico igitur, quòd quamvis in ludo, præsertim à fortuna, ut est ludo alearum, possit periculum esse æquale in utroque ludente, quatenus uterque sublit fortunæ: & multoties fortuna magis prona sit ad imperitum, propter ejus innocentiam, quàm ad peritum, propter ejus malitiã; tamen quia peritia illa in uno ex lusoribus dat majorem cognitionem ludi, ex qua poterit vitare periculum perdendi, quòd periculum vitare non potest imperitus, vel minùs peritus; ideo propter illam peritiam, minori periculo perdendi, se exponit. Adeoque cum ex inæqualitate periculi non servetur æqualitas requisita ad justitiam, iccirco qui scit certò, se excedere alterum in peritia ludi ad lucri restitutionem tenetur. Et ideo dixi, quòd ratione circumstantiæ ludi periculum non est æquale in utroque ludente; quia scientia illa, aut peritia ludi est circumstantia reddens ludum in minori periculo ex parte periti, quàm ex parte imperiti.

Concludo igitur, quòd quando unus certò sciat, excedere alterum in peritia ludi, & vincat, ad lucri restitutionem tenetur, si collusor sit inscius de peritia illius. At si est conscius, & vellet ludere, liberè exponendo pecuniam suam periculo, tunc peritus ad restitutionem non tenetur; quia tunc imperitus sui causa pecuniam perdidit in ludo.

### QVÆSTIO SEPTIMA.

*An, qui creditò aliquid ludo prohibito amiserit, teneatur in conscientia illud solvere?*

**S**uppono tanquam certum apud omnes, ludum in se inspectum, & ut præcisum à circumstantiis annexis, esse licitum, & validum, ut dictum est in 5. q. hujus disp. & solum posse invalidari ex annexis circumstantiis: vel quia ex ipso ortum ducunt blasphemix, rixæ, odia, fraudes, & similia; vel notabilia scandala, & inconvenientia, quæ habent deturpare honorem familiæ, quæ ratione ludi incidit in paupertatem. Ratione quarum circumstantiarum multi ludi prohibiti sunt, tum lege Canonica, tum Civili. Quare fit quòd ex se ludus non est prohibitus, sed à lege prohibetur. Ubi

51 Notandum est, ludere pecunia credita, ultra

contractum ludi, involvere etiam contractum promissionis, quo ludens creditò promittit, & se obligat ad reddendum. Quo notato, suppono, contractum promissionis, præsertim de re naturaliter licita, obligare promissorem ad servandum promissum, & quidem in conscientia, spectato jure naturæ; præcipuè si adsit juramentum de fide servanda. Unde fit, quòd si ludus, in quo intervenit contractus promissorius, lege positiva prohibeatur, promissio illa nequit invalidari per hujusmodi legem; quia prohibitio non cadit supra promissionis contractum, sed supra ludum ratione circumstantiarum.

De obligatione restituendi in casu proposito potest esse quæstio, vel pro ut oriatur obligatio à jure naturæ, vel pro ut oriatur à jure positivo. Et insuper, vel ratione promissi, vel ratione ludi. Utroque modo procedit præfens dubitatio, tam scilicet si teneatur solvere, qui ludo prohibito pecuniam creditam amiserit ratione juris naturæ, vel etiam humani juris positivi; quàm si teneatur solvere, tam ratione promissi, quàm ratione ludi. Et pro quæstionis resolutione

*DICO*, quòd, qui pecuniam creditam amiserit in ludo prohibito, ex jure naturæ, & ratione promissi, tenetur solvere pretium amissum in conscientia; secus dicendum ex jure humano positivo. Conclusio hæc est conciliativa duarum opinionum extremarum, quarum prima absolutè negat obligationem talis solutionis; & secunda affirmat. Prima negans est Bonacina, Reginal. Filliuc. Lessi, Molinæ, & aliorum. Secunda verò affirmans est Rebeli, Aretini, Azorii, & aliorum. Et deducitur ex Scoto in 4. dist. 15. q. 2. & dist. 21. q. 2. *§ in ista quæstione.*

52 Probatum prima pars: quando quis ludo prohibito pecuniam creditam amiserit, facit contractum jure naturæ licitum: Ergo iste talis tenetur solvere pretium amissum, in foro conscientiæ, & quidem ex jure naturæ. Antecedens est certum, quia nullus ludus jure naturæ est illicitus; cum nullus sit peccaminosus, in se inspectus. Probatum consequentia: Quando contractus aliquis est licitus jure naturæ, ex eodem jure ponit obligationem solvendi debitum: Ergo si contractus ludi jure naturæ est licitus, debet ponere obligationem ad debitum solvendum in eo, qui perdidit sub credito pecuniam. Probatum antecedens: Jus naturæ facit, quòd ut ponatur æqualitas inter contrahentes, transferatur dominiū ab una persona contrahente ad aliam; sed translatio dominiū supponit obligationem reddendi in uno contrahente: Ergo &c.

Eò vel maxime; quia hujusmodi obligatio ex jure naturæ habet duplicem titulum, ratione cujus ludens sub credito pecuniæ, tenetur illam solvere: Ergo etiam si cessaret (quòd non est concedendum) jus naturæ, obligans debitorem

torem ad reddendum, teneretur tandem alio titulo, nulla lege humana prohibito, ad solvendum. Hic autem titulus est promissio facta collusori, quod scilicet, si perdidit, summam amissam solveret: Ergo &c.

Confirmatur; nam intantum per aliquos Doctores, iste talis non teneretur in conscientia solvere pecuniam sibi in ludo creditam, in quantum est solutus à redditione, tam titulo ludi, quam promissionis, per legem humanam prohibentem talem ludum, ipsumque irritantem, & promissionem invalidantem; sed hæc ratio est nulla; Ergo non tollitur obligatio reddendi ex jure naturæ, & ratione promissi. Probatur minor primò: Lex humana non nisi ratione circumstantiarum, quæ in ludo interveniunt, prohibet ludum ipsum; ratione cujus prohibitionis, tam qui vinceret in ludo ipso prohibito, non posset pecuniam retinere, quam qui creditò perderet, non deberet illamolvere; sed ex hoc tantum sequitur, quod jure humano positivo, non teneatur solvere, non verò Jure naturæ, & ratione promissi: Ergo &c. Probatur minor; nam lex humana, quæ ob bonum commune, & Reipublicæ habet irritare contractum aliquem, non impedit id, quod Jure naturæ statutum est: sicut in ipso contractu ludi qui sua natura est licitus, lex illa humana non nisi propter aliquam circumstantiam, quæ jure naturæ statuta non est, ponit prohibitionem. Et hoc valet, præsertim quando lex humana est Canonica: Ergo &c.

Probatur secundò eadem minor principalis: promissio illa facta à ludente de solvenda pecunia sub credito perditâ, habet vim obligandi in ludo prohibito, quantum est ex natura sua: Ergo ratio illa prohibitionis ludi, & invalidationis promissi, orti ex eodem ludo, tantum facit, quod ludens pecunia sub credito, non teneatur illamolvere ex lege humana positiva.

53 Probatur secunda pars: Quando lege humana, sive Civili, sive Canonica, prohibetur aliquis contractus, ne fiat, & si est factus, in irritum revocetur; tunc non potest in uno ex contrahentibus dari actio repetendi, quod per talem contractum non fuit solutum; sed ludus prohibitus est talis per utramque legem, Civilem scilicet, & Canonicam prohibentem, ne fiat; & si factus est, utraque illa lex ipsum ludum in irritum revocat: Ergo in altero ludente nequit dari actio repetendi, quod non est solutum; sed quando non datur actio in creditore repetendi, quod non fuit solutum, non tenetur debitor ad restitutionem: Ergo si in collusore ludo prohibito per legem humanam, nequit dari actio repetendi ab eo, qui pecunia sub credito ludit; in hoc, qui amittit ejusmodi pecuniam, per legem humanam non datur obligatio restituendi. Probatur major: quando per legem humanam datur debitum reddendi, quod illicitè, & contra ip-

sam legem est solutum, nequit per eandem legem dari actio repetendi, quod non est solutum; neque in debitore obligatio solvendi; sed per legem humanam in ludente ludo prohibito, datur debitum reddendi collusori pecuniam, quam hic in tali ludo amittit: Ergo in victore nequit per eandem legem dari actio repetendi. Major patet ex regulis Juris desumptis à lege *In vitis*. Minor probabitur in sequenti quæstione.

Confirmatur: si per legem prohibentem ludum, aleatum V.G., prohiberetur simul quæcunque promissio, vel pactum, quæ fieri soleat à ludentibus, tunc nec perdens tali ludo teneretur solvere promissum, nec vincens posset habere actionem repetendi, quod vicerit: imò si perdens, pecuniam solverit, in ipso datur actio repetendi contra victorem; sed in multis Regnis promissiones irritæ declarantur, quæ ortæ sunt à ludo prohibito: ut patet in Regnis Hispaniarum, in quibus Carolus Quintus, pro bono communi Reipublicæ, irritas declaravit promissiones, nedum ludo prohibito factas, sed etiam ludo non prohibito; volens ipse Imperator, neminem posse ludere, nisi pecunia præsentè, & ludo exposita: Ergo perdens tali ludo, vi promissi non tenetur solvere pecuniam perditam. Aliunde neque teneretur vi ludi prohibiti: Ergo ex jure humano positivo non tenetur perdens in ludo pecuniam sub credito, illamolvere Victori.

54 Pro hac secunda parte advertendum est; quod in illa Republica, in qua per legem humanam positivam, qua prohibitus est ludus, non prohibentur promissiones solvendi ejusmodi pecuniam; tunc dicimus, promissorem teneri ad servandum promissum, non obstante, quod ludus sit prohibitus; quare teneretur ad solvendam pecuniam illam. Ratio est, quia estò lege humana prohibeatur ludus, non prohibentur tamen alii contractus orti ex ludo, ut supponimus. Imò, ut dictum est in 4. disp. de restitutione in communi q. 7. respondendo ad primam objectionem num. 73. estò sit prohibita fornicatio, tamen meretrix repetere potest à fornicario promissum; quamvis illa promissio sit propter rem illicitam, & lege divina prohibitam; imò obligatus est fornicarius, ratione promissi, promissum servare. Ita dicendum in casu nostro: quando solus ludus prohibitus est, & non ceteri contractus orti ex ludo, quorum unus esset promissio; tunc promissor teneretur servare promissum.

55 Neque dicas contra hanc doctrinam, quod si perdens habet actionem contra victorem, quando pecunia est jam soluta, & quidem jure humano positivo, ut dicemus in sequenti quæstione; etiam potest habere exceptionem non solvendi, dum pecunia non est soluta: & quidem ratione compensationis.

Non valet, inquam; quia actio illa repetendi est concessa à lege prohibente ludum: unde

P P

quam-

quamvis in perdente detur actio repetendi, quod est solutum; nequit propter hoc concedi exceptio non solvendi; quia hujusmodi exceptio præjudicat promissioni, aliàs non prohibita. Tunc ergo illa regula valet: quando datur actio ad repetendum, datur etiam exceptio ad non solvendum; quando tam actio, quam exceptio oriuntur ab eodem illicito contractu; secus dicendum, si actio oriatur à contractu illicito, & prohibito; & exceptio à contractu licito, & non prohibito; ut est in casu nostro. Quare concludendum est, quod de Jure naturæ, & ratione promissi (si promissio expressè nulla lege prohibeatur), tenetur perdens solvere pecuniam in ludo sibi creditam; secus dicendum de jure humano positivo.

### *Solvuntur Objectiones.*

56 **O**bjicies primò contra primam partem; & primò, quòd Jure naturæ non teneatur perdens solvere pecuniam in ludo sibi creditam. In tantum Jure naturæ teneatur perdens ad ejusmodi pecuniam solvendam, in quantum servanda est æqualitas inter utrumque ludentem; cum alter ludens exponat periculo pecuniam suam; sed hæc ratio non valet, quando ludus est prohibitus: Ergo qui amiserit ejusmodi pecuniam in ludo prohibito, non tenetur ad eam solvendam. Probat minor: in ludo prohibito prohibitio habet vim reddendi contractum irritum, illicitum, & invalidum; sed quando contractus per justam prohibitionem est irritus, illicitus, & invalidus, non habet servare æqualitatem inter contrahentes; cum hæc ex justitia tantum oriatur; & tantum interveniat in contractu licito, & valido: Ergo &c.

Deinde, quòd neque ratione promissi teneatur solvere pecuniam creditam. Quando lex prohibet, & prohibendo irritat contractum aliquem, eo ipso prohibitio cadit supra omne id, quod sequitur ex tali contractu prohibito; sed promissio illa solvendi pecuniam, sub credito, sequitur ex ludo prohibito: Ergo etiam ipsa promissio erit prohibita; sed ratione promissionis prohibita, nemo tenetur ad promissum servandum: Ergo neque ratione promissi tenetur solvere pecuniam, qui illam sub credito amiserit in ludo prohibito.

Respondetur ad primum negando minorem, ad cujus probationem dist. minorem: sed quando contractus per justam prohibitionem est irritus, illicitus &c. non habet servare æqualitatem inter contrahentes, illo jure, quo per prohibitionem fit irritus, illicitus &c. concedo minorem: illo Jure, quo non est irritus, illicitus &c. nego minorem, & consequentiam. Tunc ergo contractus non habet servare æqualitatem inter contrahentes, quando est irritus, invalidus, & illicitus quocunque Jure: unde si

tantum jure humano positivo, sive Civili, sive Canonico, ludus prohibitus fit irritus, illicitus, & invalidus, hoc jure non habet servare æqualitatem inter contrahentes, seu ludentes; & ideo hoc tantum Jure non tenetur perdens sub credito pecuniam, illam solvere. At quia nullus ludus jure naturæ est prohibitus, nec illicitus, nec irritus, ideo Jure naturæ habet servare æqualitatem inter ludentes, quæ æqualitas non servaretur, dum perdens ejusmodi pecuniam, non teneretur illam solvere, ex eodem jure naturæ non prohibente ludum. Hæc doctrina valet in quocunque contractu illicito, & invalido: ille namque contractus, qui tam jure humano, quam naturæ est licitus, ponit obligationem in contrahentibus, ad æqualitatem inter eos servandam: qui tantum est licitus jure naturæ, & illicitus, quia prohibitus jure humano, ponit obligationem jure naturæ ad æqualitatem servandam, & nullam ponit obligationem jure humano, irritante, & invalidante contractum.

57 Respondetur ad secundum negando majorem. Non est absolutè verum, quòd quando lege humana, sive Civili, sive Canonica prohibetur ludus, per ipsam legem prohibeatur etiam quicunque contractus sequens ad ipsum ludum. Neque prohibitio cadens supra ludum, propter pravas circumstantias annexas, habet vim invalidandi contractum promissionis; sed requiritur specialis prohibitio ipsius promissionis, quæ in ludo intervenit: ut factum est in Hispaniis tempore citati Caroli Quinti cõdantis illam legem pro bono communi Republicæ, quòd scilicet nemini liceat ludere, nisi pecunia præsentis, & exposita. Ratio, quare requiritur specialis prohibitio in contractu promissionis, est, quia, cum hic Jure naturæ licitus sit, ad fidem servandam, & ad servandam æqualitatem inter promissorem, & promissarium; iccirco, ut nullam ponat obligationem, debet speciali prohibitionem prohiberi: ac per consequens quoties specialiter non prohibetur, semper obligationem ponit in promissore servandi promissum. Et ideo Doctores volunt, quòd ratione promissi teneatur perdens pecuniam sub credito in ludo, illam victori solvere: adeoque &c.

58 Objicies secundò contra secundam partem, probando, quòd etiam Jure humano positivo teneatur solvere, qui pecuniam creditò in ludo prohibito amiserit. In tantum non teneatur solvere jure humano positivo, qui pecuniam creditò in ludo prohibito amiserit, in quantum, cui datur actio repetendi solutum, à fortiori concedi debet exceptio non solvendi, quod non est solutum (ut dicit Bonacina cum aliis); sed hæc ratio non semper est vera: Ergo qui creditò pecuniam amiserit ludo prohibito, tenetur etiam de Jure humano pecuniam solvere. Major est fundamentum aliquorum Doctorum. Probat minor: tunc illa ratio valet,

valet , quando lex prohibens , ipso facto , declarat contractum irritum ; secus verò quando contractum prohibet , & non declarat ipsum irritum , nisi post Judicis sententiam : ut patet de mandante ad occidendum Cajum cum promissione facta occisori conferendi ei centum post patratum delictum ; tunc mandans non tenetur solvere ante Judicis sententiam : Ergo similiter ex eo , quòd in eo , qui ludit pecunia sub credito , detur actio repetendi pecuniam solutam , ratione legis ludum prohibentis ; non per hoc sequitur , quòd detur exceptio ad non solvendum ; ac per consequens Jure humano positivo tenetur solvere pecuniam sibi ex ludo creditam , quam ludens ludo prohibito amiserit .

Respondetur negando minorem . Quando aliqua lege humana , sive Civili , sive Canonica prohibetur aliquis contractus , vel ratione fraudis , vel ratione alterius circumstantiæ , sive contractus ille declaretur , ipso facto , irritus , sive sit expectanda sententia Judicis ad talem contractum irritandum ; semper ex invaliditate contractus , ratione prohibitionis , est vera maxima illa legalis desumpta ex *L. invitatus ; cui scilicet datur actio repetendi solutum , concedi debet exceptio ad non solvendum ; & hoc , etiam non expectata Judicis sententia , si contractus est ipso facto irritus : si verò contractus non est irritus , sed per Judicis sententiam debet in irritum revocari , tunc sicuti post Judicis sententiam quis habet actionem repetendi ; ita post eandem sententiam ei conceditur exceptio ad non solvendum . Hoc est certum ex regula 61. Juris in 6. In casu nostro , sicuti ratione prohibitionis ludi , perdens in ludo prohibito , habet actionem repetendi , quòd solvit ; ita si pecuniam non solvit , quia creditò lusit , potest illam non solvere , etiam non expectata Judicis sententia . Quare concludendum est , quòd perdens creditò in ludo prohibito , solo Jure naturæ , & ratione promissi tenetur ad solvendam pecuniam perditam , non verò tenetur Jure humano positivo .*

Q V Æ S T I O O C T A V A .

*An vincens ludo prohibito , per legem humanam teneatur ad restitutionem lucri acquisiti ?*

**M**agnam inter antiquos Doctores , & Recentiores involuit controversiam præsens difficultas ; nam Riccardus , Paludanus , D. Thomas , & D. Bonaventura cum Doctore nostro Subtili in 4. dist. 15. q. 2. art. 3. §. *Consimiliter* , dicebant , vincensem in ludo prohibito teneri ad restitutionem lucri acquisiti per ludum , sive vincentes sint Clerici (qui-

bus urgentiori lege ludus est prohibitus ) sive sint laici . Azorius verò cum Molina , Sanchez , Soto , Bannes , Bonacina , Lessio , & ex nostris Poncio , & Aretino , volunt , vincensem in ludo prohibito non teneri ad restitutionem lucri acquisiti , ante Judicis sententiam .

59 In tanta Doctorem varietate , & simul ad conciliandam utramque opinionem , suppono quandam doctrinam à Patre Maltorio relatum qu. 2. art. 2. disp. 9. num. 81. aliam scilicet esse legem prohibentem contractum , & aliam legem simul prohibentem , & irritantem contractum : lex , qua tantum prohibetur contractus , non est eadem , qua irritatur ; cum plus requiratur ad irritandum , quàm ad prohibendum . Lex inquam , qua tantum prohibetur contractus , indiget sententia Judicis , ut reddatur æquivalens ei , qui deceptus , vel per contractum ipsum est injuriatus : hac autem sententia non indiget contractus , qui simul per legem positivam est prohibitus , & irritus ; quòd patet de contractu simoniaco , qui per leges Canonicas , nedum est prohibitus , sed etiam irritus . Hac supposita doctrina , tanquam certa , & notatu digna , videndum est , an ludus sit lege humana positiva , nedum prohibitus , sed etiam irritus ; vel sit tantum prohibitus , & non irritus , sed indigeat Judicis sententia , ut irritus declaretur . Hac præmissa doctrina , suppono , leges Canonicas , quando propter honestatem , & vitam perfectam Clericorum , aliquos prohibent contractus , ne fiant à Clericis ; quia multoties simul fulminant sententiam , vel temporalem , vel spirituales , iccirco hujusmodi leges simul sunt prohibentes , & irritantes : ut patet de lege prohibente simoniam , qua nedum prohibetur , sed etiam irritatur hic contractus ita ut eo ipso , quo lex illa prohibet simoniam , obligat accipientem simoniacè ad restitutionem pecuniæ acceptæ , & recipientem dignitatem ad ipsam renunciandam . Leges verò civiles multoties habent tantum prohibere , & quandoque simul prohibere , & irritare ; & istæ , quæ habent simul prohibere , & irritare , sunt particulares , ob notabile Reipublicæ regimen .

60 His notatis , non est dubium , quòd quando leges sunt simul prohibentes , & irritantes , tunc ante Judicis sententiam alter contrahens tenetur ad restitutionem , ex doctrina supra assignata ; & si sunt tantum prohibentes , obligant alterum contrahentem ad restituendum post Judicis sententiam . Quibus suppositis , pro quæstionis resolutione

*DICO* , vincensem in ludo prohibito per leges tum prohibentes , tum irritantes contractum ludi , teneri ad restitutionem lucri acquisiti , ante Judicis sententiam : vincensem verò in ludo prohibito tantum per leges prohibentes , & non irritantes , non teneri ad restitutionem lucri acquisiti , nisi post Judicis



sententiam, Conclusio quò ad primam partem est Scoti loco supra cit. & est antiquorum Doctorum cum D. Thoma, & D. Bonaventura. Quò ad secundam verò partem est juxta expositionem factam à Patre Maltrio, & coheret opinioni Recentiorum supra relatorum. Et

- 61 Probatur prima pars: leges, quæ simul habent prohibere, & irritare contractum aliquem, habent vim reddendi contractum, ipso facto, invalidum, & irritum; sed quando contractus est ipso facto irritus, & invalidus, obligat acquirentem lucrum per talem contractum, ad restitutionem ante Judicis sententiam: Ergo quando leges sunt simul prohibentes, & irritantes, obligant acquirentem lucrum ad restitutionem ante Judicis sententiam: Ergo quando hoc modo ludus est prohibitus, obligat vincens ad restitutionem ante Judicis sententiam. Major patet ex conditionibus requisitis ad valorem contractus, quarum una est, quòd contractus non sit lege superiori prohibitus. Probatur minor: quando contractus est ipso facto irritus, & invalidus, injuriatus per talem contractum acquirit Jus contra alterum contrahentem, ratione invaliditatis ipsius contractus, nulla expectata sententia Judicis: Ergo ante omnem Judicis sententiam, acquirens lucrum per talem contractum, tenetur ad restitutionem. Probatur assumptum antecedentis: si Princeps alicujus Regni ob bonum publicum servandum conderet hanc legem, quòd nemo accipiat plusquam quinque pro centum pro qualibet assicurata negotiatione, sub pœna nullitatis contractus, & invaliditate ipsius, contravenienti hujusmodi legi; tunc si aliquis ex hujusmodi mercatoribus, plusquam quinque pro centum acciperet; quia invalidaretur, & irritaretur contractus, insurgeret Jus in emptore contra venditorem pro majori pretio soluto; & insuper debitum ex parte venditoris ante Judicis sententiam: Ergo &c.

Confirmatur hoc primò: si non teneretur vincens ad restitutionem lucri acquisiti per ludum prohibitum, non concederetur per quasdam leges victo repetitio pecuniæ perditæ; sed hujusmodi repetitio conceditur: Ergo ante Judicis sententiam tenetur vincens in ludo prohibito ad restitutionem lucri acquisiti per ludum. Major patet ex *L. ult. ff. de alea usu, & ff. de aleatoribus*; & habetur etiam extra de vita, & honestate Cleric. cap. Clerici. Probatur major: repetitio pecuniæ perditæ conceditur victo, ratione contractus invalidi, & irriti per easdem leges; sed contractus invalidus, & irritus (ut probatum est supra) ante Judicis sententiam obligat vincens ad restitutionem: Ergo &c.

Confirmatur secundò: quælibet voluntas inferior subordinatur voluntati superiori justè præcipienti, & prohibenti; Ergo quando superior prohibet ludum alearum V. G. vo,

luntas inferior debet se à tali ludo abstinere: Ergo quando prohibet, & simul irritat talem ludum, tunc voluntas superior intendit, quòd lucrum acquisitum per ipsum, non justè retineatur; sed quando lucrum nequit justè retineri, restituendum est ante Judicis sententiam: Ergo &c. Assumptum hoc probatur à Scoto in loc. cit. §. *Consimiliter* ubi ait: *In permutatione est injustitia ex eisdem causis, scilicet ex deceptione involuntaria, & prohibitione superioris, cui commutans subest in commutando. Et ex hoc potest dici injusta commutatio, quæ fit in ludis alearum, & hujusmodi.* Ubi Doctor insinuat videtur, quòd in ludis sit injusta commutatio, stante superioris prohibitione. At stante injusta commutatione, tenetur commutans ante Judicis sententiam ad restitutionem: Ergo &c.

- 62 Probatur secunda pars: quando leges sunt tantum prohibentes, & non irritantes contractum ludi, habent tantum ponere in ludentibus onus suscipiendi pœnam à legibus taxatam; sed cum onere suscipiendi pœnam à legibus taxatam, non stat obligatio, in victore, restituendi lucrum acquisitum, ante Judicis sententiam: Ergo quando leges sunt tantum prohibentes, & non irritantes contractum ludi, non tenetur victor ad restitutionem lucri acquisiti, ante Judicis sententiam. Major patet, quia sola prohibitio ludi reddit ludetes Reos, & transgressores legis; ratione cujus reitatis, & transgressionis, tantum ponitur onus in ludentibus suscipiendi pœnam per Judicis sententiam à legibus taxatam. Probatur minor: onus suscipiendi pœnam per legis transgressionem, est tantum dispositio ad obligandum victorem, ut reddat lucrum, quòd per ludum prohibitum acquisivit; sed pœna infligitur per Judicis sententiam: Ergo ante hanc sententiam non stat in victore obligatio restituendi lucrum acquisitum. Probatur major; quia onus in victore suscipiendi pœnam, ponit actionem in victo repetendi pecuniam perditam coram Judice; quæ actio repetendi non habet vim obligandi victorem ad solvendum ante Judicis sententiam: Ergo habet tantum disponere ipsum ad reddendum: Ergo &c.

Confirmatur hoc ex *L. alearum, cap. de Aleatoribus*, ubi habentur hæc verba: *Nulli liceat in publicis, vel privatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in specie; & si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio, sed solum reddatur, & competentibus actionibus reparetur ab his, qui dederint.* Cum ex hac lege tantum prohibeatur ludus, & non irritetur, idè exprimit obligationem reddendi solum per Judicis sententiam: adeoque, quando ludus est tantum prohibitus, & non irritus per legem positivam, non tenetur vincens ad restitutionem lucri per ludum acquisiti, ante sententiam Judicis; estò ante talem sententiam teneatur, quando ludus est simul prohi-

prohibitus, & irritus: & hoc regulariter evenit in ludo prohibito Clericis, ex prava ludendi consuetudine.

*Solvuntur Objectiones.*

63 **O**bjicies primò contra primam partem: si quando leges sunt prohibentes, & simul irritantes, teneretur ante Judicis sententiam vincens, ad restitutionem lucri per ludum acquisiti, hoc esset, quia contractus ludi per leges irritantes censeretur irritus, & invalidus; sed hæc ratio non probat, vincentem teneri ad restitutionem ante Judicis sententiam: Ergo etiam si leges sint simul prohibentes, & irritantes contractum ludi, non per hoc teneri debet ad restitutionem lucri victor, ante Judicis sententiã. Probatur minor: nulla lex irritans contractum, habet vim obligandi ad restitutionem, nisi contractus sit ex natura sua invalidus, & jure naturæ: ut est contractus usurarius, qui cum ex natura sua sit invalidus, ex dolo, quem recipit mutuarius; lex irritans talem usurarium contractum, habet vim obligandi ad restitutionem: idem patet de ceteris contractibus, in quibus adest vis, metus, dolus, & similia; sed contractus ludi non est ex natura sua, & jure naturæ invalidus, sed tantum fieri potest talis jure humano positivo: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, & antecedens probationis. Non ergo est necesse, quod contractus sit jure naturæ invalidus, ut habeat vim obligandi ad restitutionem ante Judicis sententiam; sed sufficit, ut jure humano positivo irritetur, propter absurda, & scandala, quæ ex tali contractu oriuntur; & quidem sufficit, quod promulgata lege, ipso facto, contractus invalidetur, & irritetur: unde sicuti contrahentes tali contractu invalido, injustè, & illicitè contrahunt, ita ante Judicis sententiã contrahens, qui lucrum acquirit, tenetur ad restitutionem. Quod patet in multis contractibus usurariis, & præsertim in iis, in quibus intervenit mutuum virtuale: ut esset V.G. contractus Monopolæ de non vendendo, nisi pretio supremo, quamvis in latitudine justii; hic contractus jure naturæ non est invalidus, aliàs nunquam mercatores ob carentiam mercium possent tali pretio justè vendere; sed est invalidus jure humano positivo prohibente simul, & irritante contractum ipsum, propter damnum, quod inferret emptoribus. Patet etiam de venditore, qui expectando tempus solutionis, vel ob dilationem solutionis, lucrum recipit ab emptore; hic contractus venditionis jure naturæ non est illicitus, & invalidus; sed ratione mutui virtualis cum usura, quod interveniret ex temporis dilatione, invalidatur, & irritatur. per leges humanas positivas, tum Civiles, tum Canonicas. Ita evenit in ludo,

qui, cum non sit jure naturæ prohibitus, & illicitus, sed fiat talis per leges prohibentes, & irritantes, habet vim obligandi ad restitutionem lucri, non minus, ac supradicti contractus venditionis, ante Judicis sententiam. Ratio potissima est, quia si Judex nullam fulmineret sententiam contra Titium venditorem ultra latitudinem justii pretii, vel contra Monopolam vendentem pretio supremo in latitudine justii pretii, vel contra exigentem lucrum propter dilationem temporis; stante contractu exercito, per leges invalido, & irritato, adhuc ad restitutionem teneretur; quia injustè recepit lucrum ex contractu invalido. Idem dicendum est de acquirente lucrum in ludo.

Dices: dum vincens in ludo prohibito per leges, tum prohibentes, tum irritantes contractum, teneretur ad restitutionem ante Judicis sententiam, posset victus repetere pecuniam perditam, à victore, & hic teneretur illam reddere; sed hoc est falsum, & videtur consuetudine abrogatum: Ergo non tenetur vincens ad restitutionem lucri acquisiti, ante Judicis sententiam. Major patet; aliàs posset quis ex consuetudine ludere semper cum spe recuperandi pretium solutum. Probatur minor: si posset victus pecuniam in ludo perditam repetere ante Judicis sententiam à victore, & hic teneretur illam reddere; tunc si victor nollet reddere, nec victus haberet spem pecuniam suam alio modo recuperandi, & præsertim per sententiã Judicis; posset licitè, & justè victus facere compensationem de bonis victoris: eo prorsus modo, quo licitum est cujunque creditori compensationem facere de bonis debitoris; ut dictum est in 4. disputatione qu. 3. sed non est licitum victo hanc facere compensationem: Ergo &c.

Respondetur negando minorem; (loquendo de legibus simul prohibentibus, & irritantibus contractum): ad cujus probationem, nego etiam minorem. Quoties enim leges humanæ, sive Civiles, sive Canonicæ, contractum aliquem justè invalidant, & irritant, declarando, quod facientes talem contractum, injustè illum celebrant, toties obligant acquirentem lucrum ex tali contractu, ad restitutionem lucri acquisiti; ut patet in contractibus supra notatis. Et si adest obligatio ex parte lucrum acquirentis per contractum invalidum, jam justè, nedum alter contrahens potest petere pecuniam suam ab acquirente lucrum, sed etiam, hoc recusante pecuniam reddere, facere potest compensationem de bonis ipsius (attentis omnibus conditionibus requisitis ad compensationem faciendam, expressis q. 3. cit. 4. disp.) Ratio hujus est, quia stante invaliditate contractus iniçi, insurgit Jus in victo ad pecuniam perditam; & sic ad servandam æqualitatem justitiæ, facere potest compensationem, quando aliunde rem suam recuperare non potest.

64 Obijcies secundò ad idem , Lex prohibens , & irritans ludum , tantùm ponit actionem repetendi in eo, qui pecuniam perdidit in prohibito ludo ; sed actio repetendi in victo non supponit obligationem in victore , ante sententiam Judicis: Ergo vincens in ludo prohibito per legem tam prohibentem , quàm irritantem, non obligatur ad restitutionem, ante Judicis sententiam . Probatur minor : hæc sunt correlativa , obligatio restituendi ante Judicis sententiam , & Jus exigendi rem suam ante Judicis sententiam ; non verò sunt correlativa hæc duo: actio repetendi pecuniam solutam , & obligatio restituendi ante Judicis sententiam : Ergo quamvis per legem prohibentem , & irritantem concedatur victo actio repetendi pecuniam perditam , non per hoc hujusmodi actio supponere debet in victore obligationem restituendi ante Judicis sententiam . Probatur assumptum antecedentis: correlativum actionis repetendi est obligatio in victore imposita à Judice in pœnam transgressionis legis : Ergo non est obligatio restituendi, orta ex invaliditate contractus, ante Judicis sententiam .

Respondetur dist. minorem: sed actio repetendi non supponit &c. quando ludus est prohibitus tantùm per leges prohibentes , & non irritantes , concedo minorem : quando ludus est prohibitus per leges simul prohibentes , & irritantes, nego minorem, & consequentiam . Verum est , actionem repetendi in victo non supponere in vincente obligationem restituendi ante Judicis sententiam, quando hujusmodi actio provenit à ludo prohibito tantùm per leges prohibentes, & non irritantes ipsum ludi contractum: unde sicuti in ludo non prohibito per leges irritantes, actio illa repetendi supponit obligationem restituendi in victore post sententiam Judicis , in pœnam transgressionis legis; ita si actio illa repetendi ortum ducit à legibus, tam prohibentibus, quàm irritantibus, supponit obligationem restituendi in victore ante Judicis sententiam . Ratio est, quia actio illa repetendi in ludo prohibito per leges irritantes , est ipsum Jus , quod acquirit victus contra victorem injustè rem suam retinentem . Quapropter ad probationem dico, actionem repetendi pecuniam solutam , esse correlativam obligationi restituendi ante Judicis sententiam , quando actio repetendi pecuniam solutam conceditur per leges prohibentes , & irritantes ; quia tunc est ipsum Jus exigendi pecuniam solutam, quatenus injustè acceptam à vincente. Ad ultimã probationem dico, antecedens esse verum, quando actio repetendi provenit tantùm à ludo prohibito per leges prohibentes, & non irritantes ; secùs verò, quando provenit à ludo prohibito, tum per leges prohibentes , tum irritantes ; quia tunc actio repetendi fundatur in Jure , quod victus acquirit contra victorem, injustè pecu-

niam suam possidentem.

65 Obijcies tertio contra secundam partem . Quando leges sunt tantùm prohibentes contractum ludi, & non irritantes , habent vim simpliciter obligandi victorem ad restituendum : Ergo lucrum , quod victor acquirit per ludum prohibitum tantùm per leges prohibentes , & non irritantes , est adhuc restituendum, ante Judicis sententiam . Probatur antecedens . Tunc leges prohibentes habent vim simpliciter obligandi ad restituendum , quando simpliciter invalidant contractum ; sed ludus per leges tantùm prohibentes, & non irritantes, invalidatur: Ergo &c. Probatur minor: quicumque contractus celebratus per voluntates inferiores, & non conformatus voluntati superiori, cui voluntates inferiores debent se conformare, est invalidus; sed ludus tantùm prohibitus per leges prohibentes, est celebratus per voluntates inferiores non conformatas voluntati superiori : Ergo &c. Probatur major ; nam una ex conditionibus requisitis ad valorem contractus, est , quòd voluntates contrahentium debeant conformari voluntati superioris præcipientis , vel prohibentis; præsertim quando justè prohibet, ut est in casu : Ergo &c.

Respondetur negando antecedens . Vel ipsum dist. habent vim obligandi victorem &c. ex jure, nego antecedens : ex titulo Juris tantùm, concedo antecedens, & nego consequentiam : & eodem modo dist. probationem ejus; eodemque modo respondeo ad ceteras probationes . Alia itaque in contrahente est obligatio restituendi ex Jure , & alia est obligatio restituendi tantùm ex titulo Juris . Quando aliquis est à Jure obligatus ad restituendum , tunc quia est injustus possessor, injustus acceptor, & retinens rem alienam, ante quamcunque Judicis sententiam tenetur ad restitutionem ; quia Jus , sicut est exigitivum ex parte creditoris , ita ponit onus ex parte debitoris . Hoc patet in furto ; nam fur , qui furatus est rem aliquam, ex Jure tenetur illam reddere ante sententiam Judicis ; quia est injustus acceptor, & retentor rei alienæ. Patet etiam de contrahentibus contractu invalido ; nam si quis venderet merces pretio supra latitudinem justè pretii, statim susciperet onus restituendi ex Jure; quia fit injustus retentor , & possessor rei alienæ; & etiam ex titulo Juris, ratione invalidi , & irriti contractus . At quando obligatio est tantùm in altero contrahente orta ex solo titulo Juris , tunc si titulus juris est ipso facto invalidus , & irritus per leges superiores prohibentes simul, & irritantes, habet vim simpliciter obligandi alterum contrahentem ad reddendum, ante Judicis sententiam ; quia ex tali obligatione diceretur injustus rei alienæ retentor . Si verò titulus Juris non est ipso facto invalidus, & irritus; sed per Judicis sententiam invalidandus, quatenus celebratus contra voluntatem

luntatem superioris prohibentis talem contrahendum, tunc non ponit in altero contrahente ex titulo Juris obligationem restituendi ante Judicis sententiam. Et per hoc patet, quòd quando ludus est prohibitus, tam per leges prohibentes, quàm irritantes, quia fit ipso facto invalidus, & irritus, ponit obligationem ante Judicis sententiam; quando verò est prohibitus, non per leges irritantes; quia non fit ipso facto irritus, non ponit in victore obligationem restituendi, ante sententiam Judicis.

QVÆSTIO NONA.

*An administrantes locum, & instrumenta necessaria ad ludendum ludo prohibito, peccent mortaliter?*

**V**T clariùs in hac re procedatur, suppono, quosdam Doctores de hoc dubio discurrentes, negare absolutè, administrantes locum, scilicet domum, vel instrumenta quæcunque, ut aleas, lumen, tabulam, sedilia &c. ad ludendum ludo prohibito, peccare mortaliter; non distinguendo de annexis, & sequentibus ad ipsum ludum prohibitum; & alios absolutè affirmare, hujusmodi administratores mortaliter peccare. Unde, ut rectum de hac re judicium efformetur,

66 Notandum est, quòd administrantes locum, vel instrumenta, & similia ad exercendum ludum, vel sciunt certò, quòd ludentes peccant mortaliter, blasphemando, decipiendo colludentem, furando, & similia enormia, ac turpia perpetrando: vel saltem probabiliter existimant, quòd ludentes hoc faciant; quia assueti ad peccandum, dum ludunt: vel tandem nesciunt, quòd ludentes peccent hujusmodi peccatis. Hac triplici via procedendo, videtur resolutio dubii concordans tutiori, & communiori Doctorem opinionioni; qui prima facie videntur inter se discordare; sed re vera hoc modo distinguendo dubium, nulla inter eos esse poterit contentio. Quare pro decisione

*DICO*, Administrantes domum, & instrumenta ad ludendum ludo prohibito, si certò sciunt, ludentes graviter peccare per talem ludum; mortaliter peccare: Si probabiliter judicant, ludentes peccare; etiam mortaliter peccare: Nullo tandem peccato peccare administrantes, si nesciant, ludentes peccaturos in ludo. Conclusio sic exposita, quò ad primam, & tertiam partem concordat cum duabus extremis sententiis, & eas reconciliat; quarum prima erat Caspensis, Navarri, Sanchez, Aretini, Dianæ, & aliorum; altera verò

erat Stephani à Sancto Gregorio; secunda autem pars sic exposita, mihi videretur còscientiæ consona; sed apud nullum reperi Doctorem ex omnibus illis, quos præ manibus habui.

67 Probatur prima pars: qui certam habet scientiam, quòd alius infallibiliter peccabit in ludi prohibiti exercitio, administrando domum, & alia necessaria ad ludendum, dat operam rei illicitæ, & peccaminosæ; sed qui dat operam rei illicitæ, & peccaminosæ, peccat mortaliter: Ergo qui certò scit, quòd ludentes ludo prohibito, peccabunt mortaliter, si administrat necessaria ad ludendum tali ludo, etiam mortaliter peccat. Major est certa, quia tam ludus, ut prohibitus, est illicitus, quàm actiones ex ipso sequentes, ut sunt blasphemie contra Deum, fraudes contra justitiam, sortilegia, furta &c. sunt illicitæ, & peccaminosæ. Probatur minor: qui dat causam rei illicitæ, & peccaminosæ, & quidem per certam scientiam, quam habet de illis operibus, præstat auxilium, & consentit directè dispositioni proximæ ad peccandum: Ergo etiam ipse peccat mortaliter. Probatur consequentia: qui locat domum usurario, certò sciens, in ipsa domo committendas esse usuras, quia dat peccato opportunitatem loci, peccat mortaliter; præsertim quia locator videtur consentire directè dispositioni proximæ ad peccandum: Ergo idem dicendum in casu nostro. Antecedens patet in cap. 1. de usur. in 6. Probatur consequentia: quia speciali Jure humano positivo prohibita est usura, nequit absque peccato concedi locus, in quo usura committatur; sed etiam jure humano positivo prohibitus est ludus, & quidem propter peccata, quæ in eo committuntur: Ergo &c.

Confirmatur hoc; nam qui dant locum, aleas &c., ut ludentes ludant prohibito ludo, cum certa scientia, quòd hi blasphemabunt, vel alia enormia committent peccata, positivè non vitant, quòd vitare tenentur: Ergo permittunt committenda esse illa peccata: & insuper, si immediatè non consentiunt illis peccatis, consensum tamen præbent ludo prohibito, qui est proxima dispositio ad illa peccata perpetranda. Probatur consequentia: qui non vitat, quòd vitare tenetur, permittit illud faciendum: ut patet de officialibus, & Justitiæ Ministris, quibus ex officio incumbit invigilare pro bono Reipublicæ, qui si non vitant mala Reipublicæ, ut furta, homicidia &c. illa non vitando, permittunt: Ergo &c.

68 Probatur secunda pars: qui probabiliter judicat, aliquod peccatum esse secuturum ex permissione alicujus actionis, prudenter agit, non permittendo talem actionem; & illam permittendo, agit imprudenter; sed quando quis agit imprudenter in permittenda aliqua actione, ex qua sequitur probabiliter peccatum, ex tali imprudentia nequit à peccato excusari: Ergo qui probabiliter judicat, quòd luden-

ludentes ludo prohibito, peccabunt, si administrat domum, aleas &c, etiam ipse peccabit; Major est certa; nam quando quis probabiliter existimat, hoc esse peccatum, si illud fugit, vel aufert occasiones conducentes ad tale peccatum, prudenter agit. Probatur nunc minor; ratione illius imprudentiæ in agendo, magis ejus voluntas propendet ad illam partem, circa quam prudentia dicitur, actionem illam esse fugiendam, quam ad partem oppositam; sed inclinatio ad illam partem, circa quam probabiliter judicatur, esse secuturum peccatum, non excusat à peccato: Ergo &c.

Confirmatur hoc: si ego probabiliter judicarem, Titium, & Cajum lufores in quocunque ludo blasphemare, fraudes committere, & similia, ex eo, quod assueti sunt ad talia patranda crimina; si locum, vel alia instrumenta eis concederem ad ludendum ludo prohibito, possem ex tali probabilitate magis esse certus de futuris peccatis committendis in tali ludo, quam de illis non committendis; nam ipsi alibi ludentes, ea peccata commiserunt; sed ego positus in tali judicio distante, quod etiam in domo mea probabiliter blasphemabunt, & fraudes committent, si domum, vel alia instrumenta concederem, non excusor à peccato: Ergo &c.

69 Probatur nunc tertia pars: quando actio ex se mala non est, sed est purè indifferens ex natura sua, qui illam permittit, vel administrat necessaria ad talem actionem, etiam si re ipsa ex illa sequantur peccata, tunc permittens, & administrans, non diceretur peccare; sed quando quis est nescius, quod in aliquo ludo sint committenda peccata, tunc permittit actionem indifferentem, & administrat necessaria ad illam actionem, ut indifferentem: Ergo tunc iste talis non peccabit. Probatur major: à pari de locatore domus meretricibus, & de venditore vestium, & aliorum ornamentorum eisdem; quæ actiones, cum de se sint indifferentes, & non intentæ, ut locus, & instrumenta ad peccandum, nec locator, nec venditor peccabunt: Ergo à pari, quando quis nesciat, secuturum peccatum ex ludo, si domum, vel instrumenta ad ludendum subministrat, tunc non peccabit. Consequentia sequitur à pari; quia ignorantia illa, sicut excusat domum illam à nomine domus, in qua peccata committuntur; sic excusat etiam administrantem domum à peccato: Ergo &c.

### Solvuntur Objectiones.

70 **O**bjicies primò contra primam partem: Administrans domum, vel aleas, & quæcunque instrumenta ad ludendum ludo prohibito, etiam si certò sciat, ludentes commissuros esse peccata, blasphemando, vel fraudando collufores, non est

causa immediata, & proxima peccatorum ludentium: Ergo administrans domum, & instrumenta ad ludendum, etiam si certò sciat, esse committendum peccatum, per talem administrationem non peccat. Probatur antecedens: si quis locaret domum meretricibus, vel ornamenta eis venderet, certò sciens, meretrices ufuras domo illa, & ornamentis ad peccandum, ipse locator, vel venditor non peccaret: Ergo neque peccaret administrans domum, vel instrumenta, etiam si certò sciat, quod per ludum ipsum committeretur peccatum. Probatur consequentia; nam utrobique nemo esset causa proxima, & immediata peccati aliorum: Ergo &c. Probatur hoc assumptum, quod etiam est primum antecedens: qui vendit, aut locat meretricibus ornamenta, vel domum, intendit suæ consulere utilitati, nullam considerando peccati permissionem, vel causationem; sed qui administrat domum, vel instrumenta ad ludendum, etiam si sciat, peccatum secuturum, solùm intendit suæ utilitati consulere: Ergo non est causa immediata, & proxima peccatorum ludentium: Ergo &c.

Respondetur negando antecedens, & ad probationem nego paritatem. Disparitas est, quia locans domum meretricibus, vel vendens ornamenta eisdem, non faciunt contractum cum meretricibus in ipso exercitio peccati; & iccirco etiam si habeat locator, vel venditor certam scientiam, quod meretrices domo illa, vel ornamentis utantur ad peccandum, non diceretur causa immediata, & proxima peccati meretricum. Ceterum administrans domum, vel instrumenta ad ludendum ludo prohibito, cum certa scientia, quod per talem ludum lufores peccent mortaliter, talis administratio est in ipso exercitio peccati; & ideò sic administrans, diceretur causa proxima, & immediata peccatorum ludentium. Quod etiam potest esse clarum de eo, qui locum, & commodum dat Titio V. G. ad peccatum committendum cum Berta, habita certa scientia talis peccati; nam quia dans talem locum, ipsum concedit in exercitio peccati, peccat, ratione proximæ, & immediatæ causæ peccati aliorum. Ita discurrendum est in proposito de eo, qui administrat domum, vel instrumenta ad ludendum ex certa scientia, quam habeat, quod ludentes illo ludo, sint peccaturi.

Dices: estò administratio domus, vel instrumentorum ad ludendum, sit in ipso exercitio peccati, tamen administrator tale peccatum non intendit, saltem primariò, sed primariò intendit suam utilitatem, & lucrum: Ergo nulla est disparitas. Probatur assumptum antecedentis: si quis præscinderet venas in fundo suo, ut veniant aquæ alienæ in suum puteum, quamvis damnum alteri inferatur, tamen præscindens tales venas, tantùm intendit

dit primariò suam utilitatem, qua ratione excusatur à peccato contra justitiam; ita etiam si quis furtivè accipiat à suo debitore rem, ad compensandum suum creditum; quamvis certò sciat, damnum secuturum aliis, & præsertim familiaribus domus, iste talis non peccat contra justitiam; quia primariò non intendit tale damnum: Ergo idem dicendum est de administratore domus, & instrumentorum ad ludendum.

Resp. negando assumptum antecedentis: vel etiam si concederetur, ut concedi potest, nego tamen consequentiam. Et dum probatur, nego paritatē. In tantum damnum, quod pateretur ille, qui non amplius reciperet aquas in puteum suum ex hac nova effossione venarum, non esset refarciendus; in quantum effodiens, & præscindēs venas in fundo suo, faceret actionē de se non illicitam, sed vel licitam, vel saltem indifferentem: unde quamvis certò sciat, damnum alteri secuturum, non intendendo primariò tale damnum, sed primariò suam utilitatem, non peccat contra justitiam. Eodem modo dico ad secundam paritatem; quia talis compensatio non est actio illicita; & iccirco intendens primariò suum creditum recuperare, non peccat contra justitiam, quamvis damnum alteri sequatur. At administrans domum, vel instrumenta ad ludendum ludo prohibito, facit actionem illicitā, & peccaminosam, nedum quia ludus est prohibitus, sed etiam quia exercitium illius esset ex peccato, quod certò committitur. Regulariter loquendo, qui dat operam rei, de se non illicitā, quamvis sequatur damnum, vel peccatum, tale damnum, vel peccatum non est imputabile danti operam; secus verò, si dat operam rei illicitā, & peccaminosā.

71 Obijcies secundò contra secundam partem. Qui tantum probabiliter judicat, quod Administrando domum, vel instrumenta ad ludendum, hæc inserviant ad peccandum, non habet certitudinem de futuro peccato: Ergo administrando domum, vel instrumenta ad ludendum, cum sola probabilitate, quod ludentes peccent, administrans excusatur à peccato. Probatur consequentia: cum sola probabilitate, quod ludentes peccent, stat etiam probabilitas, quod ludentes non peccent; sed stante probabilitate, quod ludentes non peccent, administrator excusatur à peccato: Ergo etiam cum sola probabilitate, quod ludentes peccent, administrator excusatur à peccato. Major est certa, quia cum probabilitate ad unam partem contradictionis stat etiam probabilitas ad alteram partem; nam si V. G. est probabile, *Petrum currere*, est etiam probabile, *Petrum non currere*; & non stat improbabilitas alterius partis. Probatur minor; cum positiva ignorantia, quod ludentes non peccent, excusatur administrator à peccato: Ergo cum probabilitate, quod non peccent, excu-

satur à peccato. Antecedens constat ex tertia parte conclusionis. Probatur consequentia, quia sicuti ratione ignorantia, administrator non dat operam rei illicitā; ita talem operam non dat, quando administrator habet probabilitatem, quod lusores non peccent.

Respondetur negando consequentiam, ad cujus probationem nego minorem, & ad ejus probationem nego consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia ignorantia circa peccatum committendum in exercitio alicujus actionis de se indifferentis, excusat à peccato permittentem tale exercitium, ratione cujus sequitur peccatum, præsertim quando est ignorantia tum facti, tum Juris: ut si ego nescirem, ludum aliquem esse speciali lege prohibitum, & aliunde nescirem Titium, & Cajum esse blasphematores, si locum darem Cajo, & Titio ad ludendum, & illi in ludo blasphemarent, tunc ego propter talem ignorantiam non essem in culpa, occasione talis blasphemia; & à peccato excusor. Ceterum si probabiliter judico, ludum esse prohibitum, & insuper ludentes esse in ludo blasphematores; etiam si cum hoc judicio probabiliter stare possit probabilitas, quod non blasphemabunt lusores, à peccato tunc non excusor, administrando locum, vel instrumenta ad ludendum; quia cum utrumque judicium probabile sit in materia morali, fugiendum est ab exercitio peccaminoso: nam in materia morali, in rebus dubiis tutior pars est eligenda, & tutior est illa de probabilitate, quod ludentes peccent; quam illa, quod ludentes non peccent: quare dare non debet locum, nec instrumenta illa, ut administrator ipse se ponat in tuto, de non peccando.

72 Ubi adverto, hanc doctrinam esse fundatam in eo, quod habet Doctor noster in 2. report. dist. 39. ubi ait, quod circa præcepta negativa, unusquisque tenetur deponere conscientiam erroneam, etiam ortā ex ignorantia vincibili; quia præcepta ista obligant in quocunque tempore, ita ut in nulla temporis differentia sit licitum, vel saltem indifferentes facere actum contra præceptum: ut non occides, non furtum facies &c. Ex qua doctrina infero, quod habens probabilitatem, quod peccatum sequatur, estò posset peccatum illud non sequi contra præceptum; quia hujusmodi probabilitas secumferò conscientiam erroneam, ortam ex vincibili ignorantia; iccirco habens talem probabilitatē, cum qua stat etiam probabilitas ad oppositum, quod scilicet ludentes non peccabunt, debet conscientiam illam erroneam deponere, & se ponere in tuto de non permittendo ludum, ex quo probabiliter eveniet peccatum; non administrando locum, nec instrumenta ad ludendum.

73 Obijcies tertio contra tertiam partem. Qui dat operam rei illicitā, etiam si nesciat, ex ipso opere secuturum esse peccatum, peccat mortaliter;



taliter ; sed administrans domum , vel instrumenta ad ludendum ludo prohibito , dat operam rei illicitæ : Ergo etiam si nesciat , ex præfato ludo prohibito secuturum esse peccatum , peccat mortaliter . Major est certa , & patet de eo , qui sumit arma ad occidendum inimicum , qui , etiam si non sequatur occisio , adhuc peccat peccato iræ , quod est opus illicitum ; sicut etiam qui locum dat ad fornicandum , vel aliud scelus patrandum , estò fornicatio non sequatur , adhuc talem locum administrans peccat , quia dat operam rei illicitæ . Probatur minor : ludus prohibitus , ut talis , est opus illicitum : Ergo qui administrat locum , vel instrumenta ad ludendum ludo prohibito , dat operam rei illicitæ . Probatur antecedens ; nam prohibitio , præsertim habita per leges irritantes , ut dictum est 8. quæst. hujus disp. facit contrarium illicitum : Ergo &c.

Respondetur dist. majorem : si ipsum opus illicitum est tale ex natura sua , vel saltem est tale per leges humanas tum prohibentes , tum irritantes opus illud , peccat mortaliter , concedo majorem : si est opus illicitum tantum per leges prohibentes , & non ex natura sua , nec per leges humanas irritantes , subdist. & tale opus est cognitum ut illicitum , & prohibitum , transeat : & non est cognitum , nego majorem , & in secundo sensu concessa minori , negata in primo , nego consequentiam . Et eodem modo respondeo ad probationes . Dico igitur , quòd qui dat operam rei ex natura sua illicitæ : ut qui ingressum dat in suam domum concubinariis , usurariis , & fornicariis ; etiam si nesciat , per talem ingressum committendos esse actus venereos , vel usurarios ; quia se exponit evidenti periculo , ut per ipsos committantur peccata , peccat mortaliter : quòd etiam patet de sumente arma ad occidendum inimicum , etiam si nesciat , per ipsa posse inimicum occidere ; quia jam commissum est primum peccatum iræ . At , qui dat operam rei non illicitæ ex natura sua , neque per leges humanas irritantes , sed solum per leges humanas prohibentes , si nesciat , quòd ex tali opere debeat sequi peccatum , non peccat mortaliter , dando operam rei , hoc modo illicitæ ; præsertim quia leges tantum prohibentes , non obligant in conscientia ; cum sint pœnales , & pœna est infligenda per Judicis sententiam . Cum igitur ludus sit prohibitus lege humana , sive administrator loci , & instrumentorum ad ludendum sciat , talem prohibitionem , sive non , quoties est ignarus de peccato secuturo , per ipsum ludum , non peccat .

Ratio potissima est , quia ludus ipse tantum pœnali lege prohibitus , sicuti non habet constituere ludentes in culpa , sed tantum in pœna subeunda à Judice , quando ludendo , non peccant , blasphemando , vel fraudando collutores ; ita à fortiori non habet constituere in culpa administrantem ipsum ludum ,

74 Ex his pro resolutione casu cōscientiæ plura infero . Primò , quòd quando administrator domus , vel instrumentorum ad ludendum ludo prohibito , certò sciat , ludentes peccare per exercitium ludi , tunc ipse quoque administrator peccat . Ratio est , quia scienter dat operam rei illicitæ , & peccaminosæ ; & quidem in proximo , & immediato exercitio actus peccaminosi .

Secundò infero , quòd quando administrator domus , vel instrumentorum ad ludendum ludo prohibito , habeat probabilitatem , quòd ludentes peccent ludendo , sive peccato blasphemix , sive quocunque alio , tunc ipse etiam peccat . Ratio hujus est , quia stante illa probabilitate , quam habet , ut prudenter agat , debet fugere occasiones conducentes ad peccatum ; & non fugiendo tales occasiones , agit imprudenter ; adeoque si administrator domus &c. haberet probabilitatem , quòd ludentes , ludendo ludo prohibito , peccarent , etiam ipse peccaret , sic administrando .

Tertiò infero , quòd quando administrator domus &c. nullam scientiam haberet , imò nesciret , quòd ludentes tali ludo prohibito sint peccaturi , tunc ipse administrator excusaretur à peccato . Ratio est , quia posita ignorantia de peccato secuturo , jam actio illa administrandi domum , vel instrumenta ad ludendum remaneret de se indifferens , non minus , ac ipse ludus est actio indifferens ex natura sua : At circa actionem indifferentem nequit dari peccatum , præsertim quando nulla habetur prævia cognitio de peccato secuturo ex tali actione ; adeoque dum administrator nullam scientiam habeat de peccato secuturo ex ludo , nullum committeret peccatum , administrando domum , vel instrumenta quæcunque ad ludendum .

Quartò tandem infero , quòd administratores domus , vel instrumentorum &c. si certam habeant scientiam , quòd lusores ludendo , fraudes , vel furta in ludo sint commissuri , ex quibus fraudibus , & furtis damnum recipiunt collutores , tunc ipse administrator , nedum contra justitiam peccat , sed etiam tenetur ad damnum refarciendum ; etiam si partem furti , vel fraudis non recipiat . Ratio est , quia potens vitare damnum , si non vitat , imò damnum illud permittit , causat immediatè , & proximè tale damnum contra virtutem Justitiæ : Ergo ad illud damnum refarciendum tenetur . Et quidem eo prorsus modo , quo , si quis ex consilio , consensu , & permissione alterius , alteri damnum infert , domum illi comburendo , vineam devastando &c. tunc consulens , consentiens , & permittens tenetur ad damnum refarciendum : adeoque &c. Hæc satis pro hac ludi materia ,

QUÆ

QVÆSTIO DECIMA

De restitutione accepti in bello.

*An, qui aliena surripit in bello injusto, teneatur ad restitutionem?*

**B**ellum, aliud est justum, & aliud injustum. Bellum justum est illud, quod justa causa movetur à potestate habente, cum recta intentione bellandi, & debito, ac moderato modo, arma sumendi. Bellum verò injustum est illud, quod ex injusta causa movetur, vel ab aliquo potestatem non habente, vel absque recta intentione, & modo debito bellandi. Unde fit, quòd, ut cognoscatur, quando bellum sit justum, quando injustum, servandæ sunt quatuor conditiones: tres universaliter à Doctõribus admittæ; & quarta à Patre nostro Astesano addita. Trium prima est, justa causa movendi bellum; ita ut, si non haberetur justa causa, & quidem rationabilis juxta prudentium judicium, bellum diceretur injustum. Secunda, quòd bellum debeat moveri Principis autoritate, non habentis supra se superiorem, potentem dirimere controversiam inter belligeratos exortam, & sic tale bellum impedire. Tertia, quòd bellum moveatur cum recta intentione bellandi, injuriam scilicet, vel rem perditam recuperandi: unde quoties adsit prava intentio Principis indicentis bellum, non esset tunc bellum justum, sed injustum. Quarta tandem conditio addita à Patre Astesano, est, quòd arma sumantur debito, ac moderato modo, tam scilicet in initio belli, quàm in ejusdem prosecutione; quòd scilicet, qui bellum movet, debeat prius monere partem adversam, ut ei debitam conferat satisfactionem; quæ satisfactio si offeratur, tunc non debeat bellum moveri, & si moveretur, esset injustum: nam injustè movetur bellum contra volentem satisfacere pro injuria, vel gravamine. Et hoc valet etiam, quando bellum est inchoatum. Si verò non offeratur satisfactio, tunc licitè bellum moveretur.

75 Ex his duo infero. Primum, estò bellum sit justum, non potest Princeps, nec quicumque miles bona alienigenarum devastare, vel surripere; (sumo pro alienigenis eos, qui non sunt subditi Principi adversario, neque ullum favorem, & auxilium præstât ipsi adversario); nam justa causa bellandi solùm se extendit ad illos, qui sunt subditi, vel fautores partis adversæ.

Secundò infero, ex quocunque bello justo, sicuti licitum est contra adversarios bellare, sic etiam est licitum bona ipsorum devastare, surripere, & deprædari. Quibus notatis, sup-

pono, bellum aliud esse defensivum, & aliud offensivum: defensivum est illud, quod movetur tantùm causa defensionis: offensivum verò est illud, quod suscipitur causa compensandi, & resarciendi injuriam receptam. In utroque autem bello, tam defensivo, quàm offensivo, servandæ sunt conditiones supra recensitæ. Sola igitur difficultas in præsenti est, an in bello injusto, qui aliena surripit, teneatur ad restitutionem; vel ab ipsa restitutione ob aliquam causam excusetur? Pro cujus resolutione

*DICO*, surripientes aliena in bello injusto, teneri ad illorum restitutionem, & ad omnia damna, & interesse secuta. Conclusio quò ad primam partem est omnium Doctõrum, & quò ad secundam teneri ab Angles, Calderino, Mastrio, & aliis. Et deducitur ex Scoto in 4. dist. 15. q. 2. §. de 3.

76 Prob. prima pars. Retinens, aut surripient bona aliena ex injusto titulo, tenetur ad illorum bonorum restitutionem; sed qui bona aliena surripit in bello injusto, illa bona surripit, & retinet ex injusto titulo: Ergo surripient aliena in bello injusto, tenetur ad illorum restitutionem. Major patet in omnibus surreptionibus, & retentionibus bonorum alienorum. Usurarius enim quia nullo justo titulo retinere potest bona acquisita per usuram, ad restitutionem tenetur: Fur insuper nullum habet justum titulum retinendi bona furto sublata: Venditores supra latitudinem pretii justi, nullo titulo retinere possunt, quæ lucrati sunt. Sic discurrendum de ceteris carentibus justo titulo retinendi bona alterius. Probatur nunc minor: Quoties bellum est injustum, nequit ex parte surripientis dari justus titulus retinendi bona, quæ in tali bello surripit: Ergo &c. Probatur antecedens primò ab opposito: quoties bellum est justum, ipsum bellum justum est titulus justus, quo surripientes bona, non tenentur ad restitutionem: & quia inferens bellum est minister justitiæ divinæ, & humanæ; & quia surreptio bonorum in tali bello fit ex justa compensatione injuriæ receptæ: Ergo quoties bellum est injustum, quia caret his justis titulis retinendi bona aliena, nequit illa surripient licitè retinere. Probatur secundò idem antecedens: justus titulus retinendi bona capta in bello, est translativus domini ab una persona ad aliam; sed quando bellum est injustum, nequit dari translatio domini ab una persona ad aliam; quia sicuti injustè indictum est bellum, ita omnia, quæ fiunt in tali bello injusto, operantur contra justitiam: Ergo &c.

77 Probatur secunda pars: qui injusta causa damnum alteri infert, ad damnum illud resarciendum tenetur; sed ex eo, quòd quis aliena surripit in bello injusto, damnum alteri infert ex tali surreptione: Ergo ad damnum illud resarciendum tenetur. Minor patet; nam si in tali bello injusto surriperentur bona mercatoris;

Qq 2 ris;

ris; qui ea surripit, causat mercatori damnum lucri, quod acquirere poterat ex rebus suis, Prob. major: qui ex injusta causa damnum alteri infert, debet ponere æqualitatem inter damnificantem, & damnificatum; sed hujusmodi æqualitas nequit poni, nisi per damni illati refarcitionem: Ergo qui injusta causa alteri damnum infert, ad damnum illud refarciendum tenetur. Hæc secunda pars probata est in pluribus questionibus præteritarum disputationum de restitutione, præsertim in qu. 5. disp. 4. ubi cum Scotto diximus, quod fur, nedum tenetur ad restituendam rem ablatam, sed etiam ad interesse: sic in casu; & hoc quidem ratione lucri cessantis, & damni emergentis in eo, cui res in bello injusto esset sublata, & surrepta. Idque fuit probatum num. 56. cit. questionis ex illa regula philosophica: Quod est causa causæ, est etiam causa causati; sed qui rem alienam surripit in bello injusto, injuste causat damnum alteri, ex quo sequitur lucrum cessans, & damnum emergens ei, cui res surripitur: Ergo etiam causat tale damnum subsequens; & ita dum tenetur ad primum, etiam ad secundum, seu ad interesse tenetur. Videte, quæ ibi dicta sunt.

### *Solvuntur Objectiones.*

79 **O** Bicies primò contra primam partem; quando bellum est injustum, in surripiente bona aliena potest dari justus titulus translatus dominii in ipsum surripientem; sed quando datur justus titulus translatus dominii in surripientem, tunc surripientis non tenetur ad restitutionem; Ergo surripientis aliena in bello injusto, non tenetur ad restitutionem. Probatur major: in bello injusto surripientis exponit se periculo amittendi vitam suam; sed tale periculum potest esse justus titulus translatus dominii in surripientem; Ergo &c. Probatur minor; in surripiente in extrema necessitate, periculum amittendi vitam est justus titulus translatus dominii in tali necessitate; Ergo etiam in bello injusto, periculum amittendi vitam, est justus titulus translatus dominii in surripientem.

Respondetur primò retorquendo argumentum: qui furatur aliena, se exponit periculo amittendi vitam, si ille, ex quo res auferitur, advertat ad furem; & nemo dicit, quod in fure periculum amittendi vitam, ipsum excuset à restitutione facienda; & quod tale periculum sit justus titulus translatus dominii in furem: Ergo neque periculum vitæ in eo, qui surripit aliena in bello injusto, potest esse justus titulus translatus dominii in ipsum surripientem. Consequentia sequitur à pari, quia utrobique periculum vitæ est voluntarium, & ortum ex causa injusta, ratione

cujus nec posset fur excusari à restitutione facienda, neque surripientis bona aliena in bello injusto capta. Nunc

Respondet, secundò in forma, negando majorem, & dist. majorem probationis: surripientis exponit se periculo amittendi vitam suam, ex causa injusta, & voluntariè, concedo majorem; ex justa causa, vel involuntariè, nego majorem, & eodem modo distincta minori, nego consequentiam; & ad ultimam probationem nego consequentiam, & paritatem. Etenim qui ex justa causa, vel involuntariè se exponit periculo amittendi vitam suam, justum acquirit titulum retinendi ea, quæ surripit; ut patet de eo, qui in bello justo contra Saracenos, vel alios inimicos Ecclesiæ, bona ipsorum surripit: & etiam patet de quocunque bello, in quo servantur conditiones assignatæ in initio questionis; nam justa causa motum est bellum. Vel quando quis involuntariè exponit vitam suam evidenti periculo illam amittendi, positus in extrema necessitate, in qua non voluntariè, sed involuntariè se ponit; tunc periculum amittendi vitam in tali necessitate, potest esse justus titulus translatus dominii in surripientem. At quando ex causa injusta, ut est in proposito, & voluntariè se exponit periculo amittendi vitam, ut patet de fure voluntariè, & irrationabiliter exponente vitam suam periculo illam amittendi; tunc tale periculum nequit esse justus causa translatus dominii in surripientem. Et per hoc patet disparitas inter periculum vitæ in extrema necessitate, & periculum vitæ in bello injusto.

Dices: qui se exponit periculo amittendi vitam in bello injusto, non causa sui, sed causa Principis indicentis bellum se exponit tali periculo: Ergo involuntariè se ponit in tali periculo; sed qui involuntariè se exponit periculo amittendi vitam, propter tale periculum excusatur à restitutione bonorum, quæ surripit: Ergo qui aliena bona surripit in bello injusto, non tenetur ad restitutionem. Probatur consequentia: qui causa obediendi Principi præcipienti, se exponit periculo amittendi vitam, non voluntariè se exponit tali periculo; quia, quantum est de se, vellet periculum fugere, & non obedire Principi, si posset: Ergo &c.

Respondetur dicendo, quod estò subditi non propria voluntate se exponant periculo amittendi vitam in bello injusto, sed voluntate Principis, cui obediunt, & obedire tenentur; quia tamen consensum formalem præbent, amittendi vitam pro Principe, etiam injustè arma sumente, non censentur omninò involuntariè se exponere periculo vitæ, sed voluntariè; nam si sciant, bellum à Principe initum esse injustum, possent aufugere, ne contra justitiã peccent, & sint Rei tot homicidiorum, quæ in bello ipso injusto causantur. Neque

que est verum, quòd tunc teneantur Principi obedire; quia obedientia est in re iusta, & de re iusta, non in re, & de re iniusta, atque ut tali cognita à subdito. Quapropter si in bello iniusto aliena surriperet subditus, non posset, ratione periculi amittendi vitam suam, excusari à restitutione facienda.

79 Obijcies secundò contra secundam partem, Qui aliena surripit in bello iusto, non est causa efficax damni sequentis ex bonis illis surreptis: Ergo estò teneatur ad restitutionem bonorum, quæ surripiuntur in bello iniusto, non tamen tenetur ad resarciendum damnum sequens ex tali bonorum surreptione. Probat̃ur antecedens: ille dicitur causa efficax alicujus damni, qui damnum illud intendit; sed surreptor bonorum in bello iniusto tale damnum non intendit; sed solum intendit aliena surripere ad suam utilitatem: Ergo &c. Major patet ex eo, quod dicit Doctor noster Subtilis in 4. dist. 15. qu. 2. respondendo ad ultimum principale, in confirmatione: *Si præscindo venas in fundo meo, per quas derivabatur aqua in puteum alterius, intentione nocendi sibi, teneor ad restitutionem damni.*

Respondetur negando antecedens, ad cuius probationem dist. majorem: qui damnum illud intendit, tantum, nego majorem, non tantum, concedo majorem. Non solum est causa efficax damni, qui damnum intendit, sed etiam qui actionem illicitam facit, etiam præter intentionem damnificandi, & damnum ex tali actione inevitabiliter sequitur. Unde dist. minorem: sed surreptor bonorum in bello iniusto tale damnum non intendit inevitabiliter, concedo minorem: evitabiliter, nego minorem, & consequentiam. Dico igitur, quòd surripens bona aliena in bello iniusto, estò non intendat damnum secuturum ex re sublata evitabiliter; quatenus tale damnum vitare posset; tamen intendit damnum illud inevitabiliter; quia, cum damnum illud sit connexum cum re illa surrepta, & ex tali re inevitabiliter sequatur; iccirco etiam dicitur damnum illud intentum à surreptore, quatenus ab ipso vitari non posset. Nec est universaliter verum, quòd ad damnum sequens tantum ille tenetur ad restitutionem, qui damnum ipsum per se efficaciter intendit; nam multoties damnum est intentum, & non est secutum; & ita nullam ponit obligationem: & multoties damnum, non est intentum, & est secutum, & ponit obligationem, ut patet in eo, qui alienam vineam comburit, non intendendo damna sequentia ex tali combustionem; & tamen ad omnia illa damna resarcienda tenetur, ut suo loco dictum est. Ita etiam discurrendum est in proposito nostro.

80 Pro casuum conscientie solutione in hac materia plura infero. Primum ex ipso corpore questionis, quòd qui aliena surripit in bello iniusto, tenetur ad restitutionem, tum rei

surreptæ, tum damni sequentis ex ipsa surreptione. Ratio primæ partis est; quia nequit assignari justus titulus trãslatiuus dominii in surripientem, quando bellum est iniustum, præsertim quia bellum ipsum iniustum est titulus obligans ad restitutionem. Ratio verò secundæ partis est; quia cum actio illa surripienti sit illicita, & causat damnum sequens; qui tenetur ad primum damnum, ratione illicitæ actionis, tenetur etiam ad ea, quæ connexa sunt cum tali actione.

Secundò infero, quòd qui bona fide, bona aliena surripit in bello iniusto, putans bellum non fuisse iniustum; vel putans potuisse illa surripere, non obstante, quòd bellum fuisset iniustum, postea accedente mala fide, quòd scilicet bellum fuit iniustum, vel quòd non potuisset aliena surripere in bello iniusto, tenetur ad restitutionem omnium bonorum, quæ apud se retinet, & etiam ejus, in quo factus est ditior. Ratio est, quia accedente mala fide, nullus est justus titulus excusans surripientem à restitutione: quod patet de possessore bonæ fidei, qui, quando accedit mala fides, ad restitutionem tenetur. Ita Mastrius, Bannes, Azorius, & alii.

Tertiò infero, quòd in bello iniusto moto à Saracenis V.G. contra Christianos, si Saraceni surripiant bona Christianorum, & alii Christiani ab iisdem Saracenis eadem bona surripuerint; tunc illi posteriores Christiani surreptores tenentur ad restitutionem primis Christianis, quibus bona illa surrepta fuerunt à Saracenis (compensata tamen æstimatione industriz præstitæ ad bona illa recuperanda.) Ita Bonacina, Mastrius, Molina, & alii. Ratio est, quia primi Christiani, quibus surrepta fuerunt bona sua, non amiserunt dominium illarum rerum; & ideo Jus habent ad illas contra possessores. Dixi, *facta compensatiõne industriz*, quia industria illa est pretio æstimabilis, & iccirco possunt Christiani recuperantes talia bona pro seipsis aliquid retinere, juxta prudentum æstimationem.

Quartò tandem infero, quòd qui certò sciunt bona Christianorum fuisse recuperata, & publicæ venditioni exponerentur, tunc ementes talia bona etiam ad restitutionem tenerentur, propter eandem rationem; quia domini illarum rerum dominium non amiserunt. Ita sentiunt citati Doctores.

81 Pro complemento hujus materie plura dubia resoluuntur, spectantia ad bellum iustum.

PETES PRIMO. *An milites in bello iusto possint licitè surripere bona illorum, apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt?*

Respondetur negativè. Ratio est, quia cum bellum iustum non sit contra eos, apud quos milites hospitantur, vel per quorum loca transeunt, iccirco si dominis illorum bonorum, rationabiliter invitis, bona surriperentur,

etur, jam contra iustitiam peccarent, cum onere restituendi: & si damnum inferant, ad illud refarciendum teneatur. Quod patet, quia in bello iusto, tantum permittitur est surripere bona inimicorum, non alienigenarum, qui sub Principe inimico non militant. Hæc resolutio communis est apud Doctores; à qua tamen excipitur casus extremæ necessitatis: ut si milites essent in periculo amittendi vitam propter famem, tunc excusarentur, ut dictum est in 2. q. hujus disp. Excipitur etiam casus liberæ donationis: ut si milites transirent per Civitatem indifferentem, & Princeps, vel Dux illius Civitatis liberè donaret summam aliquam militibus, ratione gratuitæ liberalitatis Principis, vel Ducis: In hoc casu, quia donatio est titulus translativus domini de una persona in aliam (præsertim quando donatio non est coacta, vel vi extorta); ideo ratione donationis tunc milites licitè bona illorum acciperent. Casus itaque propositus in dubio, est de surreptione bonorum alienigenarum, dominis invitis, & ideo absolutè negativam dedimus responsionem.

- 82 *PETES SECUNDO. An in bello iusto possit unus recuperare rem suam ab alia persona privata illius Regni, contra cujus Principem bellum est initum?*

Respondetur dicendo, quòd, vel in bello iusto quis certò sciat, se rem suam non posse recuperare ab eo, qui illam surripuit: vel hanc certitudinem non habeat; imò potius sit certus, quòd illam recuperare possit, vel ex benignitate Principis (si bellum iustum sit inter Principes Christianos), vel ex violentia, quam facere possit contra surreptorem? Si dicatur secundum, quòd scilicet possit rem suam recuperare; tunc non deberet pro compensatione, rem ab altera persona surripere. Ratio est, quia cum certitudine ad rem suam habendam non staret iustus titulus surripiendi rem alienam. Neque excusari possit, quòd id faciat ad compensandam rem suam faciliiori modo, quo potest; nam compensatio tunc est licita, quando fit ex bonis proprii debitoris, non alterius personæ ejusdem Regni, domus, sanguinis &c. aliàs, si mihi deberet Cajus ex furto centum, & possem certò à Cajo talem summam recuperare; ut faciliiori modo pecuniam meam recuperare, possem à Titio consanguineo Caii licitè surripere centum, ad compensandam pecuniam meam, furto sublatam à Cajo; quod non est dicendum.

Si dicatur primum, tunc potest licitè rem suam recuperare, surripiendo rem ab alia persona ejusdem Regni, cujus erat surreptor bonorum istius. Ratio est; quia cum omnes privatæ personæ Regni inimici virtualiter contineantur in voluntate Principis illius regni, omnes illæ personæ censentur quasi debitoribus ei, cui res surrepta est: & ista jus suum habet contra Regem, & membra Regis, ut sunt per-

sonæ privatæ illius regni. Hæc est communissima Doctorum solutio, quò ad primum membrum.

- 83 *PETES TERTIO. An in bello iusto licitum sit uti insidiis ad hostes vincendos; & an si quis per usum insidiarum bona inimicorum surriperet, teneatur ad restitutionem?*

Ante hujus dubii resolutionem, advertendum est, hic insidias in bellatoribus posse dupliciter sumi; vel pro fallacia, & falsitate in decipiendo inimicum: ut si ego dicerem inimico: Præpara exercitum tuum ad mecum bellandum pro die crastino: & inimicus crederet meo dicto, & suum exercitum pro hodierno die paratum non teneret; tunc si ego pro hodierno die moverem exercitum meum contra inimicum, peccarem contra fidelitatem, mendacium dicendo, & inimicum ipsum decipiendo. Vel pro modo singulari bellandi nõ manifestato, nec manifestando inimicis, ut ipsis non cogitantibus modum illum, incidant in laqueum inimicorum. Hoc notato, pro dubii resolutione

Respondetur ad quæsitum dicendo, quòd in bello iusto licitum non sit uti insidiis sumptis pro fallacia, & deceptione inimicorum contra dictum, vel promissum factum inimicis: & si bona inimicorum surriperentur per tales insidias, tenerentur surreptores ad restitutionem. Hæc opinio est omnium Doctorum antiquorum, & quorundam Recentiorum cum Scoto in 3. dist. 38. q. un. in solut. principalium sub litt. I. Ubi ait, quòd quis bellando contra aliquem, debet fidem servare. Quare si bellantes uterentur illis insidiis, in quibus interveniret mendacium, vel falsitas contra virtutem fidei, jam usus talium insidiarum diceretur illicitus. Ratio est, quia nulla actio contra virtutem potest esse licita: imò mendacium, præsertim de re gravi, est omninò prohibitum, & damnatum, etiam si diceretur contra infideles, & ad propriam vitam tuendam. Quòd verò tenerentur ad restitutionem bonorum, quæ per tales insidias surripiuntur, patet, quia quælibet surreptio rei alienæ orta ex actione illicita, obligat ad restitutionem. Unde si usus talium insidiarum est illicitus, etiam illicita est surreptio bonorum per tales insidias, & quidem cum onere restituendi.

Est tamen licitum in bello iusto uti insidiis sumptis pro singulari modo bellandi non manifestato inimicis; ex quo singulari modo bellandi ex seipsis decipiuntur inimici. Ratio hujus est: Primò, quòd Scotus subdit loco cit., quia hujusmodi insidiæ non repugnant veritati. Secundò, quia Judith his insidiis usa est contra Holofernem, sine armis ad ipsum accedens, ut ille facillimè deciperetur. Tertiò, quia nullus bellator tenetur modum singularem bellandi manifestare suo inimico. Adeoque, quando insidiæ non inferunt expressum mendacium contra dictum, vel promissum.

missum factum, usus illarum licitus est in bello justo.

84 *PETES QUARTO*. *An Clericis licitum sit bellare in bello justo? & an aliquem occidendo in tali bello, incurrant irregularitatem?*

Quantum ad primam partem dubii dico, non esse licitum Clericis bellare in bello justo offensivo. Ratio est. Primò, quia hoc expressè prohibitum est Clericis, præsertim in majoribus ordinibus cõstitutis, per leges Canonicas. Secundò ex eo, quod habetur ex Apost. 2. Corinth. 10. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed spiritualia.* Est tamen licitum Clericis omnibus bellare in bello justo defensivo, sive ad propriam vitam tuendam, sive ad tuendam patriam. Ratio hujus est; quia jus naturale prævalet cuicumque juri humano positivo; & quia quilibet jus naturale habet ad vitam suam, & ad vitam Patriæ servandam, iccirco etiam Clerici hoc jure potiuntur, non obstante quacunque lege humana in contrarium.

Quantum verò spectat ad secundum punctum, dico, quòd Clerici bellantes in bello justo offensivo incurrunt irregularitatem; bellantes verò bello defensivo, tum suæ vitæ, tum Patriæ, non incurrunt irregularitatem. Ratio est, quia in bello offensivo bellantur contra legem prohibentem; & ideo fiunt irregulares. In bello verò defensivo licitè bellantur; quia pro eis stat jus naturale; & ideo irregularitatem non incurrunt in bello defensivo.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De restitutione quòd ad adulterium.

*An mulier adultera, quæ filium concepit in adulterio, teneatur adulterium manifestare, ne legitimi priventur debita parte hæreditatis?*

**Q**uanquam peccatum adulterii ad genus lapsus carnis, aut fornicationis reducatur, specialem tamen malitiam dicit distinctam à fornicatione; nam adulterium supra fornicationem dicit copulam cum injuria conjugati habentis Jus in corpus ejus, quod adulterium committit: unde communiter definiti solet à Doctoribus, quòd *sit carnalis copula maris cum femina, quorum uterque vel alteruter sit matrimonio conjunctus*. Quare fit, quòd adulterium contingere possit, tum si ambo coeuntes sint matrimonio conjuncti; tum si tantum unus ex coeuntibus sit coniunctus matrimonio. Si nanque Titius solutus conjugatur, aut carnaliter cum Berta copuletur, quæ nupta est, tam Berta committit

adulterium, quàm Titius, non obstante, quòd hic sit solutus; quia cum Titius sit causa adulterii, est quoque causa injuriæ illatæ marito Bertæ. Si postea Titius sit pariter matrimonio junctus, ratione duplicis injuriæ, duplex committitur adulterium. De hac materia quantum spectat ad peccatorum pluralitatem ortam ex adulterio, quando tam vir, quàm mulier sint matrimonio conjuncti; pertractabimus (Deo dante) in disputatione de matrimonio.

85 Quantum spectat ad præsentem materiam, suppono tanquam certum apud Doctores omnes, adulterium esse peccatum contra justitiam; quia per illud læditur Jus alterius: matrimonium nanque est contractus, ratione cujus maritus acquirit Jus in corpus mulieris, & è contra mulier in corpus mariti. Et quanquam multoties accidat, adulterium committi à muliere, consentiente marito, adhuc ipsum adulterium est contra justitiam, quia per ipsum injuria fit statui conjugali, estò non fiat marito consentienti. Quare in confessione aperienda est hæc conditio à muliere, dum confitetur, se commisisse peccatum adulterij, quod scilicet hoc fecerit consentiente, vel non consentiente marito; & quidem ratione duplicis injuriæ, vel tantum unius: quæ conditio estò non mutet speciem, aggravat tamen peccatum in eadem specie: sic pariter si mulier nupta cum nupto adulterium commiserit, hoc aperire debet in confessione propter eandem duplicem injuriam. Hoc itaque supposito, adverto, quòd estò adulter injuriam faciat marito adulteræ, hanc tamen injuriam compensare non debet pecunia; cum sit sola injuria in usu corporis suæ mulieris; sed tantum compensari debet (salvis vita, & fama tam adulteri, quàm adulteræ) petendo veniam ab offenso.

Quod verò contravertitur inter Doctores, tum antiquos, tum Recentiores, est, an si mulier ex adulterio concepisset prolem, teneretur manifestare adulterium, ne per hanc prolem spuriam filii legitimi priventur debita hæreditate, & hoc quidem in foro conscientiæ, nullo damno secuturo Reipublicæ propter talem prolem spuriam: an deberet suam occultare adulterium? In hac re, suppositis iis, quæ diximus in superioribus disputationibus de bonis corporis, & de bonis famæ, quòd hæc bona sint præferenda bonis fortunæ, pro quæstionis decisione.

*DICO*, regulariter loquendo, non teneri adulteram manifestare suum adulterium, estò per prolem spuriam in adulterio conceptam, priventur legitimi debita hæreditate ad ipsos spectante. Conclusio hæc est Scoti in 4. dist. 15. qu. 2. in solutione arg. 5. *ad illud de adultera*, & cum eo omnes Scotistæ, Aretinus, Faber, Mastrius, de Orbellis, Alesanus, & alii; tenentur ab aliis extra nostram scholam, præsertim à Cajet.



Cajet, Medina, Lessio, Vasquez, Azorio, Navarro, & ab omnibus ferè Canonistis; contra Henricum, Riccardum, Adrianum, Ostiensem, & alios. Et

86 Probatur primò: si mulier adultera teneretur manifestare suum adulterium, ne prolem conceptam in adulterio priventur legitimi filii debita hæreditate, vel hanc manifestationem deberet facere ipsi filio spurio, vel suo marito; sed neutrum est dicendum: Ergo regulariter loquendo, non tenetur mulier suum manifestare adulterium, ne priventur legitimi debita hæreditate. Major est adversariorum fundamentum, Probatur minor, quò ad primam partem, quòd scilicet non debeat suum adulterium filio spurio manifestare, argumento, quòd loco cit, adducit Doctor subtilis: *Vel filius spurius crederet matri, aut non: si crederet, non est probabile, quòd propter hoc dimittere velit hæreditatem*: Ergo non teneretur mater filio spurio se manifestare adulteram, quamvis ipse filius crederet matri sic se manifestanti, Probatur antecedens ab eodem Doctore, per verba, quæ ipse subdit in textu: *Pauci inveniuntur ita perfecti, ut propter justitiam servandam in foro Dei, scilicet conscientie, dimittant magnas possessiones, quas possunt tenere jure exteriori*: Ergo non est probabile, quòd filius spurius propter fidem, quam præstaret matri, velit dimittere hæreditatem.

Si verò non crederet matri, tunc ait ipse Doctor, *essent duo mala, quia & ipsa esset diffamata, & ipse teneret hæreditatem, ut priùs*: Ergo ex nullo capite tenetur mulier adultera suum adulterium manifestare filio spurio, ne legitimi sua priventur hæreditate.

Neque valet si dicas, quòd mater ex eo, quòd filius spurius ei crederet, posset præsumere, hunc velle hæreditatem legitimis dimittere.

Non valet, inquam; quia ait Doctor in eodem textu, matrem non posse hoc præsumere, nisi multum prius experta fuisset voluntatem filii sui. Ultraquamquòd ex hac præsumptione non liberaretur mater ab infamia apud suum filium, cui manifestavit commissum adulterium; sed tenetur mater magis se liberare ab infamia apud filium suum, quam attendere bonis fortunæ succedentibus propriis hæredibus: Ergo etiam stante illa præsumptione, non tenetur mater suum adulterium filio manifestare. Major probatur ab eodem Doctore ibidem: *Non autem debet se exponere certo periculo diffamationis apud filium suum, propter incertam correctionem filii*. Incerta nãque correctio filii est, dum mater solum præsumit, hunc velle hæreditatem legitimis dimittere. Adde, quòd etiamsi certa esset mater, quòd filius spurius ex sua bona indole, vellet dimittere legitimis hæreditatem, non ideo deberet suum adulterium manifestare: Ergo &c, Probatur antecedens: majoris or-

dinis, & æstimationis moralis est fama matris, quàm hæreditas illa legitimis filiis contingens: Ergo non tenetur mater suam famam perdere, manifestando suum adulterium, ne legitimi hæreditatem perdant; præsertim quando hujusmodi hæreditas non resultat in bonum publicum.

87 Probatur nunc eadem minor principalis quò ad secundam partem; quòd scilicet neque debeat suum adulterium marito manifestare. Nemo tenetur se exponere evidenti periculo vitæ, & famæ, propter bona privata succedentia, ad quæ alter habet Jus hæreditariû; sed si mulier deberet suo marito manifestare commissum adulterium, ne legitimi privarentur hæreditate, jam se poneret in evidenti periculo vitæ, & famæ: Ergo non debet suo marito adulterium commissum manifestare. Major patet, quia vita, & fama sunt in superiori ordine bonis fortunæ. Probatur minor: dum maritus audiret à muliere commissum adulterium, propter zelum, quem habet de suo honore, posset illam occidere (ut in dies casus accidunt): vel saltem maritus odio haberet mulierem, ipsam expellendo, suumque, saltem parentibus, publicando commissum adulterium; quo modo, & infamata remaneret, & multas suscitaret discordias: Ergo quoties mulier deberet marito suum manifestare adulterium, jam vel periculo evidenti suæ mortis exponeretur; vel saltem famam amittendi.

Totum hoc deducitur ex Doctore nostro in littera: ubi ait §. contra 2. responsonem: *Quia & mulier se diffamat, & exponit se periculo mortis, & maritum periculo uxoricidii: quia talis posset esse zelator (ut sunt multi) quòd illam occideret, vel perpetuò haberet odio, & à se, & ab actu conjugii expelleret.*

88 Probatur secundò. In tantum mulier, quæ concepit prolem in adulterio, teneretur suum manifestare adulterium, ne legitimi privarentur hæreditate; in quantum fuit causa efficax damni venturi filiis legitimis; sed hæc ratio non probat, mulierem teneri manifestare suum adulterium; Ergo non tenetur suum manifestare adulterium, ne legitimi sua hæreditate priventur.

Probatur minor: quòd est causa efficax alicujus damni particularis personæ, non tenetur damnum illud reparare, vel refarcire cum periculo suæ vitæ, & honoris: Ergo quamvis mulier fuisset causa efficax talis damni, non per hoc tenetur damnum illud reparare per manifestationem sui adulterii. Probatur antecedens, primò generaliter ex eo, quòd diximus in 4. disp. de causis excusantibus, saltem ad tempus à restitutione faciendâ: quòd dum imminet periculum vitæ, vel famæ, postponenda est restitutio; & si hoc periculum semper, ac continuò est imminens, tunc vita, & fama prævalent restitutioni faciendæ: Ergo similiter, quia semper mulier est in periculo vitæ;

ta, & famæ, si suum manifestaret adulterium; nunquam tenebitur adulterium manifestare. Probatur secundò idem antecedens: majus est jus in re, præsertim ordinis superioris, quàm Jus ad rem, quæ est ordinis inferioris; sed mulier habet Jus in re ad famam suam, quam actu possidet, non obstante occulto adulterio, & fama est ordinis superioris; filii autem ad hæreditatem habent Jus ad rem, quam actu non possident, sed tantùm sunt possessuri: Ergo &c. Major patet ex eo, quod dicit Doctor in eodem textu §. *Dico ergo, prope finem resp. ad septimum: Multum differt inter habere, & prope esse;* sed mulier, non obstante, quòd concepit in adulterio, actu habet famam; & filii legitimi non actu habent hæreditatem, sed sunt prope ad illam habendam: Ergo &c.

Èò vel maximè, quòd estò actu filii legitimi sint privati hæreditate propter mortem Patris, & ipsa sit sub potestate filii spurii, adhuc mater non deberet suum manifestare adulterium: Ergo &c. Probatur hoc assumptum; nam quando Jura sunt paria, melior est conditio possidentis, ex reg. juris: Ergo &c.

Confirmatur hoc ex Innoc. III. cap. de penit. & remissione, ubi ait: *Non esse denegandam penitentiam, & absolutionem fœminæ, quæ concepit ex adulterio, nec volenti suum detegere crimen, ut impediatur damnum auferenda hæreditatis.* Ex qua canonica definitione sequitur, non obligari fœminam, quæ concepit in adulterio, suum crimen manifestare, ne legitimi hæreditate priventur: adeoque &c.

*Solvuntur Objectiones.*

89 **O**bjicies primò: si mulier non teneretur suum adulterium manifestare, ne legitimi privarentur hæreditate, duo sequerentur absurda: Ergo absolutè teneretur suum manifestare adulterium. Probatur sequela, Primò sequeretur, quòd si filius spurius esset primogenitus, & vitam iniquam duceret, præsertim hæreticam, jam mater esset causa notabilis mali venturi in Regno, in quo spurius succederet, ex eo, quòd mater crimen occultaret; sed hoc est maximum inconveniens; cum experientia constet, quòd quoties caput alicujus Regni hæresi infectus fuit, totum Regnum hac peste laboravit: Ergo &c.

Sequeretur secundò, quòd filius legitimus succedurus in Regno, esset subditus spurio, cui successio nullo Jure competit; sed hoc malum causatur à matre occultante crimen adulterii; Ergo &c.

Respondetur dicendo, quòd si bene ponderetur nostra conclusio, argumentum nil facit contra nos. Diximus enim, regulariter loquendo, non teneri adulteram, quæ in adulterio concepit, suum manifestare adulterium: quare sit, quòd absolutè, & simpliciter possi-

dari casus, in quo teneatur suum manifestare adulterium, etiamsi vita ejus, & fama periclitentur. Casus ille positus inter arguendum ab adversariis, de successione in Regno, est singularis, exclusus à Regula generali; nam quando mater adultera, sive sit Regina, sive Ducissa evidentiã habeat, quòd filius spurius, quamvis educatus, ut filius Regis, sit malæ indolis, & peste hæresis infectus, ex quo possit totum Regnum inficere: tunc quia bonum publicum prævalet cuicumque bono privato, etiam famæ, & vitæ: & quilibet, ad bonum publicum servandum, teneatur famam, & vitam suam periculo exponere; iccirco Regina, vel Ducissa tunc ad malum venturum in Regno vitandum, tenetur suum adulterium manifestare, etiamsi per talem manifestationem fama, & vita ejus periclitentur.

Circa secundum inconveniens dico, quòd quando mater cognoscit, filium spurium esse malæ indolis (estò non hæreticus) ex qua mala indole legitimus possit pati damnum notabile, etiam cum Regni rebellionem, idem Judicium effornio, quòd tunc mater teneatur suum adulterium manifestare, propter eandem rationem servandi bonum publicum. At si mater cognoscat, filium spurium non esse malæ indolis, sed bonæ, ex quo nullum legitimus pati possit detrimentum, nec Regnum, tunc dico, quòd mater non tenetur suum crimen manifestare. Neque ratio illa adducta pro inconvenienti, quòd legitimus fieret subditus fratri spurio, valet; quia talis subjectio, aliàs non cognita ut indebita, nullum Reipublicæ affert præjudicium: & æquè Regnum gubernari posset à spurio, ac à legitimo, dum spurius sit bonæ vitæ, & indolis.

Dices ad hoc ultimum: hæreditas unius regni est majoris æstimationis, quàm vita, & fama cujusunque personæ privatæ, estò hæc sit Regina: Ergo etiamsi Regina adultera cognoscat, filium spurium esse bonæ indolis, quia tamen legitimus foret regno hæreditario privatus, tenetur Regina, etiam cum periculo suæ vitæ, & famæ, adulterium manifestare. Probatur assumptum antecedentis: hæreditas unius Regni est ordinata ad bonum publicum: vita, & fama personæ privatæ non sic ordinantur; sed majoris æstimationis est, quod ordinatur ad bonum publicum, quàm id, quod ad tale bonum non ordinatur: Ergo &c.

Respondetur dist. antecedens: hæreditas unius Regni est majoris æstimationis in esse physico, quàm vita, & fama personæ privatæ, transeat antecedens: in esse morali, nego. antecedens, & consequentiam, cum secunda parte majoris probationis. Dico igitur, quòd hæreditas unius Regni, atque etiam plurium, & innumerabilium Regnorum, in esse morali, non est majoris æstimationis, quàm vita, & fama cujusunque personæ privatæ, præsertim Regina, quæ si diffamata esset propter commissum

R r adul.

adulterium , jam infamia publicata esset per totum universum , & redundaret in maximum detrimentum parentum , & ipsius Regni , de quo semper diceretur , habuisse Reginam adulteram. Quòd autem in esse morali non sit majoris æstimationis hæreditas Regni , quàm vita , & fama Reginæ , patet ex illa regula generali philosophica , morali etiam adaptata: *Nunquã maximum generis infimi est majoris dignitatis minimo generis supremi* : unde maximus homo non est majoris dignitatis minimo Angelo: nec maxima bestia est majoris dignitatis minimo homine . Sic in proposito; quia vita , & fama sunt altioris ordinis bonis fortunæ , nequit esse majoris æstimationis , & dignitatis maxima hæreditas, etiam Regnorũ, quocunq; bono vitæ, & famæ, etiam infimo. Et quãvis hæreditas illa Regni ordinetur ad bonũ publicũ , non per hoc prævalet in æstimatione vitæ, & famæ: nã vita, & fama hominis, etiam ad bonum publicum ordinantur; cùm majoris æstimationis sint illa Regna , quæ habent homines bonæ famæ, quàm illa, quæ homines habent malæ famæ: adeoque &c.

90 Obijcies secundò: mulier, quæ concepit filiũ in adulterio, in tantũ non posset, nec teneretur adulterium manifestare. saltem filio suo, in quantum apud ipsum infamaretur; sed hæc ratio non valet: Ergo saltem tenetur suum crimen filio suo manifestare, ne legitimi debita priventur hæreditate. Probat minor: mulier, quæ concepit in adulterio, dum adulterium commisit, famam perdidit, & justè fama ei non debetur ampliùs: Ergo &c. Probat assumptum: per injuriam factam marito, & statui conjugali, amisit honestatem, & continentiam; Ergo etiam famam: Ergo non potest cum damno legitimorum filiorum famam suam tueri, occultando adulterium commissum.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dist. antecedens, quò ad primam partem: famam perdidit, si adulterium fuit publicum, vel saltem publicatum (quo modo mulier jam est diffamata apud alios) concedo antecedens, quò ad primam partem: si adulterium fuit secretum, & non publicatum, nego antecedens, quò ad primam partem. Et eodem modo dist. secundam: quando adulterium est publicum, justè ei fama non debetur, concedo: quando non est publicum, sed secretum: vel si est per alios publicatum, & non causa ipsius adulteræ, justè ei non debetur fama, nego antecedens, quò ad secundam partem, & consequentiam suæ probationis. Dico igitur, quòd quando mulier commisit occultum adulteriũ, quamvis amisit honestatem, & pudicitiam, quantum spectat ad forum internum, & in ordine ad Deum; non tamen amisit famam, quæ est in foro externo, & in ordine ad mundum, cùm apud hunc, inscium talis adulteriũ, adhuc stat in bona fama. Quando verò mulier

commisit adulterium publicum, tunc est publicè infamata, & ei non justè debetur fama, quia jam illam amisit causa sui, publicando suum adulterium, vel illud in publico committendo. In quo casu, neque filio spurio deberet illud occultare, præsertim cum damno, & detrimento legitimorum filiorum. Quando verò adulterium est occultum, & per alios publicatum, putà per adulterum, tunc adulteræ justè debetur fama; neque per hoc quòd est publicatum, ipsa tenetur suum crimen fateri; quia famam suam quantum potest, debet tueri. Argumentum itaque potiùs probat de adulterio publico, per quod fama amittitur, quàm de occulto, per quod fama non amittitur.

92 Dices primò: quamvis adulterium illud fuerit occultum, tamen mater de bona indole, cognita in filio spurio, posset præsumere, hunc, & ei fidem præstiturum, & aliis tale adulterium non manifestatarum: Ergo saltem salvaretur ejus fama apud alios; ac per consequens, ne legitimi debita hæreditate priventur, tenetur mater, saltem filio suo spurio bonæ indolis, occultum adulterium manifestare.

Respondetur juxta dicta in nu. 86. ex Scoto, quòd non debet mater se exponere certo periculo diffamationis apud filium. Unde quamvis cognosceretur filius tam bonæ indolis, ut videatur non esse aliis revelaturus occultum adulterium matris, tamen semper apud ipsum filium esset in mala fama; & posset ipse filius credere, quòd mater diu viveret in statu impudicitæ. Ad talem igitur diffamationem tollendam, non tenetur mater filio suo adulterium occultum manifestare. Et per hoc patet, sententiam Riccardi, & Henrici non esse tenendam, qui dixerunt, teneri matrem adulteram filio suo spurio adulterium occultum manifestare, ne legitimi hæreditate priventur.

93 Dices secundò, prosequendo objectionem: si persona aliqua secretò esset hæretica, jam amisisset jus ad famam, ita ut teneretur de necessitate salutis suam hæresim manifestare, & de illa pœnitere: Ergo pariter, quamvis mulier occultum commiserit adulterium dicenda est amisisse jus ad famam, ita ut de necessitate salutis teneretur crimen illud manifestare, ne legitimi debita privarentur hæreditate. Probat ista consequentia à paritatis ratione: in tantum hæreticus, licet occultus, diceretur amisisse jus ad famam, & de necessitate salutis teneretur hæresim occultam manifestare, in quantum hæresis est peccatum, infectivum animæ, & corporis, & simul inducivum aliorum ad malum, & ad damnum ipsorum; nam si quis cum hæretico occulto conversaretur, posset de facili hæreticus evadere; præsertim si hæreticus occultus esset doctus, & magnæ authoritatis; in quo casu grave, & notabile damnum eveniret. Sed hoc ipsum præstat ab

ab

ab adulterii peccato, faltem ex damno illato legitimis: Ergo &c.

Respondetur dicendo, antecedens indigere explicatione. Etenim si hæreticus occultus nullum aliis per suam hæresim intulerit detrimentum, neque inq̄uendo illos ad suam hæresim sequendam; neque illos provocando, ita ut ad suum exemplum alii fiant hæretici; tunc sufficit ei, ut suam hæresim secretò manifestet Confessario, casum occultæ hæresis absolvere potenti, deponendo pravam illam voluntatem, & incredulitatem, quam priùs habebat; quo modo posset simul famam suam salvare, & se de commisso crimine pœnitere: unde de necessitate salutis non teneretur per publicam manifestationem, hæresim deponere. Quando autem hæreticus hic occultus damnum aliis intulerit, qui facti sunt hæretici, tunc de necessitate salutis teneretur publicè suam hæresim manifestare, ut alii, ab ipso seducti, convertantur, & ad veram perveniant fidem; neque tunc attendere debet propriæ famæ, quia in hoc casu prævalet bonum publicum famæ privatæ, propter damnum, & quidem maximum, aliis ex eadem Republica illatum. Neque dici posset hæreticus occultus per occultam hæresim statim infamatus; nam infamia, quæ oritur ex delicto, vel est per Judicis sententiam, vel est, quando delictum coram aliis commissum, factum est publicum; secùs verò quando delictum est occultum, & nemini manifestum: & hoc valet, non obstante, quòd crimen hæresis sit infectivum animæ, & corporis, & vergat in aliorum detrimentum. Eodem modo discurrendum est de adulterio occulto, quòd semper atque occultum est, & nemini notum; neque damnum inducit communitati, & Reipublicæ, ut dictum est num. 89. respondendo ad primam objectionem; non teneretur adultera, de necessitate salutis, illud manifestare, sed sufficit de illo pœnitere: & hoc modo mandaretur ab infectione animæ, & corporis.

94 Aliam objectionem adducere possem, quæ est probatio Hostiensis in sua summa; quòd scilicet teneatur mulier suum adulterium marito manifestare; quæ tamen per impugnacionem supra positam num. 87. facilè solvitur: ut advertit Doctor loc. cit. prope finem §. cit. ubi ait: *Ad ista mala diffamationis, mortis, vel saltem odii, vel discordia, quæ sunt valde probabilia, & videntur, ut in pluribus eventura, non debet se mulier exponere propter incertum bonum hæreditatis restituenda. Et præter hoc, in terris, ubi primogenitus est hæres, Pater si crederet uxori, non posset à spurio auferre hæreditatem, nisi in foro publico probaret, eum talem; & tunc oportet, mulierem diffamari, non tantum apud maritum, sed apud totam Patriam.* Ex quibus verbis deducitur, quòd estò nullum ex illis inconvenientibus sequeretur, scilicet mortis mulieris, odii, aut discordiæ; tamen in casu, quo spurius esset primogenitus,

ad auferendam hæreditatem ei non competentem jure hæreditario, deberet maritus probare in foro publico, mulierem esse adulteram; ex qua probatione mulier non tantum esset apud maritum infamata (ut prætendunt, & concedunt Adversarii), sed apud totam Patriam.

95 Ex his pro casuum conscientie resolutione infero primò. Quòd regulariter loquendo, quando nullum damnum evenit Reipublicæ, non tenetur in foro conscientie mulier, quæ filium concepit in adulterio, adulterium ipsum manifestare, ne filii legitimi dubita priventur hæreditate. Ratio est, quia nemo debet pro bono fortunæ particulari, dum nullum inferatur Reipublicæ detrimentum, infamare seipsum; cum fama sit altioris ordinis bono fortunæ.

Secundò infero, quòd dum damnum evenire posset Reipublicæ; tunc mulier, quæ concepit filium in adulterio, tenetur suum manifestare adulterium, ne legitimus sua hæreditate privetur; etiamsi mulier ipsa per talem manifestationem poneretur in periculo evidenti vitæ suæ, & famæ: ut si Regina aliqua conceperit filium primogenitum in adulterio, qui viveret vita scandalosa, & esset infectus hæresi, ex qua hæresi posset totum Regnum periclitari; tunc teneretur adulterium manifestare, etiamsi poneretur in vitæ, & famæ periculo; ne legitimus, qui sanguinem regium traxit, hæreditate privetur. Ratio est, quia bonum publicum semper est præferendum bono privato, tum famæ, tum vitæ; præsertim quia bonum publicum utrumque bonum privatum, famæ, & vitæ includit.

96 *PETES ex dictis. An sit obligata mulier illa adultera ad aliquid aliud faciendum, ne legitimi filii priventur debita hæreditate?*

Respondetur cum Doctore nostro §. Dico, ergo in loc. sup. cit. *Quòd mulier debet laborare, quantum potest, ad hoc, quòd hæreditas reddatur vero hæredi; quantum in se est. Et subdit: Vnus modus honestus est, ut intret Religionem; alius ut sit Clericus, & recipiat beneficia Ecclesiastica, & his quasi sufficientibus contentus, hæreditatem dimittat alii fratri laico remanenti.* Istos duos modos proponit Doctor in littera, quos sequuntur, & docent omnes citati Doctores. Et quando filius spurius, (ut multi ex citatis Doctoribus asserunt) nollet matris persuasione moveri ad dimittendam hæreditatem fratri legitimo, tunc quantum in se est mater, secundum correspondentiam justitiæ, debet laborare ad relinquendam partem dotis, quam disponere potest, filiis legitimis. Et si nihil disponere potest, ad nihil tenetur amplius. Hoc etiam ex verbis Doctoris deducitur: *Et tunc debet mulier laborare, aliunde restitutionem fieri vero hæredi, quantum potest, & secundum correspondentiam justitiæ.* Postquam igitur adhibuit mulier omnem diligentiam, ut spurius hæreditatem dimittat, servare debet tertium

modum supra notatum, scilicet, si habeat de bonis suis, illa bona relinquere filiis legitimis deberet.

### QVÆSTIO DVODECIMA.

*An Adulter teneatur ad omnia damna  
provenientia ex adulterio?*

**I**N quarta disputatione hujus libri in calce quæstionis 3. dubio 3. nu. 35. diximus, quòd dum plures ad idem damnum causandum concurrerint, tunc omnes teneantur damnum ipsum refarcire, & quidem in solidum; quægenus omnes se habent, velut una causa totalis damnificationis. Et insuper dubio 4. sequenti resolutum est cum Doctore nostro in 4. dist. 15. q. 2. §. *Istorum*. quòd uno restituyente ex his damnificantibus, ceteri, estò sint soluti à debito restituendi ei, cui damnum fuit illatum, tenentur tamen pro rata restituere ei, qui totum reparavit. His verbis suam exprimit doctrinam Scotus: *Tunc uno restituyente, omnes alii liberantur à debito in comparatione ad illum damnificatum; tamen alii tenentur pro rata portionis, quam eis contingit, illi, qui pro omnibus satisfecit.*

97 Qua supposita Doctrina, notandum est, per adulterium, quando mulier filium spurium ex adulterio concepit; plura damna evenire, ultra injuriam, quæ infertur statui conjugali, & marito adulteræ, quando ipso invito, mulier cum alia copulatur persona: præcipua damna, quæ sequuntur, sunt nutrimentum, victus, & vestitus præstandi filio spurio usque ad tempus, quo possit ipse de per se vivere. Et si hæc omnia præstentur à marito adulteræ, quia supponit, & credit, spurium esse filium suum legitimum; tunc damnum, quod hic patitur, refarciri debet ab adulteris, à muliere scilicet, & à viro adultero; quia in solidum causa fuerunt illius damni: vel si unus ex his in integrum reparat damnum illatum, scilicet præstando alimentum, victum, & vestitum spurio, tunc licet alter sit solutus à debito alendi spurium, remanet tamen obligatus pro sua parte ad satisfaciendam ei, qui in integrum satisfecit. Hac præmissa doctrina è Scoto loc. cit. desumpta, suppono, tanquam certum, nec adulteram, nec adulterum teneri ad damnum refarciendum, quando adest periculum vitæ, & famæ, vel adulteri, vel adulteræ: in tali namque periculo postponenda est restitutio, ut diximus in 4. disp. cit. Et insuper suppono tanquam certum, adulterum non debere statim credere mulieri adulteræ, concepisse filium spurium ex adulterio cum ipso perpetrato; sed ad hoc credendum debet habere sufficiens motiuum credendi, adulteram ipsum adulterum amasse nimio amore, ratione cujus amoris co-

pulam cum aliis non habuisset. Stante hoc sufficiens motivo in adultero credendi mulieri, quòd proles spuria sit filius ipsiusmet adulteri, videndum est, an hic teneatur ad omnia illa damna, quæ injustè patitur maritus adulteræ in alimentis præstandis filio spurio? Et pro quæstionis resolutione

*DICO*, Adulterum, qui habet sufficiens motiuum credendi, filium spurium esse suum, teneri ex justitia ad damna reparanda, quæ sequuntur, simul cum muliere; & hoc fieri debet, si nullum adsit periculum vitæ, & famæ restituentis. Conclusio deducitur ex Doctore nostro loc. cit. §. *Istorum*, quem sequuntur Faber, Aretinus, Mastrius, de Lugo, Silvester, Cajet, Navarrus, Molina, & alii, contra Dianam, Sotum, Henriquez, & alios. Et

98 Probatur prima pars: quando adulter habet sufficiens motiuum credendi, filium spurium esse suum, certò cognoscit damnum, quod injustè patitur maritus adulteræ in alendo ipso spurio, uti legitimo; sed qui causat damnum, quod alter injustè patitur, tenetur ad damnum illud refarciendum: Ergo dum adulter habet sufficiens motiuum credendi filium spurium esse suum, tenetur ad damnum refarciendum, simul cum muliere, quod injustè maritus patitur. Major probatur; quia dum credit, filium esse suum, si hic nutrimentum recipit ab altero, scilicet à marito adulteræ, recipit nutrimentum ab eo, qui non tenetur illud præstare: Ergo jam maritus injustè pateretur in præstando nutrimento filio non suo. Probatur antecedens: nemo tenetur ex justitia præstare nutrimentum alteri, ut filio, qui re vera non est ejus filius: Ergo quoties spurius à marito adulteræ reciperet nutrimentum, jam reciperet ab eo, qui non tenetur illud præstare.

Estò vel maximè, quia filius Jus habet recipiendi nutrimentum, tantum contra Patrem, & non contra alium: Ergo debitum est in Patre nutrimentum præstandi filio; sed quando adulter credit, filium spurium esse suum, jam ponitur in debito nutrimentum præstandi filio suo: Ergo quoties tale nutrimentum ab alio præstatur, huic adulter tenetur restitutionem facere.

Minor principalis argumenti non fuit probata, quia in quæstione 3. 4. disp. & alibi sæpe sæpius probata est; imò propositio illa notissima est apud omnes Doctores.

Confirmatur hoc: si maritus adulteræ certò sciret, filium illum, quem nutrit, esse spurium, non solum non præberet ipsi nutrimentum, sed posset justè compellere tam adulteram, quam adulterum apud Judicem, ut ei damnum refarciatur; sed hoc justè facere non posset, nisi quia injustè patitur damnum in alendo filio spurio: Ergo injustè tale damnum patitur. Sed patitur illud injustè ab adultero, & adultera simul causantibus tale damnum: Ergo uterque

que tenetur ad damnum illud refarciendum. Et si una per integrum refarsit damnum, alter ad hanc pro rata tenetur ex iustitia: ut patet ex illis verbis Doctoris nostri supra relatis ex §. Istorum.

99 Probatur secunda pars: Nemo tenetur cum periculo suæ vitæ, & famæ satisfacere Juri, quod alter habet contra ipsum: Ergo adulter cum periculo suæ vitæ, & famæ non tenetur damnum illatum pro filio concepto in adulterio refarcire. Probatur antecedens: majus est Jus, quod quis habet ad suam vitam, & famam, quàm Jus, quod quis habet ad bona fortunæ; illa nanque sunt altioris ordinis: Ergo nemo tenetur cum periculo suæ vitæ, & famæ satisfacere Juri, quod alter habet contra ipsum, & quidem in bonis fortunæ; nam si Jus utriusque esset in eodem ordine: ut V. G. habeo Jus famæ contra te, quam abstulisti à me; tunc debes mihi reddere famam, etiam cum deperditione tuæ; quia mihi justè competit fama (ut diximus in §. disp. cum Scoto); tibi verò non justè competit.

Hæc secunda pars: patet ex iis, quæ diximus in 4. disp. de causis excusantibus à restitutione statim faciendâ; quarum una erat, periculum vitæ, & famæ restituentis.

*Solvuntur Objectiones.*

100 **O** Bicies primò contra primam partem: In tantum adulter, quando habet sufficiens motium credendi, filium spurium esse suum, teneretur ad damna refarcienda pro rata, in quantum ipse adulter est causa talis damni, quod injustè patitur maritus adulteræ; sed hoc est falsum: Ergo non tenetur ad tale damnum refarciendum. Probatur minor: sola mulier est causa proxima illius damni; & adulter est causa tantum remota, quatenus concepit filium illum spurium, sive ex proprio consensu, sive inductus à muliere: Ergo adulter non est causa illius damni, quod injustè patitur maritus adulteræ. Probatur antecedens: sola mulier adulteræ est causa, propter quam maritus decipiatur, supponendo filium ipsum spurium esse suum, & non in adulterio conceptum: Ergo sola mulier est causa proxima illius damni. Probatur antecedens; nam mulier, tacendo adulterium, facit, ut maritus credat, filium illum esse suum, & non ex adulterio conceptum: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, & antecedens probationem, ad cujus probationem nego etiam antecedens. Dico igitur, quòd tam adulteræ, quàm adulter est causa proxima, & immediatâ illius damni, quod injustè patitur maritus in nutrimento præstando filio spurio; & uterque est causa, propter quam maritus decipiatur; cum hoc tantum discrimine,

quòd mulier immediatè maritum decipit, supponendo filium spurium esse suum, & legitimum; sed adulter est causa principalis talis deceptionis; quia ipse induxit matrem adulteram ad supponendum filium marito, ne delictum suum proderet. Ratio hujus est evidentissima, quia tam adulteræ, quàm adulter peccatum commiserunt adulterii, ex quo natus est filius spurius: unde sicut unus, & altera fuerunt causa natæ prolis spurie, ex qua sequitur damnum illud, quod injustè patitur maritus; ita tam adulteræ, quàm adulter sunt etiam causa proxima illius damni: nam quod dat causam alicui antecedenti, ex quo sequitur infallibiliter consequens, est causa, nedum antecedentis, sed etiam consequentis. Ultraquam hoc sit notum in physicis, patet etiam in moralibus, præsertim de eo, qui comburit vineam; cum ista combustio sit causata à comburente, tunc comburens tenetur ad omnia damna sequentia ad ipsam combustionem. Sic pariter, quia proles spuria est causata tam ab adulteræ, quàm ab adultero, & ab utroque ad occultandum delictum, est supposita marito, qui damnum patitur in præstandis alimentis, quod damnum sequitur ex adulterio; iccirco sicuti uterque causat adulterium, ita uterque causat damnum illud, quod injustè patitur maritus.

Dices: quamvis adulter causaverit damnum, producendi scilicet prolem spuriam simul cum adulteræ, tamen hæc sola decipit maritum, supponendo prolem illam esse mariti, & non adulteri: Ergo nulla responsio. Probatur assumptum antecedens: maritus decipitur, supponendo, prolem illam esse suam; quia mulier tacet, & occultat commissum adulterium; quasi intendendo damnum illud mariti in educanda prole non sua: Ergo sola mulier est causa damni, & damnum secutum intendit, & non adulter.

Respondetur negando assumptum antecedens, ad cujus probationem, dico, nedum mulierem decipere maritum, occultando commissum adulterium; sed etiam adulterum, dum hic evidens motium habeat credendi, prolem illam esse suam, & non mariti; quia tunc tam mulier, quàm adulter delictum occultant; ratione cujus occultationis decipitur maritus. Quapropter nedum adulteræ, verum etiam adulter causat damnum illud marito: præsertim quia spurius utriusque filius est, tam scilicet adulteræ, quàm adulteri, & ex iustitia nutriendus esset ab utroque. Et quoniam nutritur à marito, cum proprio istius damno, idè uterque parens, adulteræ scilicet, & adulter ad tale damnum refarciendum tenentur. Nec est verum, quòd sola mulier intendit damnum illud; imò etiam si non intenderet tale damnum (cum adulterium committi possit absque intentione talis damni); adhuc ad illud damnum uterque damni-



manifestans tenetur: ut patet de eo, qui domum, vel vineam comburit. Quare concludo, quòd tam adultera, quàm adulter teneatur ad damnum resarciendum, marito illatum.

101 Obijcies secundò ad idem: ut Adulter sit ex justitia obligatus ad damna secuta ex adulterio, debet maximam habere certitudinem, excludentem omnem formidinem, quòd filius spurius sit suus; sed nullus adulter potest hanc certitudinẽ habere: Ergo per solum motium sufficiens credendi mulieri adulteræ non tenetur ad damna secuta ex adulterio. Minor est certa, tum quia potest Adulter dubitare, quòd mulier illa adultera adulterium commiserit cum altero viro; nam sicut proclivis fuit ad carnaliter se copulandi cum ipso, ita posset dubitare, quòd idem fecisset cum altero viro. Tum etiam quia, si maritus dormierit cum ipsa, & non esset absens, posset etiam credere, quòd proles illa fuisset genita cum marito, & non cum ipso adultero. Probatur nunc major: quoties non habetur maxima certitudo, excludens omnem formidinem, toties in adultero nequit insurgere obligatio orta ex justitia; sed quando non insurgit hujusmodi obligatio ex justitia, non tenetur ad damna secuta: Ergo &c. Probatur major; nam stante illa formidine, melior est pro adultero conditio possidentis, quòd scilicet non sit obligatus: Ergo dum adulter non sit certus certitudine excludente omnem formidinem, nulla in eo insurgere potest obligatio ex justitia.

Respondetur negando majorem, & majorem probationem. Dico igitur, quòd, ut insurgat in adultero obligatio ex justitia ad resarcienda damna secuta ex adulterio, non est necesse, ut maximam habeat certitudinem, excludentem omnem formidinem; quæ maxima certitudo est potius physica, quàm moralis; imò videtur in hoc casu omninò impossibilis, etiam si continuò teneret adulteram in scrinio, ut nulla in adultero insurgere possit dubietas, & formido; sed sufficit, ut habeat sufficiens motium, juxta prudentiam credendi mulieri attestanti, prolem spuriam esse suam; quòd motium est morale, ortum, vel ex eo, quòd maritus fuerit absens per longum tempus, ita ut nullam potuerit cum muliere habere copulam, vel quòd mulier semper permanferit in aliquo loco tuto in custodiam amicorum, vel consanguineorum adulteri, ita ut hic posset credere, mulierem nullam habuisse cum alio copulam. Ex quo motivo credendi insurgit in eo obligatio ad alendum, sustentandumque spurium, ab ipso genitum. Nec est vera illa ratio adducta ad ultimam probationem, quòd scilicet melior sit conditio possidentis; quia quando in dubio circa actum justitiæ exercendum, nulla lex favet possidenti, tunc dubitans tenetur ad damnum. Hoc patet ex eo, quod diximus in 2. disp. qu. de Jure præscriptionis; quòd, qui dubitat ante tempus

præscriptionis, an res, quam possidet, sit sua, vel non, tenetur ad restitutionem; quia tunc ei non favet Jus præscriptionis; sed solum ei favet, quando dubium est post elapsum tempus præscriptionis. Idem dicendum in proposito, quòd, quia adulter dubitat, eo tempore, quo incipit obligatio, & nulla lex pro tali tempore ei favet, ideo tenetur ad damnum resarciendum; & non est necessaria maxima certitudo.

102 Obijcies tertio contra secundam parrem. Quando quis obligatus est ex justitia ad damnum resarciendum, debet damnum illud resarcire, non considerato quocunque vitæ, & famæ periculo; sed dum adulter habet sufficiens motium credendi, filium spurium esse suum, est obligatus ex justitia ad damnum resarciendum: Ergo etiam si adsit periculum suæ vitæ, & famæ, debet damnum illud resarcire. Patet minor ex prima parte conclusionis. Probatur major: periculum vitæ, & famæ adulteri ad resarciendum damnum sequens ex adulterio, non est majus periculo vitæ, & famæ, cui se exposuit ad adulterium committendum; sed non obstante periculo vitæ, & famæ, cui se exposuit adulter ad committendum adulterium, jam adulteravit, contra justitiam peccavit, ac maritum adulteræ injuriavit: Ergo non obstante periculo vitæ, & famæ ejusdem adulteri, debet damnum resarcire, ad adæquandam justitiam, contra quam peccavit, & ad injuriam compensandam. Consequentia sequitur, quia servanda est æqualitas inter jus, & debitum. Major etiam est evidens, quia si maritus scivisset, uxorem esse adulteram, & illam, & adulterum occidisset; qua occasione posita, simul vitam, & famam amisissent: Ergo &c.

Respondetur negando majorem, ad cujus probationem dist. majorem: & adest utrobique obligatio se exponendi periculo vitæ, & famæ, nego majorem, & non adest hujusmodi obligatio, concedo majorem, & concessa minori, nego consequentiam. Dico igitur, aliud esse, aliquem liberè, ac voluntariè se exponere periculo vitæ, & famæ, absque ulla obligatione se exponendi tali periculo: & aliud esse, aliquem se exponere periculo vitæ, & famæ, cum obligatione se exponendi tali periculo. Quando adulter committit adulterium, utique se exponit periculo amittendi vitam, & famam, si maritus esset conscius de adulterio; non tamen ex obligatione, neque ortá ex præcepto, neque ex justitia, neque ex quacunque alia virtute: aliàs dari posset obligatio ad peccandum (quod est impium asserere): sed solum ex mera sua voluntate adulter se exponit tali periculo. Quando autem adulter se exponeret periculo vitæ, & famæ ad restituendum, tunc tale periculum oriretur non ex libera adulteri voluntate, sed ex obligatione justitiæ (ut supponitur ab adversariis): & quia nulla talis obli-

obligatio esse potuit ad exequendum ex iustitia actum inferioris ordinis, ut est restitutio in bonis fortunæ cum periculo vitæ, & famæ, quæ sunt altioris ordinis; iccirco nulla talis obligatio esse poterit in adulterio, restituendi cum periculo suæ vitæ, & famæ. Et hoc valet de quacunque restitutione, etiam in eodem ordine superiori; nam homicida secretus, qui secretò homicidium commisit, non tenetur pro satisfacienda injuria, ex iustitia se vitæ periculo exponere, ut diximus in 5. disp. nu. 42. adducendo doctrinam Scoti in responsione cujusdam dubii; quæ doctrina desumpta est ex 4. dist. 15. q. 4. §. *sed remanet difficultas*; ubi ait: *Durum videtur, quòd quilibet accusatus in publico ab uno, statim teneretur de necessitate salutis in publico confiteri illud, & sic statim se exponere patibulo in iudicio sanguinis*. Ex qua Scoti doctrina deducitur, quòd si pro quocunque gravi delicto, etiam homicidii, dum delictum non est publicum, nec plene probatum, in conscientia non tenetur accusatus, illud crimen coram Iudice fateri, exponendo se patibulo sanguinis: à fortiori dicendum est, quòd quando crimen est in ordine inferiori, ut est adulterium, & per ipsum non est adulter accusatus, sed delictum est secretum, non tenetur in conscientia damnum resarcire cum periculo suæ vitæ, & famæ.

103 Pro casuum conscientie resolutione. Primò infero, quòd adulter non tenetur resarcire damnum, quod patitur maritus adulteræ in sustentanda prole spuria, si ipse adulter non habeat sufficiens motium credendi, spurium illum esse filium suum: quod sufficiens motium, cum sit prudentiale, ac per consequens morale, est desumptum ex duplici capite: primò ex eo, quòd maritus fuerit ab lens per longum tempus: secundò ex eo, quòd mulier fuerit saltem usque ad gravidationis tempus in custodiam feminarum ipsius adulteri, ita ut prudenti iudicio judicare potuerit, talem adulteram cum alio viro non potuisse copulam habere. Ratio hujus est, quia nemo tenetur ad damnum resarciendum, nisi habeat sufficiens motium credendi, quòd damnum causaverit: Ergo quando tale motium non habet, non tenetur ad damnum illud.

Secundò infero, quòd ut adulter teneatur ad damnū, non sit necessaria maxima certitudo, quòd filius spurius sit suus. Ratio est, primò, quia in his casibus talis certitudo est impossibilis: secundò, quia ad obligationem ex iustitia sufficit credere prudenter, quòd sic obligatus causaverit damnum.

Tertiò infero, quòd quando adulter dubitat, an filius spurius sit suus, an verò legitimus, à marito adulteræ genitus, ad nihil tenetur; quia in tali dubio majus est Jus filii, ut existimetur legitimus, quàm sit debitum adulteri ad resarciendum damnum: imò in rebus dubiis, ut dicunt multi Doctores, cum

Lessio in hoc casu, *melior est conditio possidentis*, Ita etiam tenent omnes Theologi, & Canonistæ.

Quartò tandem infero, quòd si habeatur dubium, quòd proles spuria sit filius, vel hujus, vel alterius adulteri; in casu, quo mulier copulam habuisset cum duobus viris; tunc uterque ex æquo tenetur ad sustentandum puerum; præsertim si uterque sufficiens motium habeat credendi, quòd filius non sit à marito genitus (si mulier nupta sit), vel quòd non sit alterius viri (si mulier non sit nupta). Ratio, quam communiter adducunt Doctores, est, quia quando uterque habet sufficiens motium credendi, prolem illam non esse neque mariti, neque alterius, sed solùm uterque dubitet, an sit alterutrius, tunc tale dubium, neutrum ipsorum dissolvit ab obligatione sustentandi puerum. Quod patet, quia dubietas est tantùm inter eos; & relatè ad maritum, vel alium extra maritum, adest motium credendi, non esse filium nec mariti, nec alterius. Sed tale motium credendi in utroque ponit obligationem sustentandi prolem ipsam: Ergo &c.

## QVÆSTIO TERTIADECIMA.

### De restitutione quò ad stuprum.

*An deflorator teneatur ad restitutionem, tam puellæ defloratæ, quàm Parentibus ejus?*

**Q**Uæ hæcenus diximus de restitutione ex adulterio, anam præbent dubitandi de damno proveniente ex stupro, ejusque restitutione: quod quidem in præsentem quaestione, ac duabus sequentibus absolvemus.

Est autem stuprum, tum ab adulterio, tum à simplici fornicatione diversum; nam adulterium, est carnalis copula in statu conjugali, sive copulam habentes sint ambo conjugati, sive tantùm mulier sit nupta, sive tantùm sit nuptus vir: fornicatio est carnalis copula sive inter solutos, sive inter virum, & feminam consentientem. Stuprum tandem est defloratio Virginis, ipsa invita. Ex qua stupri descriptione inferitur tanquam probabilius apud omnes ferè Doctores, contra Ledesmam, & Grassium, quòd quando Virgo consensum liberum præbet ad sui deflorationem, in tali casu hujusmodi defloratio non est stuprum, sed simplex fornicatio. Hac præmissa doctrina,

104 Quantum spectat ad præsentem controversiam, suppono, deflorationem Virginis contingere posse, vel ex consensu voluntariè præstito ab ipsa Virgine; vel per metum, vim, & dolum ipsius defloratoris. Et insuper suppo-

no,

no, Virginem defloratam, sive ipsa consentiente, sive ipsa invita, & per vim, & metum, damnum esse passuram per talem deflorationem, tam in fama, quam in dote majori, qua indiget, si eam velint parentes in matrimonium collocare. Quæstio nunc procedit, tam de damno ipsius Virginis defloratæ, quam de damno illato parentibus, propter majorem dotem, quam tradere debent filiæ defloratæ, propter virginitatem amissam. Et pro resolutione utriusque difficultatis,

*DICO*, eum, qui Virginem defloravit, ipsa liberè consentiente, nec ipsi defloratæ, nec Parentibus ejus teneri ad restitutionem. Qui verò Virginem defloravit, ipsa invita, & per vim, & metum, aut dolo, & fraude, ad restitutionem teneri, tam Virgini defloratæ, quam Parentibus ejus. Conclusio quò ad primam partem, est Molinæ, Ledesmae, Soti, de Lugo, Poncii, Mastrii, & aliorum contra quosdam Canonistas, & Juristas. Quò ad secundam est eorundem Doctorum contra Azorium, Navarrum, & alios. Quò ad tertiam, & quartam partem communissima est inter omnes Doctores. Et colligitur ex Scoto in 4. dist. 15. qu. 2. & dist. 29. qu. un. §. de secundo. *Ad primum.*

- 105 Probatur prima pars, quòd scilicet non teneatur ad restitutionem ipsi defloratæ. Nemo tenetur ad restitutionem pro damno aliquo illato, nisi damnum illud oriatur ab actione contra justitiam; sed quando Virgo deflorata liberum consensum præbuit ad sui deflorationem, deflorans non fecit actionem contra justitiam: Ergo deflorans non tenetur ad damnum illatum, ipsa consentiente. Major est certa, quia tantum ex peccato contra justitiã sequitur obligatio ad restitutionem; cum tantum virtus justitiæ servet æqualitatem inter jus, & debitum. Et ulterius patet de eo, qui accipit à Petro centum, ipso liberè consentiente, seu liberè dante centum, tunc accipiens non teneretur ad restitutionem, nec contra justitiam peccaret; quia talis datio esset libera donatio. Probatur minor: deflorans Virginem ipsa consentiente, peccat tantum contra temperantiam, & continentiam, eo prorsus modo, ac si copulam haberet cum muliere libera; estque tantum peccatum simplicis fornicationis, & non stupri: Ergo non facit actionem contra justitiam. Probatur antecedens: deflorans Virginem, ipsa consentiente, nullam Virgini infert injuriam: Ergo solum peccat contra temperantiam, & continentiam. Probatur antecedens ex communi axiomate: *Consentienti nulla fit injuria*: Ergo &c.

Confirmatur, quia in tantum teneretur deflorator ad restitutionem, in quantum violaretur claustrum virginale; sed hæc ratio non probat: Ergo deflorator ad restitutionem non teneretur. Probatur minor; quia tantum de materiali fractum est claustrum virginale, & non de formali, & juxta moralem

existimationem, quando puella consensum præbuerit, liberè volens, ut frangeretur: Ergo illa ratio non probat.

- 106 Probatur secunda pars, quòd scilicet stuprator neque teneatur restituere parentibus. In tantum stuprator teneretur restituere parentibus defloratæ, in quantum parentes damnum paterentur, ipsis invitis, de majori dote conferenda filiæ defloratæ; sed hæc ratio non probat: Ergo neque stuprator tenetur restituere parentibus, quando ipsa liberum præbuit consensum. Probatur minor: posito libero consensu filiæ defloratæ, damnum illud de majoritate dotis, non est ortum ex injuria facta mulieri, nec facta parentibus; sed quando damnum non oritur ex injuria, aut injuria alteri facta, nullam ponit obligationem restituendi: Ergo &c. Probatur major, quoad secundam partem; nam prima patet ex superiori probatione: si quæ esset injuria, aut injuria illata parentibus, in augmento dotis, non magis proveniret à deflorante, quæ à deflorata consentiente; sed prout provenit à deflorata consentiente, non oritur ex injuria, aut injuria illata parentibus: Ergo neque prout provenit à defloratore. Probatur minor; nam Virgo deflorata domina est sui corporis, potens de illo disponere, citra injuriam, (quamvis non citra incontinentiam) ad suum beneplacitum: Ergo dum liberè consensum præbuit ad sui deflorationem, nullam parentibus fecit injuriam: Ergo &c.

Confirmatur hoc ultimum: Virgo potest absque parentum injuria nuptias facere, & bene, vel malè nubere ad suum beneplacitum, absque parentum injuria, vel injuria; sed hoc facere non posset, nisi esset domina sui corporis, & de ipso disponere posset ad suum beneplacitum: Ergo est sui corporis domina: Ergo quando consensum præbet ad sui deflorationem, nec ipsa, nec deflorator ad damnum reparandum tenentur parentibus ipsius defloratæ. Probatur assumptum; quia filia non est possessio Patris: Ergo Pater nullum jus strictum habet in filiam: Ergo &c.

- 107 Probatur tertia, & quarta pars, quòd scilicet, qui Virginem defloravit ex vi, metu, & dolo, teneatur ad restitutionem tum Virgini defloratæ, tum parentibus ejus; & quidem sensus est de vi, & metu injustè incussis. Qui vi, & metu injustè incussis, alium damnificat, peccat contra justitiam. Sed peccans contra justitiam, ex cujus peccato secutum est damnum, tenetur ad restitutionem: Ergo qui vi, & metu injustè incussis deflorat Virginem, peccat contra justitiam, & ad ejus damni restitutionem tenetur, quod tum Virgini, tum ejus parentibus infert. Probatur major: qui vi, & metu, aut dolo injustè incussis alium damnificavit, damnificavit illum; ipso rationabiliter invito; sed damnificans alium rationabiliter invitum, peccat contra justitiam: ut dictum est de surripiente

piēte rem alienam, domino invito : & de  
comburente vineam alterius, domino etiam  
invito: Ergo &c.

108 Confirmatur hoc ex doctrina Scoti in 4.  
dist. 29. qu. unic. §. de secundo, vers. ad primum:  
ubi habentur hæc verba : *Ad primum concedo,*  
*quod iste, cui imminet metus peccati, mortis, vel*  
*carceris, secundum rectam rationem debet dice-*  
*re verba matrimonialia, quæ exiguntur ab eo, &*  
*ex consequenti debet, consentire interius concor-*  
*diter verbis : nec tamen per istum consensum*  
*transfert potestatem sui corporis in illam.* Et as-  
signans rationem, ait, *quia nullus consensus est*  
*translativus, nisi merè liber.* Ubi Doctor insi-  
nuat, consensum, vi, & metu extortum, quia  
non est omninò liber, præjudicare ei, à quo  
extorquetur : Ergo puella vi, & metu deflo-  
rata, à defloratore diceretur injuriata ; & sic  
deflorator teneretur ad restitutionem.

Dixi de vi, & metu injustè incussis ; nam  
si vis, metus, & dolus non essent injustè incus-  
si, sed justè ; tunc deflorator non teneretur ad  
damnum, nec defloratæ, nec parentibus : quia  
tunc deflorata, non omninò invita, & invo-  
luntariè præberet consensum : V. G. si Virgo  
commississet aliquod crimen notum stupratori,  
& hic diceret Virgini, aut copulam carna-  
lem mecum habe, aut tale crimen à te com-  
missum manifestabo Parentibus tuis : si tunc  
puella timore mota ; ne suum crimen Paren-  
tibus manifestaretur, consentiret copulæ car-  
nali cum tali viro, jam non omninò involun-  
tariè consentiret : nec vis, & metus à viro es-  
set incussus injustè, speciali titulo ; sed citra  
specialem injusticiam ; tamen aliàs esset in-  
cussus illicitè, atque etiam injustè, absolute  
loquendo. Ratio autem est, quia sicut vir pos-  
set pretium dare, vel promittere, ut puella  
consentiat ; ita poterit etiam pro pretio pro-  
mittere omissionem accusationis : & hoc mo-  
do potius liberè puella consentiret, quàm vi,  
& metu à viro incussis.

*Solvuntur Objectiones.*

109 **O**bjicies primò contra primam par-  
tem, probando scilicet, quòd estò  
deflorata liberè consentiat, deflo-  
rator teneatur ad restitutionem. In tantum  
deflorator non teneretur ad restitutionem,  
quando Virginem defloravit, ipsa consentien-  
te, in quantum volenti, & consentienti nulla  
fit injuria ; sed hæc ratio non probat : Ergo  
non obstante, quòd virgo deflorata consen-  
sum præbuit, adhuc teneretur deflorator ad re-  
stitutionem. Probatur minor : consensus ille  
præstitus à Virgine solum facit, quòd vir de-  
florator nò teneretur in foro conscientie illam  
ducere, nec dotare, vel dotem augere ; at non  
facit, quòd non teneretur ex justitia damnum  
illatum Virginitati refarcire ; quæ virginitas

est pretio æstimabilis : Ergo ille consensus  
præstitus non probat, defloratorem non tene-  
ri ad restitutionem.

Deinde ; si non teneretur ad restitutionem,  
faverent ipsi defloratori Jura, tum Civilia,  
tum Canonica ; sed hæc Jura, nedum non fa-  
vent defloratori, sed volunt, ipsum esse obli-  
gatum ad restitutionem : Ergo teneretur deflo-  
rator ad restitutionem, etiam si virgo deflora-  
ta consensum præbuerit. Probatur minor : om-  
nia Jura concedunt defloratæ, & parentibus  
ejus actionem contra defloratorem, quæ actio  
non esset concedenda, nisi deflorator esset ad  
restitutionem obligatus, vel ut puellam deflo-  
ratam in matrimonium accipiat, vel ut eam  
dotet : Ergo &c.

Respondetur ad primum negando mino-  
rem, & assumptum antecedentis probationis,  
Dico igitur, defloratorem virginis consen-  
tientis, nec teneri ad restitutionem pro inju-  
ria ei illata, quæ non intervenit, ratione præ-  
stiti consensus, ut eam in uxorem ducat, vel  
dotet, aut dotem augeat ; nec teneri ad resti-  
tutionem pro virginitate sublata. Ratio hujus  
est, quia virginitas est omninò incomparabi-  
lis ; cum in moralibus virtutibus inter maxi-  
mas collocetur ; & tam egregiè à D. Paulo  
pluribus in locis laudetur. Quapropter falsum  
est, quòd assumitur, quòd scilicet virginitas  
fit pretio æstimabilis ; nam nullum inveniri  
potest pretiū, etiam si sint omnes hujus mun-  
di Thesauri, in comparatione virginitatis ; &  
iccirco ad nullam restitutionem teneretur de-  
florator pro ipsa virginitate, dum deflorata  
consensum præbuit.

Dices : consensus ille præstitus à deflorata  
non habet tollere injuriam virginitati, licet  
auferat injuriam personalem ; sed pro tali inju-  
ria facta virginitati, teneretur deflorator ad da-  
mnum refarcendum : Ergo saltem pro ipsa  
virginitate est obligatus. Probatur major : si  
maritus consensum præberet ad adulterium  
mulieris, estò per talem consensum auferatur  
personalis injuria mariti, & etiam mulieris li-  
berè committentis adulterium, non tamen au-  
fertur injuria, quæ fit statui conjugali : Ergo  
à pari, quamvis virgo per consensum præsti-  
tum ad sui deflorationem auferat injuriam  
personalem, non aufert tamen injuriam vir-  
ginitati illatam. Consequentia sequitur, quia  
utrobique resultat injuria in re spirituali.

Respondetur dicendo, argumentum magis  
probare, quàm intendit probare. Nam si va-  
leret, probaret etiam, fornicarium simplicem  
teneri ad restitutionem, propter injuriam illa-  
tam virtuti continentie, & temperantie. Pro-  
baret insuper, peccatorem per quodlibet pec-  
catum peccare contra justiciam, & injuriam  
inferre ; quia quodlibet peccatum est contra  
specialem virtutem, cujus restitudo debet  
privatio est. Hoc autem nemo audet dicere.  
Unde in forma nego majorem, & suppositum  
s f  
ejus.

ejus. Supponit argumentum, quòd virginitas, quæ virtus est, sit capax injuriæ. Omnis namque injuria est personalis, orta insuper ab actu injustitiæ; & quia nulla injustitia fieri potest virtuti virginitatis, ideo nulla huic fieri potest injuria. Ad probationem concedo antecedens, & nego consequentiam. Status namque conjugalis, pro formali sumptus, est sacramentum, & quidem personale, duorum mutuò consensum præbentium ad fidem matrimonialem servandam: unde quoties mutuam dederunt consensum conjuges, de servanda fide matrimoniali, si ad adulterium committendum, præbuerunt consensum, jam status conjugalis est injuriatus: hic status semper est personalis, quia est duorum connubium, & ponit jus reciprocum in utroque ad alterutrum. Ceterum virginitas non est personalis ipsi puellæ virgini, cum nullum respectum mutuum dicat ad aliam personam, nisi ad Deum: & ideo incapax est recipiendi injuriam; sed sola injuria fit Deo, quando puella deflorata præbuit consensum. Hæc autem injuria Deo facta resarcitur per poenitentiam condignam, & peccati remissionem.

110 Respondetur ad secundum, transacta majori, negando minorem. Dixi, transacta majori, quia ut quis non sit in conscientia obligatus ad restitutionem, non est necesse, ut jura ipsi favent, sive Civilia, sive Canonica; sed satis est, ut ipsi non sint contraria positivè; & aliunde quòd lex universalis sit in favorem ejus; ut est in casu, quòd scilicet agenti, & consentienti nulla fiat injuria. Ad probationem minoris dist. antecedens: & hæc actio contra deflo- ratorem ponit obligationem in foro interno contra deflo- ratorem, nego antecedens; & ponit obligationem in foro tantum externo, subdist. ante Judicis sententiam, iterum nego antecedens: post Judicis sententiam, concedo antecedens, & nego consequentiam. Dico igitur, actionem illam, quam jura concedunt virgini stupratæ, sive consentienti, sive non consentienti, non imponere defloratori obligationem in conscientia (de qua obligatione loquitur nostra conclusio); sed solum imponere obligationem in foro externo, non quidem ut stuprator restituat, aut damnum resarciat ante Judicis sententiam; quia tunc etiam obligatio ista fundaretur in foro conscientie: sed tantum post Judicis sententiam; quatenus virgo deflorata cognoscens damnum, sibi illatum, velit ipsi damno reparare. At si virgo secretum suum stuprum non manifestasset, nulla actione uti posset ad constringendum stupratorem, ut damnum resarciat, nisi hic ob amorem erga ipsam puellam, velit liberè illam in uxorem ducere.

111 Obijcies secundò contra secundam partem; probando, quòd deflorator teneatur restituere parentibus puellæ defloratæ. Deflorator, etiam habito consensu virginis defloratæ,

damnum infert, & injuriam parentibus defloratæ; sed ratione talis damni, & injuriæ teneatur damnificans ad restitutionem: Ergo deflorator teneatur ad restitutionem parentibus defloratæ. Probatur primò major. Virgo illa, pro ut deflorata est, ut collocetur in matrimonium, indiget majori dote, qua non indigeret, si esset virgo. Et insuper dedecus amissæ virginitatis diffunditur ad parentes puellæ; Ergo duplici essent notati injuria; prima ex damno, & interesse, secunda ex dedecore recepto pro filiæ virginitate amissa; sed propter secundam injuriam, quæ est in bono famæ, teneatur saltem per obsequium, & humiliationem restituere, qui fuit causa talis injuriæ; & propter primam injuriam, quæ est in bonis fortunæ, teneatur illam pecunia compensare; Ergo &c. Probatur nunc secundò minor principalis: damnum illud, sive sit in bonis fortunæ, propter majorem dotem conferendam puellæ, ob amissam virginitatem; sive sit in bonis famæ, propter amissum honorem, ponit jus rigorosum in eo, qui injustè damnum illud patitur, & injuriam accipit; sed ratione hujusmodi Juris insurgit debitum ex parte damnificantis, & injuriantis; Ergo &c.

Respondetur dicendo, hoc argumentum æquè probare, quòd deflorator teneatur ad restitutionem damni, & injuriæ in foro conscientie, ac puella ipsa deflorata; quia non magis deflorator causavit stuprum, quam puella ipsa liberè consentiens tali stupro. Quare si parentes jus habent contra deflo- ratorem, propter damnum, quod injustè patiuntur, idem jus ex æquo habere debent contra filiam stupro consentientem. Hoc patet à pari de adultera consentiente adulterio, contra quam non minus, quam contra adulterum, datur jus in marito propter damnum, quod patitur in sustentanda prole spuria. Idem dicendum est in casu nostro.

In forma nunc respondetur dist. majorem; damnum infert, & injuriam parentibus defloratæ, & tale damnum, & injuria oriuntur ex injustitia parentibus facta, nego majorem: & oriuntur ex humano contractu, & libera eorum voluntate, concedo majorem; & in primo sensu concessa minori, negata in secundo, nego consequentiam. Eodem modo respondeo tum ad probationem majoris, tum ad probationem minoris. Dico igitur, quòd sicuti filia domina est sui corporis, liberè potens de eo disponere independentè à voluntate Parentum, & ad suum beneplacitum collocari potest in matrimonium; ita, si quæ interveniret injuria, dum stuprata sit, hæc injuria in ratione injustitiæ non transfunditur ad parentes. Quare estò parentes patiantur damnum, in conferenda majori dote filiæ defloratæ, tale damnum ortum non ducit ex injustitia recepta à defloratore; quia tunc, ut supra dictum est, ne dum deflorator esset causa talis damni; sed

sed etiam ipsa puella liberè consentiens ; sed solum illud damnum ortum ducit ab humano contractu, & libera parentum voluntate; quatenus volunt majorem conferre dotē, pro ut exigitur ab eo, qui vult puellam in uxore; nam si ipsi nollent majorem concedere dotem, nullam obligationem haberent illam concedendi: unde duntaxat damnum illud potius est voluntarium, quam injustè illatum: nulla nanque lex obligare potest parentes, ad conferendam majorem dotem stupratæ filiz, quam non stupratæ. Et hoc potest esse certum, quia quandoq; stuprata est ita pulchra, ut vir pulchritudine ductus petat illam in uxorem, absque eo, quod parentes adstringantur ad majorem conferendam dotem, Injuria verò, quam recipere parentes propter dedecus amissæ virginitatis, non est compensanda pecunia, sed solum obsequio, si talis injuria deduceretur ad forum contentiosum; secus verò dicendum, si diu permaneret in suo statu secreto; quia in tali statu nullam obligationē inducit. Concludo igitur, quòd quando damnum evenit ex injustitia, tenetur damnificans ad restitutionem, non verò ad hanc tenetur, si damnum evenit ex humano contractu. Per hoc patet ad probationem majoris, & minoris.

12 Objicies tertio contra tertiam partem, probando, quòd neque teneatur ad restitutionem, qui vi, & metu injustè incussis defloravit Virginem non consentientem. Qui vi, & metu injustè incussis defloravit Virginem, si ad restitutionem teneretur, vel hæc restitutio fieri deberet, eam ducendo in uxorem, vel eam dotando; sed ad nullum ex his deflorator in foro conscientiz tenetur: Ergo ex justitia, qui vi, & metu injustè incussis Virginem defloravit, non tenetur ad restitutionem. Probatur minor: ad unam, vel alteram restitutionem faciendam non tenetur deflorator, nisi per Judicis sententiam ad id faciendum sententietur: Ergo non tenetur in foro conscientiz.

Eò vel maxime, quia dum deflorator vellet Bertam à se defloratam in uxorem, vel eam vellet dotare, seipsum liberè infamaret; quia asserere deberet, se deflorasse Bertam: & insuper infamaret Bertam ipsam; sed nemo tenetur infamare seipsum, & multò minus proximum, propter damnum resarciendum in bonis fortunæ: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, & antecedens probationis. Tunc tenetur deflorator per Judicis sententiam ad accipiendam defloratam in uxorem, vel ad eam dotandam, quando ipsa Virgo consensum præbuit suæ deflorationi; quia tunc deflorator per sententiam Judicis obligaretur ad pœnam. Ceterum, quando vi, & metu injustè incussis Virginem ipsam defloravit, non tantum est obligatus ad pœnam subeundam per Judicis sententiam; sed etiam sub culpa, quæ obligatio

sub culpa, est in foro conscientiz; quia ipse deflorator est causa, tum injuriæ, tum damni injustè illati.

Dices: ex Sacra Scriptura Deut. 22. habetur, quòd qui Virginem defloraverit, & hoc venerit in judicium, deflorator teneatur accipere illam in uxorem, his verbis: *Si invenerit vir puellam virginem, que non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit; dabit, qui dormivit cum ea, Patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam uxorem; quia humiliavit illam: Ergo deflorator nunquam tenetur ante Judicis sententiam ad restitutionem faciendam puellæ, etiam vi, & metu defloratæ; vel eam accipiendo in uxorem, vel eam dotando.*

Respondetur dicendo, Scripturam non distinguere inter defloratorem per vim, & metum injustè incussum, & inter defloratorem habentem puellæ consensum. Quare dicendum est, scripturam loqui de utroque defloratore quò ad pœnam subeundam; cum leges illæ Deuteronomi, sint pœnales; non verò loqui de defloratore quò ad culpam, & quò ad restitutionem damni subinde faciendam, etiam ante Judicis sententiam. Aliunde tamen habetur, quòd quoties quis est causa violatæ virginitatis, & quidem per metum, & vim injustè incussa toties, censendus est in speciali culpa, quia etiam contra justitiam peccavit, injustè puellam illam damnificando, & injuriam illi inferendo; atque ideo tenetur ad restitutionem, etiam ante sententiam Judicis.

113 Respondetur ad additum tertiz objectionis, dicendo, quòd vel hujusmodi defloratio facta est publica, vel non. Si primum; non infamaret seipsum deflorator, petendo Bertam in uxorem; quia jam infamatus est per actum illum deflorationis publicatum; imò eam petendo in uxorem, vel eam dotando, restitueretur in pristinum statum famæ ( præsertim si illam in uxorem acciperet. ) Si dicatur se eundem, non teneretur se infamare apud parentes, petendo Bertam in uxorem, eisque manifestando commissum stuprum; sed sufficit, si dicat, volo filiam vestram in uxorem; quia ipsa Berta mihi suum præbet consensum. Et si Berta, non obstante, quòd fuerit stuprata, nollet stupratorem in maritum, quid faciendum esset in tali casu? Dico, quòd si stuprum non est manifestum, nec per Bertam publicatum parentibus, neque deberet ipse stuprator illud manifestare; ad suam famam, & etiam vitam tuendam. Restitutionem autem, quam facere deberet, debet differre, si Berta ipsa velit compensationem pro damno, & injustitia ei illata: at si remittat Berta damnum ei illatum; tunc ad nil teneretur amplius stuprator; quia sicuti ante deflorationem potuit Berta cedere Juri suo, ita etiam potest Juri suo cedere, postquam damnum recepit, absque eo, quòd stuprator remaneat obligatus amplius



plius ad damnum illud compensandum, Ita, Lessius, de Lugo, Matrius &c.

114 Pro resolutione casuum conscientiae infero primò, Defloratorem, aut stupratorem puellae, cum ipsius consensu, nullam injuriam inferre, nec puellae defloratae, nec parentibus ejus, Ratio primae partis est, quia volenti, & consentienti nulla fit injuria. Ratio secundae partis est, quia puella, cum sit domina sui corporis, potest de illo ad suum libitum disponere; & sicut absque injuria parentum potest accipere maritum ad suum beneplacitum; ita pariter, absque eorundem injuria, potest permittere sui deflorationem; non obstante, quòd parentes ex tali defloratione damnum patiantur; quia illud non patiantur injustè, ut ortum ex injustitia; sed tantum illud patiantur voluntariè ex humano contractu, quem faciunt, quando puellam defloratam collocant in matrimonium.

Secundò infero, quòd quando deflorator defloravit Virginem, ipsa nolente consentire, sed per vim, & metum injustè incussum eam defloravit; tunc deflorator ad restitutionem damni tenetur in foro conscientiae, nulla expectata Judicis sententia: quod damnum refarcitur, vel per subsequens matrimonium, vel eam absolutè dotando, si dotem non habet, vel ejus dotem augendo. Ratio hujus est, quia deflorator per vim, & metum commisit actum injustitiae, qui refarciri debet per debitam restitutionem; & quilibet actus injustitiae obligat in foro conscientiae.

115 *PETES PRIMO*, An quando puella per vim deflorata cessit Iuri suo contra defloratorem, remaneat in parentibus actio contra ipsum in Iudicio?

Respondetur cum communi Doctorum, & Canonistarum sensu, affirmativè. Ratio est deducta ex §. *sive autem per seipsum*. Quod probari etiam potest; quia sicuti parentes damnum patiantur propter augmentum dotis, quae conferri debet ipsi puellae stupratae, ita poterit in eis dari actio in iudicio contra stupratorem.

Deinde: condonatio illa facta à puella stupratori, eum solum liberum facit in foro conscientiae, non in foro externo, in quo malefactor subire debet poenam à Iudice infligendam.

*PETES SECUNDO*, An qui per vim Virginem defloravit, si mortua est post stuprum commissum ex violentia stupratoris, teneatur hic ad restitutionem faciendam haeredibus?

Respondetur cum Matrio, Lessio, Vasq., & aliis hoc dubium moventibus, negativè, Ratio est, quia obligatio stupratoris per stuprum vi, & metu commissum, est personalis, circa personam scilicet defloratam: unde quoties persona deflorata mortua est, etsi injuriam non condonaverit, ipse stuprator in foro conscientiae solutus est ab obligatione restituendi. Et hoc magis verificatur, quando puella mor-

tua est sub fama conservatae virginitatis, & apud omnes habita, ut Virgo. Et si stuprator in conscientia teneretur restituere, jam fama puellae mortuae auferretur; nemo autem tenetur exercere actum justitiae, cum famae alterius detrimento.

## QVÆSTIO QVARTADECIMA:

*An, qui virginem defloraverit, spe fictae promissionis matrimonii, teneatur illam in uxorem ducere?*

116 **P**Ro exacta praesentis quaestionis notitia supponendum est, puellam defloratam consentientem, spe fictae promissionis, quandoque per aliqua signa exteriora habita ad ipso defloratore, posse cognoscere fictionem ipsius deflorantis; in quo casu communiter volunt Doctores, quòd stante tali cognitione ex parte puellae, non teneatur in conscientia deflorator, ad eam ducendam; quia per talem cognitionem poterit ei esse certus dolus, cui subesset per consensum praestitum in sui defloratione. Qua posita certitudine doli, si ipsa puella adhuc consentiret, non diceretur praestitisse consensum, ut decepta à spe futuri matrimonii, sed liberè. Imò quia diceretur tunc liberè volens, & consentiens, nulla ei fieret injuria, ut dictum est in prima parte praeteritae quaestionis; nec fictus promissor contra justitiam, nec contra fidelitatem peccaret; non contra justitiam, quia contractus ille fictus, & cognitus, ut talis, est nullus; & per consensum alterius contrahentis voluntariè praestitum, non est injuriosus: neque contra fidelitatem peccaret; quia in ficta promissione cognita, non est valida promissio, & sic promittens non tenetur servare promissum. Sola igitur difficultas inter quamplures Theologos restringitur, in casu, quo puella deflorata est decepta, non cognoscendo per signa exteriora fictionem promittentis; quo modo diceretur dolosè consentire; non obstante, quòd cognoscat disparitatem inter ipsam, & fictum promissorem; quia, ut dicemus, disparitas natalium, divitiarum, &c. non habet invalidare contractum matrimonii; quia, istae conditiones tantum spectant ad accidentia matrimonii, ut, Deo dante, dicemus in materia de matrimonio. His itaque suppositis, pro quaestionis resolutione

*DICO*, defloratorem Virginis cum promissione ficta futuri matrimonii, teneri ex justitia eam ducere in uxorem, quando haec nullam habuit notitiam de ficta promissione promittentis. Conclusio haec est communior, & tenetur à Becano, Caspense, Matrio, Sanchez, Vasquez, & aliis, contra Bartholum, Ledesman, Hurtadum, & alios, Et colligitur

ex

ex Scoto in 4. dist. 42. qu. un. §. si primo modo; vers. Triplex deceptio; & alibi.

17 Probatur primò . Ubi intervenit verus contractus obligans ex justitia commutativa, promissor tenetur ex justitia observare, & adimplere promissum; sed deflorator Virginis cum promissione ficta futuri matrimonii, absque ulla noticia, & cognitione ex parte puellæ, talis fictæ promissionis, facit contractum verum obligantem ex justitia commutativa: Ergo tunc deflorator tenetur ex justitia commutativa observare promissum: Ergo si promissit, puellam ipsam ducere in uxorem, ex justitia eam ducere tenetur. Probatur minor: deflorata Virgo ex parte sua adimplevit conditionem ad contractum matrimonii: Ergo ex justitia tenetur etiam fictus promissor suam adimplere promissionem; sed promissio fuit de matrimonio faciendo: Ergo jam promittens facit contractum obligans ex justitia commutativa.

Confirmatur hæc ratio: in hujusmodi virginis defloratione intervenit expressum pactum, quo virgo, & deflorator paciscuntur ad matrimonium contrahendum; sed tale pactum est ex commutativa justitia: Ergo jam deflorator, non obstante ficta promissione, quæ tamen cognita non est à deflorata, tenetur ex justitia defloratam ducere. Probatur minor: tale pactum est ita expressum: *Do, ut des: Virgo jam dedit virginitatem; Ergo deflorator tenetur reddere, quod promissit; sed promissit ducere eam in uxorem: Ergo tenetur ex justitia illam in uxorem ducere.*

Eò vel maximè: in omni contractu conditionali, ubi pactum intervenit expressum per *do, ut des;* vel per *facio, ut facias,* si unus ex contrahentibus suam conditionem adimplet, & satisfacit pacto; etiam alter ex justitia commutativa tenetur, quamvis unus fictè contraxerit: Ergo etiam in contractu matrimonii, in quo puella pactum adimplevit, suum tradendo corpus defloratori, deflorator etiam pacto stare debet; sed pactum fuit initum deducendo eam in uxorem: Ergo &c. Major patet de mandante occisionem Caii, qui mandans, etiam si fictè promitteret Petro mandatario centum; quia occisio jam secuta est, tenetur mandans ex justitia adimplere promissum. Similiter dicendum est de omnibus contractibus, in quibus expressum pactum intervenit.

18 Neque valet, si dicas, sufficere in tali casu, si fictus promissor æquale promisso daret; & non est necesse, quòd reddat illud idem, quod promissit; cum hoc sit satis ad servandam justitiam commutativam: ut damnificasti Petrum in comburenda sua vinea, ut ex justitia satisfacias, non est necesse, ut vineam restaures, sed sufficit juxta prudentum æstimationem, ut pecunia damnum resarcias: idem in casu; deflorasti virginem, spe fictæ promissionis matri-

monii, & ipsa tibi tradidit suum corpus; ut ex justitia commutativa satisfacias, non est necesse, ut eam in matrimonium tibi conjungas, sed sufficit, ut damnum illatum pecunia resarcias; quod damnum resarcitur, eam dotando.

Non valet, inquam. Primò, quia adversarii hoc modo respondendo, supponunt obligationem in defloratore oriri tantum ex damno illato virginis defloratæ; quod suppositum falsum est; imò, ut dictum est in prima parte quæstionis, ratione consensus præstiti à puella, nulla ex justitia commutativa insurget obligatio in defloratore.

Secundò, quia, quando insurgit obligatio ex contractu, servandum est pactum inter contrahentes initum; ita ut si contrahentes paciscuntur circa hanc rem, hæc res à debitore tradenda est, si conditio ex parte alterius contrahentis adimpleta sit; sed puella pactum iniit cum defloratore, ut eam ducat in uxorem; & aliunde servavit conditionem suam, tradendi corpus defloratori: Ergo deflorator tenetur eam ducere, non autem reddere æquale. Probatur assumptum minoris: si pactum esset initum à Cajo dandi equum Titio tradenti merces pro pretio equi, etiam si Caju fictè promitteret equum, ex justitia teneretur dare equum, & non æquale equo (nisi aliunde Titius novum consensum præbuerit, accipiendi illud æquivalens pro equo.) Insuper, si mihi furatus es gemmam, hanc mihi reddere debes ex justitia, & non æquale, nisi consensum præbeam ad illud æquale: sic pariter in casu; pactum iniit Caju deflorator accipiendi Bertam in uxorem, si copulam carnalem cum ea habebit: facit copulam Berta; tunc Caju ex justitia tenetur eam in uxorem accipere, & non reddere æquale; nisi aliunde ipsa Berta velit. Per hoc patet, quòd non sit eadem obligatio ex damno, & ex contractu.

19 Nec etiam valet, si dicas, quòd poterit dari casus, quòd deflorator sit impotens, & impeditus canonicè, vel ratione voti castitatis, vel voti Religionis, vel consanguinitatis; ratione cujus impedimenti, satis est, ut deflorator reddat æquale.

Non valet; quia vel hoc impedimentum fuit cognitum à puella, vel non: si fuit cognitum; tunc deflorator ad nihil teneretur; quia puella non debebat consentire, dum cognitionem habuerit de impedimento ad contractum matrimonii; & consentiendo, cessit juri suo. Si non fuit cognitum tale impedimentum, tunc deflorator tenetur tantum ex justitia resarcire injuriam, eo modo, quo potest dispensationem voti castitatis, & Religionis obtinere, tenetur eam accipere in uxorem, salva semper ejus fama: si non potest dispensationem habere, compensationem facere debet pro injuria; quia tunc impedimentum excusat à rigorosa restitutione reddendi idem; & tunc sufficit reddere æquale.

120 Probatur secundo, solvendo argumenta adversariorum.

*Solvuntur Objectiones.*

121 **O**bjicies primò probando, non teneri defloratorem ex justitia, accipere in uxorem defloratam, sed tantùm ex fidelitate. Estò promissio illa sit ficta, ponit tamen obligationem in promittente, observandi promissum; sed hujusmodi obligatio oritur tantùm ex fidelitate, & non ex justitia: Ergo tantùm ex fidelitate, & non ex justitia obligatur deflorator ad Virginem defloratam accipiendam in uxorem. Probatur primò major; quia estò illa promissio sit ficta, est tamen vera promissio respectu hominis; & aliunde puella corpus suum tradidit, cum spe futuri matrimonii: Ergo obligat promittentem ad servandum promissum. Probatur minor principalis: obligatio accipiendi Virginem defloratam in uxorem, si esset ex justitia, vel esset ratione promissionis, vel ratione contractus; sed ex neutro capite habetur obligatio ex justitia: Ergo tantùm est in defloratore obligatio accipiendi puellam defloratam in uxorem ex fidelitate, & non ex justitia: Probatur minor: si teneretur ratione promissionis, ex justitia tantùm teneretur ad damnum compensandum, & non ad eam accipiendam in uxorem; quia per illam promissionem fictam noluit concedere defloratæ Jus ad matrimonium; quia fictè promisit. Neque ratione contractus teneretur ex justitia; quia contractus ille, cum sit factus cum deceptione, tantùm obligat ex justitia ad damnum, & non ad pactum in initum; & ex sola fidelitate obligat ad pactum servandum: Ergo ex nullo capite obligari poterit ex justitia deflorator ad accipiendam defloratam in uxorem.

Respondetur, transacta maiori, negando minorem. Dixi, transeat maior, cum ipsa absolute negari possit, ut, Deo dante, dicemus in 3. tom. disp. de matrim., quòd scilicet ficta promissio, quæ non est cum animo, & proposito promittendi, non habet vim obligandi ad servandum promissum in foro conscientiæ; quia tunc fictè promittens non præbet consensum ad contractum illum faciendum. Et si maior illa concederetur, non per hoc excluderetur duplex obligatio in promissore, una orta ex fidelitate, ut præ tendit argumentum; altera ex justitia reddendi idem, quod est promissum. Unde ad probationem minoris, dico, obligationem in defloratore accipiendi defloratam in uxorem, oriri ex contractu facto, & ratione adimpletæ conditionis ex parte puellæ, cum qua pactum iniiit deflorator accipiendi illam in uxorem. Contractus ille factus est verus contractus; cum jam puella suum tradidit corpus defloratori,

per quam traditionem ex parte sua conditionem adimplevit: unde deflorator, stante illa conditione adimpleta à puella, tenetur ipse contractum complere. Neque valet id, quod in ultimo addebatur in objectione, contractum illum esse factum cum deceptione, & sic non obligare ex justitia. Non valet, inquam, quia sicut deceptio illa ponit obligationem ex justitia ad damnum resarciendum, ita quia nec contractum invalidat, nec promissionem, ratione adimpletæ conditionis ex parte mulieris, habet ponere obligationem ex justitia ad servandum promissum: adeoque si deflorator promisit ducere eam in suam uxorem, tenetur ex justitia ipsam in uxorem accipere.

122 Objicies secundo, pro aliis. Quando virgini defloratæ potest esse nota fictio defloratoris promittentis futurum matrimonium, & ipsa consensum præbuit ad sui deflorationem, tunc non tenetur deflorator eam ducere in uxorem; sed in multis casibus potest virgini esse nota fictio defloratoris promittentis: Ergo in illis non tenetur deflorator fictè promittens, virginem illam defloratam, ex justitia, ducere in uxorem. Probatur minor: si vir deflorator esset nobilis, vel dives, & virgo deflorata ignobilis, vel pauper, ratione disparitatis personarum potest puella devenire in cognitionem fictæ promissionis; & ita non consentire suæ deflorationi: Ergo quoties consensum præbet, consentit ex sibi nota fictione promittendi; ac per consequens nullum jus acquirit contra promittentem, ut eam in uxorem ducat.

Respondetur dicendo, quòd si hoc argumentum valeret, probaret etiam, quòd fictè promittens, ratione inæqualitatis personarum, neque teneatur ex justitia, in foro interno, virginem defloratam dotare: quòd à multis ex adversariis non conceditur; imò hoc assertum esset contra L. 2. ff. si certum petatur. Quare in forma, dist. minorem: in multis casibus potest esse nota virgini fictio defloratoris, quantum ad ea, quæ sunt accidentalia matrimonii, concedo minorem: quantum ad ea, quæ sunt essentialia matrimonii, subdist. & tunc ex justitia nullam poneret obligationem in promittente, concedo minorem: & poneret ex justitia obligationem in promittente, nego minorem, & consequentiam. Dico igitur, quòd, vel puella cognoscit per signa exteriora fictionem promittentis, vel non: si non cognoscit, jam tenetur promittens ex justitia eam ducere in uxorem, quoties puella suum adimplevit pactum, tradendi scilicet corpus defloratori, ut probatum est: si cognovit fictionem illam, quantum ad substantialia matrimonii, & tradidit corpus suum defloratori; tunc deflorator, in foro interno, nec tenetur ad eam ducendam in uxorem, neque ad illam dotandam; sed tantùm ad hoc secundum teneretur ex Judicis sententia. Ratio hujus

hujus ultimæ partis est illa, quam adduximus in ipso quæstionis; quia cum puella, stante illa certitudine doli per fictam promissionem, liberè consentiret, nulla ei fieret injuria. Unde ad probationem minoris, in qua stat adversariorum difficultas, nego assumptum antecedentis; nam illa natalium, nobilitatis, & divitiarum disparitas, cum sint purè accidentalia matrimonii, non possunt esse signa sufficienter conducentia ad evidentiam fictæ promissionis. Tum quia ad substantiam matrimonii tantum spectant corpora conjugum, canonicè non impedita: tum quia in dies videntur matrimonia inter dispares, tum in nobilitate, tum in divitiis, tum in pulchritudine, & ætate; quæ omnia, ut accidentalia, nequeunt Virgini defloratæ esse signum sufficiens dolosæ, & fictæ promissionis.

Signa nanque fictæ, & dolosæ promissionis, sunt, vel consanguinitas, quæ est impedimentum dirimens matrimonium, vel votum solemne, vel simplex castitatis, quæ cognosci possent à puella defloratâ, ut matrimonii impeditiva; & si ipsa, non obstante tali cognitione consentiret, jam nulla ei fieret injuria, propter deflorationem; quia liberè consentium præbuit, ut sæpe dictum est.

Plura possent hic adduci pro casuum conscientia resolutione, quæ tamen, cum directè non spectent ad materiam restitutionis, sed potiùs ad contractum matrimonii, iccirco ea relinquo videnda in propria materia de matrimonio; præsertim in quæstionibus de promissione, & obligatione, quò ad sponsalia.

QVÆSTIO QVINTADECIMA:

*An, qui votum simplex castitatis, vel Religionis emisit, & postea virginem defloravit cum fide data matrimonii, teneatur eam ducere?*

**S**uppono in præsentì, locutionem non esse de voto solemni castitatis, vel Religionis; quia impossibile est, puellam virginem, quæ à Sacerdote, vel Religioso professò tentatur ad rem secum habendam cum spe futuri matrimonii, non cognoscere dolum, & deceptionem in tali promissione; sed tantum est de voto simplici, de quo puella potest esse ignara; nam si de tali voto simplici conscia foret, jus nullum acquireret contra defloratorem; quia consensum præberet, cognito certo, & evidenti impedimento promissi matrimonii. Unde de voto simplici, de quo potest esse ignara ipsa puella deflorata, est tantum controversia inter Doctores.

123; Fateor ego veritatem, utramque opinio-

nem mihi placere, tum ex pietate, tum ex validitate rationum; affirmantem scilicet, & negantem. Hanc secundam, ex contractu, quem facit vovens cum Deo, ratione cujus contractus Jus acquirit Deus contra voventem, & ratione acceptationis, saltem inclusæ in gratia sanctificante (ut dixi in 2. sent.) tenetur Deus ipsi voventi, Prima etiam affirmans mihi non displicet, ratione debiti justitiæ, & quidem rigorosæ inter promittentem defloratorem, & ipsam puellam defloratam. Unde ex rationibus pro utraque parte convincentibus

**DICO**, utramque sententiam esse æquè probabilem, scilicet tam quòd teneatur ducere in uxorem puellam defloratam, quàm quòd non teneatur ille, qui votum simplex emisit castitatis, vel Religionis, & fidem dedit puellæ de futuro matrimonio. Conclusio quò ad partem negantem est plurium classicorum Doctorum, Rodriquez, Navarri, Layman, Diana, & aliorum. Quò ad partem affirmantem est Cardin. de Lugo, Mastrii, & aliorum.

124; Probatur primò, quòd scilicet teneatur ducere virginem defloratam, qui votum simplex castitatis emisit, & fidem postea dedit ipsi virgini de futuro matrimonio. Quando una, eademque persona duplicem contraxit obligationem, & non potest utrique satisfacere, tunc tenetur satisfacere urgentiori, relicta, aut omissa minori obligatione; sed qui votum emisit castitatis, aut Religionis, & postea defloravit virginem cum spe, & fide matrimonii, duplicem contraxit obligationem: Ergo tenetur satisfacere urgentiori, omissa minori obligatione; sed in eo urgentior est obligatio contrahendi matrimonium, quàm satisfaciendi voto; Ergo tenetur deflorator, qui emisit votum castitatis, & Religionis, & promisit defloratam ducere, ad illam ducendam in uxorem. Major patet, præsertim quando satisfactio unius obligationis est impedimentum ad alteram. Probatur nunc primò minor; nam illa contraxit obligationem ex emissio voto, ex libertate, quam habebat vovendi; & insuper, dum fidem dedit defloratæ contrahendi matrimonium, contraxit obligationem ducendi eam: Ergo duplicem contraxit obligationem.

Neque valet, si dicas, quòd stante illo voto, nulla obligatio oriri potest ex parte voventis per quancunque factam promissionem, & fidem datam de matrimonio; quia tunc vovens promisit Deo castitatem perpetuò servandam; quare, dum virginem defloravit, tantum peccavit contra castitatem, & Religionem, absque ulla obligatione contrahendi matrimonium.

Non valet, inquam. Primò, quia omnes tenemur ad continentiam ex præcepto *non mechaberis*; & tamen ex hac promissione potest quis obligari ad matrimonium contrahendum; cum illa promissio facta post præceptum, non sit matrimonii impeditiva; Ergo pariter, quamvis quis sit Deo obligatus per votum simplex

simplex castitatis, vel Religionis, si postea fidei præbet puellæ, ab eo defloratæ, eam habendi in uxorem, nova in eo oritur obligatio, & quidem ex iustitia. Consequentia sequitur, & simul probari potest; quia in tantum in primo casu obligatio observandi præceptum, non impedit matrimonium contrahendum, quia est libera promissio facta Deo, absque præiudicio alieni Juris; sed etiam promissio facta per votum simplex est libera, soli Deo facta, absque alieni Juris præiudicio: Ergo sicut illa non est impeditiva matrimonii, ita nec ista est impeditiva matrimonii, si vir puellam defloraverit cum fide data futuri matrimonii.

Secundò, non valet responsio; quia etiam votum simplex esset impeditivum matrimonii per legem Canonicam, nec est impedimentum omninò indispensabile; cum de facili obtineri possit dispensatio talis voti, præsertim ex illo motivo defloratæ puellæ, quod est urgens, & rationabile motium: Ergo non obstante voto simplici castitatis, adhuc oritur ex iustitia obligatio in deflорatore, ad ducendam puellam defloratam.

- 125 Probaturnunc minor subsumpta principalis probationis positæ num. 124. urgentior est obligatio, quæ oritur ex iustitia, quàm illa, quæ oritur ex sola Religionis virtute; sed obligatio, qua quis obligatur ad contrahendum matrimonium, oritur ex iustitia: & obligatio, qua obligatur voto, oritur ex Religionis virtute: Ergo urgentior est illa obligatio ad contrahendum matrimonium, quàm illa, qua obligatur ad satisfaciendum voto. Minor est certa, Probaturnunc major; obligatio ex iustitia oritur ex alieno jure, quod creditor habet contra obligatum, ad reddendum, quod suum est: obligatio verò ex sola Religionis virtute, oritur, vel à præcepto, quod quis servare tenetur, vel à libera impositione, & voluntate voventis, nullum respiciendo jus alterius; sed semper est urgentior obligatio, quæ pendet à jure alieno contra obligatum; quia hæc sine debita satisfactione præstita habenti jus, vel saltem sine suo libero consensu, auferri non potest: obligatio verò, quæ est tantum à libera voluntate voventis, pendet ab ipso solo vovente, qui potest contra seipsum vim inferre: Ergo &c.

Eò vel maximè; quia cum votum, sit simplex, & non cognitum, nec manifestatum, puellæ defloratæ, non potest obligare voventem cum notabili læsione Juris, à puella acquisiti, ex commisso delicto deflorationis: Ergo semper est urgentior obligatio, quam habet deflorator ducendi defloratam, quàm satisfaciendi voto.

- 126 Hic obiter noto quandam Patris Mastrii doctrinam, pro hac sententia affirmante, quòd ad tollendum scrupulum, quod insurgere posset in vovente simul, & deflорatore, debeat omnem tentare viam, ut deflorata con-

sensiat ad aliud matrimonium faciendum; ut ipse possit satisfacere voto. Quòd si puella consentiat ad aliud matrimonium, tunc deflorator stare debet secundo pacto, ex novo inito contractu. Si verò puella non consentiat ad aliud faciendum matrimonium; tunc ad evitandum scrupulum, donec deflorator dispensationem voti obtineat, debet reddere debitum, post patratum matrimonium, non verò petere: & hoc ratione scrupuli, quod in eo insurgit, pro emisso voto, impediente saltem effectum matrimonii. Quæ doctrina colligitur ex Scoto in 4. dist. 38. q. un. in fine.

- 127 Probaturnunc secundò, pro secunda parte negante; quòd scilicet, qui votum simplex Religionis, vel castitatis emisit, & postea virginem defloravit cum fide futuri matrimonii, non possit illam ducere. Qui votum simplex castitatis, vel Religionis emisit, antequam virginem defloravit sub spe, & fide futuri matrimonii, contraxit debitum cum Deo acquirente Jus contra voventem ad votum satisfaciendum; sed hujusmodi debitum cum Deo nequit tolli per quemcunque subsequenter contractum, ratione cujus alter contrahens acquirat Jus contra debitorem: Ergo qui votum simplex emisit castitatis, vel Religionis, & postea virginem defloravit, tenetur votum implere, nec potest illam in uxorem accipere. Probaturnunc primò major: votum illud, quamvis simplex, est contractus promissorius cum Deo factus, ultrò, citroque obligatorius; nam vel vovens à Deo gratiam accepit, propter quam vovens votum emisit, vel saltem si illud emisit ad habendum æternum præmium, tenetur Deus ex lege condita, & pacto facto, vitam æternam conferre, ad quam vovens, voto satisfaciendo, Jus habet; sed contractus promissorius ponit debitum in uno, & Jus in altero; & in casu, Jus in Deo, & debitum in vovente: Ergo qui votum simplex castitatis, vel Religionis emisit, antequam virginem defloravit, contraxit debitum cum Deo acquirente Jus contra voventem.

Probaturnunc minor principalis: contractus subsequens de matrimonio faciendo ex jam patrato delicto deflorationis, est omninò contrarius, incompatibilis, & destructivus primi contractus; sed nulla potentia inferior potest hunc primum contractum voti rescindere, ut servetur secundus: Ergo &c. Probaturnunc minor: nam hujusmodi potentia potens rescindere, & tollere votum, esset libera voluntas voventis: vel Judicis autoritas. De autoritate Judicis non loquimur, cum hæc spectet ad forum externum: & libera voluntas voventis non est sufficiens; quia debitum contraxit cum Deo; & non potest vovens esse certus, an Deus cederet Juri suo: Ergo &c.

- 128 Neque valet dicere, votum non esse rigorosè contractum, nec in rigore promissorium, & sic ultrò, citroque obligatorium; cum Deus non

non teneatur ex rigorosa justitia commutativa ulli creaturæ, etiam voventis.

Non valet, inquam. Primò, quia vovens promittit Deo, & Deus acceptat promissum; sed ad contractum promissorium, ultra alias condiciones recensitas in 3. q. 3. disp. sub num. 16. (quæ condiciones etiam concurrunt in vovente) sufficit consensus liber promittentis, se obligantis, & acceptatio promissarii: Ergo votum est rigorosus contractus promissionis, obligans voventem ad satisfaciendum voto ex justitia; & etiam ex Religione.

Secundò non valet, quia etiam si Deus non teneatur creaturæ ex rigorosa justitia; ad faciendum contractum rigorosum inter Deum, & creaturam, sufficit libertas promittentis, & se obligantis, & divina acceptatio; præsertim quando contractus est simplex, & liberaliter iustus, & non onerosus; sed hæc interveniunt in voto; cum Deus acceptet omnes illas bonas promissiones humanas, quarum impletio non sit impossibilis humanæ conditioni, ut esset votum de nunquam comedendo, & bibendo, quod vitæ humanæ videtur naturaliter repugnare: Ergo &c. Tertio falsum est, Deum non teneri quâdoque ex justitia rigorosa creaturæ; nam quando creatura promittit Deo cum pacto recipiendi à Deo, tunc licet in Deo non insurgat ex justitia debitum in esse naturæ, seu naturale; insurgit tamen in Deo debitum liberum, sibi ipsi liberè impositum, lege æterna, conferendi scilicet gratiam, & gloriam promerentibus; sed hoc debitum sufficit, ut contractus sit ex rigorosa justitia, quando promittens promittit cum onere recipiendi à promissario: Ergo &c. Hoc ultimum fuit à me diffusius tractatum in meis manusc. in 2. sent. disp. 7.

129 Probationibus pro utraque parte consideratis, videntur efficacissimæ rationes adductæ pro utraque sententia, tum negante, debere defloratorem accipere in uxorem defloratam, propter fidem datam futuri matrimonii, quando hic emiserat antea votum castitatis; tum concedente, teneri eam ducere, non obstante voto illo emisso. Quapropter ex solutione objectionum contra utramque sententiam, apparebit probabilitas utriusque, & ex illis neutram reiicio, sed amplector, utramque.

*Solvuntur Objectiones.*

130. **O**bjicies primò contra sententiam affirmantem: si deflorator teneretur ducere in uxorem defloratam ex fide data futuri matrimonii, non obstante voto simplici castitatis ab eo emisso, hoc esset à debito exorto à virtute justitiæ; sed hæc ratio non valet: Ergo deflorator, qui emiserat votum simplex castitatis, & postea virginem defloravit, non tenetur illam ducere. Probatur minor primò:

nequit insurgere obligatio ex justitia in eo; qui prius manebat obligatus ad actum impossibilem cum actu secuturo ex illa justitia; sed deflorator per emissum votum castitatis jam erat obligatus ad servandam castitatem, impossibilem cum matrimonio secuturo ex nova illa obligatione: Ergo nullum oriri potest debitum justitiæ in defloratore, qui prius emisit votum castitatis, ad matrimonium subsequens ex facta violatione. Major patet; aliàs duo actus impossibiles possent simul esse, observantia scilicet castitatis, & matrimonium, Probatur secundò eadem minor principalis, Debitum exorto à sola justitia, non est majus debito exorto simul à justitia, & à Religione; præsertim quando hoc secundum debitum est prius; sed debitum, quod insurgeret in defloratore, esset ex sola justitia, & posteriùs: debitum verò, quod ipse contraxit ad votum servandum, est ex justitia simul, & Religione: ex justitia, ratione promissionis ex parte ipsius voventis, & acceptationis ex parte Dei; ex Religione, quæ habet ob specialem Dei cultum, inclinare hominem ad castitatem servandam: Ergo &c.

Respondetur juxta principia sententiæ affirmantis, negando minorem; ad cujus primam probationem dist. majorem: qui prius manebat obligatus ad actum impossibilem, & omninò indispensabilem cum actu secuturo ex illa justitia, concedo majorem: ad actum impossibilem, & non omninò indispensabilem, nego majorem; & eodem modo distincta minori, nego consequentiam. Dico igitur, & suppono tanquam certum, votum simplex castitatis esse dispensabile, & videtur in dies in praxi, ob urgentiora, & graviora motiva, præsertim quando adest casus deforationis virginis: unde estò actus ille observantiz castitatis sit impossibilem cum actu, & effectu matrimonii, & quidem in sensu composito cum tali castitate observanda; supposita tamen dispensatione castitatis, cessat in defloratore obligatio, ratione voti, ad castitatem servandam. Quare videtur, quòd argumentum illud tantum probat impossibilitatem actuum simul in eadem natura obligata, non verò probat impossibilitatem obligationum, & facultatum, ex quibus actus illi dimanant. Potest itaque stare utraque obligatio, absque exercitio saltem actus, & effectus matrimonii, donec per dispensationem votum dissolvatur.

Ad secundam probationem minoris principalis, transeat major, & nego minorem, quòd ad secundam partem. Qui hanc sententiam affirmantem vult tenere, quòd scilicet deflorator, qui prius emiserat votum castitatis, & postea virginem defloravit, teneatur illam accipere in uxorem, oportet asserere, debitum ratione voti solum oriri ex Religione, & non ex justitia rigorosa commutativa: & quòd non

T e omnis



omnis promissio siue liberalis, & gratuita, siue onerosa, sit in rigore contractus; sed solum illa, quæ sit à promittente, animo transferendi dominium in alterum, ad quod dominium transferendum, requiritur expressa alterius contrahentis acceptatio, nota ipsi promittenti. Et quia votenti non potest esse nota acceptatio Dei, qua velit promissionem illam acceptare à votente factam, ideo solum debitum ex Religione, & non ex iustitia in votente insurgit. Hoc autem debitum cessare debet, accedente novo debito urgentiori ex rigorosa iustitia. Et ideo dicendum est, propter hanc rationem, teneri defloratorem ad ducendam puellam defloratam, non obstante voto, quod emiserat servandæ castitatis. Rationem hujus doctrinæ assignavimus supra num. 124., & 125. quod scilicet votens, sicut liberè, & propria voluntate sibi imposuit tale debitum, ita poterit absque satisfactione juris alterius, tale debitum à se auferre: ceterum debitum ortum ex iustitia rigorosa, quæ est ad alterum, cum supponat Jus alterius contra ipsum, nequit auferri, nisi, vel debitum solvatur per subsequens matrimonium, vel per liberam condonationem, & remissionem creditoris, puellæ scilicet defloratæ; vel saltem per compensationem, puella ipsa volente.

131. Obijcies secundò contra sententiam negantem; probando scilicet, quod deflorator, qui votum simplex castitatis emiserat, & postea virginem defloravit, teneatur illam ducere. Fides data de futuro matrimonio ponit majorem obligationem in defloratore, quam sit illa, quam habebat per votum simplex castitatis: Ergo non obstante voto illo emisso castitatis; tenetur ex iustitia deflorator in uxorem ducere defloratam. Probatùr antecedens; obligatio, quæ oritur ex simplici castitatis voto, est ex sola libera voluntate gratuita votentis; illa verò, quæ oritur ex fide data de futuro matrimonio; provenit ab injuria, quam deflorata recepit, sub spe illa futuri matrimonii; sed major est obligatio, quæ supponit alterius injuriam, quam illa, quæ est purè gratuita, absque alterius injuria: Ergo &c. Probatùr minor; quia illa, quæ supponit injuriam alterius, habet etiam exigere hujus adæquatam satisfactionem, quam non habet prestare votens; cum à seipso dependeat votere, & votum irritare, absque alterius personæ præjudicio: Ergo &c.

Respondetur juxta principia sententiæ negantis, negando antecedens, ad cujus probationem dist. majorem quò ad primam partem; est ex sola voluntate gratuita votentis, in ratione promittendi, concedo majorem: in ratione promittendi, simul, & acceptandi promissum, nego majorem, quò ad primam partem; & concessa quò ad secundam, concedo etiam minorem; sed nego suppositum ejus, quod scilicet ex obligatione gratuita non ins-

terveniat injuriæ alterius, Promittens itaque, quando promissio est acceptata, & non satisfacit promissioni, injuriam facit promissario; & licet non oriatur hæc injuria à delicto, vel damno promissario illato; oritur tamen hæc injuria à contractu inito, & à promissario acceptato. Quare falsum est, votentem non obligari ex iustitia, & nullam inferre injuriam Deo acceptanti promissionem factam à votente, per hujus gratitatem voluntatem. Ad votum igitur non solum intervenit gratuita voluntas votentis, sed etiam gratuita acceptatio Dei: unde si votens vellet irritare votum, iam injuria Deo inferretur, qui promissionem votentis acceptavit. Neque per hoc, quod obligatio defloratoris sit ex delicto, debet censi maior; nam hæc est ad creaturam, habentem Jus ex delicto: obligatio verò ex voto est ad Deum, habentem Jus ex acceptatione promissi.

132. Hoc unum addo pro complemento huius quæstionis, quod si deflorator, qui prius emiserat votum castitatis, defloravit puellam, eique promisit futurum matrimonium, animo tantum illam decipiendi, & non se obligandi ad futurum matrimonium, tunc existimo, probabiliorē esse sententiā affirmantem, quod teneatur illam accipere in uxorem; & hoc ultra rationes supra adductas, quia dolose egit. Dolus itaque ponit injuriam maximam intra totum iniuriarum genus.

133. *PETES. An quando grave damnum emerget, tam deflorata, quam defloratori, teneatur deflorator accipere defloratam in uxorem?*

Dubium hoc supponit, re vera Virginem fuisse defloratam ab eam accepturo in uxorem; nam si non fuisset deflorata; quia hic claustrum virginalē non fregerit; tunc non tenetur in conscientia illam accipere in uxorem, & ex rigorosa iustitia, Ratio est, quia tunc puella nullum damnum passa est, nec injuriam accepit per solam copulam imperfectam: & æquè bene potest cum alio in matrimonium collocari; quia jam Virgo est. Vel si fuisset ab alio deflorata, solum ille teneretur ad eam ducendam, qui ipsam defloravit: si Titius V.G. promitteret Bertæ accipere illam in uxorem, si hæc nunc ei dederit virginitatem; & illa consentiat, & non esset Virgo; tunc Titius non teneretur servare promissum; quia Bertæ virginitatem non violavit, quæ virginitas fuit motivum in Titio promittendi futurum matrimonium. His suppositis,

Respondetur nunc ad quæsitum, negativè. Ratio est, quia quilibet magis tenetur ad vitam, & famam suam servandam, quam ad solam famam alterius, vel boni temporalis præsertim in casu, quo vita, tam defloratæ, quam defloratoris sit evidenti periculo exposita: & aliunde delictum commissum est occultum.

Plura in hac materia quæri possent, quæ videntur

enda relinquo, tam in 2. tom. de præceptis Decalogi, quam in 3. tom. de Sacramento matrimonii. Quædam alia dubia ad hanc materiam de restitutione ex stupro proveniente, facilius solvi possunt per ea, quæ nuncusque dicta sunt. Et ex hac regula generali, sequitur, quòd quando stuprator injuriam, damnum, dolum, vim, & metum injustè incussim intulit defloratæ; & re vera deflorata Virgo, passæ est damnum, injuriam &c. tunc semper tenetur eam accipere in uxorem, si commodè fieri potest; sin autem, tenetur ad damnum refarciendum: ut si deflorator esset Sacerdos, vel sacris initiatus; tunc quia non possit eam ducere, tenetur illam dotare, vel dotè augere.

QVÆSTIO SEXTADECIMA.

De Fraude

*An defraudantes gabellas, & Vestigalia teneantur ad restitutionem?*

**Q**uidam absque scrupulo putant, nec teneri ad restitutionem, nec esse peccatum, justas gabellas, & vestigalia, à Principe imposita, defraudare: unde ex continuis, & replicatis fraudibus non solum vivunt, & familiam sustentant, sed commodè, imò commodius vivunt, & ex illis ditescunt, sub quibusdam falsis prætextibus, vel quòd gabellæ non sint justè impositæ, quia sunt exuberantes; vel quòd istæ vim non habeant obligandi in conscientia, & sub culpa, etiamsi justæ sint, sed tantum habent vim obligandi sub pœna, quatenus statutum, aut lex de solvendis tributis, vestigalibus, aut gabellis, nullum involvat verbum præceptivum, sed verbum pœnale, & comminativum.

134 Quantum spectat ad opinionem, quam quidam habent, quasdam gabellas non fuisse justè impositas, suppono, tanquam certum, apud omnes Doctores, ad justam impositionem gabellarum plura requiri. Primum, quòd gabella, seu tributum attendatur ex necessitate boni communis, non boni particularis Principis, tributum illud imponentis, & ad eisdem Principis abundantiam. Bonum commune esset, ad redimendam Rempublicam ab aliquo onere, vel debito, vel ad eam providendam de necessariis pro Civium sustentatione: vel ad ipsam Rempublicam defendendam à bello ab inimicis imminente. Quare fit, quòd si gabella imponeretur, absque justa causa, & solum pro Principis utilitate, injusta censeretur ipsius gabellæ impositio.

Secundum, quòd requiritur ad justam gabellæ impositionem est, quòd imponatur ab habente auctoritatem legitimam, & superio-

rem in Regno, aut Republica, ut à Rege, Imperatore &c. ab horum verò delegatis nequit gabella imponi, sine Regis, vel Imperatoris speciali facultate, ex cognita Regnorum necessitate. Quare si Delegati, absque tali facultate gabellam, aut tributum imponerent, injusta censeretur impositio, & à Principe superiori impedienda.

Tertium, quòd requiritur est, quòd impositio tributi, aut gabellæ sit commensuranda cum Republicæ, aut Principis necessitate; ita ut non sit major impositio gabellæ, quam Principis necessitas; nam tunc Princeps in conscientia teneretur refarcire damnum, quòd patitur subditi: & sic si gabella excederet necessitatem Principis, jam impositio ejus injusta esset.

Quartò tandem requiritur, quòd Princeps attendere debet in impositione tributi, aut gabellæ, quòd non magis graventur pauperes, quam divites; imò oppositum curare debet, quòd scilicet, qui plus habet, plus solvat: unde fit, quòd servata geometrica proportione personarum, & facultatum ipsarum, exigatur, & imponatur cuicumque tributum. Notatis his conditionibus requisitis ad justam tributorum, & gabellarum impositionem, insurgit difficultas in præfati inter Doctores, An, qui defraudant gabellas justè à Principe impositas, teneantur ad restitutionem? Et pro resolutione

*DICO*, quando gabellæ, & tributa sunt justè à Principe imposita, ea defraudantes teneri in conscientia ad restitutionem damni, altera Exactoribus, & Conductoribus gabellarum, qui ex fraudibus damnum patiuntur. Conclusio hæc deducitur ex Scotto in 4. dist. 15. quæst. 2. ubi loquens de damnificante, ait, damnificatè teneri in conscientia ad damnum, & interesse. Hanc tenent magis communiter Cajet. Medina, Lessius, Sotus, Card. de Lugo, Mastrius, Sanchez, Faber, Caspensis, Azorius, & alii per multi, contra Emmanuelem Sà, Castro Palaum, Navarrum, & alios, & ex nostris contra Poncium. Et

135 Probat: quando gabella est justè imposita, & in ejusdem impositione interveniunt conditiones supra assignatæ num. 134, transit in dominium directum Principis, tum Jure humano positivo, per legem conditam, in ejus impositione, tum Jure naturæ: Ergo illam defraudantes tenentur in conscientia ad restitutionem damni. Probat: antecedens: gabella, quando est justè imposita, est justum stipendium Principi debitum; sed stipendium justum Principi debitum transit in dominium ejus, tum lege humana, tum Jure naturæ: Ergo &c. Probat: minor primò de lege humana, quia hac lege tenemur obedire Principi justè præcipienti: Ergo si præcipit exigi à nobis justum stipendium, tenemur illud ei dare. De Jure etiam naturæ omnes tenemur susten-

tate Principem, ut caput communitalis: Ergo utroque Jure stipendium justum Principi debitum transit in ejus dominium; sed damnum inferens ei, qui habet dominium directum in rem aliquam, propter fraudem, tenetur in conscientia ad restitutionem: Ergo &c.

Confirmatur hoc primò à pari Decimarum, quæ Episcopis debentur, & aliis Ecclesiæ ministris. Decimæ, quæ Episcopis debentur, & aliis Ecclesiæ ministris, ita à lege taxantur, ut sint jure naturæ ipsis debitæ; & si defraudentur, tenentur defraudantes ad restitutionem: Ergo tributa, quæ à lege sunt taxata supremis Principibus, sunt ita Principibus debita, ut si defraudentur, teneantur defraudantes ad restitutionem. Antecedens est notum, imò sæpe sæpius justè Episcopi censuram imponunt contra decimas non solventes; præsertim quia faciunt contra unum ex præceptis Ecclesiæ (ut dicemus in 2. tom. de legibus, & præceptis.) Probatur consequentia: Decimæ sunt impositæ in Orbe Christiano ad sustentandos Pastores Ecclesiæ in honorifico statu, ut utiliter, & commodè incumbant gregi suæ curæ commisso; sed etiam tributa solvenda Principi sunt à lege taxata ad ipsum sustentandum in honorifico statu, ut curam habeat providendi subditos de necessariis, ipsosque tuendis ab hostibus: Ergo utrobique eadem est ratio.

Eò vel maximè: quamvis decimæ sint à lege humana impositæ ad Pastores sustentandos, quia tamen justè sunt impositæ, & tenemur Jure naturæ sustentare illos, istè ex utroque Jure acquirunt dominium decimarum: Ergo pariter, quamvis tributa sint taxata lege humana, quia tamen jure naturæ tenemur Principem sustentare, ad boni communis utilitatem, ipse Princeps ex utroque Jure Jus acquirat in illa tributa.

Confirmatur secundò, tum ex eo, quod dixit Christus Dominus Matthæi 22. *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* (Hæc fuit responsio data à Christo Pharisæis eum tentantibus.) Quæ verba non sunt intelligenda ad pœnam temporalem fugiendam, sed ad culpam mortalem vitandam, quam committunt negantes, vel defraudantes vectigalia, tributa, & gabellas. Tum etiam ex eo, quod dixit Apostolus ad Rom. 13. *Cui tributum tributum, cui vectigal vectigal:* Ergo tributa, & gabellas defraudantes, ad restitutionem tenentur.

136 Advertendum est pro majori claritate, præsentis controversiæ, quòd si fraudantes gabellas, tributa, & vectigalia nullum damnum inferant Principi, vel quia hic tributa vendit particularibus subditis; vel quia ipse juxta quantitatem, & summam impositionum jam exigit à Regnis, Civitatibus, & magistratibus, pro ut fuit à lege taxatum, juxta numerum personarum cujuscunque loci, vel fami-

liæ (vulgò *fuoco*): in tali casu defraudantes ad restitutionem Principi faciendam non tenentur; ex eo, quòd Princeps nullum passus est damnum ex tali fraude. Ceterum defraudantes excusari non possunt à restitutione facienda Exactoribus, vel Conductoribus tributorum, & gabellarum, qui damnum patiuntur; cum multoties isti ex talibus fraudibus, nedum perdunt labores proprios; sed etiam propriam expendunt pecuniam, tum ministris, & officialibus aliis gabellarum, tum etiam ad complendam summam, quam solvere debent pro gabellis conductis. Et per hoc dixi in conclusione, quòd defraudantes, saltem tenentur restituere pro damno illato Exactoribus, vel conductoribus gabellarum; quia isti, ut plurimum damnificantur, præsertim hoc accidere potest in hoc nostro Neapolitano Regno, in quo gabellæ in utile dominium privatarum personarum translatae sunt.

137 Ratio à priori hujus doctrinæ est; quia, qui patitur damnum, Jus habet contra damnificantem; sed per fraudem gabellarum, Conductores damnificantur: Ergo isti Jus habent contra defraudantes; sed Juri Conductorum satisficit per restitutionem æqualem damno: Ergo defraudantes gabellas tenentur Conductoribus damnificatis damnum refarcire.

Confirmatur hæc ratio à pari de Usufructuario, & Emphyteuta, Quamvis Usufructuarius, & Emphyteuta non sint directi domini rei acceptæ in Usufructum, vel in Emphyteusm, tamen quia circa fructus à re provenientes sunt domini utiles, potentes de illis ad eorum beneplacitum disponere, vendere, & aliis conducere, quo modo isti dicerentur subusufructuarii, & subemphyteutæ; sequitur, quòd si Usufructuario, & Emphyteutæ sublati essent fructus, jam fures ad restitutionem damni tenerentur: Ergo pariter, estò Conductores gabellarum non sint directi domini earum, quia tamen eis conceditur dominium utile ipsarum, sequitur, quòd gabellas defraudantes in damnum, & interesse Conductorum, tenentur ad restitutionem. Consequentia evidenter deducitur ex antecedenti; nam non magis fur tenetur ad damnū, invito domino, illatum, quàm defraudans ad damnum, invito domino, illatum, teneatur; cum utrobique dominus sit tantum utilis, & invitus: adeoque &c.

138 Omnes istæ rationes sunt ita validæ, ut eis quodam tempore suffultus, reduxi quandam personam mediocri intelligentia præditam, ad suam revocandam opinionem, ut justitiæ contrariam; quæ sæpe sæpius defraudatoribus gabellarum dicebat, eos nec peccare mortaliter, defraudando gabellas, & tributa, nec ad restitutionem teneri; sive fraus facta fuisset pro propria, sive pro amicorum utilitate, sive in parva quantitate, etiam per replicatos actus, deve-

Deveniendū ad quantitatem notabilem; sive in magna quantitate, adeo ut per talem fraudem divites evasisent. Hac sola, & unica ratione motus, quia impositio gabellarum, & tributorum est pœnalis, & non habet vim obligandi in conscientia, sed tantum sub pœna, si ab officialibus invenirentur in fraudem. Ego verò ab hac sua ratione discursum incipi, primò illam reiiciendo, ex hoc, quòd estò concederetur impositionem esse pœnalem, quantum ad id, quòd respicit personam Principis, gabellas imponentis, non est tamen tantum pœnalis, sed etiam obligatoria in conscientia, quantum ad id, quòd respicit personas privatas, seu conductores gabellarum, qui damnificantur per tales fraudes; cum ipsi re vera Regi solvant per integrum, summam conductiois illarum gabellarum; & per tales fraudes eis cesset iustum lucrum, & emergat damnum. Deinde verò illis rationibus assertum meum probavi. Hinc tandem ipse, conscientia motus, se contulit ad omnes illos, qui defraudare solebant gabellas, & hanc veriorē eis secreto prædicavit doctrinam. Hac præmissa doctrina, nunc devenio ad argumentorum solutionem,

*Solvuntur Objectiones.*

139 **O** Bijcies primò. Leges, quibus gabellæ imponuntur, & tributa, sunt tantum pœnales: Ergo non habent vim obligandi sub culpa: Ergo quoties defraudantur, non tenentur defraudantes in conscientia ad restitutionem, sed solum ad pœnam solvendam, quando à ministris gabellarum deprehenduntur cum delicto in genere. Probatur antecedens; leges, quibus imponuntur gabellæ, non sunt præceptivæ, nullumque præceptivum verbum continent, sed tantum pœnale; id est qui non solverit tributum, aut gabellas, incidat in talem pœnam: Ergo tantum sunt pœnales. Probatur antecedens: illa lex habet vim præcepti, quæ est sive mediata, sive immediate directiva conscientiæ, & actuum humanorum; sed leges, quibus imponuntur gabellæ, & tributa, nec sunt immediate, nec mediate directivæ actuum humanorum, & conscientiæ: Ergo non sunt præceptivæ. Major patet; nam, ut dicemus in 2. com. de legibus, & præceptis, leges humanæ, ad differentiam quarundam humanarum constitutionum, sunt vel mediate, vel immediate directivæ actuum humanorum. Probatur minor primò, quòd leges, quibus imponuntur gabellæ, non sunt immediate directivæ actuum humanorum, & conscientiæ. Illa lex est immediate directiva actuum humanorum, & conscientiæ, cujus transgressio, absque ulla Judicis sententia, est culpa mortalis; sed transgressio legum, quibus imponuntur gabellæ, non est culpa mortalis: Ergo &c. Probatur minor; quia nemo tenetur

in conscientia tributum, & gabellasolvere: Ergo &c. Probatur nunc, quòd neque mediate sint directivæ conscientiæ. Tunc lex, mediate saltem, est directiva conscientiæ, & actuum humanorum, quando lex, mediante acceptatione, habet vim obligandi; sed estò illæ leges sint acceptatæ, non tamen omnino liberè sunt acceptatæ, sed ob humanum timorem: Ergo nullatenus sunt conscientiæ, & actuum humanorum directivæ; adeoque non obligant in foro interno.

Respondetur negando antecedens, ad cujus probationem dist. antecedens: non sunt præceptivæ, quò ad formam expressam in lege, transeat antecedens: quò ad vim obligandi, nego antecedens, & consequentiam. Dico igitur, quòd multoties forma expressa, & verbalis legum nullum continet verbum, quo inferatur obligatio in conscientia ad observantiam illius legis: ut patet etiam de quibusdam legibus Ecclesiasticis, in quibus tantum per formam verborum exprimitur pœna, & non culpa; & tamen habent vim obligandi, nedum sub pœna, sed etiam sub culpa. Hoc etiam est notum de omnibus præceptis, tum Decalogi, tum Ecclesiæ, in quibus, ex vi formæ verborum, nulla exprimitur culpa; & tamen omnia ista præcepta obligant sub culpa; & sub pœna, si transgressores deducantur in forum contentiosum. Unde quamvis leges, quibus imponuntur gabellæ, nullum expressum verbum contineant de culpa, habent tamen ex vi præcepti, tum humani, tum naturæ, obligare sub culpa: ex vi præcepti humani, quia gabellæ iuste impositæ interserviunt pro bono publico: ex vi præcepti naturalis, quia omnes tenemur de Jure naturæ ad sustentandum Principem, ut caput Reipublicæ. Quare leges illæ, ad differentiam simplicis constitutionis, eo ipso, quòd obligant sub pœna, inferunt culpam in transgressoribus: quòd patet ex cap. 2. de Constit. ubi habetur: *Rem, quæ culpa caret, in damnum, vocari non convenit.* Ex quibus verbis deducitur, non esse per leges infligendam pœnam, ubi non est culpa.

Ex hac præmissa doctrina, ad probationem illius antecedentis dico, minorem esse falsam, atque ut falsam nego; & dum probatur, nego minorem, cum sua probatione. Omnes enim tenentur, tum Jure humano, tum naturæ, Regnum, aut Principem sustentare, qui ut caput morale totius communitatis, de bonis illis communibus vivere debet, juxta suum honorificum statum. Quapropter quilibet teneturolvere tributum, & gabellas, quæ à Rege imponuntur pro sui sustentatione, & quidem in conscientia, & si non solveret, jam peccaret mortaliter, & ad restitutionem faciendam teneretur ei, qui propter fraudes damnum passus est.

Dices: per legem humanam, præsertim civilem,

vilem, nemo potest ( si legem illa transgredia-  
tur ) duplici pœna puniri , temporali scilicet,  
& spiritali; sed lex illa , qua imponuntur tri-  
buta , est lex humana civilis : Ergo transgres-  
sores hujusmodi legis non possunt duplici  
pœna puniri, temporali, quæ esset carceris, vel  
pecuniæ; & spiritali, quæ est sub peccato; sed  
puniri solent transgressores legum , quibus  
imponuntur gabellæ, pœna temporali : Ergo  
nequeunt hæc leges eos obligare sub culpa.

Eò vel maximè , quia Principes seculares  
in condendis legibus non habent vim , & po-  
testatem obligandi sub culpa , sed tantum sub  
pœna : Ergo dum leges istas transgrediuntur  
subditi, non incidunt in culpam: Ergo defrau-  
dantes gabellas, à Principe impositas , non  
obligantur sub peccato ad restitutionem.  
Probatum antecedens . Nullus Princeps secu-  
laris potestatem habet infligendi pœnam, sol-  
vendam in altera vita , quæ pœna sequitur ad  
culpam mortalem ; sicut neque potest illam  
remittere : Ergo non potest subditos obligare  
sub culpa.

Respondetur , negando absolutè majorem,  
loquendo de vera lege, ut condistincta à con-  
stitutione. Ratio est evidens, tum à pari de le-  
ge humana canonica, tum de divina, obligan-  
tibus sub utraque pœna, temporali scilicet, &  
spiritali. Tum etiam, ratione ipsius legis hu-  
manæ, quæ cum obliget ad id, quod subditus  
tenetur de Jure naturæ , habet tunc vim obli-  
gandi , tam ad pœnam, quàm ad culpam . Et  
in casu quilibet subditus, de Jure naturæ, & ex  
justitia, tenetur Principem sustentare, ut dictum  
est : quapropter omnes illæ leges Principis,  
quæ tendunt ad Jus suum exigendum pro sui  
sustentatione, obligant etiam sub culpa , & in  
conscientia. Tum tandem: adest in hoc expres-  
sa D. Augustini doctrina Epist. 50. *Quicumque  
legibus Imperatorum , qua pro rei veritate fe-  
runtur, obtemperare non vult, acquirit grande  
supplicium* . Et quidem Augustinus non est  
locutus de supplicio temporalis; quia non om-  
nes leges imperiales damnant ad supplicium  
transgressores, nisi in re gravi ; sed locutus est  
de supplicio æternò, acquisito per culpam.  
Quòd sit absolutè falsa illa propositio , patet  
ex eo, quòd multæ leges sint conditæ , & qui-  
dem pœnales, quæ, cum supponant in aliqui-  
bus obligationem in foro conscientiæ, habent  
saltem indirectè obligare in conscientia : ut  
sunt leges irritantes aliquos contractus in-  
validos vel ob fraudem, vel ob vim , & metum.  
Istæ leges irritantes contractum , obligant al-  
terum contrahentem , tam sub pœna, quàm  
sub culpa . Idem dicendum est in casu nostro,  
De hac re plura relinquo videnda in 2. tom. de  
legibus.

Ad aliud argumentum resp. dist. antece-  
dens: non habent vim indirectè obligandi  
sub culpa, nego antecedens: directè, subdist.  
quantum ad id , quod morientibus sub culpa

infligitur , concedo antecedens : quantum ad  
id , quod contrahunt viventes ex legis trans-  
gressione, nego antecedens, & consequentiam,  
Et eodem modo resp. ad probationem. Verum  
est, non posse Principes seculares , imò neque  
Ecclesiasticos, inferre pœnam æternam , & ad  
illam damnare transgressorem suarum legum,  
quæ culpæ mortali correspondet ; nam hoc  
tantum Deo supremo Judici reservatum est.  
Unde quantum ad hoc , directè non possunt  
Principes per suas leges ad pœnam æternam,  
culpæ correspondentem, damnare . Possunt  
tamen directè obligare sub tali culpa contra-  
henda , cui correspondeat in alia vita pœna  
æterna, per justum Judicem Deum, infligenda.  
Et hoc modo diceretur, Principes ipsos, indi-  
rectè saltem , damnare ad pœnam æternam;  
quòd non implicat , præsertim quando leges  
statuunt super id , ad quod ipsi Jus naturale  
habent, ut est in casu posito.

140 Obijcies secundò . Quando defraudantes  
gabellas pulum inferunt damnum, nec Regi,  
nec conductoribus gabellarum , ex vi legis,  
qua gabellæ imponuntur, nec peccant , nec ad  
aliquam tenentur restitutionem ; sed multo-  
ties hoc evenit : Ergo ex vi legis, qua gabellæ  
imponuntur , non tenentur defraudantes ad  
restitutionem. Probatum minor : si Rex gabel-  
las venderet particularibus personis, jam ipse  
summam illarum , juxta taxatam impositio-  
nem, reciperet , absque ullo detrimento . Ali-  
unde, si Conductores gabellarum, ex istis exi-  
gerent summam tradendam Regi , & ultra  
hanc, aliam portionem æquivalentem propriis  
laboribus, & expensis; jam nec Rex, nec Con-  
ductores damnum paterentur: Ergo &c.

Respondetur dicendo , majorem propo-  
sitionem implicare in terminis , quòd scilicet,  
per fraudem nullum inferri posset damnum;  
nam saltem, si fraus est de re levi, leve damnum  
patiuntur, vel Rex , vel Conductores gabella-  
rum . Et concedo , quòd potest esse damnum,  
ita leve, ut non ascendat ad materiam restitu-  
tionis, nec peccati mortalis; ut si quis defrau-  
daret gabellas, tantum in eo, quod pro suo vi-  
ctu , & familiæ sustentatione est necessarium;  
nam tunc excusaretur, sicut excusatur , qui  
aliena surripit in extrema necessitate. At quic-  
quid sit de majori , nego minorem ; & dum  
probatum , concessa prima parte assumpti , ne-  
go secundam . Quamvis ergo Conductores  
gabellarum, multoties pro gabellis conductis,  
exigant , nedum summam Regi pro justo sti-  
pendio conferendam, sed etiam æquivalentem  
portionem , tum propriis laboribus, tum ex-  
pensis factis pro ministris, & exactoribus; quia  
tamen conductores se exponunt periculo da-  
mni emergentis, quod, ut plurimum, evenit; &  
etiam lucri cessantis, quæ pericula sunt pretio  
æstimabilia ; iccirco defraudatio cedit in da-  
mnum , & præjudicium ipsorum . Ubi noto,  
quòd si hæc ratio adversariorum valeret, pro-  
baret

paret etiam, quod qui certò sciret, Titium in aliqua sua negotiacione, suæ curæ data, multum acquirere lucrum, posset aliquam portionem ex illo lucro licitè surripere, ultra mercedem, quam Titius promittit ei dandam ex tali negotiacione: quod tamen fieri non potest; quia tunc talis surreptio esset furtum; quia fieret, invito rationabiliter Titio. Idem dicendum est in casu nostro.

141 De impositione gabellarum, & de exemptione à gabellis plura relinquo videnda apud Canonistas, qui de ipsis gabellis fusiùs tractant. Hoc unum tantum hic refero, quod omnes Ecclesiasticæ personæ, sive regulares sint, sive seculares, etiam duntaxat primæ Clericali tōtura initiati, sunt omnià à gabellis exempti, & hoc per multos sacros Can. & Bullas Pontificias, ac per Sacrosanctum Tridentinum Concilium; ita ut non possint à Principibus secularibus cogi ad gabellas solvendas. Quantum attinet ad nostram materiam de restitutione ex fraude gabellarum, hæc dicta sufficiant.

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

*An impediens magis dignum à consecutione alicujus officii, vel beneficii, ut detur minus digno, teneatur ad restitutionem?*

142 **A**D exactam hujus quæstionis intelligentiam, notandum est, unum consequi posse beneficium aliquod, vel officium dupliciter; vel habendo Jus ad illud, vel nullum Jus habendo ad illud, sed solum hoc potest consequi ex pura dantis, aut conferentis liberalitate. Quare fit, quod unus potest alium impedire à consecutione officii, vel beneficii dupliciter: vel impediendo eum, qui Jus habet ad beneficium, vel officium, ut esset ille, qui diceretur repertus in examine magis idoneus ad beneficium, vel officium consequendum; nam tunc ex illo prævio examine Jus acquisivit ad beneficium illud, vel officium: vel impediendo eum, qui tale Jus non habet, sed tantum illud consequeretur ex liberalitate dantis, aut conferentis.

Hoc itaque notato, suppono tanquam certum, cum Doctore nostro in 4. dist. 15. q. 2. in solutione ad ultimum, quod quando quis sine dolo, & fraude alium impedit à consecutione alicujus boni, beneficii, vel officii, sed tantum, ut suæ consulat utilitati, vel alicujus amici, aut consanguinei, & non animo nocendi alteri, tunc ad restitutionem non tenetur; quia quilibet habet Jus ad suam utilitatem faciendam, absque dolo, & fraude, & absque animo damnificandi alterum: & adducit exemplum

de eo, qui præscindit venas aquarum in fundo suo, qui non facit actionem per se illicitam, cum non agat dolosè. Si verò quis dolo, & fraude impediatur à consecutione alicujus officii, vel beneficii; tunc indubitatum est apud omnes, impediens peccare mortaliter, & ad restitutionem teneri; quia tunc actio illa impeditiva est illicita, & injusta. Unde sola difficultas est, de impediens magis dignum à consecutione alicujus officii, vel beneficii, ut detur minus digno, non impediendo dolosè, & injustè; sed justè, & actioque non per se illicita. Ut si quis impediret Cajum à consecutione Episcopatus, Canonatus, Provincialatus, &c. ut detur Titio minus digno, & hoc, absque eo, quod dolosè, & fraudulenter agat in præjudicium Caji, an sic impediens ad restitutionem teneatur? Et pro resolutione

*DICO*, qui digniorem impedit à consecutione alicujus officii, vel beneficii, ad quod Jus habet, teneri ad restitutionem damni illati; non verò si impedit digniorem ad officium, vel beneficium, ad quod Jus non habet. Conclusio quò ad primam partem est communissima inter Doctores: quò ad secundam est contra Cajet., & alios, & tenetur à Scoto loc. cit. à Scotistis, Mastro, Fabro, & aliis, quem sequuntur Sotus, Navarrus, & alii quamplures Doctores. Et

143 Probatur prima pars, loquendo de impediens digniorem habentem Jus ad officium, vel ad beneficium. Qui impedit digniorem ab officio, vel beneficio, ad quod Jus habet, ut detur minus digno, etiam si non impedit dolosè, injuriam ei facit; sed ratione talis injuriæ illatæ digniori Jus habenti ad officium, & beneficium, tenetur ex commutativa justitia ad restitutionem: Ergo qui alium impedit digniorem à consecutione alicujus officii, vel beneficii, ut detur minus digno, tenetur ad restitutionem. Probatur major: si ad publicam Cathedram duo examinentur, vel ad Episcopatum, Canonatum, Parochiam, vel ad quodcunque aliud Ecclesiasticum beneficium, & unus præ alio existimetur dignior; tunc ratione prævii examinis dignior Jus ex commutativa justitia acquirit ad Cathedram illam, vel ad Episcopatum &c. ita ut si ab alio impidiretur; impediens ei injuriam inferret. Quod sic ostendo; quoties læditur Jus, quod alter habet ad rem obrinendam, toties fit injuria habenti tale Jus; sed dignior existimatus in examine, & concursu ad officium, vel beneficium, si impeditur, læditur ejus Jus, quod acquisivit ad officium, vel beneficium: Ergo ei fit injuria.

Eò vel maxime, quod hæc ratio præsertim vim habet, si magis dignus impidiretur ab aliquo, animo ei nocendi; id est ne magis dignus ad illam ascendat dignitatē, officium, vel beneficium; quia tunc impediens dolosè ageret, ut dicit



dicit Scotus loc. cit. 9. ad ultimum similiter dico. Et hoc, si directè abstulit sibi beneficium, intentione damnificandi eum; sed quando quis impedit digniorem habentem Jus, ut officiũ, vel beneficium detur minùs digno; & insuper non faciendo sibi Jus ad illud pro se obtinendo; tunc impedit digniorem, cum animo eum damnificandi: Ergo &c. Probatur minor; nequit ponere tale impedimentum pro sua utilitate, sed pro utilitate minùs digno; Ergo habet animum conferendi utilitatem minùs digno; sed cum animo conferendi utilitatem, minùs digno, stat animus damnificandi digniorem; Ergo &c. Probatur minor subsumpta: si ego impedirem Paulo hæreditatem, ad ipsum spectantem, ut hæc daretur Petro, nullum Jus habenti ad talem hæreditatem, tunc animus faciendi utilitatem Petri, verteretur in detrimentum Pauli, & esset animus damnificandi Paulum; Ergo pariter, qui impedit digniorem habentem Jus, ut conferat utilitatem minùs digno, habet animum digniorem damnificandi.

Confirmatur hoc: qui digniorem impedit ab officio, vel beneficio consequendo, ut detur minùs digno; & aliunde dignior, prævio examine, & concursu, Jus acquisivit ad illud; tunc impediens privat digniorem Jure acquisito ad officium, vel beneficium; sed ex hoc, quòd debito Jure privatur, insurgit in impediente obligatio ad faciendam restitutionem: Ergo &c. Probatur minor: privatio Juris, cum sit mutua relatio, supponit in altero obligationem ex justitia; sicut Jus supponit debitum: Ergo quoties dignior suo Jure privatur, insurgit in impediente obligatio ex justitia.

Eò vel maxime; quia supposito prævio examine, ac concursu, acquirit Jus, non ex mera, & gratuita voluntate donantis; sed ex justitia, & debito conferentis, resultate ex eo, quòd voluit officium illud conferre digniori cognito tali per examen, & publicum concursum: Ergo tunc impediens læderet tale Jus; sed ex Juris læsione oritur in lædente obligatio restituendi: Ergo &c.

144 Probatur secunda pars, quòd scilicet impediens digniorem à consecutione officii, vel beneficii, ad quod Jus non habet, non teneatur ad restitutionem. Nemo obligatur ad restitutionem, nisi quando facit actionem directè contra justitiam commutativam, & in alterius præjudicium; sed quando quis (absque dolo scilicet, & fraude) impedit digniorem à consecutione alicujus officii, vel beneficii, ad quod Jus non habet, non facit actionem directè contra justitiam commutativam, nec in præjudicium alterius: Ergo sic impediens digniorem non habentem Jus (modo supra explicato, scilicet per examen) non tenetur ad restitutionem. Probatur minor: ad beneficia, & publica officia Jus remotum habent ex di-

tributiva justitia omnes personæ dignæ, non obstante, quòd una sit altera dignior: Ergo quis impediendo sine dolo, & fraude digniorem, ut beneficium, vel officium minùs digno conferatur, non facit actionem contra justitiam commutativam; præsertim quia tale impedimentum confert alteri habenti idem Jus remotum, & ex eadem distributiva Justitia; quatenus meritum habet, estò non æquale digniori, ad illud officium, vel beneficium.

Confirmatur hoc: Episcopus, in cujus libertate stat conferre absque prævio concursu, & examine aliquod beneficium, si hoc conferret personæ dignæ, omissa digniore (præsertim si tali beneficio non sit annexa cura animarum), non peccaret contra justitiam, nec commutativam, neque distributivam: non contra commutativam, cum nec digna, nec dignior persona habeant Jus strictum, & proximum ad tale beneficium: nec contra distributivam; quia ex parte personæ dignæ correspondet meritum æquale præmio: Ergo similiter, qui sine vi, & fraude, sed solum consilio, & precibus impedit digniorem à consecutione alicujus officii, vel beneficii, ut detur minùs digno, non tenetur ad restitutionem. Consequencia sequitur, & probari potest per rationes pro prima parte. Sicut itaque tam impediens, quam conferens beneficium tenentur ad restitutionem, si hoc conferatur minùs digno, relicto digniore habente Jus acquisitum prævio examine, & concursu: ita nec conferens, nec impediens tenetur ad restitutionem, dum beneficium datur minùs digno, relicto digniore, non habente Jus proximum acquisitum per examen &c: Ergo &c.

### Solvuntur Objectiones.

145 **O**bjicies primò contra primam partem. In tantum impediens digniorem à consecutione alicujus officii, vel beneficii, ad quod Jus habet, ut detur minùs digno, teneretur ad restitutionem, in quantum læderetur Jus illius; sed hoc est falsum: Ergo impediens digniorem à consecutione alicujus officii, vel beneficii, ad quod Jus habet, ut detur minùs digno, non tenetur ad restitutionem. Probatur minor: tunc læditur Jus alterius, quando tale Jus ei debetur ex justitia commutativa; sed Jus, quod habet dignior ad officium, vel beneficium, non est ex justitia commutativa: Ergo &c. Probatur ista minor; quia etiam minùs dignus, dummodo de eo simpliciter valeat affirmari, quòd sit dignus, idem Jus habet ad officium illud, vel beneficium; sed quoties alia persona digna habet idem Jus ad illud officium, vel beneficium, Jus non est ex justitia commutativa; aliàs posset dari dominium in solidum ad eandem rem, quod repugnat: Ergo dicendum est,



si publici Neapolitani; & Titius esset dignior, Cajus autem minus dignus: ad aureos illos ex justitia distributiva majus Jus Titius haberet, quàm Cajus: distributor autem non ex sola distributiva, sed etiam ex commutativa justitia teneretur Titio digniori studenti aureos illos conferre; & quoties aliter faceret, peccaret etiam contra commutativam justitiam: Ergo &c.

Respondetur negando assumptum antecedentis, & concesso casu probationis, nego paritatem. Disparitas est; quia ex legato, & testamento factò, Titius dignior studens præ ceteris acquisivit Jus, nedum ex justitia distributiva, sed etiam ex commutativa; quatenus meritum ejus nedum excedit in ratione proportionis alios minus dignos, sed etiam in ordine propinquitatis ad aureos illos obtinendos, uti fuissent sibi relicti ex testamento, & legato. In casu autem nostro nulla apparet commutativa justitia, quando conferens non se explicat, aut promittit, se daturum beneficium digniori cognito per examen; sed solum Jus illud, quod competit digniori ex sola justitia distributiva, tam quò ad Jus ad obtinendum beneficium, quàm quò ad debitum illud conferendi: unde in conferente esset debitum duntaxat conferendi beneficium digniori, ortum ex justitia distributiva, quod non habet ponere obligationem restitutionis.

147 Pro resolutione casuum conscientiarum, qui spectare solent ad hanc materiam, plura infero. Primum, quòd si quis impediretur à consecutione alicujus officii, vel beneficii, ad quod jus habet acquisitum ex prævio examine; tunc impediens teneretur ad damnum reparandum. Ratio est, quia injustè Jus illius, & quidem rigorosum, & ex justitia commutativa competens, læderetur, quæ læsio ponit in impediente obligationem restitutionis faciendæ.

Secundum, qui alium, & quidem digniorem, impedit à consecutione alicujus officii, vel beneficii, ad quod impeditus Jus non habet ex justitia commutativa, sed ex sola distributiva; sed illum impedit vi, dolo, & fraude, vel odio, & vindicta; etiam sic impediens ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia illum dolosè damnificavit in materia justitiæ, & cum pravo animo nocendi illi.

Tertium, qui alium, & quidem dignum, impedit à consecutione alicujus officii, vel beneficii, ad quod jus strictum, & ex commutativa justitia non habebat, ut daretur indigno; etiam ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia indignus nullum Jus potuit habere ad tale officium, vel beneficium, neque ex commutativa, neque ex distributiva Justitia; & quia dignus, saltè Jus habebat ex justitia distributiva, ideo jus istius injustè læsum est: quapropter impediens ad restitutionem tenetur.

Quartum, qui digniorem non habentem

Jus ex justitia commutativa impedit à consecutione alicujus officii, vel beneficii, ut daretur minus digno, regulariter loquendo, ad restitutionem non tenetur. Ratio est, quia sic impediens non facit actionem contra justitiam commutativam; cum ex justitia sola distributiva, & non ex commutativa debeat officium illud personæ dignæ; & quia dignior non habet excludere dignum; iccirco impediens digniorem, ut beneficium conferatur minus digno, non tenetur ad restitutionem.

## QVÆSTIO DECIMA OCTAVA; ET VLTIMA,

*An sit obligatio sub culpa mortali, ad quæcunque officia semper eligendi digniorem?*

**H**Æc quæstio à Doctoribus exagitari solet, tam quò ad officia secularia, quæ à secularibus exerceri solent, ut sunt gubernia Civitatum, Judicatus, Magistratus, &c. quàm quò ad officia Ecclesiastica, ut sunt Ecclesiarum gubernia, quibus est annexa cura animarum, Episcopatus scilicet, Parochiæ &c. & in Religionibus Guardianatus, Prioratus, Provincialatus, Generalatus, &c. vel quibus non est annexa cura animarum, ut in Religionibus esset Diffinitoratus, & similia officia; & extra illa, Abbatia, Canonicatus, vel alia quæcunque beneficia Ecclesiastica non pastoralia, idest non annexam habentia curam animarum. Ubi supposita decisione præteritæ quæstionis, quòd scilicet quando dignior Jus habet ad officium, vel beneficium, acquisitum prævio examine, & concursu, si impediretur, aut ei non conferretur ab habente potestatem conferendi; tunc impediens, vel non conferens peccaret contra justitiam commutativam, & ad restitutionem teneretur. Et si tale Jus dignior non haberet, impediens tunc non peccaret contra justitiam commutativam, nec ad restitutionem teneretur; deducimus, inquam, ex tali decisione præmissa, non intervenire peccatum obligans ad restitutionem, quoties Jus strictum, ortum ex commutativa Justitia, non lædatur. Solum igitur est sermo, an eligens minus dignum ad officia, relicto magis digno, peccet saltè mortaliter contra justitiam distributivam?

148 In hac re advertendum est, illum esse dignum ad aliquod officium tum seculare, tum ecclesiasticum, qui habet habilitatem, & capacitatem à jure statutas, & non sit jure Canonico impeditus; & insuper habeat morum honestatem, ad cujus exemplum subditi christianè vivunt: & sit sufficienti doctrina, ac dexteritate præditus ad exercitium illius officii. Qui verò

verò his dotibus magis præditus est, dicitur dignior ad tale officium. At quando una, & non omnibus his dotibus alium superat, nequit simpliciter cenferi dignior, sed tantum comparative ad illam majorem dotem: ut si Titius haberet majorem ætatem, vel æqualem Cajo; majorem, vel æqualem doctrinam, & morum honestatem, sed non haberet majorem dexteritatem in exercendo officio, tunc non posset Titius dici dignior Cajo simpliciter ad illud officium obtinendum; & si æqualiter, ac Caju, illas primas dotes haberet, & non hanc ultimam, neque æqualiter dignus censendus est, ac Caju; sed potius minus dignus, cum supponatur, Caju in aliqua dote, & præsertim majori requisita ad illud officium exercendum, excedere Titium. Unde fit, quòd in electione ad officium aliquod semper prævallet dexteritas in gubernando cuiusque alteri doti requisitæ ad constituendum aliquem dignum. Quare si unus est virtuosus, & doctus, sed non excedit alium in doctrina, sed illum, excedit in dexteritate, & modo singulari gubernandi, jam hic propter majorem dexteritatem diceretur magis dignus altero ad officium obtinendum. Experientia nanque compertum est, quasdam personas, tum seculares ad officia secularia, tum Ecclesiastica, & etiam Regulares, excedentes alias in doctrina, in officio gubernii male se gessisse, propter carentiam dexteritatis in gubernio, & zeli erga subditos: & è contra quasdam alias personas non excedentes alias in doctrina, imò maxime deteriores, sed multum excedentes in dexteritate, in gubernii officio optimè se gessisse.

149 Indubitatum est apud omnes, eligentes indignos simpliciter tales ad officium aliquod, graviter peccare; præsertim si sint officia Ecclesiastica, ut constat ex Innoc. III. in Conc. gen. in cap. *Grave nimis*, de præbendis; & ratio est, quia ex distributiva justitia omnino carent jure ad obtinendum tale officium. Sola igitur difficultas est de eligente minus dignum, omisso digniore; non de eligente indignum, omisso digno. Et pro resolutione questionis,

*DICO*, quando alicui officio est annexa cura animarum, peccare mortaliter electores in eligendo minus dignum, omisso digniore: at quando alicui officio non est annexa cura animarum, sive sit officium seculare, sive Ecclesiasticum, non peccare mortaliter electores in eligendo minus dignum, omisso digniore. Conclusio quò ad primam partem tenetur à Matrino, Card. de Lugo, Sanchez, Lessio, Sofo, Turriano, & aliis, contra Dianam, Poncium, & alios. Quò ad secundam verò partem, quò ad officia secularia est contra quosdam Doctores citatos pro prima sententia. Et quò ad officia Ecclesiastica est contra Cajet. Vasquez, Caspensem, & alios Summistas, Contrarium est damnatum ab Inn. XI. prop. 47. Et deducitur ex Scoto in 4. dist. 15. qu. 2.

150 Probatur prima pars: quando ex aliqua actione sequitur damnum, aut præjudicium bono publico Ecclesiæ, tunc qui est causa talis actionis, peccat mortaliter; sed quando electores ad officium, cui est annexa cura animarum, eligunt minus dignum, omisso digniore, faciunt actionem in damnum, & præjudicium boni publici Ecclesiæ: Ergo electores mortaliter peccant in eligendo minus dignum ad officium, cui est cura animarum annexa, digniore omisso. Probatur minor primò: tunc præjudicatur, & damnificatur bonum publicum Ecclesiæ, quando Pastores, Curati, & in Religionibus Generales, Provinciales, Guardiani, & omnes curam animarum habentes, non possent illo zelo, & dexteritate, aut doctrina magis aptis ad restituendos fideles in pristinum splendorem, & paritatem; sed in suppositione, quòd electores omittant digniorem, cognitum magis aptum ad hoc præstandum, ut necessarium in Ecclesia Dei, & eligant minus dignum, jam eligunt illum non pollentem tanto zelo, dexteritate, & doctrina ad restituendos fideles in pristinum splendorem, & paritatem; quia dignior supponitur præditus majori zelo, doctrina, & dexteritate: Ergo jam electores, eligendo minus dignum, omisso digniore, præjudicant, & damnificant bonum publicum Ecclesiæ. Probatur secundò eadem minor: bona publica, & præsertim Ecclesiæ, quando distribuuntur, conferri debent, servata proportionem meritorum cujuscunque personæ: hic nanque est finis, & objectum justitiæ distributivæ; sed officia Ecclesiastica sunt quædam bona publica Ecclesiæ: Ergo debent conferri, servata proportionem meritorum; sed quando electores eligunt minus dignum, omisso digniore, jam non servant proportionem meritorum: Ergo non eligunt juxta justitiam distributivam; & faciunt actionem contra bonum publicum Ecclesiæ, & in ejusdem præjudicium.

Confirmatur hoc apertis verbis Conc. Trident. de hac re loquentis: *Sess. 24. cap. 1. de refor.* quod incip. *Si in quibuslibet Ecclesia gradibus*. Ubi paulò infra habentur hæc verba: *Omnes verò, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcumque Jus, quacunque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, nihil in iis pro præsentis temporis ratione innovando, hortatur, & monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernanda idoneos promoveri studeant: eosque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambiontium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.* Ubi Conc. non excusat à peccato mortali electores, si ad Episcopatum, vel ad quodcum-

que pastorale officium, cui annexa est animarum cura, non eligant digniores. Quod exprimitur in cap. un. 3. Decret. tit. 12. his verbis: *Non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisse Ecclesiasticum beneficium in personam magis idoneam dispensare.* Et estò hic expressè non apponatur, qui aliter fecerit, peccare mortaliter, tamen ex illis verbis: *debuisse &c.*, deducitur, quòd aliter facientes mortaliter peccant; quia sicut ibi exprimit debitum conferendi beneficium personæ digniori, ita quoties digniori non conferunt, faciunt contra debitum, & sic peccant, obligationem non adimplendo.

Neque dicas, Concilium per illa verba: *Eosque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare &c.* sumere comparativum pro positivo; & velle significare dignitatem eligendorum; quòd scilicet eligendi debeant esse digni.

Non valet, inquam; quia per subsequencia verba: *Nisi quos digniores, & Ecclesia magis utiles ipsi iudicaverint*, exprimit Conc. non solum dignitatem eligendorum, sed comparativum dignioris ad dignum; dum dicit *digniores, & magis utiles*. Tum etiam, quoties magis dignus majorem affert Ecclesiæ utilitatem, & bono publico Ecclesiæ, toties de illo loquitur Concilium; cum intendat declarare promovendos esse ad gubernium Ecclesiæ magis dignos: Ergo non loquitur de positivo dignitatis, sed de comparativo majoris dignitatis ad minorem; cum Ecclesia majori conatu, & splendore, ac zelo gubernetur à digniore, quam à minus digno.

Neque etiam valet, si dicas, Concilium esse intelligendum de digniore, non excludendo dignos, sed indignos.

Non valet, inquam; quia sicut comparative loquitur, ita sensus ejus esse non potest de digniore, pro ut, solum habet excludere indignum; nam nulla esse potest comparatio inter digniorem, & indignum; sed dignior comparatur minus digno, non verò indigno: Ergo &c.

151 Neque tandem valet dicere, Concilium esse intelligendum, quando dignior est in concursu cum minus digno.

Non valet, inquam; quia Concilium talem concursum non exprimit, quia loquitur de libera promotione ad munus pastorale, nullum exprimendo concursum: Ergo nequit aliter interpretari, quam ut sonant verba in eo expressa. Tum etiam: si loqueretur de eligendo digniore ex prævio concursu, non solum diceret, promovendos esse digniores, & aliter faciendo, peccare mortaliter, sed etiam diceret, ad restitutionem teneri; quia quando dignior est talis per concursum, Jus acquirit ad beneficium Ecclesiasticum; & quia Jus ejus læderetur, tunc nedum electores peccarent mortaliter, sed ad restitutionem tenerentur. Propter has adversariorum responsiones, quæ scandalosæ sunt in exponenda supradicta Concilii

doctrina, Innocentius XI. sequentem propositionem damnavit, sub num. 47. *Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi iudicaverint, ad Ecclesias promoveant. Concilium, vel primò videtur per hos digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundò, locutione minus propria, ponit digniores, ut excludat indignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.* Per ea, quæ nunc usque dicta sunt, patet falsitas hujus propositionis, quo ad singulas ejus partes.

152 Probatur secunda pars; primò de officiis Ecclesiasticis, quibus non est annexa cura animarum. Nulla fit injuria per collationem hujus officii Ecclesiastici, si conferatur digno, omisso digniore; neque præjudicium affert Ecclesiæ: Ergo tunc conferens non peccat mortaliter. Probatur primò antecedens; tum quia praxis communis Ecclesiæ id suadet; cum multoties Reges, Principes &c. promoveant ad officia Ecclesiastica personas dignas, omissis dignioribus; id ipsum experimur in Pontifice, & Episcopis; quod non facerent, si injuriam, & præjudicium afferrent Ecclesiæ: Ergo &c. Tum etiam, quia bonum Ecclesiæ non præjudicatur, nisi quando membra ejusdem possent aliquod damnum pati, præsertim in spiritualibus; sed nullum tale paterentur damnum: Ergo &c. Probatur nunc consequentia: quando ex aliqua actione nullum sequitur præjudicium Ecclesiæ, illa actio non est peccaminosa; non enim potest esse talis, ut damnosa digniori; quia hic non omitteretur dolosè, & cum animo illum damnificandi; nec Jus ex prævio concursu acquisivit. Neque est damnosa membris Ecclesiæ; quia, ut dixi, tali officio non est annexa cura animarum: Ergo &c.

153 Probatur secundò eadem pars, de electione in ordine ad officia secularia. Ut excusentur electores à peccato in electione ad officia secularia, satis est, ut in collatione libera officiorum, absque prævio concursu, & examine, illa conferant personæ dignæ habilitatem habenti ad ipsa officia exercenda; sed quando eliguntur minus digni, omissis dignioribus, jam eliguntur digni, habentes habilitatem ad officia ipsa exercenda; Ergo tunc electores à peccato excusantur. Probatur major: ut excusentur à peccato, satis est, ut curent, quòd Respublica damnum non patiat; sed quando conferunt officia personis dignis, jam curant, quòd Respublica damnum non patiat: Ergo in tali electione, etiam omissis dignioribus, excusantur electores à peccato. Hæc secunda pars magis constabit ex solutione objectionum.

*Solvuntur Objectiones.*

154 **O**bjicies primò contra primam partem, Quando officiis, vel beneficiis Ecclesiasticis est annexa cura animarum, si eligantur ad ista officia digni, omiſſis dignioribus, nemini inferretur injuria; sed quando nemini fit injuria in electionibus ad officia, electores non peccant mortaliter: Ergo quando eliguntur digni ad officia Ecclesiastica, quibus est annexa cura animarum, omiſſis dignioribus, electores non peccant mortaliter, Probatur major: si aliqua fieret injuria per talem electionem, vel hæc fieret Ecclesie, vel personæ magis dignæ; sed nec Ecclesie, nec personæ magis dignæ fit injuria: Ergo &c. Probatur minor: non Ecclesie; quia quando minister Ecclesie electus ad curam animarum, ut est Episcopus, Parochus &c, est dignus ad tale officium, nullum videtur Ecclesia pati detrimentum; sicut neque fideles, qui æquè benè possent instrui, corripì, & moderari à ministro digno, ac à digniori: Ergo dum electores eligunt dignum, omiſſo digniore, ad officium, cui est annexa cura animarum, nulla fit injuria bono publico Ecclesie. Probatur nunc, quòd neque injuria fieret personæ digniori: persona, quæ est dignior, quamvis habeat majus Jus ad tale officium, tamen hoc non est exclusivum Juris, quod habet etiam persona digna, & quidem simpliciter digna: Ergo &c, Probatur hoc, quia Jus, quod habet persona dignior, non est Jus acquisitum ex prævio examine, sed tantum Jus ex majori aptitudine; sed illud Jus, quod est duntaxat ex majori aptitudine, non est exclusivum Juris, quod est in alio habente simpliciter aptitudinem, licet non æqualem: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dico, injuriam fieri bono communi Ecclesie, si eliguntur digni ad officium Ecclesiasticum, cui est annexa cura animarum, omiſſis dignioribus. Et dum probatur, nego assumptum antecedentis. Quamvis ergo Ecclesia Dei non patiatur detrimentum, dum officia confert, quibus est annexa cura animarum, ministris aptis, & idoneis, sicut pateretur si illa conferreret ministris ineptis, & non idoneis ad curam animarum; tamen patitur detrimentum comparativè ad majorem utilitatem, quæ confertur Ecclesie per ministros aptiores, & magis idoneos ad curam animarum; quia ut dixi in probatione num. 150, fideles, qui sunt membra Ecclesie, magis splendescere possunt per digniorem ministrum, quam per minùs dignum; & majorem dignior confert bono publico utilitatem, quam minùs dignus. Unde etiam est falsum, quod adversarii assumunt, quòd scilicet fideles æquè benè possent instrui, corripì, & moderari à ministro

digno, ac à digniore: nam cum minister dignior polleat majori doctrina, & dexteritate, majorem habet vim reducere, di ad pristinum splendorem fideles, quam persona minùs digna. Quare si hac majori utilitate careret Ecclesia per omiſſionem dignioris, jam ei injuria fieret, & detrimentum pateretur: non simpliciter, sed comparativè ad majorem utilitatem, qua privaretur, per electionem personæ minùs dignæ.

Ad probationem pro altera parte, quamvis concederetur assumptum, quòd scilicet nulla fieret injuria digniori, propter rationem allatam inter arguendum; quia dignior non habet majus Jus acquisitum ex prævio examine; tamen absolutè concedi non potest. Primò, quia illa major aptitudo, & idoneitas, quæ relucet in persona digniore, habent conferre in digniore propinquitatem ad Jus, quæ non habet persona minùs digna. Secundò, quia illa major aptitudo supponit in eligente, vel conferente obligationem naturalem, ortam ex justitia distributiva, ad servandam meritorum æqualitatem, & proportionem; ac per consequens, saltem quantum ad hoc, magis dignus, si postponeretur minùs digno, jam esset injuriatus.

155 Objicies secundò contra secundam partem, probando, quòd in electione ad officia, quibus non est annexa cura animarum, & sunt Ecclesiastica, si eligantur digni, omiſſis dignioribus, peccant mortaliter electores. Si ad officia Ecclesiastica, quæcunque sint, eligerentur, & promoverentur indigni, omiſſis dignis, electores, & promotores peccarent mortaliter: Ergo quando eligunt dignos, omiſſis dignioribus, etiam mortaliter peccant, quamvis tali officio non sit annexa cura animarum. Probatur consequentia; in tantum in prima electione peccarent mortaliter, in quantum electores, & promotores agerent contra justitiam distributivam; & indigni insuper inepti sunt ad officia, ad quæ sunt promoti, & electi; sed dum eligunt minùs dignos, omiſſis dignioribus, agunt contra distributivam justitiam; & insuper minùs digni, in comparatione ad digniores, sunt inepti ad exercenda illa officia: Ergo &c, Probatur minor quòd ad primam partem: non magis justitia distributiva exercetur, dum respicit dignos, tum omiſſione indignorum; quam dum respicit magis dignos cum omiſſione minùs digni: Ergo nõ magis quis peccat contra hanc justitiam, eligendo indignos, omiſſis dignis; quam eligendo dignos, omiſſis dignioribus. Consequentia sequitur, quia de ratione justitiæ distributiæ, est, distribuere bona communia ad personarum, & meritorum proportionem: Ergo si quoties non habenti meritum confertur officium, conferens peccat contra hanc justitiam; etiam quando confertur officium habenti minùs meritum, conferens peccat contra



contra eandem justitiam distributivam, Probatur eadem minor quò ad secundam partem: digni in comparatione ad digniores sunt deterioris conditionis, & qualitatis: Ergo &c.

Respondetur negando consequentiam, ad cujus probationem, nego minorem, quò ad utramque partem; & dum probatur, nego antecedens, Ad exercitium nanque justitiæ distributivæ circa ea, quæ nullum afferunt bono publico detrimentum; ut esset in casu de officiis, quibus non est annexa cura animarum, satis est, ut distributio fiat ad meritum, & personarum proportionem. Et quia persona indigna nullam habere potest proportionem cum persona digna, imò omni caret merito, quia simpliciter indigna est ad officiū ei conferendum; iecircò conferens indigno aliquod officium, omisso digno, peccaret contra justitiam distributivam: imò etiam contra commutativam; quia simpliciter digno debetur officium ex commutativa justitia; adeoque, omittens dignum, teneretur etiam ad restitutionem. Ceterum persona, quæ digna est, in comparatione ad digniorem, licet non habeat majus meritum, habet tamen meritum, simpliciter, ratione cujus, absque læsione justitiæ distributivæ, potest trahere voluntates electorum ad ei conferendum officium. Et ex hoc patet falsitas alterius partis minoris, quòd scilicet minus dignus, in comparatione ad digniorem, sit ineptus ad exercitium officii; nam estò sit magis aptus dignior, non per hoc sequitur, quòd minus dignus sit ineptus; sed tantum dicitur minus aptus; nam ut verificetur prædicatum aliquod de aliquo subiecto simpliciter, satis est, ut de tali subiecto verificetur id, quod cum tali prædicato connectitur. Aptitudo nanque est connexa cum dignitate personæ; quare si de aliqua persona simpliciter verificatur, quòd sit digna, etiam de ea verificatur, quòd sit apta ad officium, exercendum.

Dices: illa officia Ecclesiastica sunt bona communia: Ergo debent distribui juxta proportionem meritum; sed majus meritum habet persona dignior, quàm minus digna: Ergo personæ digniori conferri debent; & conferens, aliter faciendo, peccaret contra justitiam commutativam.

Respondetur dicendo, in hoc errare adversarios, asserentes, bona communia esse distribuenda ad proportionem meritum; quod est falsum. Illa nanque bona sic distribui debent, ad quæ ex prævio examine, & concursu acquiritur Jus: etenim tunc ex Jure acquisito, dignior prævalet minus digno. At illa bona, quæ distribuuntur ex beneplacito distribuuntur, absque alterius injuria potest illa conferre dignis, omittis dignioribus. Quare in forma nego consequentiam. Bona itaque communia Ecclesiæ, quibus non est annexa cura animarum, distribui debent ad bonum commune,

servandum, ne in officiorum distributione detrimentum patiat, Quod salvari potest, tam si eligantur digni, quàm digniores; cum sufficiat, ad detrimentum vitandum, habitas, & aptitudo electæ personæ dignæ: adeoque &c. Hæc objectio militat etiam de electione ad officia secularia, & similem habet solutionem.

156 Pro complemento hujus quæstionis, & resolutione casuum conscientiarum, plura sunt inferenda. Primum, electores ad officia tum secularia, tum Ecclesiastica, quibus non est annexa cura animarum, non peccare mortaliter, si eligant minus dignos, omittis dignioribus. Ratio est, quia officia illa, quibus cura animarum non est annexa, non ponunt aliam obligationem in electoribus, nisi ut Respublica (si sunt officia secularia) vel Ecclesia (si sunt officia Ecclesiastica) provideatur de sufficienti, & apto ministro ad gubernium, & ad officium illud exercendum, absque ullo detrimento boni communis; sed quando electores eligunt dignum ad illud officium, jam provident de sufficienti, & apto ministro, ex cujus ministerio nullum apparet damnum, quod pati posset: Ergo jam absque labe peccati electores eligere possunt minus dignum, omisso digniore.

Secundum infero, non posse sine peccato electores eligere, aut conferre beneficium, vel officium, cui non sit annexa cura animarum, si ex prævio concursu, & examine sit conferendum, minus digno, omisso digniore. Ratio est, quia ratione concursus, vel prævii examinis, dignior ex majori merito relatè ad minus dignum, Jus acquisivit ad officium illud, vel beneficium. Imò stante concursu, electores non solum attendere debent ad providendam Rempublicam, vel Ecclesiam de idoneo ministro; sed etiam ad exercendam justitiam distributivam, contra quam ipsi peccarent, nisi justam facerent distributionem.

Tertium infero, quòd peccant, nedum contra justitiam distributivam, sed etiam contra commutativam, si conferant beneficium, vel officium indigno, omisso digno; præsertim, si officio est annexa cura animarum. Ratio est, quia tunc electores ponunt Rempublicam, vel Ecclesiam in evidenti periculo damni, quod pati posset per ministrum ineptum: & insuper agerent contra jus, quod habet dignus ad tale officium: & sic contra utramque justitiam peccarent.

Quartum infero, quòd quando alicui officio est annexa cura animarum; tunc electores, eligendo minus dignum, omisso digniore, peccant mortaliter. Ratio est, quia si officiū cui est annexa cura animarum, non datur digniori, præjudicium afferri poterit Ecclesiæ; nam zelus animarum exigit, ut fideles rependantur in splendore, & pristino candore; quod fieri non posset æquè bene à minus digno, ac

à di.

à digniore . At quod sit in præjudicium boni publici Ecclesiæ , non potest excusare electores à peccato ; Ergo in hoc casu mortaliter peccarent electores , eligendo minus dignum, omisso digniore.

Hæc omnia quoque militant in electione ad Prælaturas inter Regulares , quia illis est semper annexa cura animarum ; unde quoties in superiores eliguntur minus digni , qmissis dignioribus, electores mortaliter peccant ; & si juramentum præstant de eligendo meliore, perjurium committunt , si postea minus dignos eligunt.

157 Plures in hac materia excipit Casus Card. de Lugo cum aliis Doctoribus, qui excusare possunt electores à peccato , dum eligunt minus dignum, omisso digniore; inter quos præcipui sunt: si dignior sit occupatus in bonum

publicum Ecclesiæ , ut concionando , typis mandando &c. quæ omnia magis conferunt ad publicam utilitatem Ecclesiæ. Vel quando dignior non sit de illa communitate , & loco, in quo cadit electio ; quia tunc dignus illius communitatis, ob majorem congruentiam, præferendus est digniori alterius communitatis. Ceteri casus videndi sunt apud ipsum de Lugo, qui præsertim reducuntur ad majus bonum Ecclesiæ, si non eligantur digniores, ac si eligerentur ad illa officia, vel beneficia Ecclesiastica. Cetera de Beneficiis, & electione ad illa videbitis in sequenti disputatione. Pro nunc satis sint dicta ad laudem Omnipotentis Dei, Beatæ Mariæ semper Virgini , Sancti Patris nostri Francisci , ac omnium Sanctorum , qui in Cœlis regnant , Amen.



# DISPUTATIO SEPTIMA, ET VLTIMA

## De Simonia, & Beneficiis.

### QVÆSTIO PRIMA.

*An Electores, si acciperent pecuniam, vel pecunia æquivalens in electione alicujus ad Ecclesiasticum beneficium, committerent simoniam; & ad restitutionem tenerentur?*



Uam periculosum sit in Ecclesia Dei hoc simoniae peccatum, patet, tum ex sua origine, quam traxit ab illo nefario Simone Mago, præsumente, pecuniam emere Spiritum Sanctum, sanctificantem gratiam, ceteraque dona supernaturalia; tum ex motivo, & sine ejusdem, qui est ambitionis cupiditas, in iis præsertim, qui avidè, ambitiosèq; præsumunt ad dignitates, & Ecclesiastica officia ascendere. In qua re plura tanquam certa suppono apud omnes Doctores. Primum, ejusdem simoniae quidditas ab omnibus Theologis, & Canonistis sic explicatur: *Quòd sit studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquod spirituale, vel spirituale annexum.* Ly *voluntas studiosa*, sumitur pro actu deliberato efficacis voluntatis ad effectum deducto: aliàs non obligaret ad restitutionem, sed solùm ad simoniae peccatum conduceret; nam tunc simoniacus tenetur pretium restituere, quando reverà pretium accipit: ut dictum est de usurario, qui si non accipit, sed tantùm intenderet accipere, ultra sortem, peccaret mortaliter, sed ad restitutionem non teneretur. Ly *emendi, & vendendi pretio temporali aliquod spirituale*, denotat, simoniam non obligare ad restitutionem, nisi simoniacus vendat spirituale pretio temporali, & alter emat: ut si quis pretio temporali, idest pecunia, vel aliqua re pecuniae æquivalenti, emat Hostiam Consecratam, Sacramenta, & cetera similia, quæ ad ordinem supernaturalem spectant, vel alia spiritualia, quæ sunt usus rei supernaturalis, ut sunt ele-

ctio ab beneficia, ad prælaturas, collatio ipsorum beneficiorum, & quæcunque alia spectantia ad Ecclesiasticam jurisdictionem. Ly tandem *spirituali annexum*, sumitur pro eo, quod in se spirituale non est, sed ei annexitur aliquod spirituale, quatenus ad spirituale ordinatur: hujusmodi sunt omnia beneficia Ecclesiastica ordinata ad officium spirituale; vel vasa, & ornamenta Altaris, quæ ad divinum cultum ordinata sunt.

1. Suppono secundò, adæquatam, ac laudabilem esse divisionem simoniae in eam, quæ jure divino prohibita est, quia mala; & in eam, quæ prohibita est jure humano, non quia ex natura sua mala sit, sed est mala, quia prohibita. Prima simonia committitur, quando traditur, vel promittitur tradendum pretium temporale pro re spirituali ordinis supernaturalis: ut esset emptio, & venditio Hostiae Consecratae &c. Hæc nanque simonia jure divino prohibita est; quia ex natura sua mala est, Secunda committitur, quando venditur, aut emitur res temporalis, cui annexa est res spiritualis, ut esset Ecclesiasticum beneficium, quod estò ratione perceptionis fructuum ex beneficio provenientium temporale sit, quia tamen habet annexam spiritualem potestatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam, est jure humano Canonico prohibitum emi, & vendi.

2. Suppono tertio, utramque simoniam, sive Jure divino, sive Jure humano prohibitam, dividi communiter à Doctoribus in mentalem, conventionalem, & realem. Mentalis est illa, qua quis vult vendere, vel emere pretio temporali rem spiritualement, vel annexam spirituali, nullo habito signo, vel pacto externo; sed conjungibilis est cum externa actione

acce-

acceptationis pretii, & collationis rei spiritualis, Conventionalis est illa, in qua intercedit expressum pactum, vel saltem tacitum, tradendi rem temporalem pro spirituali, vel spirituali annexam. Realis tandem committitur, quando pactum inter accipientem rem spiritualem, vel annexam spirituali, & inter eligentem, conferentem, promoventem, vel procurantem, sit executioni mandatum; quatenus emens beneficium, illud recipit, & conferens, vel eligens &c. pretium ex altera parte accepit.

3 In hac materia de simonia plures extant Summorum Pontificum constitutiones, tam contra electores ad Ecclesiasticas dignitates, & beneficia, ac ad ordines suscipiendos, quam contra promotores, examinatores, & alias quascunque personas, quæ pretium accipiunt pro beneficiis, dignitatibus, ordinibus, &c. conferendis, vel ea quomodolibet procurantes, vel promoventes, sub pœnis in iisdem constitutionibus taxatis, Prima est Joannis XXII. quæ incipit: *Suscepti, in extrav. de elect. et electi potestate*. Secunda est constitutio Pii V. quæ incipit: *Cum primū &c.* Et infra habentur hæc verba: *Ve simoniaca pravitate labes profusus aboleatur &c.* in qua constitutione confirmat constitutiones Prædecessorum suorum, Tertia est ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Durum nimis, & incommodum arbitramur*. Et ultra has, & alias constitutiones, tum in corpore Juris clausas, tum etiam in Romano Bullario notatas, adest expressum caput 14. sessionis 24. ex Concilio Tridentino, ubi habetur: *In pluribus Ecclesiis, &c.* Et infra: *Hæc cum Sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, ut quæcunque hujusmodi in usus pios non convertantur, atque ingressus eos, qui simoniaca labis, aut sordida avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant, &c.* Has omnes, & singulas constitutiones prænotavi, ut quisque cognoscat, simoniam committere, eos, qui emunt spiritualia, vel spiritualibus annexa, pretio temporali; sicut pariter, qui hæc spiritualia eodem temporali pretio vendunt.

4 Hoc autem temporale pretium triplici modo à Doctoribus communiter exponi solet, sub muneris ratione: vel est munus à manu, vel munus à lingua, vel munus ab obsequio: quæ omnia munera sunt pretio æstimabilia. Per munus à manu intelligitur omne id, quod traditur conferenti, vel procuranti, vel obliganti, &c. sive pecunia sit, sive res mobilis, sive immobilis, sive istæ sint traditæ, sive remissæ. Dico (remissæ); quia multoties conferens, aut eligens ad beneficium est debitor ei, cui confert beneficium, & hic debitum remittit conferenti, &c. pro illo beneficio. Per munus à lingua, intelliguntur preces factæ apud Principem in favorem conferentis beneficium, quæ preces cum sint pretio æstimabiles, iccirco habent rationem pretii temporali-

lis, quo beneficium emicitur. Per munus ab obsequio, intelligitur obsequium præstandum, conferenti beneficium, vel procuranti, &c. quod obsequium, cum sit onus, quod sibi imponit, vel ei imponitur à conferente, vel procurante beneficium, est pretio æstimabile. Hæc autem munera, si tantum sunt ex intentione dantis, & accipientis beneficium absque ullo pacto, constituunt simoniam mentalem: si sunt cum pacto expresso, vel saltem impresso, constituunt simoniam conventionalem: si tandem executioni mandentur, constituunt realem simoniam.

His omnibus notatis, & suppositis, tanquam certis apud omnes Doctores, quantum spectat ad præsentem quæstionem, An accipientes pecuniam, vel æquivalens in electione alicujus ad Ecclesiasticum beneficium committant simoniam, & ad restitutionem teneantur? adverto, eandem quæstionem militare de procurante, conferente, &c. beneficium, & nedum de beneficio, sed de quocunque Ecclesiastico officio Jurisdictionis. Uade pro quæstionis resolutione

DICO, electores accipientes pecuniam, vel æquivalens pecuniæ, quod est pretio æstimabile, ad eligendum aliquem ad officium, vel beneficium Ecclesiasticum, graviter peccant; subindeque ad restitutionem teneri, propter contractam simoniam. Conclusio communissima est inter Doctores omnes, estque juxta Summorum Pontificum determinationes cit. in nu. 3. Et hanc tangit Scotus in 4 d. 5. q. 2. & dist. 25. q. 1. §. in ista quæstione. Et ibidem §. ad argumenta in oppositum.

5 Probatum prima pars: Omnis actio, quæ prohibita est jure naturali, divino, & humano, est peccaminosa; sed actio, qua electores accipiunt pecuniam, vel aliud pecuniæ æquivalens ad eligendum aliquem ad officium, vel beneficium Ecclesiasticum, est actio prohibita jure naturali, divino, & humano: Ergo electores accipientes pecuniam, vel ei æquivalens, ad eligendum aliquem ad officium, vel beneficium Ecclesiasticum, peccant mortaliter. Probatum minor: actio illa accipiendi pecuniam, vel æquivalens pecuniæ, est vera simonia; sed actio simoniaca est omni Jure prohibita: Ergo &c. Probatum primò major: actio illa esset venditio rei annexæ spirituali pro pretio temporali; sed nil aliud est simonia, ut diximus in initio quæstionis: Ergo verè illa actio esset simonia. Probatum nunc minor, quòd actio simoniaca sit omni Jure prohibita. Est prohibita Jure naturæ; quia lumen naturæ, lumine fidei imbutum, dicat, rem spiritualem, vel cui annexa est res spiritualis, nullo temporali pretio esse comparandam, & nullum ei æquale posse dari pretium temporale: ut constat ex Proverb. 3. quòd Sapientia, quæ est donum spirituale, pretiosior sit cunctis opibus. Quòd etiam sit prohibita Jure divino, patet ex

illo Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*: & hic est sensus, nedum de gratia quam Apostoli acceperunt, sed de omni eo, quod Apostolica potestati fuit annexum, ut administratio Sacramentorum, electio ad officia quæcunque Ecclesiastica &c. Quòd tandem sit prohibita Jure humano, patet ex illis constitutionibus supra cit. num. 3.

- 6 Probatur secundò eadem pars: quoties simonia ex genere suo est mortale peccatum, toties simoniam committentes mortaliter peccant; sed simonia ex genere suo est peccatum mortale: Ergo illam committentes mortaliter peccant; sed electores alicujus ad gradum, officium, vel beneficium Ecclesiasticum, si pecuniam, vel æquivalens pecuniæ recipiunt, committunt simoniam; quia vendunt spirituale pro pretio temporali: Ergo tales electores mortaliter peccant. Probatur minor: omnis contractus exercitus super materiam indebitam, & incapacem emptionis, & venditionis, est peccatum mortale; sed simonia exercetur supra materiam indebitam, & incapacem emptionis, & venditionis; quia cum res sit spiritualis, est omninò invendibilis, & inemibilis; Ergo &c. Major patet de quolibet contractu emptionis, & venditionis, Probatur minor primò; quia materia capax venditionis, & emptionis debet cadere sub dominio perfectum venditoris; vel saltem oportet, ut venditor, potestatem habeat rem illam vendendi; sed res spiritualis, quæ est materia, super quam simonia exercetur, non cadit sub perfectum venditoris dominium; neque dominus illius rei spiritualis dedit creaturæ rationali hanc potestatem: Ergo &c. Minor quò ad primam partem est certa; quia solus Deus est dominus rei spiritualis, & Ecclesiarum Prælati, vel electores sunt tantum dispensatores. Quò ad aliam partem patet, quia Deus conferendo Apostolis potestatem supra rem spiritualem, dixit: *Gratis accepistis, gratis date*. Et constat ex illo Corint. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei.*

- 7 Probatur nunc secunda pars: Illa actio peccaminosa obligat ad restitutionem, qua læditur Jus alterius; sed quando electores pecuniam, vel æquivalens pecuniæ accipiunt pro conferendo beneficio, faciunt actionem, qua læditur Jus alterius: Ergo obligantur per simoniam ad restitutionem. Probatur minor: in tantum non læderetur Jus dantis pecuniam, vel æquivalens pecuniæ, in quantum hic propter beneficium acceptum liberè daret pecuniam pro pretio beneficii, volens, dominium illius pecuniæ esse transferendum in electores, vel collatores beneficii; sed hæc ratio non valet: Ergo &c. Probatur minor: Nemo potest liberè transferre dominium suæ pecuniæ in personam, sive à Jure divino, sive humano, & per Sacros Canones, incapacem talis domini; sed electores, & collatores simoniaci sunt à

Jure divino, & humano, ac per Sacros Canones, incapaces domini illius pecuniæ simoniacè acceptæ; ut patet ex Sacris Canonibus, in bullis supra relatis; Et hoc in pœnam simoniæ, ante Judicis sententiam, ut etiam diximus in 4. disp. q. 7. num. 72.; Ergo etiam si accipiens beneficium simoniacè, velit liberè transferre dominium pecuniæ datæ electoribus; ob istorum incapacitatem, semper apud ipsum dantem pecuniam, remanet dominium, donec per Judicis sententiam pecunia ipsa in pœnam delicti Fisco tradatur.

### Solvuntur Objectiones.

- 8 **O**bjicies primò contra primam partem. Si electores, accipiendo pecuniam, vel æquivalens pecuniæ in eligendo aliquem ad officium, vel beneficium Ecclesiasticum, peccarent mortaliter, hoc peccatum esset peccatum simoniæ; sed in tali casu non peccant peccato simoniæ: Ergo electores accipiendo pecuniam, vel æquivalens, in eligendo aliquem ad officium, vel beneficium Ecclesiasticum, non peccant mortaliter. Probatur minor: peccatum simoniæ tunc committitur, quando pretio temporali emitur, vel venditur res aliqua spiritualis, aut annexa rei spirituali; sed dum electores accipiunt pecuniam in electione alicujus ad officium, vel beneficium Ecclesiasticum non vendunt rem spiritualem, vel annexam spirituali, pretio temporali: Ergo &c. Probatur minor primò: dum electores accipiunt pecuniam, vel pecuniæ æquivalens, in electione alicujus ad officium, vel beneficium Ecclesiasticum, tantum illam accipiunt in benevolentia recognitionem, non in pretium voti, vel electionis ad beneficium, vel promotionis ad illud; sed non committitur simonia, quando pecunia non accipitur in pretium rei spiritualis, vel annexæ spirituali: Ergo &c. Probatur secundò eadem minor: electores, promotores, vel conferentes beneficium, possunt pecuniam accipere, non in pretium beneficii, cum hoc æstimari non possit, sed tantum possunt illam accipere in commutationem, & permutationem; sed commutare, & permutare non est vendere: Ergo commutando rem spiritualem, vel annexam spirituali cum pretio temporali, non vendunt hujusmodi rem pretio temporali; adeoque &c.

Respondetur dicendo, quòd si hoc argumentum valeret, vix posset assignari casus, ubi interveniret simonia, sed omnes possent licitè tradere rem spiritualem, vel annexam spirituali pro re temporali. Unde in forma nego minorem, & minorem probationis; ad cujus primam probationem nego majorem. Ex illa præmissa doctrina posita n. 2. deducitur solutio præsentis difficultatis. Quare dico, quòd electo-

electores accipientes pecuniam , vel æquivalens pecuniæ, ut aliquem eligant ad officium, vel beneficium Ecclesiasticum, si pecuniam illam recipiunt ex inito pacto expresso, vel impresso, ex quo pacto beneficiarius pecuniam illam tradit ; tunc non ex sola benevolentia recognitione pecuniam accipiunt, sed ex pretio illius officii, vel beneficii collati : & hoc modo simoniam conventionalem committunt ; & etiam realem, dum pactum illud sit executioni mandatum . Et si pecuniam recipiunt ex intentione illam accipiendi, propter motiium conferendi officium, vel beneficium, vel eligendi ad illud, tunc simoniam simul intentionalem, & realem committunt. Unde non videtur, quomodo à labe simonia excusari possint electores, hoc modo pecuniam accipiendo, vel ex inito pacto, vel ex intentione accipiendi pecuniam illam ; præsertim quando pecunia illa est motiium tradendi, aut conferendi, & eligendi ; nam tunc pecunia illa esset pretium formale illius officii, vel beneficii. Si verò nullum intercederet pactum, neque electores reciperent pecuniam ex intentione recipiendi propter illud motiium conferendi beneficium, & ad illud eligendi ; nec tradens pecuniam, illam tradit ex tali intentione, & motivo, tunc difficultas est inter Doctores, an etiam in tali casu, simonia committatur ? Aliqui volunt in tali casu, quo nullum esset pactum, nec intentio recipiendi pecuniam pro pretio beneficii, vel officii, nullam committi simoniam ; quia pecuniam non reciperent ut pretium, sed in benevolentia recognitionem . At verior, & tutior aliorum opinio est, quòd etiam simonia committatur ; quia tunc illa recognitio benevolentia esset pretium, et si non formale, saltem virtuale ; præsertim si detur ante collationem beneficii, vel officii ; quia tunc pecunia illa vim haberet, ad movendum electores, ut illum præ alio eligant ad officium, vel beneficium. Quòd si pecunia, vel aliquid æquivalens detur, non ex intentione dandi, nec inde motiium habuerunt electores eligendi ad officium, sed spontè, & grato animo post beneficium acceptum detur electoribus, absque illo titulo recognitionis ; tunc nulla committitur simonia ; quia tunc datio illius pecuniæ esset duntaxat donatio, & non compensatio, quæ æquivaleret venditioni, & emptioni. Dixi absque titulo recognitionis ; quia recognitio illa esset pretium virtuale solum pro beneficio.

Ad secundam minoris probationem, nego minorem. Ex dictis nanque in materia de contractibus, cum contractu venditionis, & emptionis intervenire solent contractus commutationis, & permutationis : si enim merces venderentur pro frumento ; frumentum pro vino &c. tunc verè contractus isti dicerentur venditionis, & emptionis, attento pretio ex parte commutantis, & commutatarii. Sic in

casu : si electores commutarent, vel permutarent officium Ecclesiasticum in pecuniam, vel æquivalens pecuniæ ; & beneficiarius ex altera parte commutaret pecuniam, vel æquivalens pecuniæ in beneficium, vel officium Ecclesiasticum, jam talis commutatio esset verus emptionis, & venditionis contractus ; & quia esset emptio, & venditio rei spiritualis, vel spirituali annexæ, pro pretio temporali, esset contractus simoniacus.

9 Obijcies secundò contra secundam partem, in qua est major difficultas. Nemo tenetur ad restitutionem, nisi quando per aliquam actionem illicitam alteri facit injuriam ; sed electores accipientes pecuniam pro electione alicujus ad beneficium, vel officium Ecclesiasticum, nulli injuriam faciunt : Ergo ad restitutionem non tenentur . Probat minor : si aliquam facerent injuriam, maximè beneficiario, qui pretium pecuniæ solvit pro accepto beneficio ; sed huic non fit injuria : Ergo &c. Probat minor beneficiarius, qui solvit pecuniam pro beneficio accepto, liberè, & non coactè, nec fraudulenter pecuniam illam tradidit, imò illam contulit pro pretio beneficii : Ergo nullam accepit injuriam à conferente, vel eligente ad beneficium : Ergo &c.

Deinde : ex peccato, quòd tantum est contra Religionem, nulla insurgere potest obligatio restitutionis ; sed peccatum simoniae est tantum contra virtutem Religionis : Ergo peccatum simoniae in simoniacis nullam ponere potest obligationem restitutionis. Major patet, quia obligatio restitutionis oritur ex virtute Justitiæ. Probat minor : peccatum simoniae adversatur cultui divino, qui cultus ad virtutem Religionis, & non ad aliam virtutem spectat : Ergo &c. Probat assumptum : omnes res spirituales, vel annexæ spiritualibus, ad cultum divinum ordinantur : Ergo dum quis illas vendit, cultui divino adversatur, ob irreverentiam, quam tali cultui præstat, contemnendo res illas : Ergo &c.

Resp. ad primum negando minorem, ad cuius probationem, dico, quòd est electores simoniaci, qui pecuniam, vel æquivalens accipiunt pro electione alicujus ad officium, vel beneficium Ecclesiasticum, non facerent injuriam beneficiario, aut recipienti beneficium, vel officium per simoniam ; tamen faciunt injuriam bono publico Ecclesiæ, quod bonum publicum Jus habet ad liberam electionem, promotionem, & collationem officiorum, & beneficiorum, ut scilicet gratis à collatoribus, promotoribus, & electoribus tradatur, juxta meritum proportionem cujusvis personæ Ecclesiasticæ ; ut habetur ex illo Christi Domini Matth. 10, *Gratis accepistis, gratis date.* Maxima nanque injuria fit Ecclesiæ Dei, si per injustam, iniquam, & illicitam actionem promoveantur, & eligantur ministri Ecclesiastici. Quæ tamen injuria sine debita restitutio-



ne resciri non potest, & officium simoniacè acceptum renunciando (quantùm spectat ad beneficiarium); & pecuniam acceptam restituendo, quæ injustè possidetur (quantùm spectat ad conferentem, vel eligentem ad beneficium illud). Et fieri potest injuria danti pecuniam, quia ante Judicis sententiam, dominium illius retinetur apud ipsum dantem.

Dices: nequit assignari, cui facienda esset restitutio, ante sententiam Judicis: Ergo saltem ante Judicis sententiam electores illi non tenentur ad restitutionem. Probatur assumptum: non est facienda Fisco, vel Ecclesiæ; quia hoc modo restitutio fit per sententiam Judicis: neque pauperibus, propter eandem rationem; neque tandem danti pecuniam; quia cum ipse sit in eadem pœna, propter commissam simoniam, redditur incapax, & inhabilis ad rehabendam pecuniam solutam; Ergo &c.

Respondetur negando assumptum antecedentis. Et dum probatur, dico restitutionem pecuniæ acceptæ simoniacè faciendam esse, vel Fisco, vel Ecclesiæ, post Judicis sententiam; vel cui Judex voluerit, in pœnam commissi criminis, tam ex parte eligentis, aut conferentis, vel promoventis ad officium, vel beneficium, quàm ex parte recipientis beneficium. Et hoc deducitur ex cit. constitut. Summorum Pontificum, relatis num. 3. Et in Extrav. *Cum detestabile*. At sola difficultas est inter Doctores, cui facienda sit restitutio ante Judicis sententiam?

10. Quidam in hac re putant, restitutionem ante Judicis sententiam esse faciendam vel Ecclesiæ, vel pauperibus; & non Fisco, neque danti pecuniam. Non Fisco, quia nemo tenetur se accusare apud Judicem; nisi sit per testes plenè probatus, ut suo loco diximus. Non danti pecuniam, quia hic supponitur Reus ejusdem delicti, quando certò sciverit, se non potuisse pecuniam illam dare, & beneficium emere: unde Ecclesia utrumque intendit punire, tam dantem, quàm accipientem, quatenus utrumque afficit turpitudine delicti. Hoc deducunt Lessius, Navarrus, Silvester, & alii cum D. Thoma, ex l. 2. C. de Condit. ob turpem causam: quam opinionem secutus est Pater Maltius disp. 14. qu. 3. art. 4. num. 203. Et assignant rationem, quòd fieri debeat Ecclesiæ; quia injuria facta fuit Ecclesiæ, ob commissam simoniam. Alii volunt, restitutionem ante Judicis sententiam faciendam esse ipsi danti; quia dominium illius pecuniæ, cum ob incapacitatem recipientis, non fuerit translatum in accipientem, ut diximus in 4. disp. cit. qu. 7. remanet in ipso dante. Quod patet de lucro ultra sortem dato usurario, cujus lucri dominium, cum non possit transferri in usurarium, remanet in ipso mutuatario: cum hac sola differentia, quòd dans lucrum propter usuram per Judicis sententiam, non potest perdere

lucrum ipsum; præsertim si accepit sub usura, necessitate ductus; dans autem pecuniam cum simonia per Judicis sententiam perdit pecuniam illam, propter delictum simoniæ, quod committit, Cum quibus

Juxta dicta num. 7. dico, ante Judicis sententiam, pecuniam simoniacè acceptam ab electoribus, promotoribus, & collatoribus beneficiorum, restituendam esse danti. Ratio est, quia nemo suæ pecuniæ perdere potest dominium, nisi in pœnam delicti, à Judice infligendam. Unde Lex illa cit. solum intelligitur, quòd dans pecuniam, redditur incapax illam recipiendi, non jure naturali, quo jure verum dominium habet ad rem suam; sed tantum per sententiam Judicis latam ob violatam Jus positivum, prohibens simoniam in electionibus, promotionibus, & collationibus beneficiorum.

11. Respondetur ad secundum principale ex n. 9. negando minorem, & antecedens probationis ejus. Simonia nanque nedum virtuti Religionis per se adversatur, sed quandoque si conventionalis, & realis est, adversatur virtuti Justitiæ: & solum huic virtuti non adversatur, si est purè intentionalis. Quare per solam simoniam intentionalem committitur peccatum grave contra virtutem Religionis, nec per eam incurrit simoniacus purè mentalis in excommunicationem latam à pluribus Pontificibus; quia Ecclesia non judicat de interno, Per simoniam verò conventionalem, & realem committitur actio contra justitiam, saltem ex hoc, quòd læditur jus commune Ecclesiæ; & etiam multoties Jus particulare recipientis beneficium; ut evenire potest, si electores, promotores, collatores &c. beneficii, vel officii, nolent illa conferre sine pecunia, vel pecuniæ æquivalenti. Vel si Confessor nollet Sacramentum pœnitentiæ, vel Eucharistiæ administrare, nisi illi, quibus conferenda sunt Sacramenta, pœnitentiam solvant. In his casibus simoniacè accipientes pecuniam, injuriam faciunt dantibus illam in pretium Sacramentorum, vel beneficii, aut officii. Et per hoc patet, has duas species simoniæ, conventionalis scilicet, & realis, obligare ad restitutionem, & justitiæ adversari.

12. Pro resolutione casuum conscientiæ infero primò, propter quamcunq; commissam simoniam Electores, Promotores, Procuratores, Examinatores, & Collatores beneficiorum Ecclesiasticorum mortaliter peccare. Ratio est, quia simonia, quæcunque sit, prohibita est omni Jure, & circa beneficia Ecclesiastica, vel officia, specialiter prohibita est Jure Canonico, ut constat ex citatis constitutionibus num. 3. Tum quia simonia est exercita super materiam indebitam, quæ scilicet nec vendi, nec emi potest: ut sunt res spirituales, vel res spiritualibus annexæ: adeoque simoniaci, cum faciant illicitam actionem, mortaliter peccant.

Infero

Infero secundò, per solam simoniam mentalem, estò electores, promotores &c. peccent mortaliter, non tamen teneri ad restitutionem. Ratio est, quia per simoniam mentalem tantum, nihil simoniacus accipit, & ideo nihil tenetur restituere. Solùm tamen, qui beneficium obtinuit per mentalem simoniam, tenetur illud renunciare; sicut etiam reddere Ecclesiæ omnes fructus (si beneficium illud est fructiferum). Quod patet in citatis constitutionibus, & in extrav. *Cum deestabile*.

Infero tertio, simoniam tam conventionalem, quam realem obligare simoniacum ad restitutionem. Ratio est, quia accipiens pecuniã, vel æquivalens, lædit Jus alterius, vel boni publici Ecclesiæ, vel dantis; præsertim quando dans, bona fide recepit beneficium: & quando conferens, procurans, vel eligens deceptit beneficiarium, quòd scilicet dare pecuniam ob aliquem coloratum titulum, non sit simonia; tunc ratione bonæ fidei ei restituenda est soluta pecunia; licet accedente mala fide, teneatur renunciare beneficium. In favorem accipientis beneficium bona fide, stat caput illud: *Veniens, de simonia*.

Infero quarto, promittentes eligere aliquem ad beneficium, vel officium Ecclesiasticum, vel ad promovendum, vel conferendum illi beneficium, si jam pretium acceperunt, teneri ad ejusdem pretii restitutionem, faciendam ei, à quo pretium acceptum est, non secuta beneficii, vel officii collatione. Ratio hujus est, quia accipienti pretium solutum, non secuta officii, vel beneficii collatione, deest titulus justus retinendi pretium illud.

13 Advertendum est tandem, omnes istas decisiones valere de quacunque specie simoniæ, de quocunque pretio, aut re pretio æstimabili, si ve sit munus à manu, si ve à lingua, si ve ab obsequio: & de quacunque re spirituali supernaturali, ut sunt Gratia, Hostia cõsecrata, Calices itidem consecrati, Sacramenta quæcunque venditioni exposita; & de quacunque re temporali, aut naturali annexa spirituali; ut sunt beneficia, vel officia Ecclesiastica, quibus annexa est Jurisdictio efficiendi spirituale; & hoc nomen induunt Clericatus, Sacerdotium, Prælatuæ, & aliæ Ecclesiasticæ dignitates, quibus spiritualis jurisdictio annexa est, vel saltem potestas eligendi ad prælaturas, ut in nostra Religione esset Diffinitoratus; nam estò Diffinitores non sint Prælati, nec Ecclesiasticam habeant jurisdictionem, habent tamen ex officio potestatem eligendi in Prælaturas, scilicet in Guardianos, & in Provinciales: unde fit, quòd electio ad diffinitoratum non minus, ac ad Guardianatum, & Provincialatum, si facta sit prævio temporali pretio, simoniaca est. Et quia ut plurimum labes simoniæ committitur in promovendo, eligendo, & conferendo aliquibus beneficia, vel officia Ecclesiastica, icsicò tantum de simonia circa beneficia,

actum est in præterita quæstione, quæ etiam exagitari potest circa quancunque aliam materiam spirituales indebitè vendibilem, & eadem prorsus rationes pro decisione quæstionis aptari possunt, ad probandum simoniam esse peccaminosam, & obligare ad restitutionem, quando pretium pro re spirituali vendita, est jam à venditore acceptum.

Ex his deducitur, simoniam non committere, qui pecuniam tradit, & recipit, ut promoveatur, vel alicui conferatur publica Cathedra, vel Lectura, etiam in Religione; quia hoc officium legendi est purè naturale, & temporale; nec per tale officium confertur potestas aliqua spiritualis, vel jurisdictionis, sicut est de Provincialatu, Diffinitoratu &c.

QVÆSTIO SECUNDA

*An Simonia Confidentialis sit specie distincta à ceteris simoniæ speciebus: & an hæc in beneficiis Ecclesiasticis committatur; & quibus modis?*

**H**anc efformo specialem quæstionem de simonia confidentiali, quæ intervenire solet in collatione Ecclesiasticorum beneficiorum, in gratiam cujusdam mei amici, cum quo de hac re, paucis ab hinc mensibus, familiarem discursum habui, ipsiq; promisi distinctam texere quæstionem, ad majorem intelligentiam confidentialis simoniæ. Ut igitur in hac re clariùs procedatur, primò inquirendum est de natura ipsius simoniæ confidentialis; deinde, an committatur in Ecclesiasticis beneficiis; & quibus modis in iis committi possit?

14 Quantum ad primam dubitationem, suppono, simoniam confidentialem illam esse, qua conferens, eligens, vel procurans alicui beneficium, hoc confert, vel procurat, aut ad illud eligit animo, & voluntate, ut beneficium illud post aliquod tempus sibi, vel parenti, vel amico ejus resignet, seu renunciet: vel quòd fructus, quò ad totum, vel saltem quò ad partem tradat ipsi conferenti, seu resignanti, eligenti, procuranti &c. Dicitur confidentialis, quia committitur confidenter, & sub certa spe recipiendi fructus ex beneficio percipiendos; vel ipsum beneficium pro se, vel pro parente, vel amico renunciatum, vel resignatum. A quibusdam Doctoribus, qui de hac confidentiali simonia discurrunt, conferens, aut procurans beneficium vocari solet resignans; & beneficiarius, qui beneficium recipit cum tali confidentia, vocari solet Resignatarius. Ut autem ratio dubitandi locum habeat, recolenda est illa specifica distinctio simoniæ in mentalem,

lem, conventionalem, & realem, positam nu. 2. quæ circa modum vendendi, & emendi rem spiritualem, vel spirituali annexam, attendenda est.

15 Contra hanc simoniam confidentialem sunt duæ Pontificiæ Bullæ, eam omninò damnantes, & simoniacos excommunicantes; quarum prima est Pii IV. quæ incipit: *Romanum Pontificem in excelsa militantis Ecclesia speculæ constitutum*: In qua Summus Pontifex declarat irritum beneficium collatum in confidentiam, sive pacto expresso, sive impresso illud resignandi, seu renunciandi, vel fructus, quò ad totum, vel quò ad partem conferendi, tradendi, vel resignandi conferenti beneficium illud. Et quidem motus fuit Summus Pontifex, ad tollendos abusus, qui in Ecclesia Dei cum tanto animarum detrimento introduci erant, simoniam palliantes. Secunda Bulla est Pii V. quæ incipit: *Intolerabilis multorum pervertitas, qui Sacrosanctas constitutiones novis quotidie fraudibus eludere nituntur*. Qua constitutione confirmat illam sup. cit. ex Pio IV. suo Prædecesore, in qua etiam assignat modos, quibus committi possit hæc confidentialis simonia in Ecclesiasticis beneficiis, & simul pœnas infligit, tam contra recipientem beneficium in confidentia, quàm contra dantem, procurantem, eligentem &c. id est tam contra resignatarium, quàm contra resignantem; & tandem assignat modum juridicè procedendi per testes, contra præfatos simoniacos in confidentia.

Tres continet partes præfens quæstio. Prima, an confidentialis simonia distinguatur specie à ceteris simoniæ speciebus? Secunda, an hujusmodi simonia committatur in beneficiis Ecclesiasticis? Tertia, quibus modis in beneficiis hujusmodi simonia committatur? Et quamvis nulla sit difficultas inter Doctores circa secundam, & tertiam partem; cum omnes subscribant verbis Sanctissimis præfate Bullæ Pii V. ex qua tres modi deducuntur, quibus illa confidentialis simonia committatur; est tamen dubium inter eos circa primam partem. Et pro resolutione

*DICO*, simoniam confidentialem non esse specie distinctam à ceteris simoniæ speciebus, eamque in beneficiis Ecclesiasticis committi posse, & quidem tribus modis. Communissima est hæc conclusio quò ad secundam, & tertiam partem; quò ad primam verò partem est contra quosdam Doctores. Et quò ad secundam partem deducitur ex Scoto in 4. d. 25. qu. 1. §. in ista questione.

16 Probatum prima pars: si simonia confidentialis esset specie distincta à ceteris simoniæ speciebus, vel versaretur circa materiam diversam ab ea, circa quam ceteræ simoniæ species versantur, vel diversum haberet modum vendendi rem spiritualem, vel spirituali annexam; sed neutrum est dicendum: Ergo non

est specie distincta à ceteris simoniæ speciebus. Major est certa, quia aliunde colligi nequit hujusmodi diversitas specifica, nisi ex solo nomine confidentiæ addito supra ceteras species. Prob. minor quò ad primam partem: materia, circa quã versatur simonia confidentialis est res spiritualis, vel spirituali annexa: ut si quis alteri cõferret Episcopatũ, vel Canonicatum, cum confidentia beneficium illud renunciandi, aut resignandi collatori, vel alteri; aut solvendi partem fructuum, vel omnes fructus ipsi conferenti; tunc Episcopatus, vel Canonicatus esset materia, circa quam versaretur simonia confidentialis; sed hæc prorsus materia est illa, circa quam versantur ceteræ species simoniæ: Ergo &c. Probatum secundò eadem minor, quò ad secundam partem: si res spiritualis venderetur pro pretio temporali, absque ullo pacto expresso, cum sola mala intentione illam vendendi, haberetur simonia mentalis: si cum pacto expresso, haberetur simonia conventionalis: si tandem pactum sit ex utraque parte completum, & executioni mandatum, habetur simonia realis; sed hos modos vendendi rem spiritualem, vel spirituali annexam includit simonia confidentialis: Ergo &c. Probatum ista minor; nam supponamus Episcopatum conferri in confidentia; si conferens animum haberet, absque ullo pacto expresso, tradendi Episcopatum in confidentia, ut ab Episcopo ipsi conferenti post aliquod tempus renunciatur, vel alteri, ad mentem ipsius conferentis; vel ut recipiat fructus Episcopatus quò ad totum, vel quò ad partem; tunc ista simonia confidentialis esset formaliter mentalis: si conferatur cum pacto renunciandi, aut resignandi &c. est simonia formaliter conventionalis: si tandem ex utraque parte completum est pactum, & executioni mandatum, jam ista confidentialis simonia est formaliter simonia realis: Ergo &c.

Confirmatur: constat ex Logicis, diversitatem specificam attendendam esse à diversitate constitutivi formalis, seu differentie essentialis; sed nulla videtur essentialis differentia constitutiva simoniæ confidentialis, diversa à ceteris simoniæ speciebus: Ergo &c. Probatum minor: si esset aliqua differentia essentialis, hæc tantum esset in modo imponendi obligationem resignatario, aut beneficiario ex confidentia; sed hic modus imponendi obligationem, non est essentialiter distinctus à ceteris simoniæ speciebus: Ergo &c. Probatum minor: hic modus imponendi obligationem, quæ obligatio est antidoralis, seu remuneratoria, cadit etiam supra ceteras species; nam vel habetur tantum à mala intentione resignantis, vel conferentis beneficium in confidentia, absque ullo pacto; & sic est modus obligandi per simoniam mentalem: vel est cum pacto expresso, & tunc est modus obligandi per simoniam conventionalem: vel tandem est mo-

us obligandi cum executione pacti completi ex utraque parte , & tunc est simonia realis. Quare obligatio remuneratoria, seu antidoralis, non habet speciem simoniae diversificare; Ergo &c.

17 Probatur secunda pars , & simul explicatur . Episcopatus , Canonicatus , Parochia , &c. & alia similia, sunt Ecclesiastica beneficia; sed in his beneficiis potest simonia confidentialis committi : Ergo in beneficiis Ecclesiasticis committi potest . Probatur minor ; si quis conferret Titio Episcopatum cum intentione , vel pacto , ut post aliquod tempus Episcopatum resignet sibi, vel aliis, vel ut fructus ejus quò ad totum, vel saltem quò ad partem resignet , aut solvat ipsi conferenti , aut resignanti; tunc conferens talem Episcopatum cum hac intentione , aut pacto , committeret simoniam confidentialem . Vel si Titius Episcopatum peteret cum eadem intentione , vel pacto resignandi , aut renunciandi Episcopatum conferenti , aut resignanti , vel fructus ejusdem Episcopatus ipsi conferenti , aut aliis ad libitum conferentis , etiam simonia confidentialis committeretur: Ergo &c.

18 Probatur , & simul explicatur tertia pars. Ex illa cit. Bulla Pii V. quæ incipit: *Intolerabilis &c.* habentur hæc verba: *Quare Nos volentes periculosam talium audaciam novi Juris subsidio cohibere, presentium autoritate statuimus &c. quodcumque beneficium Ecclesiasticum ex resignatione , vel cessione cujuscunque personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu, vel accessu , etiam sola intentione dimittentis receperit &c.* Et hunc §. concludendo, habetur in fine ejusdem : *vel pensiones solvantur, ex eisdem hæc confidentia censeatur.* Per hæc verba Summus Pontifex assignat primum modum , quo committitur hæc confidentialis simonia ; qui habetur ex parte recipientis beneficium cum confidentia, vel pactum faciendo cum conferente, vel sola intentione, beneficium illud retrocedendi , renunciandi, aut resignandi , vel fructus ex illo beneficio perceptos, aut percipiendos, quò ad totum, vel quò ad partem , conferendi suo resignanti.

Secundus modus committendi simoniam confidentialem est ex parte conferentis beneficium , quando confidit , quòd beneficiarius resignabit, seu renunciabit ipsi conferenti, vel aliis ad ipsius conferentis beneplacitum , ipsi beneficium , vel fructus ejus , sive quò ad totum, sive quò ad partem: vel saltem quòd conferens spem habeat , & fiduciam talis resignationis, seu renunciationis &c. Quod colligitur ex illis verbis cit. Bullæ . *Idem si ordinarius, vel alius collator contulerit ante hac , aut conferat in futurum, beneficium Ecclesiasticum quovis modo vacans, ea conditione tacita, vel expressa, ut postea in alterum pro arbitrio collatoris &c.*

Tertius tandem modus committendi simoniam confidentialem est ex parte Domini, aut

Patroni beneficii; dum hic fundaverit aliquod beneficium , & velit illud esse tradendum , & conferendum Cajo cum pacto sive impressio, sive expressio , ut Cajus alteri renunciaret post aliquod tempus, vel ut ipsi , vel alteri tradat fructus , quò ad totum , vel quò ad partem. Hoc colligitur ex sequentibus verbis, ubi dicitur: *Et pariter si à Patrono, etiam laico, vel alteri presentatori, seu electori contigerit, aut contingat id fieri.* His tribus modis committi potest simonia confidentialis in beneficiis conferendis, & recipiendis; quorum primus se tenet ex parte recipientis beneficium ; secundus ex parte conferentis ; & tertius ex parte Patroni beneficii.

Advertendum tamen est, in supradicta Bulla plures causas contrahendi simoniam confidentialem comprehendit . In qua pariter notatur modus procedendi juridicè contra simoniacos ex confidentia , & tandem testes examinandi , & pœnas infligendi contra eosdem simoniacos : quæ Bulla videri potest tum in Bullario Romano, tum apud Quarant. tit. cit. *De simonia.*

*Solvuntur Objectiones.*

19 **O**bjicies primò contra primam partem: simonia confidentialis habet distinctum modum obligandi recipientem beneficium Ecclesiasticum , à ceteris simoniae speciebus: Ergo est specie distincta à ceteris . Consequentia sequitur , quia non alia ratione colligitur, illas alias tres species inter se differre, nisi quia una habet modum obligandi diversum ab alia . Probatur assumptum antecedentis ; simonia confidentialis obligat resignatarium , vel eum, cui confertur beneficium , ad renunciandum beneficium ipsi conferenti , vel alteri ad conferentis beneplacitum, vel ad renunciandam , seu resignandam pensionem , sive quò ad totum , sive quò ad partem ; sed talis obligatio non imponitur per ceteras simoniae species ; nam per mentalem duntaxat, nulla insurgit obligatio ex assignatis : per conventionalem , tantum insurgit obligatio solvendi pretium pro beneficio vendito , & collato: & per realem, completur pactum per realem solutionem, & recipiens beneficium solutus remanet à delicto : Ergo &c.

Respondetur negando antecedens; ad cujus probationem dico, verum esse, simoniam confidentialem obligare resignatarium , vel accipientem beneficium, ad illud renunciandum ipsi conferenti, vel alteri, cui ipse conferens voluerit : vel ad solvendam pensionem , quò ad totum, vel quò ad partem ipsius beneficii. Ac hæc obligatio non imponitur à simonia confidentiali, nisi sit completa, de qua præsertim loquitur Bulla Pii V. cit. & completur ex parte dantis , & recipientis , quatenus dans contulit

contulit beneficium, & accipiens solvit pensionem, vel saltem se obligat ad pensionem solvendam. Non verò talis obligatio imponitur à simonia confidentiali incompleta; quæ tantum committitur ex intentione, vel solius dantis, aut conferentis cum tali onere, & obligatione, vel ex parte solius recipientis, cum intentione tantum recipiendi cum illo onere, & obligatione. Quare deducimus, quòd si confidentialis simonia ponit illam obligationem ex pacto expresso, vel tacito inter conferentem, & accipientem, jam illa simonia confidentialis ei sit simul conventionalis: si verò pactum illud erit executioni mandatum, jam simonia confidentialis erit realis: si tandem haberetur sola intentio conferendi, vel accipiendi beneficium cum hoc onere, & obligatione supra expressa, erit simonia confidentialis mentalis. Unde non videtur diversus specie modus obligandi in simonia confidentiali, ac in ceteris. Imò idem prorsus modus, quia tam obligatio ad resignandum beneficium, vel pensionem ex beneficio, est pretium temporale pro re annexa spirituali; quam sit pretium quodcumque, quod venit in pactum inter dantes, & recipientes. Et sic à ceteris simoniae speciebus non est distincta simonia confidentialis.

20 Obijcies secundò contra tertiam partem, probando, quòd Patronus beneficii non possit committere simoniam, si illud conferat cum obligatione &c. Patronus beneficii Jus habet disponendi de beneficio ad suum libitum: Ergo potest de fructu illius ponere in beneficiario obligationem, ut ipsi Patrono, vel aliis resignet, aut reddat: & pariter, ut illud beneficium alteri renunciat. Probatur antecedens: si Patronus beneficii non haberet Jus disponendi de beneficio ad suum libitum, tunc beneficium illud non esset Jus patronatus: Ergo cum sit Jus patronatus potest de illo disponere ad suum beneplacitum. Probatur antecedens: in hoc differt beneficium Juris patronatus à beneficio libero, quòd hoc stat in libertate conferentis, & Ecclesiæ, ut conferatur cuicumque Ecclesiæ Rector voluerit: illud verò non potest sic conferri, sed dependenter à voluntate Patroni; sed pro ut dependet à voluntate Patroni, potest hic ad suum libitum conferre, pro ut vult, & cum aliquo onere beneficiario: Ergo &c.

Respondetur dist. antecedens: habet Jus disponendi de beneficio, quantum ad fundandum, & non fundandum beneficium; vel quantum ad conferendum illud, vel non conferendum huic, vel alteri, concedo antecedens: quantum ad ponendam obligationem beneficiario, subdist. si de Pontificis auctoritate hanc habet potestatem imponendi obligationem beneficiario, iterum concedo antecedens: si nullam talem habet potestatem, nego antecedens, & consequentiam. Dico igitur, ut be-

neficiū Juris patronatus distinguatur à beneficii liberis, scilicet à Patrono independentibus, qui cadunt sub solam Pontificis, vel Episcopi potestatem, satis est, ut cadat sub potestatem, & libertatem Patroni, quantum ad faciendum, vel non fundandum beneficium; vel quantum ad conferendum, vel non conferendum illud huic, vel alteri personæ; nam in potestate Patroni stat fundare, vel non fundare beneficium, & fundare pro hac, vel illa persona, pro hac, vel illa familia. At in potestate absoluta sua non est imponere accipienti beneficium obligationem aliquam, nisi de Papæ expressa auctoritate; quæ, si concederetur ad aliquam exigendam pensionem pro se, vel pro aliis, tunc nullam patronus committeret simoniam: ut patet, dum Pontifex confert alicui Episcopatum, cum pensione solvenda alteri. Verum tunc non diceretur, patronum posse disponere de redditibus beneficii ad suum libitum, quo modo prohibitum est in cit. Bulla Pii V. sed tantum diceretur, Pontificem disponere de illis, qui postquam fundatum est beneficium, auctoritatem habet de redditibus ipsius: adeoque Patronus aliter faciendo, contra mentem, & dispositionem Pontificis, committeret simoniam confidentialem.

21 Pro casuum conscientia resolutione, infero primò, simoniam confidentialem non esse specie distinctam à mentali, conventionali, & reali. Ratio est, quia si conferens beneficium in confidentia intenderet, quòd accipiens illud resignet, aut renunciat ipsi collatori, vel alteri ad suum libitum; vel intendat, ut beneficiarius solvat ipsi, vel alteri fructus beneficii, sive quò ad totum, sive quò ad partem; tunc simonia ista esset formaliter mentalis. Idem dicendum, si accipiens acciperet beneficium cum tali intentione. Si verò inter collatorem, & beneficiarium intercederet pactum, jam simonia ipsa esset conventionalis. Et tandem si pactum est executioni mandatum, vel per retrocessionem beneficii, vel per factam solutionem pensionis, tunc simonia illa esset realis.

Infero secundò, simoniam confidentialem in beneficiis Ecclesiasticis posse tribus modis committi: ex parte scilicet recipientis beneficium in confidentia: ex parte dantis, aut conferentis beneficium; & ex parte Patroni illius beneficii, qui vult, ut conferatur Cajo V. G. cum suo pacto inicit, vel ut post aliquod tempus illud beneficium renunciat alteri; vel quòd ei, vel alteri solvat pensionem ex illo beneficio. Quod expressum est in Bulla Pii V. supra n. 118. relata, quæ incipit: *Intolerabilis &c.*

Tertiò tandem infero, nullo modo licitum esse resignare beneficium in confidentiam, cum intentione, vel pacto obligandi beneficiarium, ut beneficium renunciat ipsi conferenti,

ferenti, vel parentibus ejus, vel aliis; ut solvat fructus percipiendos ex beneficio. Ratio hujus est fundata in illa cit. Bulla, qua prohibetur illa resignatio, ut simoniaca. Et deducitur ex hoc, quod in collatione beneficii nequit imponi onus, vel obligatio; quæ omnia, cum sint pretio æstimabilia, habent reddere acceptationem, & collationem beneficii simoniacam.

22 *PETES PRIMO*. *An sit contra justitiam conferre beneficia in confidentia cum hac obligatione resignandi illud, vel solvendi pensionem?*

Ante hujus dubii resolutionem propono quandam damnatam propositionem ab Alex. VII. positam sub num. 21. in qua dicitur: *Non est contra justitiam, beneficia Ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod sibi conferre non tenebatur.* Pro cujus propositionis intelligentia, suppono beneficium ex justitia deberi personæ dignæ cum exclusione personæ indignæ, quia hæc nullum jus habet ad tale beneficium; digna verò jus habet ad illud. Insuper suppono, quod ex prævio concursu dignior jus acquirit ad beneficium, eique ex justitia debetur. Quare si Titius V. G. jus acquisivit ad beneficium aliquod, ex prævio concursu, & examine, si ei non conferatur beneficium, conferens peccaret contra justitiam, & jus ejus læderet, injuriamque ei inferret. Vel si daretur indigno, relicto digno, etiam contra justitiam peccaret conferens. Hac præmissa doctrina deducimus, quod si conferens beneficium illud, conferret exigendo pecuniã pro temporali emolumento, jam peccaret conferens contra justitiam, non conferendo beneficium illud gratis. Quod esse potest certum ex hoc: vel enim beneficium confertur personæ indignæ, omiſſa digna; vel personæ dignæ, omiſſa digniore. Si personæ indignæ; tunc verum est, quod conferens non tenebatur personæ indignæ conferre, & sic peccaret contra justitiam, auferendo à personâ dignâ beneficium, propter injuriam, quam tam personæ dignæ, quam Ecclesiæ inferret. Si conferret personæ dignæ, omiſſa digniore, eadem ratio militat. Si verò conferens conferret personæ dignæ, omiſſa indigna; tunc falsum est, quod non tenebatur personæ dignæ conferre beneficium, cum hæc per meritum Jus habeat ad beneficium; adeoque non videtur motiuum, quo conferens beneficium licitè possit pro temporali emolumento accipere pecuniã in collatione beneficii, & excusari à peccato contra justitiam: imò hoc emolumentum temporale est titulus coloratus; nam reducitur ad ipsam beneficii collationem. Et per hoc patet falsitas illius propositionis damnatæ ab Alex. VII. Hac præmissa doctrina, nunc

23 Ad quaesitum Respondetur affirmativè.

Ratio est primò, quia sit injuria accipienti tale beneficium cum hoc onere, & obligatione. Secundò, quia sit injuria Ecclesiæ, quæ ob bonum publicum, ut Mater universalis totius Christianæ militiæ, intendit gratis bona sua dignis personis conferre. Tertiò, quia sit injuria Legislatoribus, qui præcipiunt sub pœnis rigorosissimis, non esse conferenda beneficia in confidentiam; quod patet ex illa cit. Bulla Pii V. ubi in fine illius habentur hæc verba: *Sed ne quisquam vana fiducia fretus &c.* Ubi ponit privationes officiorum, inhabilitationis ad illa in futurum; excommunicationem latæ sententiæ Pontifici reservatæ, à qua nemo, nisi in articulo mortis absolvi possit. Estque communis Doctorum opinio.

24 *PETES SECVNDO*. *An in aliquo casu sit licitum conferre beneficium, reservata pensione?*

Respondetur cum Doctoribus omnibus, affirmativè. Ratio est; quia in illis casibus, in quibus Summus Pontifex cognoscit necessitatem reservandi pensionem ex aliquo beneficio, pro bono scilicet Ecclesiæ, vel pro sustentatione alterius Ecclesiæ ministri; tunc licitè confert beneficium, reservata pensione, quò ad partem fructuum illius beneficii. Et hoc habetur in praxi Ecclesiæ. Neque cum tali reservatione pensionis committitur simonia confidentialis. Primò, quia Pontifex non est sui legi subiectus. Secundò, quia id facit non pro emolumento temporali conferendi beneficium, sed pro bono Ecclesiæ regimine, ne unus de bonis Ecclesiæ ditescat, & alter fame pereat; vel saltem non habeat, quo commodè vivat.

Est etiam licitum conferre beneficium, reservata pensione pro resignante, vel renunciante beneficium; & hoc de licentia Papæ. Ratio est, quia tunc pensio illa non esset pretium pro beneficio, sed pars beneficii; unde sicut Pontifex potest beneficium dividere, si est pingue, pro bono Ecclesiæ regimine, ita etiam potest permittere, ut unus alteri suum renunciaret beneficium, reservata pensione pro ipsius resignantis, aut renunciantis sustentatione.

25 *PETES TERTIO*. *Quæ nam pœna specialiter taxata sunt contra simoniacos confidentiales?*

Respondetur dicendo, quantum spectat ad solam simoniam confidentialem præstitam in collatione beneficiorum cum pacto retrogressionis, aut cessionis, resignationis, aut renunciationis beneficii, vel fructus beneficii, dummodò pactum intercesserit, pœnas esse privationis officiorum, inhabilitationis ad illa in perpetuum, & excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ. Quod constat ex Bulla relata Pii V. his verbis: *Sed ne quisquam etiam vana fiducia fretus, non intendendi contra se Judicii, in crimine perseveret, utque hoc malum, gravioris censuræ stimulo usquequaque prohibeatur, omnes, & singulos, qui huc usque Ecclesiis, Monasteriis, beneficiis, fructus, pensiones, alias*



de res, intercedente hoc confidentia vitio, receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reversi, & resistentes ceteri dimissiono sibi prospexerint, & quidquid tale admiserint in futurum, etiam omnibus, & singulis Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, administrationibus, officiis, & beneficiis obtentis, que pariter sub dicta reservatione comprehendendi volumus, nec non fructibus, pensionibus, & aliis rebus Ecclesiasticis, ac etiam Romana Curia, et aliis officiis temporalibus, presentium auctoritate privamus, et ad futuras inhabiles decernimus, et in juris subsidium excommunicationis sententia innodamus, a qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio, quam a Romano Pontifice, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Hæc dicta sufficiant ad cognoscendam, & fugiendam simoniam confidentialem, que etiam committi potest in beneficiis, aut officiis Religionum, quibus annexa est spiritualis potestas, ut est iurisdicatio; quod constat ex Bulla Pii Quarti loquente de officiis conferendis. Hoc nanque modo committeretur simonia confidentialis in officiis Religionum: ut si tu mecum pactum inis eligandi me in Provincialem, ut tale officium tibi renunciem, vel alteri post aliquod tempus; vel ut ego post triennium debeam eligere te, vel alium ad tuum beneplacitum. Vel te eligo in Provincialem, ut tu debeas me eligere in Guardianum. Huiusmodi pactum, cum sit pretium temporale in confidentia factum, dici debet simonia confidentialis.

### QVÆSTIO TERTIA.

*An in collatione beneficiorum possit aliquid temporale acquiri, titulo gratitudinis, absque simonia?*

26 **Q**Uandam assignant Doctores regulam generalem, ex qua quis cognoscere possit, quando in beneficiis, vel officiis Ecclesiasticis, & in aliis rebus, quibus spiritualis potestas, & iurisdicatio annexa est, committi possit simonia, & quando ista non committatur. Regula, inquam generalis, & quidem in foro interno, est attendenda ex ipsa simoniae definitione, ubi dicitur, quod sit studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquod spirituale, aut spirituali annexum. Ex qua deducitur, regulam illam generalem esse attendendam ex triplici capite. Primò ex parte voluntatis dantis, & recipientis. Secundò ex parte ipsius rei, quæ confertur, & accipitur. Tertiò tandem ex parte tituli permutationis, quando scilicet res temporalis in pretium rei spiritualis traditur.

Tunc cognoscitur simonia ex parte volun-

tatis dantis, & recipientis, quando dans dat cum intentione recipiendi vel pecuniam, vel æquivalens, ut sunt res mobiles, vel immobiles quæ sunt munera, & pretium à manu. Vel favorem loquendi cum Principe, aut concionem faciendam; quæ sunt munera, & pretium à lingua. Vel tandem recipiendi obsequium, benevolentiam, & gratitudinem, quæ sunt munera ab obsequio. Et hæc etiam voluntas reperiri potest in recipiente beneficium cum tali intentione. Si ex parte utriusque dantis scilicet, & recipientis reperiretur ista voluntas, & intentio, tunc uterque simoniam committeret; si tantum ex parte unius, unus tantum; & neuter, si ex parte neutrius.

Tunc verò cognoscitur ex parte ipsius rei, quando videtur res illa tradita pro munere, vel pretio temporali, esse res spiritualis, vel annexa spirituali; de quibus rebus actum est in prima questione. Quando res, quæ permutatur, aut venditur pretio temporali, est spiritualis, vel annexa spirituali, tunc simonia committitur; quia res spiritualis, vel spirituali annexa nullo pretio æstimari potest; & est materia omninò invendibilis. Si verò res, quæ venditur, aut permutatur in temporale pretium, nec est spiritualis, nec annexa rei spirituali, tunc non committitur simonia; ut si venderetur, aut permutaretur in pretium pecuniarium, vel in æquivalens; vel in munus à lingua; vel in munus ab obsequio cathedra, vel philosophica, vel theologica, etiam in Religione; quia hæc cathedra nec est res spiritualis, nec est spirituali annexa, sed pure naturalis, & absque ulla spirituali iurisdictione. Idem dicendum de quacunque alia re, quæ nec spiritualis est, nec spirituali annexa, si permutetur, aut vendatur pretio temporali inter Ecclesiasticos, vel ab Ecclesiasticis, si vendatur secularibus.

Tunc tandem cognoscitur ex parte tituli permutationis, quando scilicet titulus, quo res temporalis permutatur in spirituale, vel annexam spirituali; vel è contra res spiritualis in temporalem, sit onerosus, & æstimabilis pretio; tunc semper committitur simonia. Vel quando titulus realiter sit pretium rei spiritualis, vel spirituali annexæ. Quando verò titulus non est onerosus, nec pretio æstimabilis; vel non sit in pretium rei spiritualis, vel annexæ spirituali; tunc non committitur simonia. Ut si traderetur ministris Ecclesiæ pecunia, vel æquivalens, pro eorum sustentatione, & non pro re ipsa spirituali; ut pro Sacramentis administrandis. Vel si daretur aliquid alicui, non pro re spirituali accepta, sed titulo donationis, etiam in gratitudinis signum, sed non ductus ab illo beneficio, vel officio accepto. Ubi breviter concluditur ista generalis regula in foro interno, quod quoties traditur res aliqua temporalis, vel munus, quodcunque sit, præstetur in pretium rei spiritualis, vel spirituali

rituali annexæ, toties committitur simonia; secus verò, quando traditur non in pretium. Et quantum ad forum internum standum est dicto accipientis, & dantis. Quantum verò ad forum externum, standum est ad titulum probabilem, si res tradatur in pretium rei spiritualis, vel tantum alio titulo honorato; vel si res tradatur in pretium, sed non rei spiritualis, nec annexæ spirituali. Hæc omnia patebunt per plures sequentes quæstiones.

27 Quantum verò spectat ad præsentem quæstionem, an in collatione beneficii possit acquiri aliquod temporale, titulo gratitudinis, absque simonia? supponendum est, gratitudinem ex parte recipientis, vel posse oriri purè liberaliter ex voluntate ipsius recipientis; vel ex pacto inito cum conferente beneficium. Si secundo modo accipiatur, tunc gratitudo deducta in pactum est pretio æstimabilis: & res, quæ traderetur danti, esset in pretium ipsius beneficii. Si sumatur primò modo esset pura, & liberalis donatio; quæ etiam dupliciter contingere potest in beneficii collatione, vel in motuum conferendi, & in finem assequendi beneficium; vel absque tali motivo, & fine. Ut si conferens moveretur ad conferendum beneficium Cajo potiùs, quàm Titio ex motivo munerum, quæ à Cajo recepit, tunc collatio beneficii esset in pretium munerum, Vel si Titius, traderet munera, ut per ea moveret conferentem ad conferendum sibi, & non alteri beneficium; tunc munera illa non essent omninò gratis donata, sed cum onere, licet non in pactum deducto; & insuper essent pretium illius beneficii.

28 Deducimus ex hac doctrina, duas fuisse damnatas propositiones ab Innoc. XI. unam sub num. 45. ubi habetur: *Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motuum conferendi, vel efficiendi spirituale: vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.* Secunda propositio desumitur ex num. 46. ubi habetur: *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motuum dandi spirituale; imò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimatur, quàm res spiritualis.* Pro explanatione primæ propositionis ex num. 45. notandum est, tria reperiri expressa in ea propositione. Primum, quòd non sit simonia dare temporale pro spirituali, quando temporale, non datur tanquam pretium. Secundum, quòd non sit simonia dare temporale pro spirituali, duntaxat ob motuum conferendi, vel efficiendi spirituale. Tertium, quòd neque sit simonia dare temporale, ut gratuitam compensationem pro spirituali. Quantum ad primum, est verum, quòd non sit simonia dare temporale pro spirituali, quando temporale non datur tanquam pretium, nec verum, & expressum, ac formale, nec impressum, & virtuale: quia tunc

non haberetur rei spiritualis venditio; sed illa datio esset liberalis donatio. At si daretur res temporalis, fingendo, quòd non detur in pretium; quia tunc prava intentio esset ex parte dantis, jam res temporalis esset pretium virtuale, & impressum illius rei spiritualis. Quantum ad secundum est omninò scandalosa propositio; quia dum daretur temporale ob motuum conferendi rem spiritualem, aut annexam spirituali, ut in casu est beneficium, vel officium Ecclesiasticum; jam illud temporale esset pretium rei spiritualis, ex prava intentione dantis: rursus, dum beneficium, vel aliam rem spiritualem collator conferret, ductus ab illa re temporali accepta; jam beneficium, vel rem illam spiritualem, æquivalenter saltem venderet. (Dixi æquivalenter; quia talis collatio beneficii, cum detur ob motuum rei temporalis acceptæ, æquivaleret venditioni.) In quo casu, nullo intercedente pacto, uterque esset simoniacus mentalis. Hoc colligitur ex cap. *Tua nos*, de simonia; ubi Innocentius III. dato casu de Clerico donante rem aliquam Canonicis, ad movendos eos, ut ipsum Clericum in Canonicum eligant; ait, quòd si Canonici accipientes munera. Clericum non recipient in Canonicum, nisi munera accepissent, jam essent simoniaci mentales; & compellit eos apud distinctum Judicem; quia culpabiles judicantur. Et insuper Clericus dans ob tale motuum; quia daret ex intentione accipiendi Canonicatum, etiam esset simoniacus mentalis. Cum ergo omninò interdicta, & damnata sit mentalis simonia, ut in 19. quæstione dictum est, jure merito damnata fuit ista propositio ab Inn. XI. quòd scilicet non sit simonia dare temporale pro spirituali, ob motuum conferendi, vel efficiendi spirituale.

Quantum ad tertium punctum ejusdem primæ propositionis damnatæ, exagitur præsens quæstio. In quo puncto suppono, aliam esse gratuitam donationem, & aliam esse gratuitam compensationem. Gratuita nanque donatio fit purè liberaliter à donante donatario, & non propter debitum, neque propter imponendum onus ipsi donatario; aliàs non esset liberalis datio, sed onerosa permutatio, & quasi venditionis. species: ut si ego Cajo donarem centum cum onere, quòd singulis diebus Cajo oret pro me, tunc quia onus impono Cajo, mea donatio non esset liberalis, & gratuita datio, sed permutatio pecuniæ in orationem; vel quasi emptio orationis Caji. Gratuita verò compensatio est illa, quæ non fit purè liberaliter, sed propter debitum gratitudinis. His suppositis, sensus præsentis quæstionis est de utraque gratitudine, & quæritur, an titulus gratitudinis excuset à simonia, si detur temporale pro spirituali, vel spirituale pro temporali?

29 Circa secundam propositionem damnatam ex num. 46. primò me refero ad id, quòd di-

Etum est supra in exponenda prima propositione circa collationem, & traditionem rei temporalis propter motiū assequendi spirituale; nam idem prorsus est operari propter motiū, ac propter finem, cum idem sit finis, ac motiū. Quare quoties simoniacum est dare temporale propter motiū assequendi spirituale, vel dare spirituale propter motiū assequendi temporale; toties simoniacum est dare temporale propter finem assequendi spirituale, vel e contra. Unde si quis rem spiritualement ordinaret ad alium finem, ad quem ex natura sua non est ordinata, tunc labem simoniæ incurreret, aliter ipsam ordinans: quod patet; nam beneficium Ecclesiasticum ex natura sua ordinatur ad sustendam vitam Ecclesiasticorum; si tale beneficium aliter ab homine ordinaretur, ut ad rem temporalem accipiendam, tunc sic ordinans rem illam spiritualement, aut beneficium committeret simoniam. Item simoniam committit, qui ordinat rem temporalem ad assequendum beneficium; cum ipsum beneficium ex natura sua pretio temporali sit inassequibile. Et hoc valet, tam si detur temporale propter finem primarium, quam propter secundarium; cum sufficiat ad committendam simoniam mentalem, ut munera illa, quæ conferenti beneficium traduntur, alliciant ipsum conferentem, eumque moveant ad beneficium conferendum. Ex his patet motiū, & rationabilis causa damnandi hanc 46. propositionem. His omnibus prænotatis, pro præsentis quæstionis resolutione

*DICO*, Collatorem beneficii Ecclesiastici, si accipiat temporale aliquod, ut ex gratitudine debitum, vel in compensationem ex gratitudine, simoniam committere. Conclusio hæc, etiam si habuisset adversarios ante damnationem illius propositionis 45. nunc ab omnibus Theologis tenenda est: & opposita est damnata. Et deducitur ex Scoto in 4. dist. 35. qu. 1. §. *In ista quæstione.*

- 30 Probatur primò. Omnis illa actio est simoniaca, quæ sit, vel ex pacto, vel saltem ex intentione imponendi onus temporale, ut pretium obtinendi rem spiritualement, vel spirituali annexam; sed quædo Collator beneficii Ecclesiastici illud confert, ut accipiat temporale, tanquam debitum ex gratitudine, vel in compensationem ex gratitudine, jam confert ex pacto, vel saltem ex intentione imponendi onus, ut pretium talis beneficii: Ergo jam collatio illa beneficii esset actio simoniaca. Major est certa, quia onus illud est pretio æstimabile, Probatur minor: debitum ex gratitudine, vel compensatio ex gratitudine est onus, & obligatio supra naturalem obligationem, quæ nascitur in beneficiario propter acceptum beneficium: Ergo dum collator beneficii illud confert, ut accipiat temporale, tanquam debitum ex gratitudine, jam confert ex pacto, vel ex intentione imponendi onus,

ut pretium talis beneficii. Probatur antecedens; obligatio naturalis, quæ nascitur in beneficiario propter acceptum beneficium, non sibi determinat hanc, vel illam rem, nec esse potest in pactum deducta, neque ex intentione collatoris imposta; sed oritur ex ipsa natura liberalis donationis: Ergo quoties hæc, vel illa res temporalis pro beneficio collato exigitur; ut debita ex gratitudine vel intentata, vel in pactum deducta, toties in accipientem tale debitum est onus, & nova obligatio supra naturalem obligationem.

Confirmatur: quælibet actio, sine interna, sine externa, specificatur ab objecto, & à modo tendendi in illud: Ergo si conferens beneficium intendit accipere temporale pro spirituali, jam objectum talis intentionis, quæ est actio interna, erit illud temporale. Vel si acciperet ex pacto inito, jam objectum talis acceptionis erit illudmet temporale: Ergo quocumque modo illud temporale intendatur, vel in pactum deducatur pro collatione rei spiritualis, aut beneficii, committeretur simonia: Ergo si illud temporale intendatur, vel in pactum deducatur, ut debitum gratitudinis, committeretur simonia. Probatur ista ultima consequentia; quia debitum illud gratitudinis, sive tantum intentum, sive deductum, in pactum, esset pretium emendi beneficium, & collatio cum tali intentione, vel pacto, esset venditio: Ergo esset vera actio simoniaca: Ergo &c.

- 31 Probatur secundò. Ut collator beneficii excusetur à labe simoniæ, necesse est, ut conferat beneficium gratis, & purè liberaliter, absque ulla intentione, vel pacto recipiendi aliquod temporale tanquam pretium beneficii; sed quando collator beneficii illud confert cum intentione, vel pacto recipiendi aliquod temporale, tanquam debitum ex gratitudine, vel in compensationem, jam illud temporale recipit, tanquam pretium beneficii collati, nec beneficium dat gratis, & purè liberaliter: Ergo tunc collator beneficii non excusetur à labe simoniæ. Probatur primò minor, quò ad primam partem: quando collator beneficii hoc confert cum intentione, vel pacto recipiendi temporale, tanquam debitum ex gratitudine, vel in compensationem, vult illud temporale, ultra naturalem, aut antidoralem obligationem benefacti; sed velle temporale, ultra naturalem, aut antidoralem obligationem benefacti, est velle illud temporale tanquam pretium beneficii collati: Ergo &c. Probatur ista minor: non potest illud temporale velle, ut gratuitam donationem; quia hæc excludit tam debitum ex justitia, quam debitum ex gratitudine, & est purè liberalis. Neque potest illud temporale velle, ut debitum ex natura rei, & ut obligationem naturalem, aut antidoralem; quia hæc non obligat ad dandam pecuniam; vel aliquid æquivalens; neque

neque onus superadditum, & novum imponit accipienti beneficium; sed solum nascitur ex ipsa liberali, & gratuita collatione, aut datione beneficii, absque ulla intentione, & pacto intervenientibus: Ergo &c. Probatur nunc secundò minor principalis. Quando collator beneficii hoc confert cum intentione, vel pacto recipiendi temporale pro beneficio, in debitum, vel compensationem gratitudinis, confert tale beneficium, intuitu illius temporalis rei, ad quam vult acceptorem, seu beneficiarium obligatum; sed conferendo beneficium, intuitu rei temporalis, ad quam vult obligatum beneficiarium, non confert gratis, & purè liberaliter beneficium: Ergo &c.

Confirmatur hoc exemplo, duplicem assignando casum. Sit primus; Episcopus confert Titio beneficium, Canonicatum V.G. absque ulla intentione, & pacto obligandi Titium, ut tradat munera Episcopo, in debitum, & compensationem gratitudinis. Et insuper Titius accipit Canonicatum, absque intentione, & pacto dandi aliquid Episcopo, in debitum, & remunerationem, aut compensationem gratitudinis. Tunc ista collatio beneficii est purè liberalis, & gratuita; & ex parte Titii correspondet sola naturalis obligatio gratitudinis, ostendendi se gratum, honorificum, & obsequiosum Episcopo; quæ obligatio antidotalis dicitur, seu remuneratoria naturaliter: nec ista collatio potest novam imponere obligationem ex debito, vel ex parte dantis, vel ex parte recipientis, vel ex parte utriusque simul; aliàs non esset naturalis obligatio, sed nova, ex intentione, vel pacto adveniente. Sit secundus casus: Episcopus confert beneficium Canonicatus, intendens obligare Titium, vel pactum faciens cum Titio, ut hic tantam pecuniam conferat ex debito gratitudinis. Tunc ista collatio beneficii non est purè liberalis, & gratuita, sed onerosa; quia novam obligationem, supra naturalem, imponit Titio. In primo casu Episcopus non committit simoniam, sed illam committit in secundo casu. Idem nanq; esset casus secundus sic expressus, ac si Episcopus diceret Titio, do Tibi Canonicatum, ut mihi pro debito, aut compensatione gratitudinis des centum aureos. Quis ergo non consideret, Episcopum sic dicentem, simoniam committere? nam in pactum deduceret obligationem gratitudinis Titii, onus huic imponeret, & illam summam centenariam vellet in pretium Canonicatus: Ergo &c.

*Solvuntur Objectiones.*

32 **O**bjicies primò. Tunc committitur simonia, quando datur temporale, tanquam pretium rei spiritualis, vel annexæ spirituali, sive ex intentione dantis, vel recipientis, sive ex pacto inter dantem, & re-

ipientem: vel quando datur spirituale, aut spirituali annexum, tanquam pretium rei temporalis; sed quando collator beneficii confert illud, recipiendo aliquod temporale, tanquam debitum ex gratitudine, vel in compensationem gratitudinis, non recipit illud, tanquam pretium beneficii, neque ex intentione conferendi, ut pretium, neque ex pacto factò: Ergo tunc collator beneficii, accipiendo temporale pro beneficio, tanquam debitum ex gratitudine, non committit simoniam. Probatur minor: recipere temporale, tanquam pretium beneficii, est recipere illud, veluti ex contractu emptionis, & venditionis, vel onerosæ permutationis; sed non hoc modo reciperet illud temporale pro beneficio collato, sed duntaxat ex debito gratitudinis, perveniente ex liberali donatione: Ergo &c.

Respondetur dicendo, hoc argumentum confundere liberalem donationem cum donatione onerosa, quæ coincidere potest cum permutacione, aut venditione (ut dictum est supra.) Unde in forma, nego minorem, & ad probationem dico, idem prorsus esse recipere temporale ex debito gratitudinis; præsertim quando hoc debitum est deductum in pactum, vel saltem cum intentione obligandi ad talem rem temporalem, ac recipere ipsam rem temporalem, in pretium beneficii collati. Quando ergo collator beneficii pactum init cum Titio ad conferendum ei beneficium, si ipse Titius det collatori centum, ut debitum ex gratitudine, vel in gratitudinis compensationem, jam collator beneficii vult centum, tanquam pretium illius beneficii; & Titius, solvendo summam illam centenariam ex debito gratitudinis, illam solvit, tanquam pretium beneficii, etsi non expressum, saltem impressum, & virtuale; nam dum confertur beneficium cum hoc onere, confertur illud non gratis, & liberaliter, sed onerosè. Et hoc modo simulare pretium, esset palliare simoniam: & eundem faceret sensum, si collator diceret: Do Tibi hoc beneficium, ut mihi des centum, in debitum gratitudinis; ac si diceret: Do Tibi hoc beneficium, ut mihi des centum, tanquam pretium beneficii.

Illà ultima minor propositio dicit implicitam in terminis, quod scilicet reciperetur temporale ex debito gratitudinis perveniente ex liberali donatione: debitum nanque gratitudinis supra obligationem naturalem, est quid onerosum; & liberalis donatio, ut talis, nil onerosi imponere potest; cum sit gratuita, & liberalis datio. Correlativum igitur liberalis donationis non est debitum ex pacto inito, sed tantum naturalis obligatio, ostendendi scilicet gratitudinem liberalem naturalem, aut antidotalem, quæ ostensio fieri potest per preces Deo fundandas pro suo benefactore, vel per obsequium voluntarium eidem præstandum.

Dices:

Dices: dum collator beneficii illud confert cum intentione, & pacto recipiendi aliquod temporale, non facit contractum emptionis, & venditionis cum eo, qui tale beneficium recipit, & rem temporalem solvit; sed simonia committitur, mediante contractu emptionis, & venditionis: Ergo tunc collator beneficii non committeret simoniam. Probatur major: in tantum faceret contractum emptionis, & venditionis, in quantum collator exigeret gratitudinem, ut debitam; sed hæc ratio non probat: Ergo &c. Probatur minor: exigere, ut debitum, id, ad quod quis naturaliter est obligatus, non est facere contractum diversum à gratuita, & liberali donatione; quia hujusmodi exigentia non est superaddita naturali obligationi: Ergo non faceret contractum emptionis, & venditionis, sed tantum contractum faceret liberalis donationis: Ergo &c.

Respondetur negando majorem, & minorem probationis, & antecedens alterius probationis. Quando collator beneficii confert illud cum intentione, & pacto recipiendi aliquod temporale, ut debitum ex gratitudine, contractum facit emptionis, & venditionis diversum à liberali donatione; quia vult exigere illud temporale, ut debitum supra naturalem obligationem, aut antidoralem, quam quisque habet ex beneficii receptione erga suum benefactorem. Quare, dum collator beneficii vult, ut debitum, illud temporale, non vult illud purè liberaliter, & gratuito, sed cum onere ex parte debitoris, quod onus variat liberalem donationem, & facit contractum emptionis, & venditionis. Ratio est, quia talis exigentia est ultra naturalem obligationem: quod patet, quia naturalis obligatio non ponit debitum in recipiente beneficium ad temporalem illam rem solvendam determinatè, & ex pacto, vel saltem ex intentione illam recipiendi; sed solum debitum ponit ad actionem gratuitam correspondentem, ex beneplacito donatarii, seu ejus, qui beneficium recepit: ac per consequens quoties supra obligationem naturalem poneretur onus, jam collatio illa beneficii esset contractus emptionis, & venditionis, & consequenter simoniacus.

Dices iterum: debitum illud, quod imponitur à collatore, naturaliter inest ipsi recipienti beneficium; quia quisque tenetur gratus esse suo benefactori; sed non potest esse simonia propter illud, quod naturaliter alicui inest, etiamsi hoc deducatur in pactum: Ergo collator beneficii, etiamsi deducat in pactum tradere temporale pro beneficio, non committit simoniam, Probatur minor: si beneficiarius ex suo beneficio esset soluturus centum per singulos annos collatori beneficii, eum Pontificis autoritate; & collator velit in pactum deducere talem solutionem, tunc non

committeretur simonia: Ergo neque committeretur simonia, si collator beneficii deduceret in pactum id, ad quod naturaliter est obligatus acceptor beneficii: Ergo &c. Probatur consequentia, quia utrobique pactum non excedit limites naturalis obligationis: Ergo &c.

Respondetur dist, majorem: debitum illud naturaliter inest ad determinatam remunerationem, & obsequium præstandum collatori beneficii, ut benefactori, nego majorem: naturaliter inest ad indeterminatam remunerationem, & obsequium, & ad placitum, præstandum collatori beneficii, concedo majorem, & in secundo sensu concessa minori, negata in primo, nego consequentiam. Tunc ergo quis à labe simoniæ excusatur, quando in pactum de eo, quod naturaliter inest recipienti beneficium, sub statu indeterminato: unde si accipiens beneficium, ut sit gratus suo benefactori, naturaliter deberet illum remunerare, cum hac determinata summa pecuniæ, tunc non committeret simoniam: at hoc est falsum, neque hoc adversarii concedunt, sed solum debitum inest accipienti beneficium, ut remunerationem, & gratitudinem præstet in re indeterminata, & ad beneplacitum ipsius accipientis. Unde quoties collator beneficii poneret, tanquam debitum gratitudinis, solutionem hujus rei temporalis determinatæ, jam poneret debitum supra debitum naturale, & quod naturaliter non inest; & sic simoniam committeret. Per hoc patet ad paritatem adductam; quia solutio illa ex beneficio, quæ est annualis pensio posita supra beneficium, naturaliter inest, talis determinatè, qualis debetur; & ideo inire pactum in illa pensione solvenda, non est simonia. At res temporalis determinatè non debetur ex gratitudine pro beneficio conferendo; & ideo si illa res temporalis determinatè in pactum deducatur, committeretur simonia.

33 Obijcies secundo. Quando quis recipit beneficium Ecclesiasticum, statim in ipso actu receptionis suscipit obligationem naturalem, aut antidoralem, seu remuneratorem: Ergo potest statim remunerare suum benefactorem de collato beneficio, per aliquam rem temporalem tradendam, absque simonia: Ergo etiam conferens beneficium citra simoniam illud conferre potest, accipiendo aliquod temporale, tanquam debitum, & compensationem gratitudinis. Probatur consequentia: remuneratio illa, quæ statim fieret, orta ex naturali obligatione esset ad libitum accipientis beneficium; Ergo in recognitionem potest liberè, & gratuito conferre collatori beneficii rem temporalem. Probatur antecedens, quia non esset in pactum deducta à collatore, nec onerosa ipsi accipienti beneficium: Ergo esset arbitraria, & omnino gratuita.

Respondetur dicendo totum hoc argumentum, si alium non induit modum, esse verum:

rum ; nam citra simoniam recipiens beneficium, cum remaneat obligatus naturali, & remuneratoriæ obligatione suo benefactori, potest absque intentione, & pacto inito cum Collatore, & absque sua intentione, vel intuitu, ac motivo accepti beneficii, dare rem temporalem, quam voluerit, ipsi collatori, à seipso tamen determinandam ; quia tunc non daretur ex nova obligatione, & debito superveniente ipsi naturali obligationi. At procedendo in forma dist. consequens: Ergo potest statim remunerare &c. per aliquam rem temporalem determinatam, & in pactum deductam, vel intentam à collatore, nego consequentiam ; per aliquam rem temporalem indeterminatam, & non deductam in pactum, nec intentam à collatore, concedo primam consequentiam, & eodem modo dist. secundam consequens. Eodemque modo dist. probationes ejus. Quando ille, qui beneficium recipit vult pro suo libito rem temporalem tradere in signum gratitudinis suo benefactori pro accepto beneficio, ne ipse, & collator beneficii labem simoniæ incurrant, debet rem illam temporalem indeterminatam tradere, & ab ipso solo recipiente determinandam : non verò debet tradere rem temporalem determinatam, & in pactum deductam, vel saltem intentam ab ipso collatore, quia tunc collator de re illa determinata, novam poneret obligationem recipienti beneficium; quæ nova obligatio, cum sit onerosa, nequit esse sine simonia,

Dices : dum res illa temporalis, quæ in remunerationem traderetur à recipiente beneficium, determinaretur ab ipso recipiente, excusaretur tam recipiens, quam conferens à simonia : Ergo etiam uterque excusari debet à simonia, si res illa temporalis determinaretur à collatore, etiamsi esset à recipiente acceptata, & ab eodem collatore in pactum deducta. Probatur consequentia ; quia ista determinatio facta à collatore, & à recipiente beneficium acceptata, est ad id, ad quod naturaliter est obligatus ipse recipiens, & non ad aliquid superadditum, & onerosum: Ergo &c,

Respondetur negando consequentiam, & antecedens probationis. Dum recipiens beneficium tradit suo benefactori, in remunerationem, hanc rem temporalem determinatam ab ipso recipiente, & nullatenus in pactum deductam, suam exercet libertatem, & gratitatem, benevolentiam erga suum benefactorem, ita ut si nollet id facere, non teneretur ex debito, nec iustitiæ, nec gratitudinis, nec ingratus esset reputandus; cum posset, se gratum ostendere alio modo, vel præstando obsequium voluntarium suo benefactori, vel preces ad Deum pro eodem benefactore fundendo : & iccirco à simonia excusatur. At quando tradit hanc rem determinatam à collatore, & in pactum deductam, quia recipiens beneficium tenetur ex debito rem illam determinatam tradere (estò sit

debitum gratitudinis), & non potest pro suo libito aliter facere; jam non posset à simonia excusari tam collator, quam ipse recipiens. Unde concludendum est, quòd quando debitum gratitudinis est in pactum deductum, cum tale debitum sit onerosum, tunc collator beneficii cum tali debito recipienti imposito, labem simoniæ incurrit.

34 Pro casuum conscientiae resolutione infero primò, collatorem beneficii recipiendo rem temporalem pro beneficio collato, deductam in pactum, etiam ex debito gratitudinis, simoniam committere. Ratio est; quia debitum illud, stante pacto, non est omnino gratuitum, & liberale, sed onerosum, & pretio æstimabile; ac per consequens res illa temporalis daretur in pretium beneficii recepti; quòd est committere simoniam.

Infero secundò, collatorem beneficii, si recipit rem temporalem post collatum beneficium, absque intentione, & pacto illam recipiendi, & absque ulla intentione, & pacto ex parte dantis rem illam, sed purè liberaliter, & gratuito, non committere simoniam. Ratio est, quia illa datio est liberalis, & gratuita donatio, & ex nullo capite onerosa, nec res illa temporalis daretur in pretium beneficii: adeoque non esset datio simoniaca.

35 *PETES. An si ante receptionem beneficii quis rem temporalem daret collatori beneficii, & hic postquam rem illam acceperit, beneficium conferret, simoniam committeret?*

Respondetur, dicendo, quòd si conferens beneficium alliciatur, & moveatur ad conferendum beneficium ex illis rebus temporalibus, ante beneficii collationem acceptis, simoniam committit. Ratio est, quia motuum dandi beneficium huic, & non alteri, essent munera illa accepta, & beneficium daretur in pretium illorum munerum. Si verò conferens beneficium, non alliciatur, nec moveatur ad conferendum beneficium ex illis muneribus, sed gratis illud conferret æquè benè, ac si munera non recepisset, tunc non committeret simoniam. Ratio est, quia tunc beneficium non daretur in pretium rei temporalis acceptæ, sed gratuito, & liberaliter.

36 *PETES insuper. Quid dicendum de dante rem temporalem, an simoniam committat?*

Respondetur eodem modo ut supra. Si rem temporalem daret ex intentione recipiendi beneficium, tunc datus rem illam temporalem simoniam committeret. Si verò absque tali intentione, tunc simoniam non committit. At ad vitandum hunc simoniæ vitium, adverto, esse omnino fugiendam munerum largitionem, & eorundem receptionem; præsertim quando haberi potest suspicio de obtinendo officio, vel Ecclesiastico beneficio, dicente Isaja 33. *Beatus vir, qui excutit manus suas ab omni munere.* Eò vel maxime, quia vix reperiri potest tanta liberalitas in conferendis muneribus gratis,



gratis, & pro merito, ac dignitate illa recipientis; cum ut plurimum conferantur ad prauum illum finem, beneficia, vel officia Ecclesiastica obtinendi.

### QVÆSTIO QVARTA.

*An sit simonia dare pecuniam nolenti baptizare, & alia Sacramenta ministrare, nisi pecunia sibi detur?*

**D**octor noster in 4. d. 5. q. 2. §. *Ad tertium dico*, usque ad finem quæstionis, præsentem, tangit difficultatem, eamque resolvit, primò declarando casum impossibilem ex una parte, quatenus scilicet nullo alio modo possit puer baptizari, nisi ab eo, qui vult pecuniam pro baptismi collatione. Secundò resolvit casum dicendo, quòd potius puer mori debeat sine baptismo, quàm simoniacè ematur baptismus. Casus sit iste: Titius est in solitario loco, habeat puerum, & velit ut baptizetur: accedat ad Cajum Sacerdotem, ut puerum baptizet, quia est in periculo mortis. Insuper nulla alia persona sit nec Ecclesiastica, neque secularis, à qua puer ille posset baptismum suscipere, & tandem ipse Titius sit mutus, vel mancus: nunc quæritur, an, si Cajus Sacerdos nollet baptizare puerum, nisi pecuniam recipiat, debeat tunc Titius pecuniam tradere Cajo, absque simonia, ut puerum baptizet? Hoc posito casu.

Supponendum est, aliud esse baptizantem recipere pecuniam pro emolumento, & sustentatione ministerii, & officii Sacerdotalis; & aliud esse recipere pecuniam pro ipso baptismi Sacramento. Primo modo, pecunia est pretiū laborum, qui labores sunt actus naturales ministri. Secundò modo, pecunia illa est pretium Sacramenti, quòd spirituale, & supernaturale est. Hoc supposito pro quæstionis decisione, adverte, eandem quæstionem fieri de qualibet Sacramentorum administratione.

**DICO**, simoniam esse dare pecuniam nolenti baptizare, & alia Sacramenta nolenti ministrare, quando pecunia daretur in pretium Sacramenti; simoniam tamen non esse, si pecunia daretur ad redimendam vexationem, & importunitatem Sacerdotis, vel in pretium remotionis à malo proposito ipsius Sacerdotis, & ut faciat id, quòd facere tenetur. Conclusio est Scoti loco cit. & resoluta in hunc sensum, in fine cit. quæst. 9. *si autem Sacerdos: quem sequuntur omnes Scotistæ, nec non Adrianus, Valentia, Suarez, Lessius, Layman, & alii, contra D. Thomam, quò ad secundam partem, Paludanum, Silvestrum, & alios.*

37 Probatur prima pars: Tunc committitur simonia, quando traditur res temporalis in pretium rei spiritualis, vel spirituali annexæ;

sed quando quis tradit pecuniam Sacerdoti nolenti baptizare, vel alia Sacramenta ministrare, ut communionem, pœnitentiam &c. & hæc daretur in pretium Sacramenti, tunc traderetur res temporalis in pretium rei spiritualis: Ergo quando traderetur Sacerdoti nolenti baptizare pecunia in pretium Sacramenti, committeretur simonia. Probatur minor: Sacramentum ipsum baptismi res spiritualis est: Ergo quoties, ut hoc conferatur à nolente ipsum conferre, tradatur pecunia aliqua; toties illa pecunia esset in pretium rei spiritualis.

Confirmatur hoc: quoties Sacerdos se explicat, dicens nolle Sacramentum baptismi conferre, nisi illud det ut venale, toties datur pecuniam pro ipso Sacramento committit simoniam, non minùs, ac committit illam ipse Sacerdos: Ergo dare pecuniam Sacerdoti nolenti baptizare, & illam dare in pretium Sacramenti, est committere simoniam.

Confirmatur secundò; nam in tantum posset à simonia excusari, in quantum esset periculum in infante moriendi sine baptismo; ac per consequens in evidenti periculo suæ damnationis; sed hæc ratio non valet: Ergo datur pecuniam nolenti baptizare, & hoc in pretium Sacramenti, simoniam committit. Probatur minor: periculum in infante moriendi sine baptismo, & ejusdem damnationis, non excusat tradentem pecuniam in pretium Sacramenti à peccato simoniæ: Ergo &c. Probatur antecedens: ut vitetur malum in altero, etiam æternæ damnationis, non excusatur quis à malo sibi imminente; nemo nanque tenetur magis proximum, quàm seipsum diligere: Ergo &c. Hoc assumptum probatur ex verbis Doctoris nostri loc. cit. in 4. ubi respondens cuidam instanti sibi factæ, quæ est ista: *Tunc exponit parvulum suum periculo damnationis, ait, Respondeo, baptizet ipse, si non est mancus, vel mutus; vel si non posset invenire aliquem in baptizando parvulum suum, nisi emendo baptismum, debet dimittere parvulum mori sine baptismo; quia non sunt facienda mala, ut inde veniant bona: ad Rom. c. 3. Et quilibet magis debet diligere seipsum, quàm proximum; ac per consequens magis in seipso vitare peccatum, quàm in alio damnationem.* Ex quibus verbis aperte constat, quòd potius debet dimittere parvulum mori sine baptismo, quàm emere baptismum; cum emptio baptismi sit ab intrinseco simonia: Ergo &c.

38 Probatur secunda pars: quando pecunia traditur Sacerdoti nolenti baptizare sine pecunia, ut baptizet, & illa non traditur cum intentione, vel pacto emendi Sacramentum, traditio illa pecuniæ non est illicita, nec simoniaca; sed quando ad redimendam vexationem, & importunitatem Sacerdotis, vel ut hic removeatur à malo proposito, & ut faciat, quòd facere tenetur, traditur pecunia, jam hæc

hæc non traderetur cum intentione, & pacto emendi Sacramentum baptismi: Ergo traditio pecuniæ ad auferendam vexationem, & importunitatem Sacerdotis, ipsum removendo à malo proposito, & ut faciat, quod facere tenetur, non est illicita, & simoniaca. Probatur major: illa traditio pecuniæ, quando non datur cum intentione, & pacto emendi Sacramentum, si esset illicita, & simoniaca, vel esset talis, quia in seipsa simoniaca est, vel esset talis, quia inductiva peccati simoniæ; sed nullo ex his modis potest esse illicita, & simoniaca: Ergo &c. Probatur minor: non est talis, quia in seipsa simoniaca est; potest enim, quis absque simonia movere aliquem, ut odium, vel iram deponat, quod habet contra proximum, & faciat id, quod facere tenetur: Ergo etiam potest absque simonia movere Sacerdotem nolentem baptizare sine pecunia, ut deponat suum malum propositum, & faciat, quod facere tenetur; sed tunc traditio illa pecuniæ non esset cum intentione, & pacto emendi Sacramentum baptismi: Ergo &c. Probatur consequentia; quia in tantum in primo casu non est simoniaca traditio illa pecuniæ, in quantum licitum est dare pecuniam alteri, ut faciat actum virtutis; sed etiam actus virtutis est baptizare: Ergo quando daretur pecunia nolenti baptizare, ut deponat malum propositum, & faciat quod facere tenetur, jam huiusmodi traditio pecuniæ non esset simonia. Probatur nunc illa minor, quod scilicet traditio pecuniæ in hoc casu non sit inductiva simoniæ. Movere aliquem ad faciendum id, quod ipse facere posset, si vellet, sine peccato, & teneretur facere; nec est peccatum, nec inductivum peccati, imò est actus virtuosus; sed Sacerdos ille pecunia ductus ad baptizandum, posset sine peccato baptizare, imò tenetur baptizare sine peccato: & si pecuniam reciperet pro actu baptismi, posset illam non recipere: Ergo dum quis tradit pecuniam huic Sacerdoti ad hoc, ut baptizet, quem actum facere tenetur, & illam traderet absque animo, & pacto emendi Sacramentum, non est traditio inductiva simoniæ: Ergo &c.

Confirmatur hoc primò doctrina Scoti loc. cit. *Si enim ille Sacerdos vellet vendere aquam suam, & nullo modo aliter concederet eam, potest ipsa emi, estò etiam, quòd sit consecrata, sed nullo modo habendo oculum ad consecrationem, quia tantum valeret, quantum non consecrata.* Sic etiam licet vendere Calicem Consecratum, nullo modo oculum habendo ad emendum, vel vendendum consecrationem. Ex qua Scoti doctrina infero, quòd quoties tradatur pecunia nolenti baptizare, & non præcisè ad emendum baptismi Sacramentum, sed solùm vel ad emendam aquam baptismalem eo prorsus pretio, quo emeretur, si non esset consecrata. Vel ad emendum extrinsecum Sacerdotis laborè; vel tandem, ad nostrum propositum, ad re-

movendum ipsum Sacerdotem à malo proposito, & ad procurandum, ut faciat, quod facere tenetur, tunc simonia non committitur; quia tunc simonia committitur, quando quis intendit vendere, & emere Sacramentum ipsum baptismi: Ergo &c.

Confirmatur secundò à pari: si quis pecuniam traderet Tyranno, vel infideli, ne sacrilegè tractet Hostiam Consecratam penes ipsos retentam, vel ut ipsam Hostiam Ecclesiæ restituat, nullum simoniæ actum committit: Ergo neque simoniæ actum committit, qui pecuniam tradit nolenti baptizare, ut ipsum removeat à malo proposito, & ad hoc ut faciat, quod facere tenetur. Probatur consequentia. In tantum traditio pecuniæ in primo casu est sine labe simoniæ, in quantum non traderetur ad emendum Sacramentum, sed ad ipsum redimendum, & ad vexationem contra ipsum tollendam; sed idem est in secundo casu, cum non emeretur baptismus, sed vel labor Sacerdotis, vel injusta ejus vexatio, vel actio ipsius faciendi, quod facere tenetur: Ergo utrobique traditio pecuniæ non est simonia. Concludo igitur, quòd in casu proposito, si Sacerdos nollet baptizare sine pecunia, non posset sine simonia ipsi dari pecunia, ut pretium Sacramenti; posset tamen dari, ut pretium laborum Sacerdotis, vel aquæ baptismalis, vel ad removendum ipsum Sacerdotem à malo proposito; & tandem ad movendum ipsum, ut faciat, quod facere tenetur.

*Solvuntur Objectiones.*

39 **O**bjicies primò contra primam partem. Non est simonia, quando emitur Sacramentum in extrema necessitate moriendi sine ipso Sacramento; sed quando datur pecunia nolenti baptizare, ut baptizet, etiam in pretium Sacramenti, emeretur Sacramentum in extrema necessitate moriendi sine ipso Sacramento: Ergo tunc emens Sacramentum baptismi in extrema necessitate, non committeret simoniam. Probatur major: extrema illa necessitas moriendi sine baptismo est magis urgens, quam remotio emendi Sacramentum: Ergo excusatur à labe simoniæ, quando emitur Sacramentum in extrema necessitate moriendi sine ipso. Probatur antecedens: magis urget necessitas salvandi animam proximi, quam præceptum, quodcunque sit, non emendi Sacramentum; sed necessitas moriendi sine baptismo est necessitas salvandi animam proximi: Ergo &c.

Deinde: quando Sacerdos non vult baptizare, nisi vendat Sacramentum baptismi, tum alter emens Sacramentum in extrema necessitate salvandi animam pueri, non committit simoniam: Ergo quamvis daret pecuniam in pretium Sacramenti, non per hoc committeret

ret simoniam. Probatur antecedens; quia emens Sacramentum in tali necessitate, emerit ipsum non ex prava sua intentione, sed ex prava intentione conferentis Sacramentum: Ergo conferens Sacramentum simoniam committeret, & non ille, qui pecuniam traderet in pretium Sacramenti: Ergo &c. Probatur consequentia à pari: qui in extrema necessitate accipit sub usura ab usurario, non committit usuram, nec mortaliter peccat, quamvis sub usura accipiat; & solum peccat peccato usurae, qui dat sub usura: Ergo qui emit baptismum in extrema necessitate, non peccat peccato simoniae, sed hoc peccato tantum peccat, qui Sacramentum ipsum vendit. Antecedens patet ex dictis de usura disp. 3. num. 75. Probatur consequentia; quia sicuti in primo casu necessitas illa excusat à peccato accipientem sub usura, ita etiam excusare debet à simoniae peccato ementem Sacramentum à simoniaco: Ergo &c.

Respondetur ad primum negando majorem, ad cujus probationem nego antecedens, cum sua probatione. Ante solutionem hujus difficultatis suppono, & peto ab adversariis, vel eorum sensum esse, quod possit, citra peccatum simoniae, emere Sacramentum baptismi is, qui baptizandus est, in casu quo esset in extrema necessitate constitutus, & evidenti periculo mortis, & suae animae damnationis, ita ut baptismum ab alio non posset recipere; vel est sensus de eo, qui non pro se baptismum emerit, sed pro suo parvulo, non adulto, in eadem necessitate posito? si est sensus de eo, qui petit, baptismum pro seipso, tunc dico, quod illa necessitas non excusaret eum à simonia emendo baptismum; nec esset magis urgens, quam praeceptum de non emendo pretio temporali rem spiritualem; praesertim quando praeceptum est de Jure divino, ut esset in casu; nam posset aequè bene suae providere necessitati adultus, si per baptismum fluminis veniam peteret suorum peccatorum; & ita animam suam salvare, absque eo, quod recurrat ad baptismum fluminis emendum à Sacerdote simoniaco. Si est sensus de eo, qui petit baptismum pro parvulo suo; tunc quando nullus est modus salvandi animam pueri, potius permittere debet, hunc mori sine baptismo, cum ejusdem damnatione, quam peccare peccato simoniae, emendo scilicet Sacramentum baptismi; nam urgens, & major est dilectio sui ipsius, quam proximi; juxta illud Apostoli à Doctore nostro relati, non sunt faciendae mala, ut eveniant bona; & quia magis urget, vitare peccatum in seipso, quam in alio damnationem; ideo, non debet quis pro alio emere baptismum, ad vitandum hujus damnationem. Et si dicas, adesse praeceptum charitatis de procuranda salute animae pueri, Tunc respondeo, charitatem magis mihi, quam alteri favere, & inclinare magis ad meipsum

diligendum, quam alterum. Nec me inclinare potest ad alium amandum, eique procurandam aeternam salutem cum animae meae detrimento. Haec responsio colligitur ex verbis Scoti supra cit.

40 Respondetur ad secundum negando antecedens, & consequentiam probationis, ad cujus probationem, nego consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia usura quocunque jure prohibita est, tantum ex parte dantis sub usura, & tantum mutuans recipiendo, vel saltem intendendo lucrum ultra sortem, dicitur usurarius, non verò usurarius dici potest accipiens sub usura; & ideo à peccato mutuarius excusatur, quando sub usura recipit in extrema necessitate; quia sibi ipsi providere debet in tali necessitate positus, ut loco cit, diximus in materia de usura. Ceterum simonia, nedum prohibita est ex parte dantis simoniaci, sed etiam ex parte recipientis, ut constat ex Bullis supra relatis, & de poenis in simoniacos latis. Quare certò sciens, aliquem velle vendere Sacramentum, aut nolle ipsum conferre, nisi pecuniam accipiat, non potest licite Sacramentum illud emere. Et quamvis prava intentio vendendi Sacramentum esset solum in ministro, tamen si tali pravae intentioni consensum praebere emptor illius, jam praesum temporale ex intentione sua conferret pro illo Sacramento; & sic simoniam committeret. Hoc expressè colligitur ex ipsa definitione simoniae; ubi dicitur, quod *sit studiosa voluntas vendendi, & emendi*. Ecce nunc expressa utriusque contrahentis voluntas, tam scilicet venditoris, quam emptoris,

41 Obijcies secundò contra secundam partem: In tantum tradens pecuniam Sacerdoti nolenti baptizare, ut baptizet, non committeret simoniam, si illam pecuniam traderet ad removendum ipsum Sacerdotem à malo proposito, & ad hoc, ut faciat, quod facere tenetur; in quantum talis remotio non esset quid spirituale, vel spirituali annexum; sed haec ratio non probat: Ergo committeret simoniam. Probatur minor: est illa remotio à malo proposito, & reductio ad inducendum Sacerdotem, ut faciat, quod facere tenetur, non sit quid spirituale, nec spirituali annexum; est tamen inductiva ad praestandam rem spiritualem, illamque conferendam; sed hoc sufficit, ut tradens pecuniam committat simoniam: Ergo &c. Major patet, quia intendit remove-re Sacerdotem à malo proposito, & ad faciendum quod facere tenetur, ut conferat baptismum. Probatur minor: non solum est simonia immediatè tradere pecuniam, ut pretium rei spiritualis, sed etiam est simonia tradere pecuniam ad movendum Sacerdotem, ut vendat Sacramentum; sed removendo Sacerdotem à malo proposito, & procurando, ut faciat, quod facere tenetur, traderet pecuniam ad movendum Sacerdotem, ut vendat Sacramentum,

sum, pro ut vendere intendebat: Ergo &c. Probatur minor: remoto malo proposito, jam Sacerdos accipit pecuniam ex intentione vendendi Sacramentum: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dist. majorem, quò ad secundam partem: est tamen inductiva ad præstandam rem spiritualem, modo illicito, nego majorem: modo licito, concedo majorem, & in primo sensu concessa minori, negata in secundo, nego consequentiam, cum minore probationis. Quando ergo quis tradit pecuniam Sacerdoti nolenti baptizare, nisi pecunia accepta, & illam tradit, non ut baptizet, sed ut illum removeat à malo proposito, quod habebat, non baptizandi scilicet, nisi simoniacè, vendendo Sacramentum baptismi: & insuper ut ipse Sacerdos faciat licitè, quod facere tenetur; tunc pecuniam tradens excusatur à labe simoniæ. Primò, quia illa pecunia esset in tali casu pretium rei temporalis, & non spiritualis; quia esset pretium impedimenti ad conferendum Sacramentum, quod impedimentum est res temporalis. Secundò, quia illa pecunia esset ordinata ad removendam simoniam, & ad redimendam injuriam infantis positi in necessitate baptismi. Et estò ista remotio ordinetur ad ipsum Sacramentum conferendum, & sic ipsiusmet Sacramenti inductiva, non tamen esset inductiva Sacramenti, modo illicito, sed modo licito; quia remoto impedimento conferendi baptismum simoniacè, jam Sacramentum ipsum daretur licitè, quia supponitur, Sacerdotem jam per acceptam pecuniam se determinare ad gratis conferendum baptismum. Vel si Sacerdos adhuc in sua prava intentione persisteret volendi scilicet accipere pecuniam in pretium ipsius Sacramenti; & tradens pecuniam esset ignarus de tali prava intentione, & pecuniam tradidit tantum ad removendum Sacerdotem à malo proposito, & ut faciat, quod facere tenetur, tunc ipse tradens pecuniam à labe simoniæ excusatur. Remotio namque impedimenti ad venditionem Sacramenti, non est inductiva venditionis; aliàs idem esset negatio formæ, ac ipsa forma; & ratio est, quia qui procurat tollere impedimentum ad venditionem Sacramenti, procurat, ut Sacramentum conferatur eo modo, quo licitè conferri debet: unde solum illa remotio à malo proposito est inductiva Sacramenti licitè conferendi, non illicitè, ut argumentum prætenedit.

Aliæ objectiones solventur in sequenti questione, ubi agemus, an titulus redimendi se ab injulta vexatione excuset tradentem pecuniam, à labe simoniæ.

42 Pro casuum conscientie resolutione infero primò, tradentem pecuniam Sacerdoti nolenti baptizare, ut eum moveat ad baptizandum, si pecuniam tradat in pretium baptismi, simoniam committere; & hoc valet, sive in ca-

su extremæ necessitatis, quòd scilicet non sit alius, qui possit baptismum gratis conferre, sive in quocunque alio casu non extremæ necessitatis; imò à fortiori hoc secundo modo. Eodem modo simonia committitur, quando traditur pecunia Sacerdoti pro recipienda absolutione, Sacramento Eucharistiæ &c. in pretium ipsorum Sacramentorum. Ratio hujus deducitur ex ipsa definitione simoniæ, quæ est voluntas vendendi, & emendi rem spiritualem, vel spirituali annexam, pretio temporali: unde quoties pretium est pecunia, vel pecuniæ æquivalens, toties simonia committitur, cum in utroque casu tradatur pro re spirituali, vel spirituali annexa; præsertim quia Sacerdotes, & Ministri Ecclesiæ, non sunt Domini Sacramentorum, sed solus Deus est ipsorum Dominus: ministri verò sunt tantum dispensatores,

Secundò infero, tradentem pecuniam Sacerdoti nolenti baptizare, tantum ad tollendum impedimentum, vexationem Sacerdotis, & ejusdem nolitionem, & ad faciendum, ut ipse Sacerdos faciat, quod facere tenetur, non committere simoniam. Ratio est primò, quia traditio illa pecuniæ non esset in solutionem pretii pro Sacramento recipiendo, sed tantum esset solutio pretii in removendo impedimento, & vexatione importuna Sacerdotis; & ad movendum ipsum Sacerdotem, ut faciat, quod facere tenetur; quæ omnia temporalia, & naturalia sunt, non verò spiritualia, & supernaturalia. Secundò pecunia illa esset in pretium redimendæ injuriæ factæ parvulo baptizando, qui Jus habet ad baptismum, per quod respicit vitam æternam.

Infero tertio, tradentem pecuniam ad emendam aquam, etiam benedictam à nolente baptizare, nisi pecuniam recipiat, quando pretium non excedit pretium naturale aquæ puræ, non committere simoniam. Ratio est, quia tunc non emeretur aqua benedicta, ut benedicta, sed ut in se est: sicut non esset simonia, si calicem consecratum quis emeretur, eadem prorsus pecunia ac si non esset consecratus.

Quartò infero, tradentem pecuniam pro sustentatione Sacerdotis, simoniam non committere: sicut neque simoniam committit, qui pecuniam tradit Sacerdoti celebranti Missas, funeralia, & similia: quæ omnia fiunt à Sacerdote ad sui sustentationem. Ratio est, quia quilibet Ecclesiasticus vivit, & sustentatur de Ecclesiastico ministerio. Quod patet ex illo Apost. 1. Corint. 9. *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui Altari deserviunt, cum altari participant.* Quæ doctrina confirmatur ex Scoto in 4. cit. d. 5. in fine 2. q. ubi ait: *Sed ipsi vendunt laborem, & alii emunt eum; quia oportet, unumquemque de suo labore taliter qualiter visitare, & vitam acquirere.*

43 Ultimò tandem inferitur ex his, Concionatores

tores posse licitè absque labe simoniæ recipere pecuniam pro eorum labore; non pro Evangelio, quod prædicant. Et quamvis Apoll. 2. Corint. 11. dicat, *Gratis Evangelium Dei Evangelizamus vobis*; id gratis cadit supra Evangelium, quod absque mercede, & pretio explicari, & exponi debet populo; non verò cadit supra laborem præstitum à Concionatore; quare absque labe simoniæ recipere possunt pecuniam pro suis laboribus.

### QVÆSTIO QVINTA.

*An titulus redimendæ vexationis excuset à crimine simoniæ tradentem rem temporalem, quando vexatio est circa rem spiritualem, vel spiritali annexam?*

**E**X præterita quæstione constat, tradentem pecuniam Sacerdoti nolenti baptizare, ut removeatur à suo malo proposito, & ut faciat id, quod facere tenetur, simoniæ non committere; quia pecuniam non tradit in pretium Sacramenti baptismi, sed in pretium injustæ vexationis removendæ à Sacerdote, quæ per baptizandum injuriatur. Ex hac decisione præsens deducitur quæstio & queritur, an sit iustus titulus in quocunque casu redimendæ vexationis, quo quis excusari possit à labe simoniæ, tradendo temporale pro re spiritali, aut spiritali annexa; & procedit præcipuè quæstio de officiis, vel beneficiis Ecclesiasticis. Ut si quis ad acquirendum beneficium aliquod vexaretur ab alio, ut beneficium illud non obtineat; vel si beneficium habeat, & ab executione impeditur; queritur, an in hoc casu vexatio illa excuset tradentem pecuniam ad vexationem illam removendam, à labe simoniæ? In qua re.

44 Suppono, dupliciter contingere posse, unum ab alio vexari. Primo modo injustè, quando scilicet quis absque rationabili causa, sed dolosè, aut per vim, vel per injustam sententiam alium impedit à consecutione alicujus officii, vel beneficii; vel hic ab ipso officio, vel jam obtento beneficio injustè, ac dolosè suspensus esset. Secundò modo justè, quando scilicet ex rationabili causa, & non dolosè quis impeditur à beneficio, vel officio, sive obtento, sive obtinendo: ut si quis ex prævio delicto, de quo fuit accusatus, sit per Judicis sententiam ab officio, vel beneficio Ecclesiastico suspensus, De utraque vexatione tam justa, quam injusta procedit præsens dubitatio, Et pro majori ejusdem explanatione, noto, posse aliquem habere Jus ad beneficium, vel officium Ecclesiasticum dupliciter: primo modo habere potest Jus in re, beneficium il-

lud legitimè possidendo; alio modo potest habere Jus ad rem ad beneficium scilicet, non possessum, sed possidendum, quod ex prævio concussu, & examine acquisivit. Hoc autem Jus ad rem, adhuc est in duplici differentia, aliud est Jus certum, & aliud est Jus litigiosum, pendens scilicet à lite; ad quod alter aspirat propter rationes sibi favorabiles. Et de utroque Jure, tam certo, quam litigioso est sermo in præsentem, an scilicet vexatus in Jure, quod habet ad beneficium, vel officium obtinendum, possit absque simonia pecuniam tradere vexanti, & impedienti ad tale beneficium? In hac re unica conclusione, in plures partes divisa, proponitur quæstionis decisio. Et

*DICO*, quando quis injustè vexatur sive in Jure ad rem, sive in Jure in re, posse absque simonia dare pecuniam alteri ad redimendam vexationem illam; quando verò non vexatur injustè, sed justè sive in Jure in re, sive ad rem, sive certo, sive litigioso, non posse, absque simonia dare pecuniam alteri, ad redimendam vexationem illam. Conclusio quò ad primam partem, quantum ad Jus ad rem, intelligenda est de injusta vexatione ejus, qui potest obesse, seu malum tantum inferre, qui Jus habet ad beneficium; non autem de eo, qui potest prodesse, ut est collator beneficii, in cujus potestate est dare, vel non dare beneficium. Estque inter Doctores communissima. Quò ad secundam partem est etiam fere communis contra Poncium ex nostris. Et prima pars deducitur ex cap. *Dilectus filius, Præpositus Nobis, De simonia*.

45 Probatum prima pars; Non committitur simonia, quando non traditur temporale, ut pretium rei spiritalis, vel spiritali annexa; sed quando quis pecuniam tradit ad redimendam injustam vexationem, quam habet circa Jus, quod in re habet, vel circa Jus acquisitum ad rem, non tradit temporale in pretium rei spiritalis, vel spiritali annexa; Ergo tunc non committitur simonia. Major est certa ex definitione ipsius simoniæ, Probatum minor: quando quis injustè vexatur circa beneficium V.G. ad quod Jus habet in re, vel ad rem acquisitum, si solvit pecuniam ad removendam vexationem, solutio talis pecuniæ est pretium rei temporalis, scilicet actus naturalis voluntatis injustè impediens, & vexantis: Ergo pecunia non daretur in pretium rei spiritalis, aut spiritali annexa. Probatum antecedens; pecunia illa non daretur in pretium beneficii; Ergo daretur in pretium illius actus naturalis voluntatis impediens. Probatum antecedens; beneficium illud, (in suppositione, quòd quis habeat Jus in re ad ipsum), est jam collatum, & tantum diceretur impeditum; & in suppositione, quòd non sit collatum, sed conferendum, & quis Jus acquisivit ad illud prævio examine, etsi quis illud non possit.

possideat, tamen se habet, ut Jus habens : Ergo quoties daretur pecunia pro auferendo impedimento, jam pecunia illa non daretur in pretium beneficii.

Confirmatur hoc, & simul probatur assumptum illius antecedentis ; quod scilicet pecunia non daretur in pretium beneficii . Tunc pecunia illa daretur in pretium beneficii, quando injuste vexatus, beneficium illud vellet pecunia redimere ; sed in casu, quo tradit pecuniam ad tollendam vexationem, nec vult, nec intendit redimere beneficium ; cum supponatur Jus ad illud habere : Ergo pecunia illa non daretur in pretium beneficii. Probatur minor ; impeditus, & injuste vexatus Jus habet ad beneficium illud, & solum ab executione illius est impeditus : Ergo pecuniam tradit, ut executionem beneficii habeat : sed tradere pecuniam ad habendam executionem beneficii non est idem, ac tradere pecuniam pro beneficio ; nec tradens intendit redimere beneficium, sed solam beneficii executionem, à qua fuit injuste impeditus : Ergo &c. Totum hoc patet exemplo D. Gregorii Magni, qui impeditus ab exercitio sui Pontificatus, pecuniam tradidit Imperatori Mauritio, ad redimendam injustam vexationem, & ad exercendum Pontificatum, ad quem Jus in re habebat : sed hoc fecit, absque labe simoniae : Ergo ad redimendam injustam vexationem potest quis pecuniam tradere absque simonia.

46 Dixi in conclusione, quod loquendo de eo, qui habet Jus ad rem, & acquisitum ab beneficio, si impediretur ab eo, qui potest obesse tantum, & malum facere, potest pecunia redimere vexationem, absque simonia ; seorsus dicendum, si impediretur etiam iuste ab eo, qui debet beneficium conferre. Nam quando impeditur ab aliquo non habente potestatem conferendi beneficium ; quia hic nullum influxum præstat ad collationem beneficii, pecunia non traderetur ipsi, ut conferat beneficium (quo modo daretur in pretium beneficii ; ) sed tantum traderetur, ut cessaret ab illa vexatione. At quando impeditur ab aliquo, qui potest illi prodesse, seu à collatore beneficii ; tunc quia collator influeret in beneficium illud conferendum, jam non pro removenda injusta vexatione traderetur pecunia illa, sed traderetur ad facilitandam beneficii collationem ; & sic pecunia daretur in pretium beneficii. Sit hoc exemplum pro claritate. Titius ex prævio concursu, & examine Jus acquisivit ad beneficium alicujus Parochiæ ; qui injuste vexatus est à Cajo apud Episcopum, ne hic Titio Parochiam conferat : potest licite, & absque simonia Titius dare pecuniam Cajo, ut cesset à tali vexatione, ut ab Episcopo beneficium ei conferatur, ad quod Jus acquisivit . Si verò Titius non à Cajo, sed ab Episcopo collatore illius beneficii injuste vexaretur, tunc si ad impediendam, & redimen-

dam illam vexationem, pecuniam daret Episcopo, ut beneficium ei conferret, ad quod Jus acquisivit, jam Titius simoniam committeret. Ratio primi est, quia Cajo injustus vexator, non est beneficii collator, & potest tantum obesse, & non prodesse ; nec influit in collationem beneficii. Ratio secundi est, quia Episcopus nedum potest obesse, sed etiam prodesse, & in beneficii collationem influit ; & sic in primo casu traditio pecuniæ ad vexationem redimendam, non est simonia ; est tamen simonia in secundo casu.

47 Probatur nunc secunda pars, & primò de justa vexatione beneficii, ad quod Jus habetur, sive in re, sive ad rem, quod simonia committatur. Dum quis justam patitur vexationem circa beneficium, quod possidet, vel sperat possidere, si pecuniam tradit justo vexatori, hæc non daretur in pretium remotionis vexationis, sed in pretium rehabilitationis ad beneficium, à quo iuste est impeditus : Ergo pecunia traderetur in pretium ipsius beneficii ; sed tradere pecuniam in pretium beneficii est simonia ; quia daretur temporale pro spirituali : Ergo &c. Probatur primò antecedens : quando quis iuste vexatur circa beneficium, quod possidet, vel sperat possidere, amittit Jus ad illud in pœnam delicti, ratione cujus iuste vexatur : Ergo dum pecuniam tradit ad removendam justam vexationem, illam tradit, ut rehabilitetur ad beneficium. Probatur nunc consequentia : tradens pecuniam, ut rehabilitetur ad beneficium, illam tradit, ut de novo habeat beneficium, à quo iuste fuit impeditus ; sed tradendo pecuniam, ut de novo habeat beneficium, tradit illam in pretium beneficii ; quia justa vexatio non est in exercitio beneficii, sed in ipso beneficio ablato iuste, & legitima ex causa : Ergo &c. Hæc probatio magis urget, si quis iuste impeditur à collatione beneficii, ad quod Jus habet tantum in spe, & non in re ; quia tunc evidens est, pecuniam illam non esse tradendam aliter, nisi ut beneficium conferatur ; & sic beneficium ipsum emeret.

Confirmatur hoc quadam Bulla Alex. VII. confirmante, & reborante Bullam Gregorii XIII. quæ incipit ; *Cum salubri consilio incumbens*. Tenor autem Bullæ Alex. VII. est : *Inter gravissimas, multiplicesque curas, &c. Et infra : Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti etc. omnes Clericos, Religiosos, et Laicos utriusque sexus, sive sint familiares Curia, sive alii undecunque, qui aliquando pactum fecerint, seu aliquod parvum, vel magnum promiserint, vel promissionem receperint, aut ex pacto, sive promissione occulta, vel manifesta, facta sub generalibus, et plenariè non expressis, sive pactum, vel promissionem de quacunque re, aut utilitate propter hoc consequenda fecerint, vel receperint, pro aliqua justitia, sive gra-*  
tia



titia pro se, aut pro alio in causis, vel Iudiciis, seu aliis per literas Apostolicas, et quibuscunque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda. In qua Bulla notanda sunt illa verba, pro aliqua iustitia, sive gratia etc. & illa alia in causis, et iudiciis: quæ ad rem nostram faciunt; nam si Summus Pontifex interdicit promissiones, & pacta pro iustitia, & gratia tam in causis, quam in iudiciis, interdiciere videtur traditionem pecuniæ pro impedienda, & removenda iusta vexatione, quam quis habet circa beneficium, sive obtentum, sive obtinendum; & præsertim circa obtinendum; nam iusta vexatio est in causis, & iudiciis, & pro gratia, & iustitia obtinenda: Ergo per hanc Bullam non excusatur à labe simoniæ tradens pecuniam pro redimenda iusta vexatione, sive pro beneficio obtento, sive obtinendo.

48. Probatur nunc secundò eadem pars specialiter de Jure litigioso. Sint duo litigantes circa idem beneficium obtinendum: quisque jus habeat ad illud beneficium; si unus tradit alteri pecuniam, ut cedat juri suo, simoniam committit: Ergo qui habet jus litigiosum ad aliquod beneficium, si pecuniam tradit alteri, ut non prosequatur jus suum, simoniam committit. Probatur assumptum antecedens: dum unus ex litigantibus cedit juri suo, jam beneficium remanet pro altero litigante, à quo stante cessione alterius, beneficium obtinetur: sed dum beneficium remanet pro altero litigante, pecunia illa tradita est, in pretium beneficii: Ergo &c. Probatur minor: illa pecunia tradita est pro cessione Juris; sed cessione Juris in altero est ipsamet collatio beneficii tradenti pecuniam: Ergo jam illa pecunia traderetur in pretium beneficii.

Èd vel maxime, quia Jus alterius cedentis est spirituale, sicut spirituale est Jus obtinentis beneficium, ex facta cessione alterius litigantis: Ergo jam solutio illa esset facta in pretium rei spiritualis. Probatur assumptum: Jus ad temporale est temporale: Ergo Jus ad spirituale est spirituale; sed Jus illud, cui ceditur, est ad beneficium, quod est spirituale: Ergo est Jus spirituale.

### Solvuntur Objectiones.

49. **O**bjicies primò contra primam partem: tradere alicui pecuniam ad tollendam injustam vexationem circa aliquod officium Ecclesiasticum, est tradere illam in pretium beneficii; sed tradere pecuniam in pretium beneficii est simonia: Ergo tradere pecuniam ad tollendam injustam vexationem circa aliquod officium Ecclesiasticum, est simonia. Probatur major; tradere pecuniam ad tollendam injustam vexationem, est tradere illam, ut moveatur animus impediens, & vexantis ad conferendum beneficium; Ergo

pecunia illa traderetur in pretium beneficii. Probatur primò antecedens; nam illa vexatio est impeditiva collationis beneficii: Ergo traditio pecuniæ ad tollendam injustam vexationem, est ut moveatur animus impediens, & vexantis ad conferendum beneficium. Probatur secundò illa consequentia: remotio animi impediens, & vexantis est inductiva collationis beneficii: Ergo idem prorsus esset tradere pecuniam, ut moveatur animus impediens, & vexantis ad conferendum beneficium, ac illam tradere in pretium beneficii.

Respondetur primò negando majorem, ad cujus probationem dist. antecedens: ut moveatur animus ad conferendum beneficium, ad quòd Jus habet, sive in re, sive acquisitum: concedo antecedens, ad conferendum beneficium, ad quòd nullum Jus habet, præsertim impeditivum, nego antecedens, & consequentiam. Pecunia illa traderetur, ut moveretur animus vexantis ad conferendum beneficium, ad quòd injustè vexatus Jus habet in re, vel saltem acquisitum: & quia citra simoniam, potest quis facere sibi Jus ab injusto impediens, & vexante; iccirco pecunia illa non daretur in pretium beneficii. Nemo nanque tradit pecuniam in pretium rei, ad quòd Jus habet; sed si Jus est injustè impeditum, pecuniam tradit in pretium actus voluntatis impediens.

Dices: si quis pecuniam traderet Episcopo ad movendum animum ejus, ut sibi; & non alteri conferret beneficium, jam pecunia illa, quæ daretur ad movendum animum Episcopi, esset pretium beneficii; & sic simonia committeretur: Ergo etiam dum quis tradit pecuniam ad movendum animum injustè impediens, & vexantis, ut conferat beneficium, pecunia illa esset pretium beneficii. Consequentia sequitur à pari; quia utrobique motio animi accipientis pecuniam, est ad beneficium conferendum.

Respondetur negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est evidens, nam dum quis tradit pecuniam Episcopo, ut hic moveatur ad conferendum ipsi, & non alteri beneficium, illam tradit animo, & intentione acquirendi Jus ad beneficium, ad quòd prius non habebat: & sic illa pecunia diceretur pretium rei, quam non habet, ut illam habeat; unde hic non emerit actus voluntatis Episcopi, sed beneficium ab Episcopo conferendum. Ceterum quando quis pecuniam tradit ad removendam injustam vexationem, qua impediatur, non tradit illam ad habendum, & faciendum sibi Jus circa beneficium; cum illud supponatur habere, estò impeditum: & sic pecunia illa non daretur pro beneficio, quòd suum est, sed tantum daretur ad impedimentum removendum; aut in pretium actus voluntatis impediens.

50. Respondetur secundò, ad argumentum princi-

principale dist. alio modo antecedens probationis : ut moveatur animus ad conferendum beneficium, quò ad dignitatem, & Jus beneficii, nego antecedens: ad conferendum beneficium, quò ad executionem beneficii, & exercitium, vel usum ipsius beneficii, concedo antecedens, & nego consequentiam . Et eodem modo respondeo ad probationem ejus : Dico igitur, tradere pecuniam, ut moveatur animus injustè impediens, & vexantis, non esse idem, ac tradere pecuniam pro collatione beneficii, in suppositione, quòd beneficium sit jam collatum, vel saltem habeatur Jus acquisitum, ut conferatur, & est injustè ab altero impeditum. Unde dum quis dat pecuniam, ut moveatur animus injustè vexantis ad conferendum beneficium, non est sensus, quòd pecunia tradatur pro ipso beneficio, quatenus dignitas est, vel Jus acquirendum; cum supponamus, injustè impeditum talem dignitatem habere, si habet Jus in re; vel saltem Jus habere ad illam: sed solum est sensus quòd moveatur ad conferendum beneficium, quantum ad ejusdem executionem, & exercitium: & hoc modo dare alteri injustè vexanti pecuniam, non esset emere beneficium; eum ad illud saltem Jus habet, sed tantum esset dare pecuniam in pretium actus voluntatis impediens. Quod patet ex eo, quod dicit Athesanus noster: si Episcopus me injustè excommunicet, & minetur à me auferre beneficium, quod justè possideo, tunc mihi licitum est redimere Jus meum, dando ei pecuniam, ut injustam sententiam revocet, vel ab hac injuria cesset. Hoc deducit *ex cap. Prohibemus, de Magistris*. Et quia redimere Jus, quod quis habet, non est illud emere; iccirco nullam simoniam committit, qui alteri pecuniam tradit, ad tollendam, aut redimendam injustam vexationem circa beneficium, ad quod Jus habet, sive in re, sive ad rem.

51. Obijcies secundò contra secundam partem, probando, quòd tradens pecuniam in jure litigioso non committat simoniam. Non committitur simonia, quando pecunia non datur pro beneficio acquirendo; sed quando quis tradit pecuniam in jure litigioso ad aliquod beneficium obtinendum, ut alter cedat Juri suo, pecunia illa non daretur pro beneficio acquirendo: Ergo tunc non committeretur simonia. Probatur minor: quando quis, in jure litigioso ad aliquod beneficium obtinendum, tradit pecuniam, ut alter cedat Juri suo, tradit illam ad vitandas expensas, quæ occurrere possent ad jus suum litigiosum defendendum: Ergo illa pecuniæ traditio non esset pro obtinendo beneficio. Probatur consequentia: unum ex litigantibus cessare à lite, non est idè positivè, ac alterum obtinere beneficium; licet cessatio ipsa à lite sit inductiva beneficii, quod alius consequitur: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem admissio antecedente, nego con-


sequentiam. Dico igitur, quòd quando quis tradit pecuniam, ut alter Juri suo cedat, quod habet ad idem beneficium, etiam si illam pecuniam tradat ad vitandas expensas, quæ occurrere possunt, ut alter faciat sibi Jus certum, & possessivum beneficii; tamen per illam pecuniam emit Jus alterius, quod habet ad idem beneficium; & quia illud Jus est quid spirituale, jam pecunia emeretur res spiritualis: quod simoniacum est, & per Bullam cit. Alex. VII. interdictum, quæ omnia pacta, & conventiones interdicuntur, quæ fiunt in Judiciis, & causis. Unde quoties daretur pecunia pro removenda lite, justè quidem ab altero prætendente intenta, jam emeretur Jus prætendentis: quod simoniacum est. Tunc esset licitum dare pecuniam, ad vitandas expensas, quando injustè alter prætenderet, & Jus ex parte dantis pecuniam injustè ab alio impeditur; quia tunc pecunia non daretur ad emendum Jus alterius, sed ad Jus suum redimendum.

52. Pro casuum conscientie resolutione plura infero. Primò, tradentem pecuniam ad redimendam injustam vexationem circa beneficium, ad quod Jus habet, sive in re, sive ad rem, non committere simoniam. Ratio est, quia tradens pecuniam ad vexationem illam injustam redimendam, non emeretur beneficium, quod suum est; vel saltem Jus ad illud acquisitum habet; sed tantum diceretur vexationem redimere; & pecunia solum traderetur in pretium remotionis pravi animi injustè vexantis.

Infero secundò, tradentem pecuniam ad tollendam justam vexationem, quam habet circa beneficium, simoniam committere. Ratio est, quia tunc in pœnam delicti amisit Jus ad beneficium illud: unde si pecuniam traderet, non esset hujusmodi traditio, ad redimendum Jus justè amissum, sed ad illud Jus emendum; ac per consequens, cum daretur in pretium beneficii, committeretur simonia.

Infero tertio, tradentem pecuniam, ut alter cedat Juri suo, quod litigiosum habet, circa idem beneficium, committere simoniam. Ratio est, quia tunc tradens talem pecuniam, ut alter juri suo cedat, emit Jus spirituale alterius: hujusmodi autem emptio simoniaca est.

Infero quarto, si habens possessionem beneficii cum jure litigioso, talem possessionem pro accepta pecunia, alteri prætendenti relinqueret, committeret simoniam. Ratio est, quia cum Jus firmetur, & roboretur possessione, jam relinquens possessionem beneficii pro accepta pecunia, diceretur vendere beneficium illud: hujusmodi autem venditio simoniaca est.



QUE:

## QVÆSTIO SEXTA,

*An sit simonia donare, vel promittere aliquod temporale pro præstando opere spirituali?*

**M**ovetur præfens difficultas à D. Thoma 2.2. q. 100. art. 3. ad tertium, & alibi, plures assignando casus in eadem difficultate occurrentes. Primus est: quidam filius-familias sit negligens in frequentandis Sacramentis; Pater ejus, ut filius Sacramenta frequentet ei aliquid donat, vel promittit se donatorum, si Sacramenta frequentet. Secundus: sit quidam infidelis, qui baptismum nolit recipere; alter ei promittat, vel aliquid temporale ei donet, ut hic infidelis baptismum suscipiat. Tertius casus: sit aliqua puella, quæ infideli viro promittat futuras nuptias cum ipsa contrahendas, si ille ad fidem reducat. Quartus casus: sit aliquis, qui aliquid puellæ donet, vel promittat, se donaturum, si ipsa in Monasterium ingrediatur, & castitatem observet. Circa hunc ultimum casum major esse poterit difficultas, si donatio, vel promissio fiat, ad tollendam libertatem puellæ, & vim ei impellendo, ut Monasterium ingrediatur; unde casus difficultandus in hoc sensu locum non habet, præsertim quia omnino per Summos Pontifices interdictum est, inducere per vim puellam ad ingressum Religionis: sed sola remanet in hoc casu difficultas, quando promissor, aut donator non habet animum inferendi vim puellæ, nec ejusdem extorquendi libertatem, ut Religionem ingrediatur; sed animum habeat tantum, ut ipsa opus bonum spirituale præstet. Alii consimiles casus à Doctoribus quibusdam proponuntur. Quare generaliter in hunc sensum quæstioni reducuntur: an possit quis licite promittere, vel donare alicui rem temporalem, ut ab hoc, cui sub conditione sit donatio, vel promissio, præstetur opus spirituale? Et insuper, an licite, & absque labe simoniæ accipiens rem illam temporalem, possit rem illam accipere, ut opus illud spirituale præstet?

53 In qua re supponendum est primò, ex parte dantis, aut promittentis, intervenire pactum cum promissario, aut donatario, quod pactum est conditionale, & adimplendum, posita conditione: ut si tecum inii pactum conferendi decem carolenos, si Sacramentum pœnitentiæ frequentes; dum tu hanc conditionem adimpleris, stante pacto, ego teneor tibi decem tradere carolenos. Supponendum est secundò ex parte recipientis; hunc recipere rem illam, vel ex sola facta promissione ab altero, ut adimpleatur, illa conditio; vel recipere rem illam, quia nollit opus facere spirituale, nisi dona-

tione rei temporalis facta. Hoc secundo modo (ut dictum est in 4. disputatione num. 79. & 80.) obligatus est ad restitutionem, qui accipit in pretium operis boni, ad quod tenetur ex præcepto, aliquod temporale. Ratio, quam ibi assignavimus, est, quia quilibet est Deo debitor ex justitia commutativa, pluribus titulis, ad faciendum id, quod Deus præcipit: unde quando pretium accipit pro opere illo bono, & præsertim spirituali, jam contra justitiam fieret illius operis dominus, cujus operis solus Deus dominium habet: quare circa restitutionem faciendam ab eo, qui aliquid recepit pro opere præcepto patrando, me remitto ad ea, quæ loco cit. dicta sunt. Quantum verò spectat ad præfens dubium, an recipiens rem illam temporalem, peccet peccato simoniæ? est sola difficultas. Quidam in hac re affirmant, quidam verò negativam tenent sententiã.

Ubi adverto, inter opera spiritualia, alia esse præcepta, alia verò non præcepta; opera præcepta fieri debent ex debito obediendi Deo præcipienti, vel Ecclesiæ à Deo regulatæ, & directæ: opera verò non præcepta non fiunt ex debito, sed ex quadam congruentia, & obsequio Deo præstando. Unde si quis pecuniam reciperet ad faciendum opus præceptum, quod facere tenetur ex debito, pecuniã illam non licite reciperet; secus dicendum, si faceret opus non præceptum. His omnibus notatis, pro præfens quæstionis resolutione, quò ad unam, & alteram partem

*DICO*, recipientem pecuniam ad faciendum opus spirituale cadens sub præceptum, interveniente pacto, peccare mortaliter, & ad restitutionem teneri: recipientem verò pecuniam ad faciendum opus spirituale non cadens sub præceptum, non peccare mortaliter, peccato obligante ad restitutionem, nec tandem simoniam committere dantem, aut promittentem aliquod temporale pro præstando opere spirituali, sive non præcepto, sive præcepto. Conclusio quò ad primam partem est plurium Scotistarum cum Fabro, contra Bonacinam, Sotum, Azorium, & alios. Quò ad secundam partem est communissima. Quò ad tertiam est contra D. Thomam loc. cit. Silvestrum, Medinam, & alios; & tenetur à Sanchez, Maffrio, Navarro, Layman, Adriano, Molina &c. Et colligitur ex Scoto locis supra citatis in 4. dist. 15. qu. 2.

54 Probatur prima pars: Recipiens pecuniam, ut faciat opus spirituale cadens sub præceptum, recipit pretium illius actus, quem facere tenetur ex præcepto; sed recipiens pretium illius actus, quem facere tenetur, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur: Ergo recipiens pecuniam ad faciendum opus spirituale cadens sub præceptum, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur. Probatur minor: qui facit actum, quem facere tenetur, facit illum ex justitia obligante ad servandum, præce-

præceptum; sed faciens actum ex iustitia obligante ad servandum præceptum, si recipit pretium illius actus, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur: Ergo &c. Major patet, quia quælibet creatura rationalis, cum sit Deo obligata pluribus titulis, creatoris scilicet, gubernatoris, Redemptoris, &c. tenetur præcepto Dei obedire ex iustitia. Probatur minor: qui recipit pretium illius actus, quem facere tenetur ex iustitia obligante ad actum illum faciendum, recipit pretium rei non suæ; sed recipiens pretium rei non suæ, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem: Ergo &c. Major est certa, quia actus, qui Deo debitus est, & ex iustitia à creatura rationali præstandus, est Dei, non creaturæ; & creatura constituitur debitor Deo: Ergo quoties reciperet quis pretium actus præcepti, jam pretium reciperet rei non suæ. Probatur minor; nam si Petrus V.G. venderet pignus, quod apud se teneret, cuius pignoris Cajus esset dominus, jam Petrus pretium rei non suæ reciperet; & quia contra Caii voluntatem ageret, mortaliter peccaret, faciendo actum injustum, & pretium illud teneretur reddere Cajo; quia rem Caii vendidit: Ergo similiter, quia actus facti ex præcepto non sunt creaturæ rationalis, sed Dei, si creatura pretium reciperet ad actus illos faciendos; quia reciperet pretium rei non suæ, peccaret mortaliter contra iustitiam, & ad restitutionem teneretur: Ergo &c.

55 Confirmatur: creatura nec vendere, nec commutare potest id, ad quod Deus Jus habet ex pluribus titulis; sed ad omnes actus cadentes sub præceptum Deus pluribus titulis Jus habet: Ergo hos actus creatura nec vendere, nec alienare potest: Ergo nequit absque iniustitia pretium illorum recipere.

Dixi in conclusione, interveniente pacto; quia si reciperetur pecunia purè liberaliter, ad nihil recipiens teneretur.

56 Probatur secunda pars: opera, quæ non cadunt sub præceptum, non sunt debita Deo ex iustitia, sed tantum ex obsequio, vel saltem ex vinculo amicitiae, & charitatis; ut creatura rationalis sit magis Deo in charitate, & amicitia conjuncta; sed pro illis operibus, etiam spiritualibus, quæ Deo non sunt debita ex iustitia, potest quis pecuniam licitè recipere; præsertim si opus illud facit, non ex intentione acquirendi lucrum, sed solum acceptando donationem ei liberaliter factam: Ergo pro operibus non cadentibus sub præceptum, potest absque peccato, & obligatione restitutionis quis licitè pecuniam recipere. Major patet, quia frequentatio Sacramentorum, Religionis ingressus, matrimonium contrahendum, & similia non sunt præcepta à Deo, sed tantum quædam ex his cadunt sub consilium: unde creatura illa faciens, non facit ea ex debito iustitiæ; sed ex obsequio, vel vinculo ami-

citæ. Probatur minor: opera illa non præcepta cadunt sub liberam hominis potestatem, absque Dei præiudicio, & injuria, si non fiunt, vel si fiunt, ex motivo accipiendi aliquid liberaliter donatum, aut promissum: Ergo cum non sint Deo debita ex iustitia, potest quis pro illis liberam donationem ei factam accipere: Ergo &c. Ex hoc deducitur, quòd neque simoniam committit.

57 Probatur tertia pars, quòd scilicet dans, vel promittens pecuniam, simoniam non committat. Non est simoniacus ille contractus, qui fit de re spirituali pro pretio temporali, quando contractus non est onerosus, & reciprocus, & nullum intervenit pactum de onere subeundo ex parte utriusque contrahentis; sed contractus, qui fit inter donantem, vel promittentem pecuniam, & eum, qui illam recipit sub conditione, & promissione faciendi opus bonum, non est onerosus, & reciprocus, nec ex parte dantis, nec ex parte recipientis: Ergo contractus hic non est simoniacus, ac per consequens potest quis dare, vel promittere alteri pecuniam, ut faciat opus aliquod spirituale, absque simonia. Probatur minor: in tantum esset onerosus, in quantum dans daret cum tali conditione, & pacto, ut alter faciat opus bonum, quo modo videretur imponere onus recipienti: & alter acceptaret promissionem, & donationem, se obligando ad opus bonum faciendum; sed huiusmodi condiciones, & pacta non habent reddere contractum onerosum: Ergo &c. Probatur minor; nam ille condiciones, & pacta adhuc relinquunt contractum purè gratuitum, & liberalem; quia etiam posita conditione, & pacto, stat in libertate dantis, vel promittentis revocare donationem, vel promissionem; sicut ex parte recipientis stat libera potestas non se obligandi ad opus illud faciendum: Ergo ex vi conditionis, & pacti, contractus ille non diceretur onerosus.

Confirmatur hoc efficaci ratione deducta ex ipsa simoniæ natura. Simoniam non committitur, quoties non emitur, nec venditur res spiritualis pretio temporali; sed hoc non haberetur in casu nostro: Ergo simoniam non committeret dans, aut promittens rem temporalem, ut præstetur opus spirituale. Probatur minor: qui dat pecuniam pro opere bono spirituali ab alio patrando, dat illam, non emendo rem spiritualem: Ergo &c. Probatur antecedens: tunc emeretur res illa spiritualis, quando transfret in utilitatem tradentis pecuniam (hoc nanq; facit formalissima emptio;) sed res illa spiritualis non transit in utilitatem tradentis pecuniam, sed in utilitatem, tantum spiritualem, quam temporalem facientis opus illud spirituale: Ergo dans, vel promittens pecuniam, non emeret rem illam spiritualem. Totum hoc patet de tradente pecuniam, vel ad Sacramenta, vel ad beneficia procuranda,

emenda &c. quæ tradenti pecuniam utilitatem conferunt : Ergo &c.

*Solvuntur Objectiones.*

58 **O** Bicies primò contra primam partem, primò probando, quòd recipiens pecuniam pro opere spiritali cadente sub præceptum, non peccet mortaliter, nec obligetur ad restitutionem, etiam pacto interveniente. Non peccat peccato obligante ad restitutionem, nisi qui peccat contra justitiam, vel alteri injuriam faciendo, vel alterum damnificando; sed qui pecuniam recipit pro opere spiritali faciendo, cadente sub præceptum, etiam pacto interveniente, non peccat contra justitiam, neque injuriam alteri faciendo, nec alterum damnificando; Ergo non peccat mortaliter, nec ad restitutionem tenetur. Probatur minor; non peccat contra justitiam, alterum damnificando; quia hoc modo solùm dans pecuniam diceretur damnificatus; sed hic non dicitur damnificatus; cum liberè, & sua gratuita voluntate pecuniam tradit, donat, vel promittit: Ergo &c. Neque peccat contra justitiam, alteri inferendo injuriam; quia injuriatus, vel esset dans: & hic non, propter eandem rationem, quia liberè dat; vel esset Deus, qui dominus est actionum nostrarum præceptarum; & neque hoc; idq; probatur primò; quia non magis Deus est dominus nostrarum actionum præceptarum, quàm non præceptarum; sed pro actionibus non præceptis non dicitur injuriatus; Ergo neq; si pecunia reciperetur pro præceptis actionibus diceretur injuriatus. Secundò probatur, quia Deus non dicitur injuriatus pro actione ut præcepta, sed pro actione facta contra præceptum; quæ actio, cum sit peccaminosa, injuriam Deo infert; Ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dico, quòd in tali casu dans pecuniam nec diceretur damnificatus, nec injuriatus, cum illam liberè donaret (licet sub illa conditione, ut scilicet opus bonum præstetur): solus Deus diceretur damnificatus, & injuriatus, eo modo, quo capax est damni, & injuriæ, nimirum extrinsecè, terminativè, ac objective. Ratio hujus est, quia cum ipse Deus sit omnium rationalis Creaturæ præceptarum actionum directus dominus, quatenus illas actiones vult à Creatura exhibendas ex rigorosa justitia, & pluribus quidem titulis: iccirco si actiones, quæ Deo debentur, ab ipso auferrentur, & alteri venderentur, vel pecunia commutarentur, injuria, & damnum ei fieret; præsertim quia, Deo invito, alteri daretur, quod ei debetur ex justitia. Per hoc patet disparitas de actionibus non præceptis; actiones namque non præceptæ, quamvis sint sub dominio Dei, pro ut est omnium rerum guber-

naator, tamen ei non debentur ex justitia, sed ex obsequio, pietate, charitate &c. quo modo istas actiones Deus relinquit sub perfecto creaturarum dominio: quod patet de actionibus, nedum corporalibus, ut sunt externæ actiones hominis; sed etiam intellectuibus, ut sunt doctrinæ, & quilibet actus scientificus naturalis, qui licet ab homine vendi potest; quia sub ejus perfectum dominium cadit. Ceterum actiones humanæ, quæ à Deo præceptæ sunt, ex vi præcepti transeunt in absolutum, perfectumque Dei dominium, & cadunt à dominio Creaturæ; unde si Creatura rationalis de illis disponderet, jam disponderet de re non suajimò disponderet de re, quam alteri ex justitia debet. Quod patet hoc exemplo: si Titius haberet centum, & esset Cajo debitor talis summæ; si hanc summam centenariam vellet Titius Sempronio donare, aut alio modo dispondere, jam hujusmodi dispositio esset in Caji præjudicium, & injuriam; quia Titius, nedum de re non sua disponderet, sed de re, quam alteri debet. Idem dicendum in proposito. Et addo, quòd sicut Titius in tali casu peccaret contra justitiam obligantem ad restitutionem; ita etiam peccato obligante ad restitutionem peccaret homo, qui de re spiritali præcepta ad suum libitum disponderet.

59 Dices: dum homo de actione spiritali præcepta disponderet, illam non commutaret, vel venderet in præjudicium, & injuriam Dei, dum pecuniam reciperet, ut actio illa præcepta præstetur: Ergo recipiendo pecuniam illam, non peccaret peccato obligante ad restitutionem. Probatur assumptum antecedentis: acciperet pecuniam illam, ut liberaliter ei donatam, & ab eo in gratuitum donum acceptatam, & non in pretium illius spiritalis actionis; & aliunde jam illa actio præcepta esset ad Deum creditorem ordinata: Ergo illa actio spiritalis, pro qua quis pecuniam reciperet, non esset in præjudicium, & injuriam Dei.

Respondetur negando assumptum, ad cujus probationem dist. primam partem antecedentis: si nullum interveniat pactum faciendi actionem illam præceptam, acciperet pecuniam, ut liberaliter ei donatam, concedo antecedens: si aliquod interveniat pactum, vel circa contractum, vel saltem circa conditionem positam in contractu, nego antecedens, & consequentiam. Quando quis ad faciendum opus bonum præceptum non movetur ex pacto, & conventionem ad illud faciendum, ut pecuniam recipiat, sed liberè faceret opus illud, estò pecuniam ab altero non reciperet, tunc certissimum est, quòd estò ei daretur pecunia aliqua pro illo opere bono præcepto, talis pecuniæ acceptio non esset in Dei præjudicium, & injuriam. Primò, quia jam directè opus illud esset ad Deum ordinatum, in debitum justitiæ; & non diceretur opus venditum, vel commutatum. Secundò, quia pecunia illa esset

esset purè liberaliter donata , & liberaliter acceptata . Ceterum quando pactum interveniret , pecuniæ acceptio esset in Dei præjudiciū , & injuriā; pactum nanque , & conventio habent mutare contractum de liberali in onerosum : & quamvis ex parte dantis possit dici liberalis , ex parte tamen recipientis esset onerosus ; quia reciperet pecuniam cum onere faciendi opus præceptum . Ad secundam partem illius antecedentis , nego , actionem illam , quando intervenit pactum , esse ad Deum creditorem ordinatam ; quia tunc sicuti fieret in pretium pecuniæ acceptæ , vel promissæ , ita ad Deum Creditorem ordinari non posset ; sed ordinaretur potiùs ad illam personam , pecuniã tradentem . Et hæc est differentia inter recipientem pecuniam pro opere bono præcepto , non interveniente pacto , & inter recipientem pecuniam , pacto interveniente . Primus recipiens nullam Deo inferret injuriam ; quia opus illud non faceret , intuitu pecuniæ , sed ex debito faciendi : at secundus recipiens , Deo inferret injuriam ; quia opus illud faceret , intuitu pecuniæ , & non ex debito faciendi .

60 Obijcies secundò contra secundam partem , probando recipientem pecuniam pro opere spirituali non præcepto , peccare contra justitiam , & ad restitutionem teneri . Opus spirituale , estò non præceptum , si fiat ex motivo recipiendi pecuniam , esset opus Deo injuriosum ; sed recipiens pecuniam cum injuria Dei , peccat contra justitiam : Ergo &c. Probatur major : quodlibet opus bonum spirituale est ex natura rei ad Deum , ut ad ultimum finem ordinatum ; & si aliter fieret , esset Deo injuriosum ; sed si quis acciperet pecuniam pro opere bono spirituali , estò non præcepto , non ordinaretur opus illud ad Deum , ut ultimum finem : Ergo esset Deo injuriosum . Probatur minor , quia ordinaretur ad pecuniam illam acceptam , vel accipiendam : Ergo &c.

Respondetur dist. majorem ; esset Deo injuriosum : injuria orta ex violata justitia , nego majorem , injuria orta ex violatis alijs virtutibus , concedo majorem ; & concessa minori in primo sensu , negata in secundo , nego consequentiam . Dico igitur , pluribus modis creaturam posse Deum injuriare ; scilicet vel referendo suas actiones , non ad ipsum , ut ultimum finem , sed ad creaturam ; quo modo omnia peccata hominis constituunt creaturam , ut ultimum finem : vel faciendo opus bonum , & illud ad Deum , ut ultimum finem , non dirigendo , sed aviditate ducta , referendo tale opus ad pecuniam : vel tandem dicitur injuriare Deum , ex violatione justitiæ , quando scilicet facit opus Deo debitum ex justitia , nõ ex motivo reddendi Deo , quod Dei est , sed illud facit in compensationem accepti pretii temporalis . Primo , & secundo modo , estò Deus sit injuriatus , & creatura diceretur peccare ; tamen nec Deus his modis diceretur

injuriatus injuria orta ex violata justitia ; nec creatura diceretur peccare peccato contra justitiam , obligantem ad restitutionem . Solum si Deus diceretur tertio modo injuriatus , creatura peccaret contra justitiam . Ac hoc tertio modo non injuriatur Deus , quando quis recipit pecuniam pro opere bono non præcepto ; quia ista opera bona non præcepta , non debentur Deo ex justitia rigorosa ; sed ad summum ei debentur ex gratitudine , vel alia virtute , ut supra dictum est .

61 Obijcies tertio , probando , dantem , vel promittentem rem temporalem , ut quis opus bonum spirituale faciat , simoniam committere . Simonia committitur quoties intervenit pactum de danda , vel promittenda re temporali in pretium , & retributionem rei spiritualis ; sed quando quis dat , vel promittit pecuniam alteri , ut hic faciat opus bonum spirituale , pacto interveniente , daret temporale in pretium , & retributionem rei spiritualis : Ergo tunc dans illud temporale committeret simoniam . Probatur minor : pactum illud de danda re temporali , ut fiat opus spirituale , habet vim mutandi contractum liberalem in onerosum ; & idem esset , ac dare , ut alter faciat ; quomodo esset datio cum onere recipientis : Ergo dum quis pecuniam dat alteri , ut opus bonum faciat , pacto interveniente , dat illam in pretium , & retributionem rei spiritualis .

Respondetur concessa majori , dist. minorem : quando dat , vel promittit pecuniam alteri pro ipso opere bono faciendo , cedente in utilitatem dantis , vel promittentis , daret temporale in pretium , & retributionem rei spiritualis , concedo minorem : quando dat , vel promittit pecuniam alteri , ut ipsum moveat ad faciendum opus bonum , & aliunde opus illud non cedit in utilitatem dantis , vel promittentis , daret temporale in pretium &c. nego minorem , & consequentiam . Ad cujus probationem dico , pactum illud habere utiq ; vim mutandi liberalem donationem in contractum onerosum , quando nimirum pactum à promittente , vel dante esset factum , non solum ad movendum alterum , ut faciat opus bonum , sed pro ipso opere bono , ita ut opus illud veniret in pactum , & esset pretium pecuniæ datæ , vel promissæ ; & aliunde quando opus illud factum cederet in utilitatem , non recipientis pecuniam , sed dantis , vel promittentis ; quia tunc haberetur vera permutatio , & reciprocus contractus : & hoc modo simonia esset , tam ex parte dantis , quam ex parte recipientis , nedum ex pacto facto de opere illo bono , sed etiam ex prava intèntione ex parte utriusq ; ex parte dantis , quia daret temporale , principaliter intendendo spirituale à creatura , in suæ pecuniæ retributionem ; & ex parte recipientis , principaliter intendendo temporale in retributionem sui operis spiritualis . Ac quando dans , vel promittens dat , vel promittit ,



tit, etiam pacto interveniente, ad finem movendi alterum, ut faciat opus bonum, quod opus cedit in solius recipientis utilitatem; tunc non transit contractus liberalis in onerosum; quia pactum illud, cum non sit de opere, sed de impulsione ad opus, non habet mutare liberalem, & gratuitam donationem: tunc ergo mutaretur liberalis donatio in onerosum contractum, quando pactum esset intum de ipso opere; & hoc modo, esset idem ac do, ut facias.

Dices: illa donatio pecuniæ, est non cederet in utilitatem temporalem dantis, cedit saltem in utilitatem spiritualem, & meritoriam; cum meritum acquirat, qui alium movet, ut Religionem ingrediatur: ut fiat catholicus, si est infidelis: ut Sacramenta frequentet &c. sed hoc sufficit ad reddendam illam donationem simoniacam; Ergo &c.

Respondetur dicendo, hoc argumentum nimis probare. Quoniam si valeret, probaret, quemlibet actum meritorium proveniente ex elemosynis, sive pauperibus, sive pupillis, sive Ecclesiis elargitis, esse simoniacum; quia pro opere spirituali recipiendo, vel saltem in pretium vitæ æternæ, daretur illud temporale: quod non est dicendum, aliàs nemo elemosynam faceret, ad finem consequendi beatitudinem. Quapropter nego minorem: meritum nanque illud non daretur à creatura, cui pro opere bono faciendo daretur, vel promitteretur pecunia; sed daretur à Deo justo remuneratore piarum, & bonarum actionum, & domino directo illarum: quare est dans pecuniam alteri, ut hic faciat opus bonum, acquirat meritum in compensationem pecuniæ, tale meritum non acquirit à recipiente pecuniam; cum illud à creatura præstari non possit; & quia dans nullam aliam habet utilitatem ex tali donatione resultantem, non diceretur simoniacus.

62 Pro casuum conscientie resolutione, infero primò, accipientem pecuniam pro opere bono faciendo, quod cadit sub præceptum, peccare contra justitiam obligantem ad restitutionem, pacto interveniente inter datorem, & accipientem. Ratio est, quia recipiens pecuniã pro opere, quod tenetur facere ex justitia, facit injuriam Deo creditori ex rigorosa justitia talis operis; nam Deo pluribus titulis debentur omnes actus boni præcepti; unde dum creatura in pretium illorum actuum reciperet pecuniam, jam læderet Jus Dei.

Infero secundò, tam dantem, quam recipientem committere simoniam, si pecunia daretur alteri cum pacto, quòd opus aliquod spirituale præstetur, intendendo principaliter opus illud in mercem pecuniæ, & pecuniam in pretium operis spiritualis. Ratio est, quia tunc interveniret pactum de emptione, & venditione operis spiritualis pro pretio temporali.

Infero tertio, recipientem pecuniam, ut fa-

ciat opus non præceptum, peccare quidem; quia constituit ultimum finem in creatura; sed non peccare contra justitiam obligantem ad restitutionem. Ratio est, quia opera bona non præcepta, Deo non debentur ex justitia; aliàs teneremur ex justitia carnes macerare, jejunare, orare &c., & hoc non faciendo, cum facere possumus, peccatum contra justitiam committeremus; quòd est falsum. Debentur ergo isti actus Deo ex gratitudine, charitate, & aliis virtutibus, pro quibus Deus remunerator est.

Infero tandem quartò, dantem pecuniam alteri, ut opus bonum faciat, non committere simoniam. Ratio est, quia pecunia non daretur in compensationem operis, nec illud opus cederet in utilitatem dantis, sed in solam recipientis utilitatem; solùmque liberaliter daretur, ut accipiens moveatur ad opus bonum, pro seipso faciendum.

63 PETES PRIMO. An sit simonia recipere, & dare pecuniam nolenti facere opus bonum, sive præceptum, sive non præceptum, nisi pecuniam pro tali opere recipiat?

Sensus hujus dubii est. Sit Titius, qui potens, tempore præcepto Quadragesimæ, jejunare, non vult jejunare, nisi ab altero pecuniã recipiat. Vel potens Sacramenta frequentare, non vult illa frequentare, nisi pecuniam recipiat. Sic loquendum est de quocunque opere bono faciendo. His positis exemplis.

Respondetur nunc ad quæsitum, dicendo, recipientem pecuniam, simoniam in his casibus committere. Ratio est, quia finis primarius illius operis spiritualis non esset Deus, ad quem, ut ad Dominum actionum humanarum, & quidem directum, ordinari debent omnia nostra opera, à quo mercedem, & præmium expectamus; sed finis primarius, à recipiente intentus, esset pretium illud temporale, pro quo juxta suam aviditatem opus illud faceret.

Quantum ad dantem pecuniam dico, quòd vel dans certò sciret, vel probabilitatem haberet, quòd recipiens vellet illam recipere in pretium operis boni, seu ut primario moveatur ab illa pecunia, ut opus bonum faciat; atque tunc dico, non posse dantem absque simonia pecuniam tradere. Ratio est, quia illam daret juxta simoniacam intentionem recipientis; & hoc modo esset virtualiter saltem emere sua pecunia actionem illam spiritualem; & simoniam realem in altero causaret. Ut si quis diceret Cajò, nisi mihi des decem, nolo cras, in quo die est vigilia omnium Sanctorum, jejunare. Vel dicat, nisi mihi des decem, nolo crastina die suscipere Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ: aut nolo orare. Si Cajus cognita prava intentione volentis pecuniam pro illo opere bono, pecuniam illam traderet, jam simoniam committeret, quia sua pecunia, & emeret opus illud, & causaret volitionem pretii ab illo exacti. Si verò nesciret, nec ullam habe-

haberet probabilitatem de prava recipientis intentione, & solum moveretur dans pecuniã ex motivo licito, & honesto, ut accipiens inducatur ad opus bonum faciendum, respiciendo solum Deum pro fine talis operis, ad quem ordinari debet; tunc tradens pecuniam non committeret simoniam. Ratio est, quia in tali casu, daret pecuniam titulo donationis gratuitæ, & liberalis, & ad bonum finem; ut dictum est in 3. parte quæstionis.

64 *PETESSECVNDO*. *An sit simonia dare, vel accipere pretium pro absolutione à peccatis.*

Respondetur dicendo, simoniam esse, tam ex parte dantis, quam ex parte recipientis, dare, vel accipere pretium pro absolutione à peccatis, præsertim si ex parte utriusque interveniat pactum; & pretium illud tradatur ex pacto, & non liberaliter à dante; & insuper, quando recipiens non recipit pecuniam per modum multæ, seu in pœnam commissi peccati. Ratio hujus est, quia tunc jam temporale daretur in pretium rei spiritualis; & sic à Confessario Sacramentum pœnitentiæ venderetur, & pœnitens pecunia illud emeret. Dixi, quando recipiens non recipit pecuniam per modum multæ; quia (ut multi Doctores advertunt) quando Confessarius dat in pœnam peccati commissi pœnitentiam, ut certa pecunia solvatur, applicanda tamen à Confessario ad piam causam, ut ad utilitatem Ecclesiæ, sustentationem pauperum &c. tunc absque simonia recipitur, & traditur pecunia illa: eo prorsus modo, quo pro Bulla Cruciatæ erogatur pretium pecuniarium ad bonum spirituale applicandum. Ratio quare non esset simonia in tali casu, est, quia pecunia illa, ut applicanda ad bonum spirituale, efficeretur, saltem æquivalenter, pretium spirituale.

Q V Æ S T I O S E P T I M A .

*An simonia sit adeo mala, ut neque per Dei potentiam licita fieri possit?*

**E**X prima quæstione hujus disputationis constat, simoniam esse peccatum gravius ceteris, cum directè militet contra virtutem Religionis, qua virtute soli Deo cultus exhibendus est; & quandoque per accidens saltem involvit malitiam injustitiæ, quo modo obligat simoniacum ad restitutionem pretii accepti pro re spirituali, vel spirituali annexa; & accipientem rem spiritualem in pretium rei temporalis obligat ad renunciandam rem illam spiritualem, vel spirituali annexam. Quare sit, quod in genere suo mala sit, sive sit jure divino, sive Ecclesiastico prohibita; id est sive sit prohibita, quia mala, sive sit mala, quia prohibita.

In præsentem pro hujus materiæ notitia

quærendum est, an simonia, sive sit jure divino, sive humano prohibita, sit adeo mala, ut neque Deus possit de sua potentia facere, ut licita efficiatur? Quamvis Doctores hanc materiam pertractantes, communiter soleant quæsitum efformare de sola simonia Juris divini prohibita, quia mala est; nos tamen extendimus quæsitum, etiam ad simoniam Jure humano prohibitam, quæ mala est, quia prohibita. Et de hac specie simoniæ non est sermo, præcisâ prohibitione, sed ut prohibitioni annexa; nam præcisâ prohibitione, nulli dubium est, quod quia poterat non prohiberi, poterat esse licita; ut patet de multis contractibus prohibitis tantum lege humana, sive civili, sive canonica, qui ante prohibitionem illiciti non erant: & nunc si ab illis, qui declarati sunt prohibiti per leges humanas, auferretur prohibitio, jam illiciti non essent; quia ex eorum natura mali non sunt. Unde pro quæstionis resolutione

*DICO*, simoniam, Jure divino prohibitam, esse adeo malam, ut neque per Dei potentiam possit licita fieri: Idem dicendum est de simonia Jure humano prohibita, sub reduplicatione prohibitionis, seu ut est prohibitioni annexa. Conclusio quod ad primam partem est communissima inter Doctores, & exagitur à Suario, Filliuc, Lessio, Mastro, & alijs. Quod ad secundam verò apud neminem legi, sed est deducta ex pluribus theologis quæstionibus, in quibus exponitur sensus compositus, & sensus divisus.

65 *Probatum prima pars: simonia, quæ est Jure divino prohibita, est intrinsecè mala; sed quod est intrinsecè malum, neque per Dei potentiam potest licitum fieri: Ergo simonia Jure divino prohibita, nec per Dei potentiam potest licita fieri. Probatum primò major: simonia, quæ est Jure divino prohibita, non est mala, quia prohibita, sed est prohibita; quia mala; sed quod est prohibitum, quia malum, est malum ab intrinsecò; Ergo simonia Jure divino prohibita est intrinsecè mala. Major patet; quia Deus, cum sit rectissimus, ac justissimus dominus in condendis præceptis Decalogi, ea, quæ erant intrinsecè mala, prohibuit; præsertim si versantur circa objectum disconveniens. Probatum minor: quod est prohibitum, quia malum, ablata prohibitione remanet malum; sed si ablata prohibitione remanet malum, sequitur, quod est malum ab intrinsecò; nam si prohibitio aliquid addit supra actum, hoc additum est solum ab extrinsecò; Ergo &c. Probatum nunc minor principalis: quod est intrinsecè malum, si posset per potentiam Dei licitum fieri, posset Deus per suam absolutam potentiam mutare rerum naturas, & hæc in suo intrinsecò esse remanere; sed hoc est falsum, aliàs Deus per suam absolutam potentiam posset simul verificare duas propositiones contradictorias: posset*

posset scilicet facere, simoniam esse licitam, & simul esse illicitam; licitam, quia redderet illam talem per suam potentiam absolutam; illicitam, quia cum remaneret in suo esse simoniae, esset illicita: Ergo &c. Probatur major: quoties faceret Deus per suam potentiam, simoniam, quae intrinsecè mala est, licitam, remanente simonia tali in suo esse naturali, jam natura simoniae mutaretur, remanente simonia: Ergo &c. Probatur antecedens: quando simonia fieret licita, mutaretur de suo esse naturali ad suum non esse naturale: Ergo in suppositione adhuc remanente simonia, hæc mutaretur in suum non esse; nã non esse simoniae est esse licitum: & esse simoniae est esse illicitum, seu malum; adeoque remanente esse illicito, & malo ab intrinsecò, mutaretur ad esse licitum; & sic verificaretur de simonia esse illicitum, & licitum; quod implicat.

Confirmatur hoc: vel Deus reddendo licitam simoniam, Jure divino prohibitam, destrueret simoniae naturam, vel relinqueret simoniam in suo esse naturali. Si destrueret simoniae naturam, jam simonia non redderetur licita: quod probatur, quia quoties destrueretur simonia, jam in tali suppositione non verificaretur de simonia, esse licitum, sed hoc esse licitum verificaretur de alio actu, qui esset à Deo productus loco simoniae: Ergo dum destrueret simoniae naturam, jam simonia non redderetur licita. Si verò dicatur secundum, quòd scilicet relinqueret simoniam in suo esse naturali, est implicatorium in terminis; quod sic ostendo: implicat in terminis, simoniam esse malam intrinsecè, & esse simul licitam; nam malum, & licitum nequeunt de eodem actu simul verificari; nedum in ordine ad se, quia sunt termini repugnantes, non minùs ac bonitas, & malitia; rationalitas, & irrationalitas &c. sed etiam in ordine ad objectum, à quo si actus malitiam desumit ex sua natura, nequit simul ab eodem bonitatem desumere: Ergo nequit Deus per suam potentiam facere simoniam licitam, & illam relinquere in suo esse naturali: Ergo &c.

66 Neque valet, si dicas, Deum in tali casu reddere simoniam licitam ex objecto, remanente ipsa simonia mala ab intrinsecò; quod non esset contradictio.

Non valet, inquam; tum quia quilibet actus in suo esse naturali nec est bonus, nec malus moraliter (ut dictum est in 2. sent. in disp. de moral. actu); sed est indifferens ad bonitatem, & malitiam: Ergo quoties actus aliquis est ab intrinsecò malus, est talis, quia ex natura sua versatur circa objectum disconveniens: Ergo quoties Deus facit, actum aliquem, qui natura sua versatur circa objectum disconveniens, versari circa objectum conveniens, à quo desumat bonitatem, toties vel destrueret naturam actus, vel faceret, eundem

actum esse simul intrinsecè malum, & bonum. Tum etiam quia: idem est, simoniam esse malam ab intrinsecò, ac esse malam, quia est contra dictamen rationis; sed est talis contra dictamen rationis, quia habet objectum disconveniens: Ergo est mala ab intrinsecò, quia habet objectum disconveniens: Ergo repugnat in terminis, quòd simonia sit mala ab intrinsecò, & quòd possit esse licita ex objecto; nam quoties volùtati proponeretur objectum conveniens, illudque prosequeretur, toties non actum simoniacum produceret, sed actum rectum: Ergo &c.

67 Probatur secundo: Deus per suam absolutam potentiam potest solùm facere, quòd actus, qui est prohibitus ex his, vel illis circumstantiis, non prohibeatur; & si est prohibitus, auferre prohibitionem, subtrahendo scilicet concursum præstitum in prohibitione actus; sed auferendo prohibitionem à simonia, adhuc remanet mala, & illicita: Ergo per suam potentiam absolutam non potest facere Deus, quòd simonia evadat licita. Probatur minor: Deus auferendo prohibitionem à simonia, adhuc simonia esset contra dictamen rationis: Ergo adhuc remaneret mala, & illicita. Probatur antecedens: ablata quacunque prohibitione, adhuc esset contra dictamen rationis æstimare rem spiritualemente pretio temporali, seu ponere æqualitatem inter rem temporalem, & spiritualemente; sed per simoniam (seclusa quacunque prohibitione) ponitur æqualitas inter rem temporalem, & spiritualemente, & hæc pretio temporali æstimatur: Ergo ablata quacunque prohibitione, simonia adhuc esset contra dictamen rationis.

Eò vel maxime, quia ex *Can. Sanè quisquis*, 15. qu. 3. simonia vocatur crimen læsæ Majestatis, hæc sunt verba Textus: *Ad instar publici criminis, & læsæ Majestatis, perpetua infamiae damnari decernimus*: Ergo signum est, quòd seclusa quacunque prohibitione, simonia prohibita Jure divino, adhuc est mala: Ergo nullo pacto licita fieri potest.

68 Probatur secunda pars: si simonia Jure humano prohibita posset in sensu composito prohibitionis fieri licita, sequeretur, quòd actus posset simul esse malus, & bonus; licitus, & illicitus; sed hoc non est dicendum: Ergo simonia Jure humano prohibita, in sensu composito prohibitionis, nequit licita fieri, nec per potentiam Dei absolutam. Probatur primò major: esset actus licitus, ut supponitur, quia licitus fieret: esset simul malus, quia in sensu composito prohibitionis desumit suam malitiam ab objecto disconveniente, pro ut factum est tale à prohibitione: Ergo esset simul malus, & bonus; licitus, & illicitus. Probatur secunda pars antecedentis: stante sensu composito prohibitionis, actus adhuc est prohibitus; sed est malus, quia prohibitus: Ergo stante sensu composito prohibitionis, est malus. Probatur

nunc

nunc minor principalis : si actus posset simul esse malus, & bonus; licitus, & illicitus, posset idem formalissimè objectum influere in eundem actum bonitatem, & malitiam; & insuper esse objectum convenientiæ, & disconvenientiæ; sed repugnat, idem objectum posse influere malitiam, & bonitatem; & esse simul convenientiæ, & disconvenientiæ objectum: Ergo &c. Eò vel maximè, quia dum Deus simoniã illam stantem sub actuali prohibitione, faceret de sua potentia licitam, constitueret rem annexam spirituali in eadem æstimatione, ac est res temporalis; sed stante sensu composito prohibitionis res annexa spirituali non est in eadem æstimatione, ac res temporalis: Ergo stante sensu composito prohibitionis, nequit simonia Jure humano prohibita, licita fieri.

Tandem, stante sensu composito prohibitionis, Deus simul influeret concursu suo naturali, & universali in prohibitionem actus, & concursu speciali in non prohibitionem, sed in reductiorem actus; sed implicat, Deum simul influere in prohibitionem actus, & in non prohibitionem, sed in reductiorem ejus: aliàs simul Deus causaret contradictoria, ut probatum est supra: Ergo &c.

*Solvuntur Objectiones.*

69 **O** Bicies primò contra primam partem, In tantum simonia Jure divino prohibita non posset licita fieri per potentiam Dei absolutam, in quantum est intrinsicè mala, præscindendo à prohibitione eadente sub divina potestate; sed hæc ratio non probat: Ergo potest licita fieri. Probatur minor: si Deus faceret, ut objectum, quod nunc est disconveniens, evadat objectum conveniens, tunc faceret, simoniam, quæ nunc est intrinsicè mala, esse licitam; sed potest Deus de sua absoluta potentia facere, ut objectum, quod nunc est disconveniens, evadat objectum conveniens: Ergo &c. Probatur primò major: simonia est intrinsicè mala, quia est circa objectum disconveniens, & contra rectam rationem: Ergo quoties Deus faceret, ut objectum, quod nunc est disconveniens, evadat conveniens, tunc faceret simoniam, quæ nunc est mala, licitam esse. Probatur secundò illa minor: Deus potest facere, quòd res spiritualis, quæ nunc magis æstimanda est, quàm pretium temporale, æquè æstimetur, ac temporale pretium; sed tunc res spiritualis esset objectum conveniens simoniæ: Ergo &c. Probatur major: nam in alio ordine hoc absque ulla implicantiâ Deo non repugnat; cum sit dominus, nedum res producendi, sed etiam æstimationem, & æqualitatè poni in illis: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dist. minorem: sed potest Deus facere &c. remanente objecto sub sua ratione

formali disconvenientiæ, nego minorem: non remanente objecto sub sua ratione formali disconvenientiæ, concedo minorem, & nego consequentiam. Ad cujus probationem dist. majorem; & remaneret res spiritualis in suo ordine superiori ad rem temporalem, nego majorem; & non remaneret in suo ordine superiori, concedo majorem, & eodem modo distincta minori, nego consequentiam. Dico igitur, quòd cum Deus faceret, rem spiritualem, & supernaturalem, ut sunt Sacramenta &c. esse objectum conveniens simoniæ, & æquè æstimari, ac pretium temporale, tunc destrueret conceptum formalem spiritualitatis, & supernaturalitatis rei, ratione cujus nunc res spiritualis non est comparanda pretio temporali. In quo casu nec etiam simonia retineret suam rationem formalem actus simoniaci, sed aliam indueret formalem rationem. Unde quoties simonia remanere debet in suo formali conceptu simoniæ, toties ei concedendum est objectum disconveniens, quod secundum rectam rationem magis æstimandum est, quàm pretium temporale. At in casu, quo objectum disconveniens remaneret, simonia non posset fieri licita; quia actus licitus est circa objectum conveniens. Vel si destrueretur conceptus formalis objecti disconvenientis, etiam destrueretur conceptus formalis simoniæ; adeoq; &c.

Dices: in casu, quo Deus faceret, quòd res spiritualis, & supernaturalis tanti valeat, quanti res temporalis; tunc actus ille simoniacus, qui nunc est illicitus, pro ut res spiritualis non ponit æqualitatem cum pretio temporali, fieret licitus; sed Deus potest facere hoc, constituendo scilicet æqualitatem inter rem spiritualem supernaturalem, & rem temporalem: Ergo potest facere actum simoniacum licitum: Ergo &c.

Respondetur dist. assumptum majoris: & actus ille remaneret simoniacus formaliter, nego majorem; & non remaneret formaliter simoniacus, concedo majorem, & transacta minori, nego consequentiam. In suppositione nanque, quòd Deus faceret, rem spiritualem, ac supernaturalem tanti valere, quanti res temporalis, destrueret formalem conceptum simoniæ, qui consistit in venditione, & emptione rei spiritualis pretio temporali, cum inæqualitate inter pretium, & rem, pro qua pretium solvitur. Et insuper, dum talem Deus poneret æqualitatem inter rem spiritualem, supernaturalem, & rem temporalem, destrueret etiam conceptum spiritualitatis, & supernaturalitatis rei, qui est ex natura sua in ordine superiori. (Et per hoc dixi transeat minor, cum absolutè in hoc sensu neganda esset).

Dices; in tali suppositione remaneret conceptus spiritualitatis, & supernaturalitatis, quantum ad esse, licet esset variatus, quantum ad extrinsecam æstimationem; & insuper actus simoniacus esset variatus, quantum ad esse  
mora-

morale, & formale actus, non quantum ad esse in materiale: Ergo in tali suppositione, & remaneret conceptus spiritualitatis in re spirituali, & conceptus simoniæ in actu simoniaco.

Respondetur dicendo, assumptum esse potius pro nobis, Nam est Deus, invariata natura rei spiritualis, posset facere, quod secundum extrinsecam æstimationem tanti valeat res spiritualis, quanti valet res temporalis; tamen variato esse formali, & morali actus simoniaci, variaretur ipsa simonia; nam simonia, cum sit malitia actus, & non materiale, actus, variato formali, & morali esse simoniæ, variaretur formaliter ipsa simonia, quod est nostrum intentum: & idem in tali suppositione esset dicere, remanere simoniam pro materiali, ac dicere, quod ille actus pro materiali, qui nunc subest malitiæ formali simoniæ, poterat tali malitiæ non subesse; non autem est sensus, quod poterit ipsa simonia non subesse tali malitiæ; quia illa malitia, posita disconveniētia objecti, intrinseca, & naturalis est actui, & non extrinseca. Neque est verum, Deum posse facere, rem spiritualem æquivalere rei temporali; quia res spiritualis ex natura sua est in ordine superiori. Vel concessio, quod posset hoc Deus facere, saltem conceptum formalem simoniæ destrueret; quod nos prætendimus.

70 Obijcies secundò contra secundam partem: In sensu composito prohibitionis, prohibitio est purè extrinseca actui simoniaco: Ergo in sensu composito prohibitionis, simonia Jure humano prohibita, potest licita fieri. Probat consequentia: cum extrinseco ponente malitiam actus, potest simul stare bonitas actus: Ergo in sensu composito prohibitionis, simonia Jure humano prohibita, potest licita fieri. Probat antecedens: non repugnat actus, qui ex aliqua circumstantia sit bonus, & ex prohibitione sit malus: Ergo &c. Probat antecedens: si res annexa spirituali per potentiam Dei fieret æquivalens pretio temporali, tunc actus emptionis, & venditionis illius rei esset bonus, & licitus; & si Jure humano talis contractus prohiberetur, esset illicitus: Ergo dum simul contractus ille staret cum circumstantia reddente actum licitum, & prohibitionem reddente actum illicitum, staret simul actus licitus, & illicitus: Ergo &c.

Respondetur concessio antecedente, negando consequentiam, & antecedens probationis, cum antecedente alterius probationis. Et ad ultimum dico, quod data illa hypothese, quod Deus faceret rem spiritualement, aut spirituali annexam, esse rei temporali æquivalentem, tunc est omninò falsum, contractum circa talem rem spiritualement, vel spirituali annexam, esse licitum in sensu composito prohibitionis; nam cum prohibitio illa habeat reddere contractum illicitum, & malum pro ut contractus ille subest prohibitioni, ex nullo capite fieri potest licitus. Solum ergo esset talis, ut

præcisus, & divisus à prohibitione. Quod patet in omni actu voluntatis, qui pro ut divino decreto subest, in sensu composito ejusdem decreti, nequit aliter esse, ac est sub decreto. Damnatus nãque in sensu composito damnationis jam decretæ, nequit salvari; sed tantum potest salvari in sensu diviso à decreto: & beatus in sensu composito beatitudinis nequit peccare, bene tamen in sensu diviso à beatitudine. Sic in proposito, simonia Jure humano prohibita in sensu composito prohibitionis nequit licita fieri, bene verò in sensu diviso à prohibitione: & hoc ideo valet in sensu diviso, quia talis simonia Jure humano prohibita, est tantum mala, quia prohibita.

71 Pro casuum consuetudinis resolutione duo infero. Primum, simoniam Jure divino prohibitam, nec per Dei potentiam posse licitam fieri. Ratio est, quia cum sit mala intrinseca, & à recta ratione aliena, nequit sine sui intrinseca, & naturali mutatione non esse mala: adeoque licitè fieri non potest.

Secundum, simoniam Jure humano prohibitam in sensu composito cum prohibitionem, non posse licitam fieri, bene verò in sensu diviso. Ratio primi est, quia in sensu composito cum prohibitionem est contractus circa rerum inæqualitatem; & in tali sensu idem actus nequit esse simul malus, quia prohibitus, & licitus à causa extrinseca. Ratio secundi est, quia ablata prohibitionem, qua simonia illa facta est illicita, evaderet licita.

## QVÆSTIO OCTAVA.

*An, qui pecuniam dat alicui, ut omit-  
tat actus spirituales, simoniam  
committat?*

**C**irca omissionem liberam plura dixi in meis manuscriptis, tum in tractatu de anima, tum in secundo sententiarum disput. de peccatis. In quibus locis determinavi cum universa Scotistarum Schola, non repugnare omissionem liberam actus voluntatis, nedum non præcepti, verum etiam præcepti: ut est ommissio sacri in die festi, recitationis officii &c. quæ præcepta sunt: omissiones recreationis, ludi &c. quæ præcepta non sunt. In præsentem ergo materia à quibusdam Doctoribus movetur hoc dubium, de quo sua methodo pertractat noster Pater Felix à Panormo capite de simonia nu. 1234. & per alios duos subsequentes.

In qua re, suppono, aliam esse omissionem actus Jurisdictionis, & aliam esse omissionem actus non Jurisdictionis. Prima evenit, quando voluntas omittit actus ordinis, vel Jurisdictionis spiritualis; ut si Sacerdos, postquam audierit Titii confessionem, omitteret absolu-  
tionem,

tionem ; ratione exceptæ pecuniæ ab alio eadem Sacerdoti traditæ ; quia omiffio illa abfolutionis est omiffio actus fpiritualis, & iurisdictionis. Secunda evenit, quando voluntas omittit actus fuos circa ea, quæ non fpectant ad fpiritualem iurisdictionem : ut fi omitteret celebrationem Miffæ, recitationem officii, actû baptizatiõnis &c. hujufmodi omiffiones non funt circa actus iurisdictionis, fed circa actus exercitiî libertatis. Omiffio tandem actus non iurisdictionis, vel effe potefl circa actum fpiritualem, vel circa actum purè temporalem; nam omiffio audiendi Sacrum, vel celebrandi, baptizandi &c. effe omiffio actus fpiritualis; omiffio verò iter agendi, ftudendi, comedendi &c. effe omiffio actus temporalis. Quod verò quæritur in præfenti effe, an dare pecuniam alicui Sacerdoti, ut omittat actus fpirituales, tum iurisdictionis, tum non iurisdictionis, fit fimonia. De omiffione actus purè temporalis non potefl effe fermo, cum nullus appareat locus dubitandi; quia tunc temporale effet pretium rei temporalis, quo modo fimonia effe non poterit. Ut fi Ego dicerem alicui Sacerdoti, omitte comeflionem, ad quam paratus es, & Tibi dabo unum carolenum; tunc venditio illa comeflionis facta à Sacerdote, non effet fimoniaca; ficut neque fimoniaca effe emptio illius omiffionis; quia talis omiffio effe pretio æftimabilis, & effe actus purè temporalis. Unde pro dubii refolutione

*DICO*, dare pecuniam Sacerdoti, ut omittat actus fpirituales iurisdictionis, effe fimoniã; fecùs verò fi pecunia detur pro omiffione actus fpiritualis non iurisdictionis. Conclufio hæc tenetur à Pirhing. Melphi, Felice, & aliis, quò ad utrâq; partē. Et deducitur ex Scoto l. c.

72 Probatur prima pars: fimonia committitur, dum traditur res temporalis in pretium rei fpiritualis, vel fpiritali annexæ; fed dare pecuniam Sacerdoti, ut omittat actus fpiritualis iurisdictionis, effe tradere rem temporalem in pretium rei annexæ fpiritali: Ergo effe fimonia dare pecuniam Sacerdoti, ut omittat actum fpiritualem iurisdictionis. Probatur minor: dare pecuniam Sacerdoti, ut omittat actum iurisdictionis, effe emere omiffionem actus iurisdictionis; & Sacerdos pro tali omiffione, recipiendo pecuniam, venderet omiffionem actus iurisdictionis; fed emere, & vendere omiffionem actus iurisdictionis, effe dare, & recipere pretium temporale pro re annexa fpiritali: Ergo &c. Probatur minor: omiffio actus fpiritualis iurisdictionis effe fpiritualis, orta à poteflate Sacerdotis obligati ad actum illum gratis exercendum: Ergo quoties pro omiffione talis actus Sacerdos pecuniam reciperet, toties venderet fpiritualem iurisdictionem pretio temporali. Probatur antecedens: omiffio actus fpiritualis iurisdictionis effe omiffio actus cadentis fub poteflatem iurisdictionis: Ergo ficuti fpiritualis

effe ipfa iurisdictionis, ita fpiritualis effe debet omiffio actus iurisdictionis.

Hoc tum maxime urget, quando omiffio venit ab actu positivo voluntatis: ut V. G. volo omittere abfolutionem poft auditam confessionem Titii, fi quis fcutum aureum dederit, vel volo omittere confecrationem in actu celebrationis, vel volo omittere formam baptifmi in actu baptizatiõnis, fi quis mihi pecuniam dederit. Quis ergo non cognofcit hujufmodi omiffiones actuum iurisdictionis, effe fimpliciter fpirituales; quia positive voluntas movetur ad omittendos actus, dum Sacerdos iurisdictionem exercet? Ergo dicendum effe omiffionem, actus iurisdictionis effe fpiritualem: Ergo quoties ad omittendum tales actus Sacerdos pecuniam reciperet, toties fimoniam committeret.

Confirmatur hoc: omiffio actus iurisdictionis fequitur ad exercitiû actus iurisdictionis; vel faltem fit in ipfo iurisdictionis exercitiû: ut omittere formam baptifmi, quæ fit in actuali exercitiû baptizandi: vel omittere abfolutionem à peccatis, quæ fit in actuali exercitiû audiendi confessionem; fed hoc modo omiffio illa effe fpiritualis, vel faltem effe annexa actui fpiritali, quæ effe abfolutio illa omiffa, vel forma baptizandi omiffa: Ergo quoties omiffio illa fieret in pretium rei temporalis, committeretur fimonia, tam fcilicet ex parte recipientis, quàm ex parte dantis: Ergo &c.

Confirmatur infuper: vendere actum baptizatiõnis, pro ut effe Sacramentum, effe fimonia; quia acciperetur pretium temporale pro re fpiritali: Ergo vendere omiffionem formæ Sacramentalis baptifmi, effe fimonia. Probatur confequentia: in tantum in primo cafu effe fimonia, in quantum actus baptizatiõnis ( loquendo de folenni ) effe actus iurisdictionis fpiritualis; fed omiffio formæ baptifmi, quæ fit in actuali exercitiû baptizandi, effe actus iurisdictionis: Ergo fi vendere actum baptizatiõnis pro ut effe Sacramentum, dicitur fimonia, etiam vendere omiffionem formæ Sacramentalis baptifmi, effe fimonia. Probatur minor: omittere formam baptifmi in actuali exercitiû baptizandi, effe idem, ac non tradere formam constituentem Sacramentum, dum Sacerdos fuam exercet iurisdictionem; fed non tradere formam Sacramentalem, dum Sacerdos fuam exercet iurisdictionem, effe actus iurisdictionis: Ergo &c.

73 Probatur fecunda pars: dare pecuniam Sacerdoti, ut non celebret, non audiat confefiones, non baptizet &c. non effe emere fpirituale pretio temporali; fed non committitur fimonia, quando non emitur, nec venditur fpirituale pretio temporali: Ergo dare pecuniam, vel illam recipere, ut Sacerdos omittat actum fpiritualem non iurisdictionis, ut funt non celebrare, non audire confefiones &c. non effe fimonia. Probatur major: hujufmodi

B b b

omiffio-



omissiones, non sunt actus simpliciter spirituales, sed sunt exercitium libertatis circa suspensionem actus spiritualis; sed dare, vel recipere pecuniam pro exercitio libertatis circa suspensionem actus spiritualis, non est emere, vel vendere spirituale pretio temporali: Ergo &c. Probatur primò major: hujusmodi omissiones, non sunt actus jurisdictionis; cum non spectet ad Sacerdotalem jurisdictionem non celebrare, non audire confessionem &c. sed ad hanc jurisdictionem spectant actus positivi celebrandi, audiendi confessiones, baptizandi &c. sed dum excluduntur ab actu jurisdictionis, non sunt actus simpliciter spirituales, sed potius suspensiones actus spiritualis, & simpliciter naturales: Ergo tantum sunt exercitium libertatis voluntatis omittentis. Probatur nunc secundò minor: dare, vel recipere pecuniam pro exercitio libertatis, est emere, vel vendere temporale, quod est pretio æstimabile: Ergo &c.

Confirmatur, quia emere, vel vendere exercitium libertatis circa actus spirituales, est emere, & vendere aliquod pretio æstimabile; non minùs, ac si venderetur, & emeretur exercitium libertatis circa actus purè naturales, ut comedere, ambulare, &c. sed si quis pecuniam daret, ut omittatur actus comedendi, ambulandi &c. non committeret simoniam; quia emeret, & venderet actum naturalem voluntatis: Ergo neque simoniam committeret, qui emeret, vel venderet exercitiū libertatis circa actus spirituales. Probatur assumptū; quia sicut exercitiū libertatis omittendi actus comedendi, deambulandi &c. non est ipse actus comedendi; ita neque est actus celebrandi, baptizandi &c. omisso istorum actuum; nam omisso actus non est ipse actus; sed est actus suspensio: Ergo &c. Paritas adducta fiat in hoc, quòd exercitium libertatis circa actus spirituales non jurisdictionis, est actus naturalis voluntatis, & non spiritualis, sicut est naturale ipsi voluntati quemcumque actum omittit. Ex quibus concludo, quòd quando pro omissione actus non jurisdictionis, Sacerdos pecuniam acciperet, non committeretur simonia, sed hæc tantum committitur pro omissione actus jurisdictionis.

### *Solvuntur Objectiones.*

74 **O**bjicies primò contra primam partem. In tantum esset simonia recipere, & dare pecuniam pro omissione actus spiritualis jurisdictionis, in quantum omisso ipsa esset actus jurisdictionis; sed hoc est falsum: Ergo non est simonia dare, & accipere pecuniam pro omissione actus spiritualis jurisdictionis. Probatur minor: omisso actus jurisdictionis est suspensio actus jurisdictionis; sed suspensio actus jurisdictionis non

est actus jurisdictionis: Ergo omisso non est actus jurisdictionis. Probatur major: omittere actum absolvendi non est actus absolutionis: omittere formam baptizandi, non est actus formæ baptismi, quæ absolutio, & forma baptismi sunt actus jurisdictionales: Ergo est tantum suspensio actus jurisdictionis.

Deinde: dum quis alterius audit confessionem, & pro pecunia suspendit, vel omittit absolutionem; tunc pecuniam recipit in pretium exercitii libertatis voluntatis ipsius audientis confessionem; sed dum recipit pecuniam in pretium exercitii libertatis voluntatis, non committit simoniam: Ergo dum pecuniam recipit, omittendo actum jurisdictionis, non committit simoniam. Patet minor ex secunda parte conclusionis. Probatur major: non est actus jurisdictionis, non absolvere, sed est actus jurisdictionis, absolvere à peccatis: Ergo omisso absolutionis est tantum exercitium libertatis: & dū datur, vel recipitur pecunia pro omissione absolutionis, datur, vel recipitur in pretium exercitii libertatis; ac per consequens talis omisso non est simoniaca.

Respondetur ad primum negando minorem, ad cujus probationem dicitur majorem: est suspensio actus jurisdictionis sequentis ad exercitium jurisdictionis, concedo majorem: est suspensio actus jurisdictionis, utcumque, nego majorem, & in secundo sensu concessa minori, negata in primo, nego consequentiã. Dico igitur, & simul noto pro intelligentiã, & claritate difficultatis, duplicem actum assignari posse jurisdictionis in Sacerdote: unum, qui est actus exercitii jurisdictionis; & alium, qui est actus sequens ad exercitium jurisdictionis. Uterque actus censendus est actus jurisdictionis, quia provenit à Sacerdote potestatem habente ad tales actus exercendos. Patet in casu posito audiendi confessionem: Sacerdos, audiendo confessionem, exercet actum jurisdictionis, & hic actus est actus primus jurisdictionis: dum absolvit à peccatis facit secundum jurisdictionis actum, qui sequitur ex exercitio jurisdictionis audiendi confessionem. Hoc notato, dico ad argumentum, quòd dum Sacerdos omittit absolutionem, suspendit secundum actum jurisdictionis, non omnem actum jurisdictionis; cum ipsa omisso accidat in exercitio jurisdictionis; ac per consequens sit actus jurisdictionis. Et quamvis omittere actum absolvendi non sit absolutionis actus; nec omisso formæ baptismi sit ipse actus formæ baptismi, tamen est actus exercitii jurisdictionis; cum omisso accidat in ipsa auditione confessionis. Quare si Sacerdos venderet ipsam omissionem actus subsequentis jurisdictionis, jam venderet pretio temporali rem spirituales jurisdictionis; quod fieri nequit absque simonia.

Dices: quando Sacerdos vendit absolutionem, simoniacè vendit actum absolutionis: Ergo

Ergo quando vendit omissionem absolutionis, non vendit actum jurisdictionis. Probatur consequentia: quando actus positivus est actus jurisdictionis omnino invendibilis, omisso talis actus non est jurisdictionis, sed omisso jurisdictionis; ac per consequens vendibilis, & pretio æstimabilis; sed actus positivus absolutionis est actus jurisdictionis, & invendibilis: Ergo omisso absolutionis non est actus jurisdictionis, nec invendibilis. Probatur major à pari: quia audire confessionem, baptizare &c. sunt actus positivi jurisdictionis, omisso audiendi confessionem, baptizandi &c. non est actus jurisdictionis: Ergo absolute, quando actus, qui omittitur est actus jurisdictionis, omisso talis actus non est actus jurisdictionis.

Responderetur negando consequentiam, ad cujus probationem dist. majorem: omisso talis actus non est jurisdictionis, si est omisso primi actus, quo scilicet exercetur jurisdictionis, concedo majorem: si est omisso actus sequentis ad exercitium jurisdictionis, nego majorem, & concessa minori, nego consequentiam, cum paritate probationis. Ex doctrina supra relata in responsione ad principale, constat, quòd quando omisso est circa primum actum jurisdictionis, quo scilicet exerceri potest jurisdictionis; tunc talis omisso non est actus jurisdictionis, sed potius est suspensio actus jurisdictionis; ut patet de omissione celebrandi, audiendi confessionem, baptizandi &c. quæ omisso est circa primos actus jurisdictionis; & hoc modo sumpta, nequit esse actus jurisdictionis, sed suspensio actus jurisdictionis; nam non celebrare, non baptizare, non audire confessionem, quæ omnia sunt omissiones actus, non spectant ad jurisdictionem Sacerdotis, sed tantum ad exercitium naturale suæ libertatis. Ceterum quando omisso actus jurisdictionis supponit primum actum, quo jurisdictionis exercetur, cum sit omisso subsequenti actus jurisdictionis, secum ferens effectum spirituales, iccirco talis omisso est actus jurisdictionis omnino invendibilis. Et per hoc patet disparitas de omissione audiendi confessionem, baptizandi &c. & de omissione absolventi post auditam confessionem, vel de omissione formæ baptizandi in exercitio ipso baptizandi.

Dices: nequit assignari ratio, cur prima omisso, scilicet non audiendi confessionem, &c. non sit actus jurisdictionis; & omisso absolventi sit actus jurisdictionis: Ergo nulla responsio. Probatur assumptum antecedentis; nam dicere, quòd una sit omisso primi actus, quo exercetur jurisdictionis; & altera sit omisso secundi actus, est fugere argumentum, quo convincitur, neutram esse actum jurisdictionis: Ergo &c.

Responderetur negando assumptum, & dico, rationem illam assignatam disparitatis esse, ne-

dum adæquatam, sed etiam validissimam; nam omisso primi actus, quo exercenda est jurisdictionis, esset suspensio totius jurisdictionis, & suspensio jurisdictionis non est actus jurisdictionis: & idem esset dicere omittere celebrationem Missæ, omittere actum baptismationis &c. ac dicere volo non baptizare, volo non celebrare &c. ( si omisso stat cum actu positivo ); vel idem est, ac non celebrare, non baptizare &c. at non celebrare, non baptizare &c. non sunt actus jurisdictionis, sed suspensiones, vel negationes jurisdictionis; & ideo omissiones primorum actuum, quibus exercenda est jurisdictionis, non sunt actus jurisdictionis. Ceterum omittere absolutionem, post auditam confessionem; omittere consecrationem post incæptum sacrificium; & omittere formam baptismi, post incæptum baptismum sunt omissiones spectantes ad ipsam jurisdictionem; cum directè proveniant à potestate ordinis, & jurisdictionis Sacerdotis. Ratio potissima est, quia ligare, & non ligare, absolvere, & non absolvere: proferre, & non proferre verba consecrationis, vel formam baptismi &c. spectat utrumque ad potestatem jurisdictionis, tam scilicet ponere actum, quàm non ponere. At audire, & non audire confessionem &c. utrumque non spectat ad jurisdictionem, sed solum ad hanc spectat audire confessionem &c. Quapropter si omisso absolutionis &c. quæ est actus jurisdictionis, venderetur pretio temporali, jam huiusmodi venditio esset simoniaca.

75 Responderetur ad secundum negando majorem, & antecedens probationis. Unde dico, quòd tam absolvere, quàm non absolvere à peccatis, post auditam confessionem, est actus jurisdictionis, ut dictum est in superiori responsione. Quia posito exercitio jurisdictionis, in voluntate, in suis naturalibus posita, stat absolvere, vel non absolvere, qui sunt actus sequentes ipsam jurisdictionem jam exercitam. Et per hoc patet, quòd non absolvere, non sit exercitium naturale libertatis; nec pecunia pro tali omissione absolutionis, daretur in pretium exercitii naturalis libertatis, sed verè daretur in pretium ipsius actus jurisdictionis; adeoque &c.

76 Obijcies secundo contra secundam partem: dare, vel accipere temporale in pretium rei spiritualis, vel spirituali annexæ est simonia; sed si quis daret, vel acciperet pecuniam in pretium omissionis actus spiritualis, non jurisdictionis, jam acciperet temporale in pretium rei spiritualis, vel saltem annexæ spirituali: Ergo committeret simoniam. Probatur minor: omisso actus spiritualis, est non jurisdictionis, est quid spirituale, vel saltem spirituali annexum: Ergo dum quis daret, vel acciperet pecuniam in pretium talis omissionis, acciperet temporale in pretium rei spiritualis. Probatur antecedens: omittere officium,

cium, ad quod recitandum quis tenetur; omittere missam; omittere auditionem confessionis &c. sunt omissiones actuum spiritualium; sed hujusmodi omissiones sunt spirituales; quia sunt actuum spiritualium suspensiones, vel saltem sunt his actibus spiritualibus annexæ: Ergo &c.

Deinde: in tantum in casu non committeretur simonia, quia emeretur, & venderetur solum libertatis exercitium; sed hæc ratio non probat: Ergo in casu committitur simonia. Probatur minor: hoc exercitium libertatis in omittendo actum spirituale, quia est circa actus spirituales, est spirituale: quod patet de libertatis exercitio in omittenda absolutioe post auditam confessionem: Ergo &c.

Respondetur ad primum negando minorem, ad cujus probationem dist. antecedens est quid spirituale, simpliciter, nego antecedens: secundum quid, & connotativè tantum, concedo antecedens, & nego consequentiam, & eodem modo distincta minori probationis, nego consequentiam ultimam in sensu ejusdem distinctionis. Dico igitur, omittere officium, sacrificium, auditionem confessionis, actum baptismationis &c. non esse actus simpliciter, & ex eorum natura spirituales; cum sint omissiones naturaliter pervenientes ab exercitio libero voluntatis; aliàs in omni casu similis omissionis, quis accipiendo pretium, pro omittendo, peccaret peccato simoniæ: & sic si quis promitteret, vel daret Cajo decem, ut omittat hodie auditionem sacri, quæ auditio sacri in die festo est præcepta, jam Caju accipiendo, & alter dando, essent simoniaci; quod est falsum. Solum igitur prædictæ omissiones sunt spirituales secundum quid, & connotativè, quatenus connotant actus spirituales omisos, & suspensos, qui à voluntate exercentur, nisi voluntas moveretur ad illos suspendendos, & omittendos. Ex qua doctrina deduco, omissiones illas non esse simoniacas. Et quamvis sint omissiones actuum spiritualium, non per hoc censendæ sunt simpliciter spirituales, nec spiritualibus annexæ; quia ab illis actibus spiritualibus nullam intrinsicam denominationem desumere possunt, sed solum desumunt extrinsecam connotationem.

77 Respondetur ad secundum negando minorem, & antecedens probationis. Exercitium itaque libertatis in omittendis illis actibus, scilicet auditione confessionis, actu baptismationis &c. est exercitium purè naturale voluntatis. quo voluntas ipsa naturaliter suam exercet libertatem, sive ad actus producendos, sive ad illos omittendos, & suspendendos. Per quod patet disparitas de omissione absolutioe, post auditam confessionem, cum hæc omissio non sit purum libertatis exercitium, sed actus jurisdictionis, ut dictum est supra; cum ad jurisdictionem Sacerdotis spectet, nendum absolvere, audita confessione, sed etiam

non absolvere; quia est potestas ligandi, & solvendi.

78 Pro casuum conscientie resolutione, infero primo, simoniam committere, tam dantem, quam recipientem pecuniam pro omissione actus spiritualis jurisdictionis. Ratio est, quia tunc venderetur, & emeretur spirituale pretio temporalis; nam omissio illa actus jurisdictionis, ut esset non absolvere, post auditam confessionem, est actus etiam jurisdictionis, non minus, ac ipsa absolutio.

Infero secundò, non esse simoniam dare, & accipere temporale pro omissione actus spiritualis non jurisdictionis. Ratio est, quia talis omissio est naturale exercitium voluntatis; & quamvis sit omissio actus spiritualis, ipsa non est actus spiritualis, nisi tantum secundum quid, & connotativè.

## QVÆSTIO NONA.

*An, si sub ficta paupertate Monasterii, recipiatur aliqua puella, ut fiat monialis, eam obligando ad solvendam pecuniam, committatur simonia?*

Quamplures Theologi de hac re pertractant, ad removendos avaritiæ actus, qui non raro exercentur à monialibus, ab ipsarum Procuratoribus, & ab habentibus Jus Patronatus Monasteriorum; cum multoties, imò ut plurimum, multa Monasteria ex quantitate reddituum, tum pro sustentandis ipsis monialibus, tum pro ædificiis Monasteriorum, & Ecclesiarum, sint ita divites, ut invicium avaritiæ reduceretur petere, & accipere pecuniam, titulo dotis, à puella in Monasterium ingressura, ut fiat monialis. (Dixi, ut fiat monialis), quia si ingrederetur puella in Monasterium, ut ibi sanctè, honestèque educaretur; tunc pro ejusdem sustentatione possent moniales petere, & recipere pecuniam ad talem finem; quia nemo de propriis tenetur alterum sustentare, alere &c. nisi hic sit pauper; & præsertim si est in extrema constitutus necessitate.

79 Quod autem controversitur in præsentem est, an si sub ficta paupertate Monasterii recipiatur aliqua puella, ut fiat monialis, eam obligando ad solvendam pecuniam, committatur simonia? In qua re, sensus quæstionis potest esse de acceptione pecuniæ, vel pro ingressu ipso in Monasterium, ut puella fiat monialis, vel titulo sustentationis ejusdem in Monasterio. Ubi hic titulus potest esse verus, & realis, & esse potest fictus; scilicet, vel quòd Monasterium realiter indigeat pecunia ad

ad sustentandam puellam , vel quòd realiter non indigeat. His notatis, pro quæstionis resolutione

*DICO*, simoniam committi, quoties pro ingressu puellæ in Monasterium, pecunia detur, & accipiatur. Ac etiam, si titulo fictæ paupertatis, pecunia recipiatur pro puellæ sustentatione, simoniam committi. Conclusio quòd ad primam partem communissima est inter Theologos, & Canonistas; quòd ad secundam verò partem colligitur ex Doctore nostro in 4. dist. 15. q. 2. quem sequuntur Abellius, Mastrius, & alii contra quamplures Doctores.

80. Probatur prima pars: quando pro actione aliqua spirituali accipitur pecunia tanquam pretium ipsius, committitur simonia; sed si pecunia accipiatur, & detur pro ingressu puellæ ad Monasterium, acciperetur, & daretur ipsa pecunia in pretium rei spiritualis: Ergo committeretur simonia. Major est certa. Probatur minor: ingressus puellæ in Monasterium est actio spiritualis, à Spiritu Sancto proveniens, quando scilicet ipsa liberè, & interius mota, & excitata vult ingressum illum (ut hic supponimus: ) Ergo quoties pro tali ingressu ad Manasterium pecunia recipiatur, & detur, toties illa daretur, & acciperetur in pretium rei spiritualis. Probatur antecedens: ingressus à Spiritu Sancto proveniens tendit directè ad finem supernaturalem; sed omnis actio à Spiritu Sancto proveniens, & ad finem supernaturalem tendens est actio spiritualis: Ergo &c. Probatur minor; quia illa actio proveniens à Spiritu Sancto, est facta liberè à voluntate adjuta, mota, & excitata ab auxilio divinæ gratiæ; sed est spiritualis, & quidem supernaturalis omnis actio, ad quam producendam voluntas concurrat ut mota, adjuta, & excitata à divina gratia: Ergo &c.

Èò vel maximè, quia quodlibet opus bonum supernaturale à voluntate productum, non est ab ipsa productum, pro ut consideratur in puris naturalibus, sed est productum cum influxu auxilii divinæ gratiæ: quod patet de amore Dei super omnia &c. sed opus illud ingrediendi in Monasterium, non est productum à sola puella relicta in pueris naturalibus, sed ab ipsa, pro ut est adjuta, mota, & excitata à Spiritu Sancti gratia: Ergo talis ingressus est opus supernaturale. Sed opus supernaturale, nec vendi, nec commutari potest pretio temporali: Ergo &c.

Confirmatur primò, ex cap. *non satis de simonia*, ubi habetur: *Prohibemus igitur, ne ab iis, qui ad Religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur.* Et infra: *Unde quisquis contra hoc decretum attentare præsumpserit, tam ille, qui dederit, quam ille, qui receperit, vel consenserit, partem se cum Simone non dubitet habiturum.* Et idem deducitur ex cap. *Veniens ad nos &c.* Ergo simoniam committit, qui dat, & recipit pecuniam pro ingressu in Religionem;

quia tunc status Religiosus venderetur.

Confirmatur secundò: sicut est illicitus, & per Sacros Canones prohibitus ingressus puellæ in Monasterium per vim, & coactionem, ita licitus est ingressus ejusdem ex propria voluntate; sed pro ut ingressus puellæ in Monasterium est per vim, & coactionem, est ingressus contra Spiritum Sanctum, & divinam gratiam: Ergo pro ut ingressus est liber, & absque coactione, est à Spiritu Sancto motus; sed per actionem motam à Spiritu Sancto, si pecunia recipiatur, committeretur simonia: Ergo si per ingressum liberum, & nullo modo coactum puellæ in Monasterium, pecunia recipiatur, committeretur simonia. Major quòd ad primam partem est determinata per plures Sacros Canones, & à Conc. Trid. sess. 25. cap. 18. *de Reg. & monialibus*, ubi habetur: *Anathemati Synodus subiicit omnes, & singulas personas cujuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quam laicos, seculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocunque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut quamcunque aliam mulierem invitam &c.* Secunda pars majoris est certa, & deducitur ab opposito supradictæ damnationis. Probatur nunc minor subsumpta; nam in casu idem esset vendere ingressum illum, qui causatus est à gratia Spiritus Sancti, quam vendere ipsam gratiam à Spiritu Sancto provenientem: vel saltem venderetur effectus gratiæ; qui spiritualis est; sed vendere pecunia effectum gratiæ, est simoniam committere: Ergo &c.

81 Probatur secunda pars: Recipiens elemosynam titulo fictæ paupertatis, peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur, ut dictum est in 4. disp. Ergo recipientes pecuniam titulo fictæ paupertatis, ut detur ingressus puellæ in Monasterium, & fiat monialis, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem: Ergo quando titulo fictæ paupertatis daretur pecunia pro tali ingressu, tunc pecuniam recipiens committeret simoniam. Antecedens probatum est loco cit. quia tunc dans elemosynam deciperetur, & non omninò voluntariè daret. Probatur primò prima consequentia: titulus fictæ paupertatis Monasterii, non est titulus translativus domini à dante in recipientem; quia dans putaret, Monasterium revera pecunia illa indigere, qua non indiget: unde dolosè daret, & ad dandam pecuniam illam aliàs non tenetur: Ergo recipientes talem pecuniam contra justitiam peccarent. Probatur nunc secunda consequentia: quando titulo fictæ paupertatis moniales reciperent pecuniam pro ingressu puellæ in Monasterium, non alio reali titulo illam reciperent pecuniam, nisi pro ipso ingressu; sed ut probatū est in prima parte, pro ingressu illo committitur simonia: Ergo &c. Probatur major: realis titulus accipiendi pecuniam illam non posset esse sustentatio

tatio puellæ in Monasterio; cum ex titulo fictæ paupertatis, fingeretur etiam titulus sustentationis; Ergo &c.

Neque valet dicere, nullam esse obligationem in monialibus recipiendi, & sustentandi gratis puellam in Monasterio; adeoque etiam fingant paupertatem, in qua re vera non sunt, & pecuniam recipiant ad ejusdem puellæ sustentationem, nec contra justitiam peccarent, nec simoniam committerent.

Non valet, inquam. Tum quia, fingere paupertatem, ubi re vera paupertas non est, vel est ostendere aviditatem pecuniæ superexcedentis divitias; vel impedire puellam, ne in Monasterium ingrediatur, & votum castitatis in eo emittat; sed utrunque est committere simoniam: Ergo &c. Probatur minor; ostendere aviditatem pecuniæ, sub ficto titulo paupertatis, in re spirituali, & ad finem supernaturalem ordinata, est committere simoniam; quia titulus ille fictæ paupertatis, sicut non est translativus dominii, ita neque excusat à labe simoniæ. Quod autem impedire puellam, ne Monasterium ingrediatur, & votum emittat castitatis, simoniacum sit, probatur; quia tale impedimentum ordinatur ad non dandum ingressum puellæ, nisi pecuniam solvat; & solutio pecuniæ esset pro ipso ingressu: Ergo utraque actio proveniens à ficta paupertate, est simoniaca. Hoc secundum prohibitum est per Concilium estatutum circa medium ejusdem sessionis 18. ubi habetur: *simili quoque anathemati subjicit eos, qui Sanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi, vel votum emittendi, quomodolibet sine justa causa impedit.*

Tum etiam, quia falsum est, nullam talem esse obligationem in monialibus recipiendi puellam gratis, & absque pecunia, in Monasterium, quando hoc magnas possidet facultates: Ergo &c. Probatur hoc, ex Conc. generali Lateranensi sub Inn. III. ubi cap. 64. cujus initium. *Quoniam de simonia*, prohibet, ne moniales pro admittendis ad sua Monasteria, pretium recipiant prætextu paupertatis, & quidem fictæ, & simulatæ: Ergo quoties per hoc Concilium prohibetur monialibus recipere pecuniam pro ingressu ad Monasterium, prætextu fictæ paupertatis, toties in eis est obligatio ad gratis concedendum ingressum puellæ, ut fiat monialis. (Dixi ut fiat monialis); quia si ingressum peteret, ut ibi educationem habeat, tunc licitum est cuicumque Monasterio, etiam diviti, accipere pecuniam pro educandæ sustentatione; præsertim quando animum habet regrediendi in domum suam.

### Solvuntur Objectiones.

83 **O**bjicies primò contra primam partem. Quando pecuniam accipiunt moniales pro ingressu puellæ in Monasterium, non accipiunt illam in pretium ingressus illius, ut conferatur status Religiosus: Ergo moniales accipiendo pecuniam pro ingressu puellæ in Monasterium, non committunt simoniam. Probatur antecedens: recipiunt pecuniam illam pro actu exercitii libertatis, quo præstant consensum, ut puella ingrediatur: Ergo non recipiunt pecuniam pro statu Religioso conferendo, qui spiritualis, & supernaturalis est.

Deinde: moniales, eo ipso, quod puella vult in Monasterium ingredi, non sunt obligatæ ad talem ingressum liberaliter concedendum: Ergo possunt absque labe simoniæ pecuniam recipere ad proprium vendendum consensum: Ergo non venderetur status Religiosus, quem suscipere intendit puella. Probatur antecedens: si essent obligatæ ad liberaliter, & gratuito concedendum ingressum puellæ in Monasterium, talis obligatio se extenderet etiam ad ipsam in Monasterio recipiendam absque dote, & pecunia pro sua sustentatione; sed hoc est falsum, saltem ubi non est magna facultas, sed Monasterii paupertas: Ergo &c. Probatur major: cum obligatione concedendi ingressum puellæ in Monasterium, nequit stare Jus in monialibus exigendi pecuniam pro puellæ sustentatione; quia hoc Jus est destructivum illius obligationis: Ergo vel nulla est obligatio in monialibus concedendi gratuito, & liberaliter ingressum in Monasterium; vel si adesset obligatio, hæc etiam se extenderet ad puellam gratis sustentandam in Monasterio.

Respondetur ad primum, negando assumptum antecedentis; ad cujus probationem dist. antecedens: & hic actus exercitii voluntatis est impræscindibilis à collatione status Religiosi, concedo antecedens: & est præscindibilis à collatione status Religiosi, nego antecedens, & consequentiam. Dico igitur, actum exercitii libertatis monialium circa res naturales, & temporales, vel non annexas rei spirituali, utique præscindere à status Religiosi collatione: & hic actus non est simoniacus; quia tunc moniales non venderent spirituale pro temporali. At exercitium libertatis monialium, quo volunt concedere ingressum in Monasterium puellæ, seu huic conferre statum Religiosum, est annexum cum ipso statu Religioso, & omnino ab eodem impræscindibile; quia est liber consensus præstitus conferendi statum illum spirituales, & supernaturales: & consequenter actus ille exercitii libertatis, cum sit annexus rei spirituali supernaturali, si pecunia vendatur, est simoniacus.

Imò

Imò dico , quòd si hoc argumentum valeret, probaret , in nullo casu committi posse simoniam . Ratio hujus est , quia in quolibet actu simoniaco possèt quis excusari , se licitè recipere pecuniam pro exercitio suæ libertatis , & non pro re spirituali , ad quam rem spiritualem conferendam præsupponitur exercitium libertatis , quo voluntas conferentis confert rem spiritualem.

Dices: dum moniales recipiunt pecuniam, hanc recipiunt , ut liberè consentiant , non ut Religiosum conferant statum; sed recipere pecuniam ad consentiendum non est simonia: Ergo non committerent simoniam . Probatur minor : consensus ille est naturalis voluntati , & non supernaturalis; sed si pecunia recipitur in pretium actus naturalis , non committitur simonia : Ergo &c.

Respondetur eodem modo, quo supra , dicendo , argumentum plus probare; nam ad quamlibet rem dandam , vendendam , conferendam , permutandam &c. præsupponitur liber consensus dantis, vendentis, permutantis &c. qui liber consensus , si esset materia , quæ venderetur , permutaretur &c. & in casu venderetur licitè ; jam licitæ essent omnes venditiones , & permutationes quarumcunque rerum spiritualium; quia vendens possèt dicere: non vendo rem illam spiritualem, sed meum consensum . Quod assertum est falsum ex ipsa simoniæ definitione: ubi ponitur *studiosa voluntas emendi , & vendendi &c.* Ubi *ly studiosa voluntas* , significat libertatem voluntatis consentientis ad vendendam , & emendam rem spiritualem. Quapropter in forma, nego antecedens, cum sua probatione; & dico, moniales non recipere pecuniam, ut præcisè consentiant, sed ut consentiant ad conferendum statum Religiosum ; & quia consensus hic prærequiritur ad collationem talis status ; ideo pro collatione ipsa Religiosi status reciperetur pecunia, & non præcisè pro consensu præstito; nam consensus ipse non est permutativus, vel materia permutationis, sed tanquam conditio necessaria prærequiritur in contractu; ut dictum est per totam 3. disp.

Respondetur ad secundum dicendo , antecedens esse falsum , attentis omnibus conditionibus requisitis ex parte puellæ ad ingressum in Monasterium; scilicet ætate , vitæ probitate, & aliis per Sacros Canones determinatis. Quare visis , & consideratis omnibus conditionibus , tantum licitè moniales petere possunt ea, quæ spectant ad puellæ sustentationem (supposita tenuitate , ac paupertate Monasterii) non verò pro statu Religioso conferendo: unde ad statum illum gratis conferendum puellæ, insurgit in monialibus obligatio. Omnis itaq; rationalis creatura tenetur pro salute animæ proximi, etsi non ex rigorosa justitia, saltem ex præcepto charitatis . Ad antecedentis probationem, nego majorem . Alia est

obligatio ad dandum id, quod non est in monialium potestate , sed tantum sub Dei pleno dominio ; & ipsæ moniales sunt tantum dispensatores , administratores, &c. & alia est obligatio ad dandum id, quod cadit sub monialium dominium. Prima obligatio insurgit ex Christiana Religione, & charitate, qua omnes tenemur pro salute æterna proximi ; & cum hac obligatione nequit stare Jus in ipsis monialibus ad aliquid accipiendum pro re illa, quam gratis dare tenentur. Secunda obligatio oritur ex justitia ; quatenus recipiens ex justitia tenetur reddere æquivalens , quod sit in sua potestate . Et quia in potestate monialium stat conferre sustentationem puellæ in Monasterium ingressæ, iccirco non sunt obligatæ ad gratis conferendam sustentationem, sed tantum obligantur per pecuniæ receptionem, sub titulo dotis, aut sustentationis.

Ad ultimam probationem nego antecedens. Propter duplicem respectum quis potest simul uni personæ obligari , & Jus habere . Si Titius V.G. titulo venditionis deberet Petro centum ; & titulo conductionis, & locationis haberet Jus contra Petrum ad octoginta, jam absque implicancia, ratione duplicis tituli, simul Titius diceretur creditor, & debitor, absque eo, quod Jus sit destructivum obligationis, quam habet alio titulo . Sic in casu, quia duos respectus consideramus in monialibus: unum relatè ad conferendum ingressum puellæ in Monasterium , & alium relatè ad ipsius puellæ sustentationem ; iccirco poterunt absque ulla implicancia moniales dici obligatæ per unum respectum , & Jus habere per alium respectum , quod Jus non est destructivum illius obligationis.

34 Obijcies secundò contra secundam partem . In tantum titulus fictæ paupertatis non excusaret moniales à labe simoniæ, dum pecuniam recipiunt in ingressu puellæ in Monasterium , in quantum talis fictio esset ad occultandum venditionem status Religiosi; sed hoc est falsum : Ergo titulus fictæ paupertatis excusat moniales à simonia , dum recipiunt pecuniam pro ingressu puellæ in Monasterium. Probatur minor : titulus fictæ paupertatis, est tantum occultatio divitiarum, quas moniales possident: Ergo non esset titulus ad occultandam venditionem status Religiosi.

Deinde: Per Conc. Trid. conceditur monialibus recipere pecuniam in sustentationem puellæ ingressuræ in Monasterium: Ergo etiam si fingeretur hic titulus sustentationis, non per hoc inducit ad simoniam , talem titulum fingentes. Probatur primò antecedens ex sess. 25. cap. 16. ubi in medio habetur: *Sed neque ante professionem ( excepto victu, & vestitu novitii, vel novitia illius temporis , quo in probatione est) quocunque pretextu à parentibus , & propinquis, aut Curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur &c.* Probatur nunc prima



prima consequentia : quando fingitur à monialibus titulus paupertatis , fingentes , peccant peccato avaritiæ , & non peccato simoniæ: Ergo &c. Probatur antecedens; quia stante illa fictione , non venderetur à monialibus , nec traderetur aliquod spirituale pro temporali pretio : Ergo &c.

Respondetur ad primum negando minorem , ad cujus probationem nego antecedens. Dico igitur, quòd quando moniales recipiunt pecuniam titulo fictæ paupertatis , nedum talis fictio est occultatio divitiarum , verum etiam occultatio venditionis status Religiosi. Unde per fictam paupertatem solum de materiali occultarentur divitiæ , & de formali , & primario occultaretur titulus venditionis status Religiosi . Quare fingentes paupertatem , fingunt acceptionem pecuniæ simoniacæ . Idè itaque esset , ac si moniales dicerent , *dabo Tibi statum Religiosum , seu ingressum in Monasterium , si Tu mihi das pecuniam pro tui sustentatione* . Quando hic titulus sustentationis est fictus; quia simularetur paupertas , jam non remanet alius realis titulus accipiendi pecuniam , quàm venditio status Religiosi. Hujusmodi venditio , quia est rei spiritualis supernaturalis , est simonia; ideoq; moniales , simulando paupertatem , committunt simoniam.

85 Respondetur ad secundum dicendo , Concilium Trid. concedere monialibus acceptionem pecuniæ pro puellæ sustentatione , quando Monasterium indiget tali pecunia ; secus verò quando divitiis abundat , ut patet ex cit. Conc. Lateran. sub Inn. III. cap. *Quoniam* . Unde in casu indigentia , utique titulus ille sustentationis puellæ excusat moniales à labe simoniæ; quia tunc non esset titulus fictus , sed verus , & realis . At quando titulus paupertatis est fictus; tunc alius titulus dari debet realis ad pecuniam accipiendam : & quia alius assignari non posset , quàm venditio status Religiosi; ideo sub ficta paupertate moniales recipiunt pecuniam in pretium status Religiosi. Ratio hujus est , quia tunc intuitu pecuniæ ingressum concederent puellæ in Monasterium. Ad probationem consequentiæ dico , moniales fingentes paupertatem , nedum peccato avaritiæ peccare , sed etiam peccato simoniæ; quia aviditate ductæ recipiunt pecuniam; & hujusmodi aviditas est motium trahens moniales ad conferendum statum Religiosum pro pecunia.

86 Pro casuum conscientia resolutione , infero primò , moniales , si pro ingressu puellæ in Monasterium , seu pro conferendo statu Religioso , pecuniam recipiunt , simoniam committere . Ratio est , quia status Religiosus est res spiritualis supernaturalis , ad quem suscipiendum concurrat Spiritus Sanctus , illuminans , excitans , & coadjuvans voluntatem : & quia vendere pretio temporali rem spiritualem supernaturalem , est simonia , ideo in casu

posito committeretur simonia .

Infero secundò , moniales , si pro ficta paupertate , vel titulo fictæ sustentationis , pecuniam recipiunt à puella ingressura in Monasterium , etiam simoniam committere . Ratio est , quia ficta paupertas , vel simulatus titulus sustentationis nequit esse justa causa recipiendi pecuniam : & insuper fingeretur paupertas ad occultandam realem venditionem status Religiosi; quo modo simonia committeretur.

Infero tertio : moniales , si pro reali titulo paupertatis , & veræ sustentationis puellæ in Monasterio , pecuniam recipiunt , non committere simoniam . Ratio est , quia titulus realis paupertatis est licitus ad recipiendum pretium pro puellæ sustentatione : & in hoc casu non venderetur status Religiosus , sed tantum incommodum , quod Monasterium patitur , pro sustentanda puella . Et hoc est concessum per cit. Concil. Trid.

Plura alia , ultra hæc , quæ nuncusque dicta sunt , pertractant Canonistæ in materia simoniæ , & præsertim de pœnis infligendis contra simoniacos . Quæ quidem pœnæ expressæ sunt in citatis Bullis Pontificiis in quæst. 2. relatis præsertim num. 25. ex quibus facillè deducitur , quàm graves sint pœnæ , latæ sententiæ , contra simoniacos . Quantum spectat ad Theologos sufficientem per ea , quæ dicta sunt , tradidi notitiam.

## QVÆSTIO DECIMA.

### De Beneficiis.

*Quid , & quotuplex sit Beneficium , & an hoc possit conferri , antequam vacet ?*

**T**Acta est præsens materia de Beneficiis , & Beneficiariis in 2. disp. hujus libri , circa Jus , quod Beneficarii habent ad redditus provenientes ex Beneficiis , ubi diximus , quòd verum dominium habent circa tales redditus , qui necessarii sunt ad congruam Beneficiorum sustentationem ; unde si superantes redditus congruæ sustentationi alienent , & ipsos non applicent Ecclesiæ , vel pauperibus , peccant mortaliter Beneficarii , sed ad restitutionem non tenentur. In superioribus hujus disputationis quæstionibus actum est de impediendo ad collationem Beneficii ; de electione ad Beneficia ; & de simonia circa Beneficii collationem. Nunc agendum est de Beneficariis quòd ad ipsa Beneficia , & de ipsorum obligatione : quæ omnia per plures sequentes quæstiones exagitantur.

87 Quantum ad præsentem quæstionem , tria occurrunt examinanda . Primum , quid sit Beneficium?

Beneficium? Secundum quotuplex sit? Tertium tandem, an Beneficium conferri possit, antequam vacet? Et quantum ad primum Doctores omnes cum Canonistis duplicem assignarunt Beneficii definitionem. Prima, quod sit illud, quod confertur à Prelato personæ Ecclesiasticæ ad officium Ecclesiasticum exercendum. Secunda verò, quod sit Jus perpetuum percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale, auctoritate Ecclesiæ institutum. Utraque definitio est adæquata, & explanat Beneficii naturam; cum hoc tamen discrimine, quod prima explicat Beneficium quod ad ejus collationem, & quantum ad munus Ecclesiasticum; & hoc modo definitur Beneficium, quod ad Ecclesiasticam dignitatē, ratione cujus Ecclesiasticum officium exercetur. Per secundā definitur Beneficium, pro ut est titulus possidendi, & percipiendi fructus ex ipso Beneficio provenientes. Juxta secundam definitionem Beneficium Ecclesiasticum spectat ad hanc materiam de Justitia, & Jure; quia Beneficium ipsum est Jus percipiendi redditus &c.

88 Quantum ad multipliciter Beneficii, plura assignari solent à Canonistis. Primum itaque dividitur Beneficium in Curatum, Duplex, & simplex. *Beneficium Curatum* illud est, quod sibi annexam habet curam animarum: ut est Episcopatus, Parochia &c. *Beneficium Duplex* illud est, cui ultra Ecclesiasticā dignitatem, est etiam annexa aliqua solemnitas qualitas Juris: hujusmodi autem qualitas, vel dicitur Præminentia, vel Jurisdictio, vel animarū cura. Hoc modo Archidiaconatus, sive in Cathedralibus, sive in Collegiatis dicitur Beneficium duplex, propter dignitatem simul Ecclesiasticam, & præminentiam ad omnes alios Capitulares. Parochia etiam est Beneficium duplex, & propter dignitatem, & propter curam animarum dignitati hujusmodi annexam. *Beneficium tandem simplex* est illud, quod solam dicit Ecclesiasticam dignitatem, absque ulla Juris solemnitate: & hoc Beneficium est institutum, ut preces ad Deum effundantur, & ad officia persolvenda: ut est Canonicatus &c. Iterum dividitur Beneficium in Electivum, Collativum, & Patronatum. *Beneficium electivum* est illud, quod fit mediante electione facta ab habentibus Jus ad eligendum, & à superiore potestatem habente confirmata: ut si quis fieret Canonicus per aliorum electionē; tunc Canonicatus esset Beneficium electivum. *Beneficium collativum* est illud, quod à libera voluntate conferentis dependet, absque ulla prævia electione ad ipsum: ut est Episcopatus, Sacerdotiū, &c. *Beneficium tandem Patronatum* illud est, quod ab habente potestatem confertur, nominante Patrono: ut esset Clericatus Juris patronatus, qui confertur ab Episcopo, nominante Patrono.

Tandem dividitur in Beneficium Personale, & non Personale. *Primum* est illud, quod

ad mentem fundantis determinatæ personæ confertur, ita ut hac deficiente persona, ad alias transferatur, etiam ad mentem fundantis; vel ad alia opera pia. In hoc attendi debent conditiones positæ in Beneficii fundatione. *Beneficium verò non Personale* est illud, quod fundatur, non determinando personam, cui conferendum est: ut si quis fundaret annuos redditus quinquaginta aureorum, non determinando personam, cui hoc Beneficium conferendum est, pro aliqua Capellania; tunc hoc Beneficium Capellanix diceretur non Personale. Quanquam alias Beneficii divisiones assignent Doctores aliqui, tamen ad hæc enumerata reducuntur. Unde Capellania, quæ Beneficium est, reducitur ad Beneficium collativum, & non collativum. Si Capellania confertur, est Beneficium collativum, præsertim interveniente Episcopi auctoritate: & hæc Capellania est propriè Beneficium. Si verò non confertur, aut nulla intervenit Episcopi facultas, tunc est non collativa; sed hæc non est propriè Beneficium; tum quia non obligat ad persolvendum divinum officium; tum etiam quia ad nutum dantis amoveri potest: ut si quis Capellaniam conferat alicui Sacerdoti, ut in quolibet die celebret in tali Ecclesia; hæc quia est amovibilis ad nutum dantis; & nullum dat titulum, nec Ecclesiasticam dignitatem, præter illam, quam habet à Sacerdotio; idè non est propriè Beneficium.

89 Quantum tandem spectat ad tertium punctum, an Beneficium conferri possit antequam vacet? suppono, sensum hujus dubii esse de Beneficio collativo dependente à voluntate conferentis. Unde pro resolutione quæstionis.

*DICO*, Definitiones Beneficii supra recensitas esse bonas: Beneficium, quodcunque sit, nequit conferri, antequam vacet. Conclusio quod ad utramque partem communissima est inter Doctores. Et secunda pars est definita à Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 19.

90 Probatur prima pars. Definitiones Beneficii supra assignatæ habent omnes conditiones requisitas ad bonam definitionem: Ergo sunt bonæ. Probatur antecedens: conditiones requisitæ ad bonam definitionem sunt, quod definitio conveniat soli definito, & non alteri à definito; & quod explicet naturam definiti, ut contradistinctam ab altero; sed istæ conditiones sunt in allatis definitionibus: Ergo &c. Probatur minor primò: si definiatur Beneficium prima definitione, quod scilicet sit illud, quod confertur &c. utramq; possidet conditionem, sumpto Beneficio pro Ecclesiastica dignitate, & exercitio ejusdem dignitatis. Gaudet prima conditione; quia solum Beneficium est Ecclesiastica dignitas, & quodcunque aliud à Beneficio non est Ecclesiastica dignitas ordinata ad Ecclesiasticum exercitium. Gaudet etiam secunda conditione; quia nil aliud requiritur ad Beneficium, nisi dignitas,

cum facultate exercendi Ecclesiasticum officium. Et per hoc etiam distinguitur Beneficiū à puro officio, & à seculari dignitate: Ergo &c. Probatur secundò eadem minor. Si Beneficiū definiatur secunda definitione, quòd scilicet sit *Jus perpetuum percipiendi redditus &c.* definitio hæc etiam soli Beneficio, sumpto pro titulo possidendi fructus ex Beneficio, convenit, & non alteri ab ipso Beneficio. Explicat insuper definiti naturam; quia nil aliud requiritur ad adæquatè constituendum Beneficiū: Ergo per utramq; definitionem habet Beneficiū omnes conditiones requisitas &c., & per consequens sunt bonæ, & adæquatæ.

Confirmatur: per hujusmodi definitiones Beneficiū Ecclesiasticum convenit, & disconvenit à Beneficio, vel officio seculari. Per primam definitionem convenit in ratione dignitatis; quia dignitas est, etiam seculare officium; ut esset Judicatus, Gubernium &c. disconvenit per illas particulas, *ad officium Ecclesiasticum exercendum*; quòd officium non exercetur à dignitate seculari. Per secundam definitionem etiam convenit, & disconvenit à seculari potestate: nam ly *Jus percipiendi* stat loco generis; quia convenit cum omnibus titulis, ratione quorum unusquisque Jus habet. Dicitur *perpetuum* ad differentiam Juris temporanei. Dicitur tandem *ex bonis Ecclesiasticis*, ad differentiam honorum secularium, ad quæ seculares Jus habent. Et demum additur *propter aliquod officium spirituale &c.* ad denotandum justum titulum exigendi redditus illos ex bonis Ecclesiasticis; sed his positis explicationibus constat bonitas utriusque definitionis: Ergo est bona.

- 91 Probatur secunda pars: si posset conferri Beneficiū, antequam vacet, posset licitè dignitas, & Jus ad exigendum redditus Ecclesiæ, concedi, cum damno notabili sequente ex tali concessione; sed hoc non est dicendum; imò falsissimum est, nedum in contractibus onerosis, sed etiam gratuitis, ut est Beneficiū: Ergo nequit Beneficiū conferri, antequam vacet. Major patet; nam nemo cum damno, & præjudicio alterius potest aliquid alteri donare; præsertim quando præjudicatur Jus actuale, & possessivum, quòd habet ad illam re donatam. Probatur major: quando confertur Beneficiū, antequam vacet, ille, cui tale confertur Beneficiū, posset mortem desiderare, imò & procurare actualiter, possidenti tale Beneficiū; sed hæc est maximum damnum sequens ex collatione Beneficii, antequam vacet: Ergo &c. Minor est certa. Probatur major: Qui habet collatum Beneficiū, ut possessionem accipiat, post mortem possidentis tale Beneficiū, aviditate, & ambitione moveri potest ad exercendum Ecclesiasticum officium, & ad percipiendos fructus ex Beneficio; sed aviditas, & ambitio facere possunt, ut ille, cui sit collatum Beneficiū, priusquam vacet,

moveatur ad procurandam mortem possidentis; vel saltem ad hæc ei desiderandæ: Ergo &c.

Eò vel maxime: Beneficiū collatum, antequam vacet, est Beneficiū cum suspensione exercitii, & Juris ipsius Beneficii, tum circa ea, quæ spectant ad officium Ecclesiasticum; tum quò ad redditus ex Beneficio provenientes; tum tandem quò ad dignitatem, quam secumfert Beneficiū; Ergo esset vana collatio talis Beneficii; ac per consequens nequit conferri, antequam vacet.

Confirmatur ex Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 19. ubi habetur: *Decernit Sancta Synodus, mandata de providendo, & gratias, quæ expectativa dicuntur, nemini amplius, etiam Collegiis, Universitatibus, Senatibus, & aliis singularibus personis, etiam sub nomine indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi, nec hætenus concessis, cuiquam uti licere.* Et sublequitur: *Sed nec reservationes mentales &c.* Ubi Concilium expressè interdicit concessionem Beneficii, antequam vacet. Et hoc ad finem evitandæ damnus animarum, quibus similia Beneficia conferuntur. Enimverò si Titio esset concessus Episcopatus Aversanus, antequam talis Episcopatus vacet; ut possessionem Titius accipiat, ductus ambitione, & aviditate, posset mortem Episcopi, qui nunc Ecclesiam Aversanam gubernat, procurare, vel saltem illam avido desiderio optare; quòd est notabile damnum, quòd sequi posset ex tali Beneficii collatione, antequam vacet: Ergo &c.

### Solvuntur Objectiones.

- 92 **O** Bicies primò contra primam partem. Definitio, quæ competit aliis à definito, non est bona; sed definitiones Beneficii supra allatæ conveniunt aliis à definito: Ergo non sunt bonæ. Probatur minor primò: ambæ definitiones conveniunt Præbendæ; cum Præbenda, ut esset Canonatus V.G., sit etiam potestas ad exercendum officium Ecclesiasticum; & est Jus perpetuum percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis: Ergo &c. Probatur secundò eadem minor: utraq; definitio convenit Pensioni; cum Pensio sit etiam Jus percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis; sed Pensio non est Beneficiū: Ergo Definitiones Beneficii supra recensitæ conveniunt aliis à definito: Ergo &c.

Deinde: suspensus ex aliquo delicto, à Beneficio, nec exercet officium Ecclesiasticum, nec percipit redditus ex bonis Ecclesiasticis; & tamen habet Beneficiū: Ergo nequit Beneficiū constitui per exercitium officii Ecclesiastici; & per Jus percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis; adeoque non sunt bonæ allatæ definitiones.

Respondetur ad primum negando minorem, ad cujus probationem concessio assumpto,

pto, nego consequentiam . Quanquam supra-  
dictæ definitiones , quibus à Doctoribus de-  
finiri solet Beneficium , convenient etiam  
Præbendæ , hæc tamen in re non est diversa  
ab Ecclesiastico Beneficio , sed est ipsummet  
Ecclesiasticum Beneficium ; ut patet in Decre-  
talibus , in quibus Beneficium solet etiam vo-  
cabulo Præbendæ nominari . Unde dici solet:  
duo concurrunt ad vacatum Canonicatum ;  
ad vacatam Præbendam ; ad vacatum Bene-  
ficium Cathedralis, vel Collegialis.

Vel si Præbenda accipiatur in magis stricto  
sensu ( quo modo solet ab aliquibus accipi )  
pro redditibus , & effectibus Beneficiis ; tunc  
falsum est , Definitiones illas convenire Præ-  
bendæ , in hoc stricto sensu acceptæ ; nam Be-  
neficium est Jus percipiendi redditus ; & Præ-  
benda, in hoc posteriori sensu accepta, est fru-  
ctus, & redditus , ad quem Beneficiarius habet  
Jus titulo Beneficii . Et hoc modo , sicuti non  
est idem Beneficium , & Præbenda , ita negari  
debet , quod Præbendæ convenient definitio-  
nes Beneficii . At cohærendo relatis Decreta-  
libus , standum est primæ responsioni.

Ad secundam minoris principalis proba-  
tionem, nego majorem , & ad rationem infra  
arguendum adductam, dico , utique verum  
esse, Pensionem esse Jus percipiendi fructus ex  
Beneficio : at non eodem modo est Jus sicut  
Beneficium . Pensio nanque est Jus ad tempus  
percipiendi fructus ex Beneficio alieno: Bene-  
ficium autem est Jus perpetuum percipiendi  
fructus ex proprio , & non ex alieno Benefi-  
cio . Unde maximum stat discrimen inter  
Jus, quod est Pensio , & Jus , quod est Benefi-  
cium . Primò discriminantur per rationem  
perpetuitatis, quæ est in Beneficio, & non in  
Pensione. Secundò per arietatem , quæ est in  
Pensione , & non in Beneficio . Pro claritate  
Beneficii , & Pensionis pono hoc exemplum.  
Pontifex conferat Titio Episcopatum Caven-  
sem, & supra redditus Episcopatus ponat Pen-  
sionem annuam centum aureorum percipien-  
dam à Francisco: in hoc casu Titius est Bene-  
ficiarius, ex Beneficio Episcopatus , ei collati;  
Franciscus Pensionarius ex Pensione , quam  
percipere debet autoritate Pontificis , ex re-  
ditibus illius Episcopatus . Titius ad redditus  
Episcopatus habet Jus perpetuum ex proprio  
Beneficio; & Franciscus habet Jus ad tempus,  
& ex alieno Beneficio. Ex quibus infero , non  
esse easdem formales rationes constitutivas  
Beneficii , & Pensionis.

Dices : si Pontifex perpetuam poneret Pen-  
sionem in aliquo Episcopatu , ob indigen-  
tiam Ecclesiæ ministrorum ; tunc Pensio esset  
Jus perpetuum exigendi redditus ex beneficio;  
Ergo per ly Jus perpetuum non differret Pen-  
sio à Beneficio: Ergo Definitio Beneficii com-  
peteret Pensioni.

Resp. gratis concessio casu, nego tamen con-  
sequentiam. Nam adhuc Pensio distingueretur

à Beneficio per hoc, quòd Pensio esset Jus per-  
cipiendi fructus ex alieno Beneficio, & non ex  
proprio, sicut est Jus Beneficii. Et insuper, quia  
Beneficiū confertur, ut titulus acquirendi Jus  
ad redditus; nō sic Pensio. Nemo itaque ordina-  
ri potest ad Pensionem , sicut ordinari potest  
ad Beneficium ; ut constat ex Concil. Triden-  
selli, 2. cap. 2. de Reform. cujus initium, *Cum  
non deceat, &c.* Et circa finem habetur : *Pa-  
trimonium verò, vel Pensionem obtinentes, or-  
dinari, posthac, non possint, nisi illi, quos Episco-  
pus judicaverit assumendos: pro necessitate, vel  
commoditate Ecclesiarum suarum &c.* Dixi gra-  
tis concessio casu ; quia si Pensio ponitur ob  
Ecclesiæ, vel ministrorum ejus necessitatem,  
cessante necessitate, cessare debet Pensio: unde  
non videtur , si ob necessitatis motuum im-  
ponitur , ut possit esse perpetua ; adeoque ex  
nullo capite definitio Beneficii potest Pensio-  
ni convenire.

93 Respondetur ad secundum, dicendo, Bene-  
ficiarium suspensum à fructibus Beneficii , ob  
commisum crimen ; vel ab exercitio officii  
Ecclesiastici , non amittete dignitatem Bene-  
ficii, nec Jus ad fructus illos percipiendos; sed  
tantum esse impeditum ab actu secundo , do-  
nec remittatur in pristinum : quod patet de  
Sacerdote , vel Episcopo suspensis ab officio,  
qui adhuc gaudent titulo Beneficii , non ob-  
stante suspensione ab executione , & exercitio  
Sacerdotali, & Episcopali, & à perceptione re-  
dituum ex eorum beneficiis. Aliud nanque est  
potestas, & Jus ad exigendum aliquid, vel po-  
testas aliquid exercendi ; & aliud est actu exi-  
gere, vel actu exercere munus. Primum est Be-  
neficium; at secundum est tantum effectus, vel  
executio Beneficii.

94 Obijcies secundò contra secundam partem.  
Potest licitè fieri donatio inter vivos , & à  
Donatario acceptari , antequam rei donatæ  
possessionem acquirat : Ergo etiam potest li-  
citè fieri collatio Beneficii , antequam vacet,  
& à Beneficiario acceptari . Antecedens est  
certū, & patet ex speciali quæstione exagitata  
in 3. disp. Probatur consequentia: in tantum  
potest licitè fieri donatio inter vivos, in quan-  
tum, cum sit gratuitus, & liberalis contractus,  
nil aliud exigit, quàm liberam voluntatē do-  
nantis, & donatarii, & acceptationem ex par-  
te donatarii ; sed ad conferendum Beneficium  
antequam vacet , nil aliud requiritur, quàm  
libera voluntas conferentis, & Beneficiarii, &  
ex parte istius libera acceptatio : Ergo si con-  
tractus donationis licitè fit inter vivos, etiam  
licitè fieri potest Beneficii collatio.

Eò vel maxime , quia Beneficium connu-  
meratur inter contractus gratuitos , ut est  
contractus donationis : Ergo quicquid valet  
de donatione, valet etiam de Beneficio : Ergo  
si donatio inter vivos licitè fit ante donato-  
ris mortem, etiam potest licitè conferri Bene-  
ficium, antequam vacet .

Respondetur transactio antecedenti, negando consequentiam. (Dixi transeat antecedens) non quod sit absolutè falsum; sed quia contractus donationis completur traditione, quando scilicet donans tradit Donatario rem donatam: unde quando contractus celebratur inter vivos, etiam cum clausula, *irrevocabiliter*; nisi tamen res tradatur Donatario, non est completa donatio. Et per hoc patet disparitas consequentis. In contractu itaque donationis habetur actio completa, quando res donata traditur Donatario; non quando stat in sola promissione tradendi rem post mortem Donatoris. In Beneficio autem habetur completa actio, quando illud confertur; quia collatio est ipsa Beneficii traditio: & quia, antequam Beneficium vacet, si alteri tradatur, venit in præjudicium possessoris, quod scilicet ei posset mors procurari, vel saltem desiderari; iccirco nequit conferri, antequam vacet. Si paritas bene ponderetur potius stat pro nobis; nam sicuti donatio completur traditione, ita etiam traditio, aut collatio completur Beneficium: & sicuti si res donata traderetur ante mortem possessoris legitimi, talis donatio verteretur in possessoris præjudicium; ut si Titius vellet donatione tradere Cajo rem à Sempronio possessam, ante hujus mortem; quæ res Sempronii veniret sub Titii potestate, vel per legitimam successionem, vel ut feudorum administrator; tunc Titius injuriam faceret Sempronio possessori illius rei. Ita pariter, si Episcopus, sub cujus potestate stat, quædam Ecclesiastica Beneficia distribuere, alicui conferret Beneficium, antequam vacet; jam possessor illius Beneficii præjudicaretur. Advertendum est, quod Beneficium, ante collationem, potest solum promitti, & non conferri; & hoc modo possessor illius non præjudicaretur: sicut etiam res, quæ stat sub actuali alicujus possessione, potest solum promitti, & non tradi, ne possessor præjudicaretur: ut patet in allato exemplo.

- 95 Ad additum dico, ceteris paribus, quod valet de donatione, etiam valere de Beneficio, ut dictum est in superiori doctrina. Unde ultima consequentia non valet; nam vel est sensus de donatione rei, quæ est sub potestate, & possessione Donatoris; vel de donatione rei, quæ non est actu sub Donatoris possessione, sed esset post mortem possidentis. Si locutio est de prima donatione, nedum licitè fieri potest ante mortem Donatoris, sed etiam ante ejus mortem poterit traditione compleri; quia Donator est suæ rei possessæ absolutus dominus, & rem suam donando, nullum alteri præjudicium affert. At loquendo de secunda donatione, est falsum, quod hæc inter vivos compleri possit traditione, antequam res donata cadat sub ejus potestate. Idem dicendum est in proposito de Beneficii collatione, quod antequam vacet, cum non cadat sub

potestatem conferentis, nequit sine possessoris præjudicio conferri: adeoque &c.

- 96 Ex his infero primò, Beneficium duplici definitione definiri. Primò, *quod sit illud, quod confertur à Prelato personæ Ecclesiastica, ad officium Ecclesiasticum exercendum*: & hæc definitio est tradita per dignitatem Beneficii. Secundò, *quod sit Jus perpetuum percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale, auctoritate Ecclesiæ institutum*. Utraque definitio est bona. Ratio est, quia soli Beneficio, & non alteri ab ipso, convenit; & utraque naturam Beneficii adæquatè explicat.

Infero secundò, Beneficium non posse conferri, antequam vacet. Ratio est, quia ille, cui esset collatum Beneficium, antequam vacet, posset procurare mortem possidenti actu Beneficium; vel saltem mortem ei desiderare. Ultraquamquod hujusmodi collatio Beneficii, ante vacationem, est prohibita à Conc. Trid. sess. 26. cap. 19. de reform.

## QVÆSTIO VNDECIMA.

*An, si Beneficiarius, ultra redditus ex Beneficio, haberet alios redditus ex Patrimonio, posset de istis secundis redditibus, absque ullo scrupulo, ad suum beneplacitum disponere?*

**P**endet hæc quæstio ab illa exagitata controversia in 2. disp. hujus libri, an Beneficarii sint domini reddituum provenientium ex Beneficio; ita ut si partem superantem congruæ eorum sustentationi expenderint in profanos usus, teneantur, nec ne, ad restitutionem? Ibi diximus, quod quamvis Beneficarii in tali casu mortaliter peccarent, non tamen ad restitutionem tenentur; eò quia, estò non sint veri domini Beneficii, sunt tamen veri domini fructuum provenientium ex Beneficio. Et quia de illa parte superante congruam sustentationem sunt dispensatores, tantum contra charitatem, & non contra justitiam peccant. Hujus opinionem secutus sum ex doctrina Lessii, Soti, Reginaldi, Bonacinae, Valentia, Mastrii, Poncii, Alesani, & aliorum. Et quamquam in hac parte multi videantur discrepare Doctores, ex Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 1. ubi circa medium habetur: *Omnino verò eis interdicit &c.* attamen Concilium non exprimit restitutionis, obligationem, sed tantum peccatum, quod Prælati, & ceteri Beneficarii committunt, si superfluum in vanos usus, aut ad parentes ditandos expendant. In hac re me remitto ad ea, quæ loc. cit. dicta sunt.

- 97 Quantum ad præsens dubium, adverto, Beneficarium posse esse dominum proprietatis.

zis, ultra reditus ex Beneficio, tam bonorum patrimonialium, quàm bonorum, quæ proprio ipsius labore, & industria acquiruntur. Bona patrimonialia sunt illa, quæ ex constituto patrimonio, pro ejusdem Beneficarii sustentatione, proveniunt. Bona verò, quæ acquiruntur industria Beneficarii, sunt illa bona, quæ ex concione, studio, & aliis licitis, & honestis actionibus ipsius Beneficarii, proveniunt. Solent hæc bona secundi generis nominari bona quasi castrensia, profectitia, & adventitia: quæcunque tamen sint, hujusmodi bona cadunt sub perfectum dominium Beneficarii. Quæritur nunc, si ista bona sint possessa à Beneficario, an hic debeat de istis vivere, & reditus ex Beneficio ad pios usus dispensare teneatur? vel debeat de rebus Beneficii vivere, & bona patrimonialia, profectitia, & adventitia disponere ad suum beneplacitum? Unde pro quæstionis resolutione

*DICO*, Beneficarium, si ultra reditus ex Beneficio, haberet alios reditus ex Patrimonio, vel adventitios, & profectivos, posse de istis ad suum beneplacitum disponere, & vivere de rebus ex Beneficio. Concl. hæc tenetur à Soto, Suariorum, Vasquez, Bannes, Felice de Panormo, & aliis, contra quamplures Canonistas, Paludanum, Silvestrum, & alios, Et

98 Probatur primò: Beneficarius, qui, ultra reditus ex Beneficio, habet alios reditus ex patrimonio V.G. est verè, & absolutus dominus istorum reddituum; sed dominus ad suum beneplacitum potest de rebus cadentibus sub ejus potestatem disponere: Ergo dum Beneficarius, ultra reditus ex Beneficio, haberet alios reditus ex Patrimonio, posset de istis ad suum beneplacitum disponere. Probatur major: absolutus dominus alicujus rei censendus est ille, qui rem aliquam possidet, vel jure hæreditario, vel acquisitione licita ex propria industria, vel titulo donationis &c. sed reditus ex Patrimonio possidentur à Beneficario, vel jure hæreditario, vel saltem titulo donationis: Ergo Beneficarius est absolutus horum reddituum dominus. Probatur minor; nam dum quis alicui Clerico Beneficario Patrimonium constituit, ei donat fructus omnes ex Patrimonio eventientes: vel si constituens Patrimonium est Pater, qui, ut aliquis ex filiis fiat Sacerdos, in testamento relinquit tantam summam, ut in tuto lucro reponatur, tunc Beneficario accidunt reditus illi ex Patrimonio, jure hæreditario: Ergo &c.

Neque valet, si dicas, supradictam rationem valere, quando reditus ex Patrimonio, vel acquisiti alio justo titulo, non sint annexi cum rebus ex Beneficio; quia quando non sunt cum his rebus annexi, de eo, quod superest ad congruam Clerici sustentationem, potest disponere ad suum beneplacitum: at quando cum rebus Beneficii sunt annexi, tenetur Beneficarius de rebus Patrimonii, adven-

titiis, & profectivis vivere; & reditus ex beneficio deberet in pios usus dispensare; scilicet ad augendum cultum divinum, augendum Ecclesiæ splendorem; ad fundandas Capellanas; ad Missarum pro defunctis celebrationem; & ad alia bona opera in Ecclesiæ utilitatem; vel tandem ad pauperum sublevationem:

Non valet, inquam; tum quia, reditus ex Beneficio non impediunt Beneficarium, quin de omnibus rebus ex Patrimonio, & aliis bonis adventitiis, & profectivis, possit ad suum libitum disponere: Ergo nulla responsio, Probatur assumptum: Beneficarius, qui adimplet obligationem ortam ex Beneficio, Jus habet ad vivendum ex fructibus ex Beneficio provenientibus, ut patet ex definitione ipsius Beneficii: Ergo supposito, quòd Beneficarius, ultra reditus ex Beneficio, habeat alios reditus, reditus, qui veniunt ex Beneficio, non impediunt Beneficarium, quin de aliis rebus possit ad suum beneplacitum disponere. Tum etiam quia: intantum Beneficarius non posset disponere de rebus ex Patrimonio, in quantum deberet de istis vivere, & se congruè sustentare, & non de rebus Ecclesiasticis; sed in suppositione, quòd ultra reditus ex Beneficio habeat alios reditus, non tenetur de istis rebus vivere, & congruè sustentari; sed de rebus Ecclesiasticis: Ergo de aliis rebus posset Beneficarius ad suum beneplacitum disponere. Probatur minor: Beneficarius, qui Altari servit, divina officia persolvit, aliasque obligationes ex Beneficio ortas, adimplet, de Altari vivere debet; idest de rebus ex Beneficio, juxta illud D. Pauli I. ad Cor. 9. *Nescitis, quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt: & qui Altari deserviunt, cum Altari participant?* Quod etiam confirmatur ex Decret. Inn. III. cap. *Episcopus* num. I. de *præben.* ubi habetur: *Non credimus, quòd qui habet Beneficium, vivere debeat de Patrimonio, sed de Altari:* Ergo &c.

Hæc Innoc. determinatio est expressa ad favorem nostri asserti; nam si Beneficarius habeat reditus ex Beneficio, & ultra hos reditus habeat alios ex Patrimonio, si vivere debet ex Beneficio, potest de rebus ex Patrimonio ad suum libitum disponere: Ergo &c.

99 Probatur secundò: Reditus patrimoniales, vel adventitia bona, vel profectiva, sunt bona propria: reditus ex Beneficio sunt bona personæ, ut Beneficaria est; sed nemo tenetur vivere de bonis propriis, quando est Beneficarius, & bona habet Beneficaria: Ergo &c. Probatur minor: Beneficarius se habet veluti miles in Ecclesia Dei; quia pro Deo pugnat; quæ Dei sunt, custodit &c. sed miles non tenetur vivere de bonis propriis, sed de bonis suæ militiæ: Ergo Beneficarius non tenetur vivere de bonis propriis, sed de bonis ex Beneficio provenientibus. Probatur minor primò:



mò: ex illo D. Pauli 1. ad Tim. 5. *Dignus est operarius mercede sua*. Secundò ex eodem Apost. 1. Corint. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte Gregis non manducat?* Ubi notandum est, priora verba esse expressiva nostræ conclusionis, dum Apostolus dicit, neminem militare suis stipendiis: & deducere intendit, quemlibet militare debere stipendiis militia: Ergo &c.

### *Solvuntur Objectiones.*

100 **O** Bicies primò. Si Beneficiarius de rebus ex Patrimonio, vel de bonis adventitiis, & profectiis possit ad suum beneplacitum disponere, posset etiam de illis redditibus testari; sed hoc est falsum: Ergo Beneficiarius de redditibus ex Patrimonio, & de bonis adventitiis, & profectiis non potest ad suum beneplacitum disponere. Major est certa, quia nedum per donationem inter vivos, vel per licitos contractus posset de redditibus disponere, sed etiam illos post ejus mortem relinquere, per testamentum, cuicumque voluerit, hæredes ipsorum reddituum constituyendo. Probatur minor: prohibitum est Beneficiariis testari de quacunque re cadente sub eorū potestate; eò quia, dum isti vivunt, æquiparantur usufructuariis, in morte verò usufructuariis; sed usufructuarii nequeunt per testamentum disponere de usu rerum, quæ prius fuerunt sub eorum potestate: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dico, Beneficiarios circa redditus ex Beneficio utique esse usufructuarios, vel istis æquivalere in vita; quatenus dum vivunt possunt de illis redditibus disponere contractibus inire, donare &c. & post mortem, vel in morte de illis esse usufructuarios; cum nullam possint dispositionem facere, nec testari; neque hæredes Beneficiarii Jus acquirunt ad illos redditus. At circa redditus ex Patrimonio, vel circa alia bona adventitia, tam in morte, quàm in vita, Beneficiarii sunt veri domini proprietatis, strictumque Jus circa illa bona habent. Totum hoc patet ex Decret. nam ex Alex. III. in cap. *Quia nos, de Testam.* habetur, *Licet Clerici de his, quæ paterna successionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, & amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, liberè disponere valeant: De his autem, quæ consideratione Ecclesie perceperunt, nullum de Jure facere possunt testamentum.* Idem ostenditur ex Concil. Agathensi cap. 13, relato in Can. *Episcopi* 12. q. 1. ubi legitur, *Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quicquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant. Quidquid verò de provisione sue Ecclesie fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, om-*

*nia in Jure Ecclesie reservare censemus.* Ex quibus determinationibus colligitur, Beneficiarios posse ad eorum libitum ita disponere de fructibus ex Patrimonio, & de aliis bonis adventitiis, ut etiam possint de illis testari: scilicet verò de redditibus Ecclesie, qui redditus post mortem Beneficiarii ad Ecclesiam spectant.

Dices: non alia ratione possent Beneficiarii disponere de redditibus ex Patrimonio, & de bonis adventitiis, & de illis testari, nisi quia sunt veri domini illorum; sed hæc ratio non valet in Beneficiariis: Ergo nulla responsio. Probatur minor primò; quia Beneficiarii etiã sunt veri domini, saltem utiles, reddituum ex Beneficio, & tamen de istis non possunt ad eorum beneplacitum disponere: Ergo idem dicendum est de redditibus ex Patrimonio, & de bonis adventitiis. Probatur secundò eadem minor: Impuberes sunt veri Domini suorum bonorum, & tamen non possunt de illis ad eorum beneplacitum disponere: Ergo quamvis Beneficiarii sint veri Domini reddituum ex Patrimonio, & bonorum acquiritorum, non per hoc possunt de illis disponere. Probatur consequentia; quia Impuberes sunt impediti propter minoritatem ætatis; Beneficiarius autem est impeditus propter Ecclesiasticam dignitatem: Ergo &c.

Respondetur negando minorem; ad cujus primam probationem dico, non eodem modo Beneficiarios esse dominos reddituum ex Beneficio, atque aliorum bonorum eis succedentium, vel ex Patrimonio, vel ex hæreditate, vel ex licita, & justa acquisitione. Circa redditus ex Beneficio, sunt tantum Domini utiles, seu usufructuarii, dum vivunt, & post eorum mortem, vel in morte, nihil eis remanet, de quo possent testari: nec hæredes ad bona ipsorum possunt succedere, sed statim Ecclesia succedit; nam Ecclesia redditus illos concedit Beneficiariis ad eorum congruam sustentationem; quare cessante hoc fine, cessat in Beneficiariis dominium, & dispositio quò ad omnem usum. At circa alios redditus ex Patrimonio &c. sunt domini proprietatis, & dominium, quò ad omnem usum habent circa illos; & ideo de illis possunt ad eorum beneplacitum disponere, & etiam testari. Ad secundam minoris probationem dico, paritatem valere, si sit sensus de Beneficiariis, quò ad redditus ex Beneficio; quia utrobique prohibitio ex Lege impedit dispositionem, quò ad omnem usum: in Impubere prohibitio Legis Civilis, in Beneficiariis prohibitio Legis Canonice. Si verò est sensus de Beneficiariis, quò ad redditus ex Patrimonio, vel quò ad alia bona; tunc paritas non valet; nam de Impubere adest justa lex prohibens dispositionem ipsorum, quò ad omnem usum, ratione minoritatis; & iccirco lex ipsi assignat Curatorem, vel Tutorem. Ceterum de Beneficiariis, quò ad redditus ex Patrimonio, & quò ad alia bona adventitia &c. nulla

nōlla adest lex prohibens dispositionem , quō ad omnem usum ; imō , ut patet ex superiori responsione , concedit Lex Canonica ipsis Beneficiariis omnem usum , etiam testandi : a deo- que &c.

101 Obijcies secundò . Quando Beneficiarius habet fructus ex Beneficio , & fructus ex Patrimonio , vel ex aliis bonis adventitiis , vivere debet de istis secundis fructibus ; & priores fructus debet dispensare in pios usus Ecclesiæ : Ergo non potest de fructibus ex Patrimonio , vel ex aliis bonis adventitiis ad suum libitum disponere , & de fructibus ex Beneficio sustentari . Probatur assumptum antecedentis ; in tantum Ecclesia concedit fructus illos ex Beneficio , ut Beneficarii possint honestè , congruèque vivere in statu Ecclesiastico ; si alia bona non haberent : Ergo quando habent alia bona extra fructus Beneficii , non debent de fructibus Beneficii vivere . Probatur antecedens : ex Can. Clericos 1. q. 2. & Can. Quoniam 16. q. 1. habetur : Clericos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis , sustentari quibus parentum , & propinquorum nulla suffragantur bona . Et subdit : Qui autem bonis parentum , aut suis sustentari possunt , si quod pauperum est , accipiunt , sacrilegium profectò committunt , & per abusivam talium , iudicium sibi manducant , & bibunt . Ex quo Canone deducitur , quò tantum illis Beneficiariis permissum est sustentari de fructibus Beneficii , qui non habent alia bona , parentum , vel propinquorum , quibus sustentari possunt : Ergo quoties Beneficiarius , ultra redditus Ecclesiæ , habet alia bona , de istis vivere debet : Ergo &c.

Respondetur negando assumptum antecedentis , ad cuius probationem dico , Ecclesiam non præcisè concedere Beneficiariis fructus illos ex Beneficio , quia non habent alia bona , quibus vivere debent ; quasi sit obligatio , & debitum in beneficiariis vivendi de bonis propriis , in quorum defectu subintrent bona Ecclesiæ ; sed Beneficiariis conceduntur fructus ex Beneficio in justam mercedem suorum laborum ; quare etiam si habeant quæcunque bona propria , debent potius ex fructibus Beneficii vivere , & sustentari , quam ex propriis , juxta illud Apostoli supra relati : Qui Altari deserviunt , de Altari participant . Nec obstat relata doctrina in probatione adducta ex Can. Clericos : quia non est intelligenda pro tempore præsentis , in quo ob omnimodam separationem Ecclesiasticorum à secularibus , nedum Ecclesia pro honestate , & congrua sustentatione Clericorum concedit ipsis fructus ex Beneficio ; sed præcipit , neminem posse ad Sacros ordines promoveri , nisi constet de Beneficio : quod expressè insinuat in Conc. Trid. sess. 21. de reform. cap. 2. incipien. Cum non deceat eos : in quo cap. habentur hæc verba : Statuit Sancta Synodus , ne quis deinceps Clericus secularis , quamvis aliis sit idoneus , moribus ,

scientia , & aetate , ad Sacros Ordines promoveatur , nisi prius legitime constet , eum Beneficium Ecclesiasticum , quod sibi ad vitam honestè sufficiat , pacificè possidere . Ex quibus inferitur , Beneficium esse concessum , imò volitum ab Ecclesia ad honestam , congruamque vitæ Beneficarii sustentationem . Illa ergo doctrina Can. Clericos est intelligenda pro primis temporibus , in quibus omnes Christi fideles de propriis vivebant , & quidem in communi : ut erat tempus Apostolorum . Vel pro temporibus sequentibus , quando Clerici omnes in communi vivebant de propriis bonis , & bona Ecclesiæ interserviebant pro Clericis pauperibus , & aliis fidelibus indigentibus . Tempore autè præsentis alii Canones observantur ; præsertim ille deductus in cap. Episcopi , & cap. Quia nos , de testam . Et accedit universalis Ecclesiæ consuetudo , qua Beneficarii ex fructibus Beneficii vivunt , & bona Patrimonialia ad eorum libitum disponunt , & hæredibus relinquunt .

102 Pro casuum conscientia resolutione infero primò , Beneficiarios de redditibus ex Beneficio non posse licitè ad suum beneplacitum disponere , ultra congruam , & honestam eorum sustentationem . Ratio est , quia sunt bona Ecclesiæ , de quibus Beneficiarius estò sit dominus utilis , non tamen potest de illis redditibus disponere quò ad omnem usum : unde post Beneficarii mortem illa bona remanent Ecclesiæ , & non possunt ad parentes , vel hæredes Beneficarii transferri .

Infero secundò : Beneficarium , si ultra redditus ex Beneficio , haberet alia bona , V. G. patrimonialia , hæreditate acquisita &c. debere sustentari de redditibus ex Beneficio , & ista posteriora bona ad suum beneplacitum posse disponere . Ratio est , quia etsi Beneficiarius sit dominus tantum utilis reddituum Ecclesiasticorum , est tamen dominus proprietatis aliorum bonorum , ratione cuius domini proprietatis potest de illis ad suum libitum disponere , quò ad omnem usum : & etiam de illis testari potest , & suis consanguineis relinquere .

103 PETES PRIMO' . Quanam sit congrua Beneficarii sustentatio ?

Respondetur cum communi sensu Doctorum , dicendo , congruam Beneficarii sustentationem illam esse , quæ ad status personæ Ecclesiasticæ dignitatem , & decorem pertinet . Quare fit , quò ad componendam dignitatem , & decus personæ Ecclesiasticæ , nedum ad sustentationem ejus , & suæ familiæ requiruntur necessaria ; verum ad dignitatem ipsam spectant quædam remuneratoriæ donationes , quæ fieri possunt à Beneficiariis personis , à quibus obligationes traxerunt : spectant insuper expensæ , quæ occurrere possunt in hospitandis Magnatibus ; cum decoris sit personæ Ecclesiasticæ Magnates in domo sua recipere .

Ad

Ad eandem congruam sustentationem spectat etiam donatio, quæ per Beneficiarium fit propriis consanguineis, non ut eos ditet, sed ut eos sustentet; nam dedecoris esset Beneficium, si parentes ejus ob paupertatem mendicarent.

104 *PETES SECVNDO*. *An in omnibus Beneficiariis congrua sustentatio sit æqualis?*

Respondetur negativè. Ratio autem inæqualitatis desumenda est à diversitate dignitatis, & à diversitate loci. A' diversitate dignitatis notum est, quòd plus exigit Canonicus ad congruam suam sustentationem, quàm Parochus; plus Archidiaconus, quàm Canonicus; plus Episcopus, quàm Archidiaconus; plus tandem Cardinalis, quàm Episcopus; & hoc quidem propter diversas dignitates personales istorum. A' diversitate loci; nam in principalioribus Civitatibus, ut hæc Neapolitana, & ceteræ similes Italiæ, majorem decentiam ostendere debent Canonici, Episcopi &c. quàm in parvis Civitatibus; in quibus nec expensæ sunt majores, nec familia est excedens, sicuti in majoribus Civitatibus. Sanè monstruosa esset æquiparantia, quò ad externam pompam, inter Canonicos hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Neapolitanæ, & Canonicos Ecclesiæ Acernensis; & inter hunc Archiepiscopum, & illum Episcopum. Ubi videtur, quòd diversitas loci, diversificat congruam Beneficiorum sustentationem. Ita etiam cõmuniter sentiunt Doctores cum Emin. de Lugo, Layman, Mastrio, Bonacina, Felice de Panormo, & aliis.

105 *PETES TERTIO*. *An Beneficarii ex redditibus superantibus ex Beneficio, possint licite sorores, & alias consanguineas dotare?*

Respondetur cum distinctione, dicendo, quòd si Parentes, & consanguinei Beneficarii, Episcopi V.G. non habeant ex bonis propriis, quibus possent sorores illas, vel consanguineas, dotare; tunc possent Episcopus dotare illas ex redditibus Beneficii. At si habeant de propriis, non possent Episcopus illas dotare. Ratio primi est, quia sorores illæ, & consanguineæ primum locum obtinent inter pauperes, quos tenetur Episcopus alere, de tertia saltem parte reddituum Episcopatus; unde dos illa esset data, tanquam elemosyna. Eò magis; quia sustentare parentes, usque ad status decentiam, spectat etiam ad congruam sustentationem Episcopi. Ratio secundi est, quia Episcopus nequit auferre à pauperibus, quod eorum est, & illud dare parentibus non indigentibus; unde saltem contra charitatem, tunc Episcopus peccaret, si id, quod daret, esset de parte superante congruam suam sustentationem: at si esset de parte ab Ecclesia determinata pro pauperibus, peccaret graviore peccato; quia hæc tertia pars est ipsorum pauperum. In qua re documentum ab Ambrosio Beneficariis datum, infero. Doctor hic lib. de

off. cap. 30. ait: *Hæc est approbanda liberalitas, ut proximos seminis tui ne despicias, si egerere cognoscas; non tamen, ut illos ditiores fieri velis, ex eo, quod tu potes conferre inopibus.*

106 *PETES QVARTO*. *An parentes Episcopi peccent mortaliter, quando Episcopus eis donat, quod tenetur dare pauperibus?*

Respondetur, supponendo prius ea, quæ usque nunc dicta sunt, quòd scilicet Episcopus possit sustentare parentes indigentes, etiam non concedendo elemosynas aliis pauperibus; quia prima charitas à suo sanguine incipit. Respondetur, inquam, cum distinctione ad quæsitum: vel Parentes Episcopi excitant, & inducunt Episcopum, ad res ex Episcopatu provenientes eis donandas; vel non inducunt, nec excitant, sed tantum res donatas recipiunt. Primo modo peccant, quia sunt causa peccati alterius; & inducens, aut provocans alium ad peccandum, peccat; ut dictum est in 5. disp. Secundo modo non peccant; quia non sunt causa inductiva ad peccatum Episcopi, sed hic voluntate sua peccat.

## QVÆSTIO DVODECIMA.

*An, quando Beneficium est tenue, ut vix redditus sufficiant ad congruam sustentationem, teneatur Beneficiarius illos redditus dividere?*

**P**RO hujus quæstionis exacta intelligentia, supponendum est, Beneficarios obligationem habere, saltem ex charitate, alendi pauperes ex tertia parte fructuum illius Beneficii. Sic ab Ecclesia facta fuit distributio reddituum ex Beneficio, ut una pars sit pro congrua Episcopi sustentatione; altera pro Ecclesiæ manutentione, ornamentis &c. & altera tertia pars pro pauperibus alendis. Hinc D. Bernardus super illa verba Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia &c.* ait: *Vivat de Altari, & juxta eundem Apostolum, alimenta, & quibus segatur, habens, his contentus sit. De Altari, inquit, vivat, non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur, non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis; nec loculos inde congreget, aut superfluitate dispergat; non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut nepotes, aut neptes nuptui tradat.* Quæ doctrina melliflui Doctoris benè ponderanda est pro præsentis dubii intelligentia. Nam quia Sanctus Doctor dicit, *de Altari vivat, non superbiat*, significare vult, quòd congruus victus, non superbus, & superexcedens conceditur Episcopo, & cuiuscumque Beneficario ex redditibus Beneficii. Quare dum quæritur, an, si Beneficium sit tenue, ut

ut vix omnes redditus ex Beneficio sufficient ad congruam Beneficarii sustentationem, teneatur hic, redditus illos, etiam in tres partes dividere; supponi debet, quod tenuitas æquiperetur congruæ sustentationi Beneficarii, non excessui, & superbo victui, vel vestitui. His itaque suppositis, pro quæstionis resolutione

**DICO**, quando Beneficium est tenue, & vix sufficiens ad congruam Beneficarii sustentationem, non teneri Beneficarium, redditus ex Beneficio dividere. Hæc sententia est inter Doctores communissima, quam sequuntur Canonistæ omnes, Et

**107** Probatur primò: quando ad sunt duo præcepta ad aliquid faciendum, & utrumq; simul servari non potest, servandum est illud, quod magis urget, postposito altero minus urgenti; sed pro congrua Beneficarii sustentatione adest unum præceptum; pro divisione facienda ex redditibus Beneficii adest aliud præceptum, & primum est urgentius secundo: Ergo Beneficiarius servare debet primum, scilicet de congrua sua sustentatione; quando simul non potest servare secundum, scilicet de divisione reddituum; & consequenter, stante tenuitate Beneficii, non tenetur Beneficiarius dividere Beneficium. Probatur minor: præceptum de congrua Beneficarii sustentatione, est præceptum ortum ex justitia simul, & charitate: præceptum de divisione facienda ex redditibus Beneficii, est tantum ortum ex charitate; sed magis urget præceptum ex justitia simul, & charitate ortum, quam præceptum ortum ex sola charitate: Ergo &c. Minor est certa; quia ibi sunt duæ virtutes, & justitia est præstantior charitate: hic verò est una tantum virtus. Probatur major: congrua Beneficarii sustentatio est debita Beneficario, tum Jure naturæ, quo tenemur omnes ad vitam sustentandam; tum Jure humano, & Canonico, quo Ecclesiasticus non debet statum suum dedecorare, Divisio illa facienda nullo Jure debita est, sed tantum ex charitate debita: Ergo &c.

Confirmatur hoc: divisio illa facienda, esset in beneficium, & utilitatem Ecclesiæ, & in pauperum sublevationem; sed magis tenetur Beneficiarius pro sua congrua sustentatione, quam pro utilitate Ecclesiæ, & pauperum sublevatione: Ergo quando Beneficium est tenue, non tenetur Beneficiarius ad faciendam divisionem Ecclesiæ, & pauperibus. Probatur minor: absolutè loquendo, magis quis tenetur diligere seipsum, quam proximum: Ergo etiam, ut servetur in suo statu: Ergo magis tenetur Beneficiarius pro sua congrua sustentatione, quam pro utilitate Ecclesiæ, & pauperum sublevatione.

**108** Confirmatur secundò, ex quadam D. Augustini doctrina de Pœnit. dist. 3. ubi ait. *Qui vult elemosynam ordinatè dare, à seipso debet incipere, & eam sibi primum dare: est enim elec-*

*mosyna opus misericordie; verissimeque dictum est: misereve anima tua, placens Deo.* Ex quibus verbis infertur, quemlibet magis teneri pro sui congrua sustentatione, quam pro aliis, pro quibus sola charitas præcipit: Ergo &c.

**109** Probatur secundò. Ex Decret. In Can. *Nullo Episcoporum* §. *his ita respondetur*, 12. q. 2. habentur hæc verba: *Sicut, perfectione charitatis manente, licet res Ecclesiæ omnibus debeant esse communes; primum tamen sibi, & suæ Ecclesiæ deservientibus subministrat: reliqua, quæ supersunt, fidelium usibus ministraturus.* Et infra subdit. *Ex his, quæ sibi assignata sunt, primum sibi necessaria percipiat; si quæ verò suis necessitatibus supersunt, in communes Ecclesiæ usus expendat.* Ex quibus verbis infertur, Beneficarium primum sibi providere debere, & de iis, quæ supersunt, administrare debere in usus pauperum: Ergo quoties nihil superest congruæ ejus sustentationi, non tenetur redditus ex Beneficio dividere.

Eò vel maxime, quia splendoris, & honoris est Ecclesiæ, quod ministri ejusdem, & præsertim si sint Prælati, juxta condecens statum vivant, ut venerationem totius orbis Christiani apud se trahant: & ut gravitate, majestatem, & Ecclesiastica pompa confundatur infidelium superbia; adeoque &c.

### Solvuntur Objectiones.

**110** **O** Bicies primò: Nemo potest de re aliena congruam vitam ducere; sed nisi Beneficiarius dividat redditus ex Beneficio, quamvis tenui, jam vitam duceret de re aliena: Ergo Beneficiarius, etiam quando Beneficium est tenue, tenetur redditus ex Beneficio dividere. Major est certa; quia qui pascitur, & vestitur de re aliena, peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur. Probatur minor: Beneficiarius, etiam quando Beneficium est tenue, tenetur ex justitia, dare unam partem ex redditibus Ecclesiæ, alteram pauperibus, & alteram pro seipso retinere: Ergo quoties singulas partes pro seipso retinet, jam vitam duceret de re aliena. Probatur antecedens: sicuti ex justitia illa pars debetur Beneficario, taliter ut si ab eo auferatur, auferens peccaret contra justitiam, & ad restitutionem teneretur; ita ex justitia illæ duæ partes spectant ad Ecclesiam, & ad pauperes, ut si ab eis auferantur, auferens peccaret contra justitiam, & ad restitutionem teneretur: Ergo Beneficiarius, estò Beneficium sit tenue, ex justitia debet unam partem ex redditibus dare Ecclesiæ, & alteram pauperibus: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem nego antecedens; & ad ejus probationem dico, rationem illam valere, quando re vera illæ duæ partes deberentur ex justitia Ecclesiæ, & pauperibus ( ut argumen-

tum supponit), At non ex iustitia debentur, sed ex sola charitate, Enimverò divisio illa facta ab Ecclesia in suo primitivo ordine constituta, solum fuit facta, ad evitandum luxum quorundam Ecclesiasticorum, qui in pernicioso status Ecclesiastici crescebat; & ad evitandos profanos abusus à quibusdam Ecclesiasticis introductos: quare, dum nulla ex illis partibus superest statui congruæ sustentationis Beneficarii, non tenetur ex iustitia Beneficiarius, illas dividere: præsertim quia ille est potior in Jure, quàm Ecclesia, & pauperes. Divisio itaque facta, supponit superfluitatem congruæ sustentationis; & iccirco, quando Beneficium est tenue, ut nulla pars superfit, non tenetur Beneficiarius divisionem facere.

Dices: dum Beneficiarius in suos usus assumit, quod est alterius, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem; sed quando non facit divisionem reddituum ex Beneficio, in suos usus assumit, quod est alterius: Ergo peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, Probatur minor: in utilitatem Ecclesiæ, & in pauperum sublevationem sunt assignatæ illæ duæ partes, tanquam propriæ, & ex iustitia spectantes Ecclesiæ, & pauperibus: Ergo dum Ecclesiæ, & pauperibus non datur propria pars, sed omnes redditus in suum usum assumit Beneficiarius, jam in usum suum assumit, quod est alterius. Antecedens desumitur ex quadam D. Thomæ doctrinâ, quam habet in quolib. 6. art. 12. ad tertium. Ubi loquendo de bonis, de quibus tenetur Beneficiarius facere distributionem, ait: *In primis bonis peccatum committitur, non solum ex abusu, sed etiâ ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit, quod est alterius; & ideo tenetur ad restitutionem, tanquam defraudator rei alienæ; Ergo &c.*

Respondetur negando minorem, & antecedens probationis, & ad autoritatem Divi Thomæ dico, Angelicum Doctorem loco cit. locutum fuisse, non de divisione reddituum faciendâ ex Beneficio; sed de distributione quorundam reddituum Ecclesiæ, vel hospitalium, relictorum ad pios usus, tum Ecclesiæ, tum pauperum; & hujusmodi bona sunt bona propria Ecclesiæ, & pauperum; atque ideo Beneficiarius, si sit Episcopus, si Canonici, si Parochus &c. si in proprios usus redditus illos assumit, jam assumit, quod est alterius; quia circa illos redditus non est Dominus, sed tantum distributor; imò, ut dicit Sanctus Doctor, peccaret etiam contra fidelitatem ex mala administratione, ultra peccatum, quod committeret contra iustitiam: quod deducitur ex verbis ipsius in initio §. ubi ait: *Aliiter dicendum de illis Ecclesiasticis bonis, quæ principaliter sunt attribuenda necessitatibus pauperum, & ex consequenti necessitatibus Ministrorum: sicut sunt bona hospitalium, & alia hujusmodi. Ex quibus infero, quòd loquendo de*

bonis provenientius ex Beneficio, quia hæc sunt de Jure Beneficario concessa, sunt bona propria ipsius, ad usum suæ congruæ sustentationis; adeoque dum nihil superest suæ congruæ sustentationi, non est obligatus Beneficiarius ad faciendam divisionem.

¶ 11 Obijcies secundo. Si non teneretur Beneficiarius divisionem facere ex redditibus provenientius ex Beneficio, etiam si Beneficium sit tenue, sequeretur, Beneficarium posse de illis disponere ad omnem usum, & superfluitatem victus, vestitus, ornamentorum, turbæ famulorum, &c. sed hoc est contra Sacros Canones, & præsertim contra Conc. Tridentinum; Ergo tenetur Beneficiarius divisionem facere ex redditibus provenientius ex Beneficio, etiam si sit tenue. Minor patet ex Concil. Trid. sess. 25. de refor. cap. 1. Incip. *Optandum est &c.* ubi circa medium habentur hæc verba: *Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solum jubet, ut Episcopi modestia suppellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vita genere, ac tota ejus domo, caveant, ne quid appareat, quòd à Sancto hoc instituto sit alienum; quòdque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præferat.* Probatur nunc major: quoties ex iustitia non tenetur Beneficiarius divisionem facere, quando Beneficium est tenue, non impeditur à libera dispositione reddituum quò ad omnem usum, & superfluitatem: Ergo posset disponere de illis redditibus ad omnem usum, & superfluitatem.

Respondetur negando majorem, & antecedens probationis, Dico igitur, Beneficarium, dum tenue possidet Beneficium, non posse de illo disponere ad omnem usum reddituum; cum supponantur redditus illi vix sufficientes pro congrua Beneficarii sustentatione: quare, si non potest ob tenuitatem illorum divisionem facere, neque poterit de illis disponere ad alios usus, præterquam ad propriam congruam sustentationem, supra explicatam. Argumentum itaque supponit falsum, quòd scilicet redditus illi superent congruam sustentationem, dum dicit, posse Beneficarium de illis disponere, quò ad omnem usum, & superfluitatem. Et per hoc Concilium cit. prohibet Episcopis superfluitatem; cum hujusmodi superfluitas cedat in præjudicium Ecclesiæ, & pauperum, pro illis portionibus, quæ ad illos pertinent. Neque ex illis Concilii verbis inferitur quicquam contra decentem, congruumque statum Episcopi, de quo nos loquimur; nam idem Conc. cap. cit. subdit: *Omnino verò interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant.* Ex quibus constat, loqui de superfluo suo statui, suæque congruæ sustentationi; non verò loqui de ipsa congrua sustentatione; adeoque &c.

¶ 12 Pro casuum conscientie resolutione infero primò, quòd quando Beneficium est pingue,

gue, & dividi potest in tres partes; tunc tenetur Beneficiarius redditus ex Beneficio dividere, & unam partem pro seipso retinere: alias duas Ecclesiæ, & pauperibus distribuere. Ratio est, (ultra Canonum determinationes) quia illæ duæ partes ex charitate saltem debentur Ecclesiæ, & pauperibus, qui de bonis Ecclesiæ, ut ejus membra, vivere debent.

Infero secundò, quòd, quando Beneficium est tenue, & vix sufficit ad congruam sustentationem Beneficiarii; tunc non tenetur illud dividere, sed omnes redditus potest licite, & absque alterius injustitia, pro sua congrua sustentatione applicare. Ratio est, quia redditus pro congrua sustentatione Beneficiarii, debetur Beneficiario ex justitia; Ecclesiæ verò, & pauperibus, tantùm ex charitate: & quilibet magis tenetur seipsum diligere, & Jus suū facere, quàm alterum non habentem Jus rigorosum amare; adeoque &c.

113 *PETES. An in hac congrua sustentatione Beneficiarii, quando Beneficium est tenue, includantur consanguinei pauperes ipsius Beneficiarii?*

Respondetur affirmativè, juxta ea, quæ dicta sunt supra. Ratio est, quia consanguinei Episcopi, & cujuscunque Beneficiarii, præsertim si sunt Genitores, & sorores, sunt de familia Beneficiarii; atque ideo connumerari debent inter eos, qui spectant ad congruam sustentationem Beneficiarii; præsertim quia citatum Concilium concedit Beneficiariis posse, & debere ipsis parentibus nutrimentum præstare de Ecclesiæ redditibus. Quod patet ex supra relatâ less 25. cap. 1. *Sed si pauperes sint, iis, ut pauperibus, distribuant.* Id ipsum patet ex Can. *studeat in fine, 50. dist. ubi habetur: Præcipimus, ut tale Beneficium sibi Ecclesiæ concedatur, quo & ipse, & sui sufficienter possint habere suæ sustentationis solatium.* Ex qua textus decisione, patet, nutrimentum præstandum parentibus à Beneficiario includi debere in congrua Beneficiarii sustentatione: adeoque &c.

### QVÆSTIO TERTIADECIMA.

*An bona acquisita, & meliorationes factæ à Beneficiario, cadant sub perfectum ejus dominium?*

**D**uplicem habet partem prælens quæstio, de bonis scilicet acquisitis, & de meliorationibus factis à Beneficiario circa fundum Beneficiarii, Ecclesiâ, Capellam, prædia; & similia ad ipsum Beneficiarium spectantia. Episcopus V. G. habeat prædia, ex quibus percipit fructus ad suum Episcopatû spectantes: augeat prædia ipsa, ita ut si prius reddebant mille aureos per singulos annos, ex facta melioratione reddant mille, & quingentos aureos. Nunc quæritur, an illi quingenti

aurei, quæ sunt bona per ipsum Episcopum acquisita, cadant, ipso vivente, sub perfectum ejus dominium, ut possit de illis ad suum libitum disponere, illaque suis hæredibus relinquere? Et insuper: an illæ meliorationes, quæ in perpetuum sunt duraturæ, ita cadant sub ejusdem Episcopi dominium, ut ipse possit illas suis hæredibus relinquere?

In hac re supponendum est, bona acquisita ab Episcopo, posse esse, vel ex fructibus Episcopatus, vel ex rebus propriis, quas habebat ante collationem Episcopatus, ex amplo scilicet Patrimonio, aut per hæreditatem, aut alio quocunque modo sibi succedentes. Si bona acquisita sunt ex fructibus Episcopatus, aliter sentiendum est, ac si sunt acquisita ex Patrimonio, industria, vel hæreditate sibi succedente; atque idem dicendum de meliorationibus. Quapropter in duas partes, hac supposita distinctione, decidenda est quæstio. Unde

*DICO*, bona acquisita, & meliorationes factas à Beneficiario, vel emente fundos, prædia, & similia, vel illa augente; si sunt bona acquisita ex fructibus Beneficii, non cadere, sub Beneficiarii perfectum dominium: Si verò sint bona acquisita industria, ex Patrimonio, vel veniant ex hæreditate, cadere posse, & debere sub ejusdem Beneficiarii perfectum dominium. Conclusio hæc est communissima, & à pluribus tangitur Doctoribus. Et deducitur ex Scoto in 4. dist. 15. quæst. 2. §. *Hic sunt quatuor &c.*

114 *Probatur prima pars: sub illius plenum, & perfectum dominium cadere debent bona acquisita, & meliorationes factæ à Beneficiario, sub cujus dominium cadunt pecuniæ expensæ ad illas meliorationes; sed quando pecuniæ sunt ex fructibus Beneficii, non cadunt sub perfectum dominium Beneficiarii: Ergo neque meliorationes factæ per talem pecuniâ, habitam ex fructibus Beneficii, cadere possunt sub perfectum Beneficiarii dominium. Major est indubitata; nam si sub Titii potestatem cadit summa mille aureorum, quam justo titulo possidet, sub ejusdem dominium cadit prædium ab eo emptum tali pecunia. Probatur nunc minor: pecunia Beneficiarii, quæ provenit ex fructibus Beneficii, est tantùm sub usu, vel ad summum sub utili dominio Beneficiarii: Ergo non potest cadere sub perfectum ejus dominium. Probatur antecedens; pecunia ex fructibus Beneficii est tantùm à Beneficiario disponenda ad congruam sui sustentationem, ad augmentum Ecclesiæ, & pauperum sublevationem; sed quando pecunia ex fructibus Beneficii est ita determinata, non potest cadere, nisi tantùm sub usu, quoad mortem Beneficiarii; quia de illa testari non potest; vel sub utili dominio, in vita; quatenus ex illa potest disponere, vel ad augmentum bonorum Ecclesiæ, vel mensæ Episcopalis, ad fabricam, emptiones prædiorum &c.*

D d d 3 vel



vel ad illam elargiendam pauperibus: Ergo &c.

Confirmatur hoc ex Alex. III. in cap. *Quia Nos, de Testam.*, ubi habetur: *De his tamen, quæ consideratione Ecclesie perceperunt, nullum de Iure facere possunt testamentum; sed quoties Beneficarii de bonis acquisitis ex fructibus Beneficii, non possunt facere testamentum, illa bona nequeunt cadere sub perfectum Beneficarii dominium: Ergo &c.* Probatur ista minor; nam perfectum dominium per hoc distinguitur à dominio tantum utili, quod dominium perfectum est dispositio rei quod ad omnem usum, usque ad testamentum faciendum de illa, & hæredibus relinquendam: dominium verò utile non est quod ad omnem usum (ut patet ex 2. disp. hujus libri:) Ergo &c. Tum etiam idem confirmat Concil. Agathense cap. 18. *Quicquid verò de provisione sua Ecclesia fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia in Iure Ecclesie reservare censemus: Ergo &c.*

115 Neque valet, si dicas, hanc rationem solum valere de ipso Beneficio non cadente sub dominium Beneficarii, de quo ad suum libitum disponere non potest: secus verò de fructibus perceptis ex Beneficio, qui non minus, ac fructus usufructuarii cadentes sub ejus dominium, cadere debent sub perfectum dominium Beneficarii,

Non valet, inquam; nam Beneficiarius, ne dum dominium proprietatis, & perfectum non habet ad Beneficium, ita ut de illo disponere non possit ad suum beneplacitum; sed neque dominium proprietatis, & perfectum habet ad fructus perceptos ex beneficio; cum hujusmodi fructus sint ipsi Beneficario assignati, pro sua congrua sustentatione, augmento, & utilitate Ecclesie; & ad pauperum sublevationem: Ergo nulla responsio. Probatur assumptum antecedentis; nam quoties fructus illi caderent sub perfectum Beneficarii dominium, jam posset Beneficiarius de illis testari: quod est contra determinationem Alex. III. supra relatam. Posset insuper fructus illos parentibus donare: quod est contra Conc. Trid. sess. 25. cap. 1. de ref. dicens: *Cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donentur &c.* Posset tandem fructus illos ad omnem vatum usum disponere: quod per Sacros Canones prohibitum est: Ergo &c.

Tum etiam, quia paritas de usufructuario tantum valet, quod ad alias dispositiones non prohibitas per Canones, non quod ad omnem dispositionem; nam usufructuarius dicitur talis, tantum quod ad rem, quam possidet in usufructum; non verò quod ad fructus perceptos ex re; quia fructus illi sub ejus plenum, & directum dominium cadunt, sed Beneficiarius est usufructuarius, tam fundi Beneficii, quam fructuum ex Beneficio: Ergo non eo;

dem modo potest de fructibus ex Beneficio disponere Beneficiarius, ac usufructuarius: Ergo &c.

116 Probatur secunda pars: quando meliorationes factæ à Beneficario fuerunt factæ pecunia proveniente ex bonis Patrimonialibus, vel per hæreditatem, vel industria Beneficarii, nullo Jure possunt ad Ecclesiam spectare: Ergo hujusmodi bona, & meliorationes cadere debent sub perfectum dominium Beneficarii. Probatur antecedens; si aliquo Jure spectarent, ad Ecclesiam, hoc esset, quia sunt bona Beneficarii; sed hæc ratio non valet: Ergo &c. Probatur minor: bona Beneficarii, quæ non sunt ex Beneficio, non privant Beneficarium perfecto, & pleno dominio ad illa; nec reddunt Beneficarium incapax dominii: Ergo ex hoc, quod sunt bona Beneficarii, non sequitur, quod spectare debeant ad Ecclesiam. Probatur antecedens; hæc nanque differentia est inter Beneficarium, & Religiosum voto paupertatis ligatum, quod hic ratione voti redditur cujusunque dominii incapax, secus verò Beneficiarius, qui tali voto non est ligatus: Ergo &c.

Eò vel maxime; quia ob capacitatem dominii, quam habet Beneficiarius, sicut potest succedere ad paternam, & ad quamcunque aliam hæreditatem, ita de illa potest ad suum libitum disponere: Ergo quoties de illa hæreditate emeret prædia, fundum &c. pro augmento Beneficii, & postea vellet illa prædia, fundum &c. suis hæredibus donare, posset licite hoc facere; cum sint bona sua, & non Ecclesie: Ergo cadunt sub perfectum ejus dominium,

### Solvuntur Objectiones.

117 **O**bjicies primò contra primam partem. Si Episcopus fructus omnes ex Beneficio vellet pro seipso applicare, nullam alteri faceret injuriam; Ergo si partem aliquam ex illis applicaret in augmentum Beneficii; in emptionem scilicet prædii &c. tunc talis emptio in nullius præjudicium cederet; sed quando aliquis contractus fit ab Episcopo, absque alterius præjudicio, res illa habita, & acquisita per talem contractum cadit sub ejusdem Episcopi plenum, & perfectum dominium: Ergo bona acquisita ab Episcopo ex fructibus Beneficii cadunt sub ejus perfectum dominium. Probatur antecedens: si aliquam in illo casu faceret injuriam, hanc faceret, vel Ecclesie, vel pauperibus; sed nec Ecclesie, nec pauperibus injuriam faceret: Ergo &c. Probatur minor: nec Ecclesia, nec pauperes Jus strictum, & rigorosum ex commutativa justitia habent ad fructus illos perceptos ex Beneficio Episcopi, sed tantum ex charitate ortum, qua tenetur Episcopus unam partem Ecclesie, & alteram pau-

pauperibus erogare, tertia tantum retenta pro seipso: Ergo &c.

Respondetur dist. antecedens: nullam alteri faceret injuriam, ortam ex commutativa justitia, concedo antecedens: ortam ex virtute charitatis, qua tenetur alteri dare partem ab Ecclesia determinatam, nego antecedens; & concessio consequenti, dist. minorem subsumptam: si ille contractus sit pecunia propria proveniente ex Patrimonio, hæreditate, vel alio titulo, distincto à Beneficio, concedo minorem subsumptam: si ille contractus sit ab Episcopo pecunia proveniente ex fructibus Beneficii, nego minorem, & consequentiam. Quamvis ergo Episcopus, applicando pro seipso omnes fructus Beneficii, nullam injuriam alteri faceret, ortam ex commutativa Justitia; quia non tenetur ex rigorosa justitia partes illas dividere inter Ecclesiam, & pauperes, ut supra dictum est; nec Ecclesia, nec pauperes Jus strictum haberet ad illos fructus Episcopatus: faceret tamen præjudicium, & injuriam Ecclesie, & pauperibus, ortam ex charitate, qua tenetur, unam partem ex illis fructibus, Ecclesie, & alteram pauperibus erogare: retenta tertia parte tantum pro seipso. Et estò contractus, qui fiunt ab Episcopo propria pecunia, proveniente ex Patrimonio, hæreditate &c. cadant sub ejusdem Episcopi perfectum, plenumque dominium, ut de re contracta, prædio V.G. possit ad suum libitum disponere, hæredibus relinquere, donare &c. tamen contractus, qui fiunt pecunia proveniente ex fructibus Beneficii, non cadunt sub perfectum Episcopi dominium. Ratio hujus secundi est, quia sicuti fructus illi ex Beneficio non sunt sub perfectum Episcopi dominium, ita res empta ex talibus fructibus non potest sub ejus dominium cadere.

Dices: si Episcopus pecuniam illam alteri donaret, & illam non expendisset in emptio-nem prædii, valida esset illa donatio: Ergo si donaret prædium illud emptum pecunia ex fructibus Beneficii, etiam esset valida donatio; sed hoc esset falsum, si illud prædium emptum ex fructibus Beneficii non caderet sub Episcopi dominium: Ergo prædium illud sub Episcopi dominium cadit. Probatum antecedens: tunc est valida donatio, quando non obligat Donatarium ad restitutionem; sed pecunia ab Episcopo alteri donata, non obligat Donatarium ad restitutionem; quia validè Donatarius illam reciperet; cum donatio liberaliter, & gratuito facta fuerit: Ergo &c.

Respondetur dist. antecedens: valida esset illa donatio, & simul licita, nego antecedens: valida tantum, sub dist. ex parte recipientis, concedo antecedens; ex parte dantis, nego antecedens, & eodem modo dist. consequens, cum subsumpta minori probationis. Et ad probationem ejus, eodem modo dist. totum syllogismum. Donatio nanq; potest simul esse

licita, & valida: simul insuper illicita, & invalida: & tandem tantum valida, & non licita. Tunc est simul licita, & valida, quando res donata est ipsius donantis, & stat sub perfecto ejus dominio, & insuper capax est, illam donandi absque ullo præjudicio alterius: & insuper Donatarius est capax, donationem illam recipiendi, Tunc verò est illicita simul, & invalida, quando nec res est sub dominio donantis, nec ipse donans est capax donandi, ut evenit in impubere: & recipiens est incapax illam recipiendi; ut si esset Religiosus professus, voto paupertatis obstrictus. Tunc tandem est tantum valida, sed illicita, quando Donatarius est capax donationem recipiendi, & aliunde nullum affertur alteri præjudicium, & injuria, qui proinde Jus strictum haberet ad rem illam donatam; at donans non donaret rem cadentem sub ejus perfectum dominium; licet non rem alienam donaret. In casu nostro, si Episcopus, donando pecuniam illam ex fructibus Beneficii, vel prædium emptum ex illis fructibus, licet esset valida donatio ex parte recipientis, quatenus Donatarius validè reciperet, sciens, rem illam non esse alienam; Episcopus tamen non validè donaret; quia non potest alteri donare, quod distribuere tenetur Ecclesie, & pauperibus. Et tandem non esset licita donatio; quia esset facta contra charitatis præceptum, quo obligatus est Episcopus ad non donandum id, quod ad pauperes, & ad Ecclesiam spectat, saltem ex charitatis motivo.

118 Objicies secundò contra secundam partem. Bona Beneficarii sunt bona Ecclesie; sed bona Ecclesie non possunt cadere sub perfectum Beneficarii dominium: Ergo bona Beneficarii non possunt cadere sub perfectum Beneficarii dominium; Ergo bona, unde unde proveniant ipsi Beneficario, non possunt sub ejus perfectum dominium cadere, Probatum major: quæcunque bona Beneficarii sunt data personæ, prout Beneficaria est; sed quod est datum personæ, pro ut Beneficaria est, est bonum Ecclesie: Ergo &c. Probatum major: Patrimonialia bona, etsi non dentur personæ Beneficariæ formaliter, dantur tamen personæ Beneficariæ æquivalenter; quia Patrimonium Beneficio æquivalet, & loco Beneficii subintrat ad sustentandam personam Ecclesiasticam in statu Ecclesiastico: Ergo &c.

Respondetur dist. majorem: bona Beneficarii sunt bona Ecclesie, si proveniunt ex Beneficio, concedo majorem: si non proveniunt ex Beneficio, sed aliunde, nego majorem, & concessio minori in primo sensu, negata in secundo, nego primam consequentiam in eodem sensu distinctionis: & absolutè nego ultimam consequentiam, cum majori probationis, Dico igitur, bona illa Beneficarii, quæ proveniunt ex Beneficio, utique esse bona Ecclesie, & tantum unam partem illorum spectare ad con-

congruam Beneficarii sustentationem, & alias duas partes dividendas esse inter Ecclesiam, & pauperes : & hæc quidem bona non possunt cadere sub perfectum Beneficarii dominium : atque ideo quæcunque res , quæ ex illis bonis provenientius ex Beneficio emeretur à Beneficario, sub hujus dominium non caderet. Ac illa bona , quæ provenirent ex hæreditate , vel Patrimonio, non sunt bona Ecclesiæ, sed bona personalia ipsius Beneficarii , quæ etiamsi non esset Beneficiarius, adhuc illa ipsi obvenirent : & hæc quidem bona cadunt sub ejus perfectum dominium, ita ut quæcunque emptiones, quæ fierent ex his propriis bonis, cadant etiam sub Beneficarii dominium . Patrimonio verò æquivaleret Beneficio tantum in hoc, quòd Beneficio deficiente, qui titulus est ad Sacerdotalem dignitatem , sufficiens est Patrimonio, ut conferatur ista dignitas carenti Beneficio , ut colligitur ex Conc. Trid. sess. 21. cap. 2. de reform. Non verò æquivaleret Beneficio, quantum ad dispositionem fructus provenientius ab utroque ; nam Patrimonio est bonum privatum , & personale , & fructus ejus cadunt sub perfectum dominium Patrimoniatum ; Beneficium verò non est bonum personale , & fructus ejus, non cadunt sub perfectum Beneficarii dominium. Dixi (Beneficiu non esse personale ) ; quia non huic determinatæ personæ ex vi foundationis competit ; sed illi, cui ab Ecclesia confertur : at Patrimonio pro hac determinata persona fundatur, & cessat cessante illa persona , pro qua est assignatum ; nisi hæc velit alteri tale Patrimonio donare.

119 Pro casuum conscientiarum resolutione infero primò ; omnia bona, & meliorationes factas à Beneficario ex fructibus Beneficii, non cadere sub Beneficarii potestatem : ut si ex fructibus Episcopatus Episcopus ædificet domos, emat prædia, possessiones &c. tunc hujusmodi meliorationes non cadunt sub perfectum dominium Episcopi. Ratio est, qui sicuti non est absolutus Dominus illorum fructuum, ita nequit de rebus emptis ex pecunia illorum fructuum, ad suum libitum disponere.

Infero secundò , meliorationes factas à Beneficario ex fructibus Patrimonio, cadere sub perfectum Beneficarii dominium . Ratio est, quia fructus patrimoniales disponi possunt à possidente Patrimonio , quò ad omnem usum ; quæ dispositio à pleno, & perfecto dominio provenit.

Infero tertio , quòd si Beneficiarius habeat tenue Beneficium , & amplum Patrimonio ; & aliunde emat prædia, possessiones &c. hujusmodi meliorationes supponitur factæ ex fructibus Patrimonio : unde si Beneficiarius moreretur, ad ejus hæredes, ad quos redit Patrimonio , spectare debent prædia illa , & possessiones ( nisi aliter Beneficiarius disposuerit ; pro Ecclesia scilicet, vel pro aliis. ) Ratio est,

quia , cum non sint meliorationes ex bonis Ecclesiæ factæ, sed ex bonis propriis, sequuntur naturam Patrimonio : quod , cum ad hæredes perveniat post mortem Patrimoniatum, etiam res , & meliorationes factæ ex bonis ipsius Patrimonio, ad hæredes pertinent .

Infero tandem quartò , dispositionem bonorum omnium , quæ Beneficario sunt donata ratione personæ ; cum sint bona personalia, ad ipsius voluntatem spectare, cum plena facultate donandi , & quomodolibet alienandi . Si verò sunt donata Beneficario tanquam capiti Ecclesiæ, & in Ecclesiæ utilitatem, nequit de illis aliter disponere , quàm fuerit mens Donatoris . Ratio primi est , quia bona personalia cadunt sub personæ dominium ad omnem ejus usum . Ratio secundi est , quia quæ data sunt Beneficario, ut Administratori Ecclesiæ, non sunt bona propria ; imò non adimplendo mentem Donatoris, aliter scilicet disponendo de illis bonis, peccaret contra justitiam, & fidelitatem.

#### QVÆSTIO QVARTADECIMA.

*An Residentia Beneficarii in loco , ubi manet Beneficium , sit necessaria ipsi Beneficario : & in quo casu dispensari possit ?*

**M**ulta sunt Beneficia Ecclesiastica , præsertim illa , quæ curam habent animarum annexam , quæ ponunt obligationem in Beneficariis ad residendum in loco, ubi est Beneficium : ut Episcopatus, Parochia, Canonicatus &c. quæ Beneficia sunt cum onere Ecclesiæ inserviendi . Quare ita videtur necessaria Beneficariis residentia in loco Beneficii , ut non absque injustitia , lucrum ex Beneficio accipiat Beneficiarius non personaliter residens in loco Beneficii , attendendo curæ animarum ; divinis personaliter interveniendo officiis ; ceteraque administrando, quæ ad ipsius officium spectant : præsertim quia Concilium Tridentinum sess. 23. de ref. cap. 7. infra ponendo, decernit, eos, qui curatum officium obtinent , de Jure divino teneri ad residendum in loco sui officii : nec eis suffragari posse , si per alios id præstetur ; nisi in casibus ab ipso Concilio exceptis . Unde residentia nil aliud est, quàm assidua commoratio in loco Beneficii , ad obsequia Ecclesiastica personaliter præstanda : ita ut nedum dicat commorationem in loco Beneficii ; sed etiam personale exercitium Beneficarii ad suum munus adimplendum . Quare , si quis resideat in loco Beneficii , & per alium exerceat munus suum, jam tanquam non residere diceretur, & injustè fructus reciperet ex Beneficio . Hoc se-

re

re communiter tenent Doctores cum Layman, Soto, Bonacina, & aliis, cum quibus idem sentiunt Astephanus, & Mastrius ex nostris.

Quod autem queritur in presenti est, an sit Beneficiariis necessaria residentia in loco, in quo est Beneficium, & an hæc in aliquibus casibus possit dispensari? & pro utriusque partis resolutione

*DICO*, Residentiam Beneficarii in loco, ubi est Beneficium, præsertim curatum, esse Beneficiariis de Jure divino necessariam; & solum ab hac Beneficiarios dispensari posse in quatuor casibus in Concilio Tridentino citatis. Conclusio est omnium Doctorum, & in cit. Conc. expressa. Et de hac pertractant Barbosa, Fill, Azorius, Layman, & alii.

120 Probatur prima pars: Residentia Beneficarii in loco, ubi est Beneficium Curatum, est præcepto divino ordinata: Ergo est necessaria Beneficiariis ex Jure divino. Probatur antecedens; primò ex illo Joan. 21, ubi Christus Dominus dixit D. Petro. *Pasce oves meas.*

Secundò, ex illo Actorum 20. *Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quæ acquisivit sanguine suo, sed ly Pasce est verbum præceptivum; sicuti ly Attendite: Ergo residentia Beneficarii, qui curam animarum habet, est præcepto divino ordinata. His Sacræ Scripturæ doctrinis moti Patres Tridentini Concilii ordinaverunt eis, qui curam animarum habent, non abesse à propria Beneficii residentia, his verbis sess. illa 23, cap. 1. *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui Gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma Gregis, in judicio, & veritate pascant, & regant.* Per quæ verba constat necessitas cum obligatione residendi in loco Beneficii, quædo hoc est Beneficium curatum.*

121 Probatur secundò, ratione fundata supra verba Concilii. Quoties ex absentia Episcopi, vel Beneficarii curati à loco suæ residentie damnum patiuntur animæ, suæ curæ commissæ, toties Beneficario curato est necessaria Residentia in loco Beneficii; sed per absentiam Episcopi à loco suæ Residentie, animæ, suæ curæ commissæ, damnum patiuntur: Ergo ejusdem Residentie necessaria est in loco, ubi est Beneficium. Probatur primò major: Beneficium, quod confertur, intenditur ad curam animarum, & non ad Beneficarii utilitatem; Ergo quoties per absentiam Beneficarii à lo-

co Residentie damnum patiuntur animæ, suæ curæ commissæ, videtur necessaria Residentia ipsi Beneficario, Probatur minor principalis: quando Episcopus est absens à loco suæ Residentie, quamvis per alios facere possit quicquid tenetur facere: ut sacrificia offerre, Verbum divinum prædicare; Sacramenta administrare &c. nequit tamen cum tanto zelo, & exemplo facere per alios, quod ipse solus facere potest: Ergo per ejus absentiam damnum paterentur animæ, suæ curæ commissæ, Probatur antecedens: per alios non potest exempla bonorum operum præbere, & cognitionem habere ovium suarum: Ergo non potest æquè bene facere per alios, quod tenetur ipse facere: Ergo per ipsum Episcopum hoc præstandum est; ac per consequens, ut majori zelo, & exemplo ad ovile Christi ducat oves suas, necessaria est ejusdem Episcopi præsentia, & Residentia.

Confirmatur: quoties Sacrosancta Synodus infligit pœnas contra non Residentes, tum à Paulo III. taxatas, tum per ipsam Synodum inflictas, toties supponit obligationem in Beneficiariis Residendi; sed pœnas infligit contra non Residentes: Ergo supponit obligationem Residendi in Beneficiariis. Major patet ex verbis ejusdem cap. Conc. circa medium, quæ sunt: *Si quis contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit Sacrosancta Synodus, præter alias pœnas adversus non Residentes sub Paulo III. impostas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentie, fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta &c.* Quæ ultima verba, alia etiam declaratione non secuta &c. Exprimunt obligationem in conscientia, nullâ expectata Judicis sententia. Probatur major: nullum Ecclesiasticum decretum, præsertim ortum à Sacro Concilio, ut aliquid fiat, stare potest sine obligatione illud faciendi: Ergo quoties Concilium præcipit Beneficiariis Residentiam, & simul pœnas infligit contra non Residentes, toties obligationem ponit residendi: Ergo &c.

122 Probatur secunda pars: Tunc potest excusari Beneficarius à Residentia in loco Beneficii, quando absentia à loco est causa juvandi proximum constitutum in extrema necessitate, & auxilio Beneficarii indigentem. Vel quando absentia à loco est propter gravem necessitatem ipsius Beneficarii, ne ob aeris intemperiem periculum vitæ incurrat in loco suæ Residentie. Vel si absentia Beneficarii sit in servitium Ecclesie; ut si Beneficarius sit occupatus de mandato Sedis Apostolicæ, vel Papæ in ipsius Apostolicæ Sedis servitio. Vel tandem si absentia sit ob Ecclesie negotium: Ergo per hos quatuor casus potest Beneficarius excusari à Residentia in loco Beneficii, Probatur assumptum, Primò de omnibus his casibus ex Conc. Tridentino cap. 1. cit. ubi postquam

quam determinaverit, Beneficiarios, & Episcopos abesse non posse à loco suæ Residentiæ, subdit: *Nisi ex causis, & modis infrascriptis. Nam cum Christiana Charitas,urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas, aliquos nonnunquam abesse postulent, & exigant; decernit eadem Sacrosancta Synodus, has legitimæ absentia causas à Beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitanò &c. Idem assumptum quò ad duas posteriores causas, scilicet propter servitium Sedis Apostolicæ; & propter propriæ Ecclesiæ utilitatem, vel Reipublicæ, probatur ex cap. *Cum Dilectus filius*, & ex cap. *Ad audientiam, de Clericis non residentibus*; quibus determinatur absentia Episcopi, si ad alia officia, pro Sédis Apostolicæ necessitate, Episcopus applicetur. Et insuper, si propter Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitatem abesse contingat. Et ex hoc excusantur Cardinales Episcopi à Residentia in propriis Episcopatibus, dum ob Sédis Apostolicæ servitium legationem suscipiunt Apostolicam; vel si Romæ in Ecclesiæ utilitatem Pontifici assistunt, ut ex eorum consilio, & prudentia res magni momenti dirigantur. Hoc magis patebit ex solutione objectionum,*

### Solvuntur Objectiones.

123. **O** Bicies primò contra primam partem. In tantum Residentia Episcopi in loco sui Episcopatus esset necessaria, in quantum ex lege divina est annexa officio ab Episcopo exercendo; sed non est ex Lege divina annexa officio ab Episcopo exercendo: Ergo Residentia illa non est Episcopo necessaria. Probatur minor: ad officium ab Episcopo exercendum est necessaria vigilantia super oves suæ curæ commissas; sed absque Residentia potest æquè benè haberi Episcopi vigilantia super oves suæ curæ commissas: Ergo absque Residentia potest ab Episcopo haberi sui officii exercitium. Major patet ex verbis relati Concilii, ubi habetur: *Qua omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant*. Quibus verbis exprimitur necessitas vigilantia. Probatur nunc minor: absque Episcopi Residentia potest ipse per alios, per Vicarios scilicet, & Delegatos facere, quicquid ipse personaliter præstare tenetur; & gregi suo invigilare, & curam paternam habere: Ergo &c.

Deinde: falsum est, Residentiam esse Jure divino præceptam: Ergo non est necessaria tali Jure in Beneficiariis. Probatur assumptum: quod est præceptum Jure divino, est omnino ab inferiori, etiamsi sit Pontifex, indispensable; sed Residentia Episcopi, & cujuscunque Beneficiarii à Summo Pontifice dispensari potest: ut patet in illis quatuor casibus supra ex Concilio Tridentino relatis: Ergo Residentia

non est Jure divino præcepta.

Respondetur ad primum negando minorem, & minorem probationis, ad cujus probationem nego, Episcopum æquè benè suo gregi invigilare per suos Vicarios, & Delegatos, ac per seipsum personaliter Residentem. Primò, quia Vicarii, & Delegati, quibus per Episcopum commissa est vigilantia, quamvis quandoque zelantissimi sint, non habent tamen gregem illum, ut proprium pascendum, sed ut alienum: neque tanta præstatur à subditis obedientia Vicariis, & Delegatis, quanta Episcopis. Secundò, si Concilium præcipit Episcopis vigilantiam, ex eo, quod Deus præcipit; non esset vigilare, nisi oculis necessitatem gregis videre; manibus necessaria administrare; & proprio exemplo pascere: unde per absentiam Episcopi à loco sui Episcopatus, non æquè benè vigilaret, ac si præsens esset. Et iccirco posita Episcopi absentia à loco sui Episcopatus, cum ea omnia deficerent suo gregi, quæ ad sui vigilantiam necessaria sunt, jam vigilantiam ipsam Episcopus non haberet. Quapropter ut hæc habeatur, necessaria est ejusdem Episcopi Residentia in loco sui Episcopatus. Et estò multoties Vicarii, & Delegati sint majoris, vel saltem æqualis vigilantia, ac Episcopus, tamen zelus ipsorum non dissolvit Episcopum ab obligatione vigilandi per seipsum; cum hæc vigilantia annexa sit officio Episcopi. Ex illis relatis doctrinis in probatione, desumptis ex D. Joan. ex Apost. actibus, deducitur evidentissimè, à Christo Domino fuisse præceptam vigilantiam Pastorum super gregem, quæ haberi non potest, nisi per Residentiam, & præsentiam ipsorum in loco, ubi grex manet. Christus Dominus itaque non dixit Divo Petro, *fac, ut pascantur oves meæ*, quod fieri poterat, absque sua præsentia; sed dixit, *Pasce oves meas*; id est tuam adhibe vigilantiam, & præsentiam: *Tu pasce: Tu vigila*, eundem facit sensum secunda autoritas Actorum.

124. Respondetur ad secundum negando antecedens, & minorem probationis (loquendo de dispensatione propriè dicta, qua removeatur ab actu præcepto obligatio legis divinæ.) Dico igitur, Pontificem in illis quatuor casibus assignatis in cit. Concilio non propriè dispensare, eò quia in præceptis divinis Pontifex dispensare non potest, dispensatione rigosè accepta; sed in illis casibus, & aliis tantum declarare potest Pontifex, non esse extendendam obligationem à præcepto divino impositam; interpretando scilicet mentem divinam, non obligantem cum tanto onere: unde dum Pontifex excepit illos quatuor casus, non dispensavit in præcepto divino, quo Deus Residentiam, & vigilantiam præcipit Pastoribus; sed tantum declaravit, Deum Pastores in illis casibus non obligare.

Quòd autem dari possit hujusmodi declaratio,

ratio, & interpretatio in lege divina patet; quia est aliqua res sint materia formaliter præcepta lege divina, tamen radicaliter spectant ad Jus humanum. Obedientia præstanda parentibus est lege divina præcepta; & tamen in aliquibus casibus præstari non debet, ex pacto inito per legem humanam, qua legislator vult, ut proscripti V. G. occidantur: in quo casu filius, absque ulla labe inobedientiae Patrem Proscriptum, vel Rebellem occidere potest: quod etiam spectat ad aliud præceptum: *Non occides*. Vel si Pater filio præciperet, ut fiat hæreticus; tunc eximi potest filius ab obedientia Patris; quia Ecclesia præcipit, ut nemo à via veritatis se avertat. Ita in proposito: quamvis Jure divino præcepta sit Residencia Episcopi, tamen cum hæc radicaliter ortum ducat à Lege Ecclesiastica, qua Ecclesia pactum init cum Episcopo de Residendo, poterit Ecclesia ipsa, pro ut judicaverit expediens, declarare in illis casibus necessariam non esse Residentiam, Neque per hoc absolute erit dicendum, hanc Residentiam non esse necessariam, & Jure divino non præceptam. Sicut per hoc, quod in aliquibus casibus filius excipitur ab obedientia Patris: & quis potest alium occidere; non per hoc sequitur occisionem, & obedientiam præstandam Parentibus, non esse Lege divina præceptas.

25 Obijcies secundò contra secundam partem, & simul impugnando supradictam responsionem. In eo, quod est Lege divina præceptum, in nullo casu potest dispensari; sed Residencia Episcopi in loco sui Episcopatus est Lege divina præcepta: Ergo in nullo casu potest dispensari; neque in illis supra relatis. Major patet, quia nullus inferior potest in Lege superioris dispensare; cum nemo auctoritatem habeat supra mandata superioris. Probatur minor: auctoritatibus, & ratione adductis ad probandam primam partem conclusionis.

Deinde: Residencia Beneficarii habentis curam animarum ponit de Jure divino obligationem omninò irrevocabilem per Jus humanum: Ergo non potest Pontifex casus illos excipere à Residencia in loco Beneficii. Probatur antecedens: in tantum per Jus humanum obligatio posita ex Jure divino posset revocari, in quantum cognosceretur impossibilis cum exercitio, ad quod ordinaretur ille, qui talem habet obligationem; sed hujusmodi impossibilitas nequit ponere vim, revocantem obligationem ortam ex Jure divino: Ergo &c. Probatur minor, quia exercitium, ad quod ordinaretur ille, qui talem habet obligationem, veniret à Lege humana, & humano Legislatore: Ergo hic redderet impossibilem obligationem ortam ex Jure divino, cum exercitio, ad quod Beneficiarius per Pontificem ordinaretur, ut

abesse debeat à loco suæ Residentiae: Ergo &c.

Respondetur ad primum dist. majorem: in nullo casu potest dispensari dispensatione proprie dicta, concedo majorem: dispensatione improprie dicta, nego majorem, & concessa minori, nego consequentiam in sensu distinctionis. Utique verum est, nullum Deo inferiorè, etiam Pontificem, posse in Lege divina dispensare, dispensatione proprie dicta, qua scilicet removeatur ab actu, aut à materia præcepta, ratio ipsa præcepti; & in posterum evadat non præcepta. Hoc autem Pontifex, & à fortiori alii Ecclesiarum Prælati facere non possunt; cum etsi actus præceptus purè Residencia Episcopi, quandoque non exerceatur, ob urgentem necessitatem, & ob alias causas adductas à Concilio Trid. tamen actus ille Residendi in Episcopis est materia præcepta. Quod patet per quædam alia præcepta divina: Deus præcipit à filiis esse præstandam obedientiam Parentibus; & tamen isti non tenentur Parentibus præcipientibus ea, quæ sunt contra propriam animam, obedire: Deus præcipit, non esse occidendum; & tamen quis potest alium occidere de Principis mandato, si occidendus est proscriptus, Rebellis &c., & etiam ad suam vitam tuendam, adhibito moderamine inculpatae tutelæ. Deus præcipit, cuique reddendum esse Jus suum; & tamen in extrema necessitate debitor non tenetur solvere, nisi transacta necessitate. Et sic discurrendum de ceteris. Neque ex hoc sequitur, quod per Legem inferiorem quis dicatur dispensatus, dispensatione proprie dicta, à non obediendo Parentibus, ab occidendo, & non restituendo: sed tantum à Lege divina præcipiente, casus illi excipiuntur; quæ exceptio diceretur improprie dispensatio; quia esset declaratio facta per humanum Legislatorem, circa rem illam præceptam; ut dictum est supra.

26 Respondetur ad secundum dist. antecedens: omninò irrevocabilem &c. irrevocabilitate proprie dicta, concedo antecedens: irrevocabilitate improprie dicta, nego antecedens, & consequentiam. Eodem modo dico ad singulas probationes. Jus humanum, quodcumque sit, sicut non potest dispensare in Jure divino dispensatione proprie dicta, ita neque potest revocare revocatione proprie dicta obligationem exortam ex Jure divino; cum sic, idem esset revocare talem obligationem, ac proprie dispensare in Jure divino, removendo scilicet ab actu præcepto rationem ipsam præcepti. Potest tamen Jus humanum revocatione improprie dicta, quæ est Principis declaratio, & interpretatio, revocare obligationem ortam ex Jure divino; quatenus declarare, & interpretari potest, in hoc, & illo casu non obligare; præsertim quando cognoscit pro aliquibus casibus militare Jus naturale, pro aliis bonum commune, quod etiam à natura ortum ducit; & aliunde cognoscitur, Deum impossibilia

E e e non



non præcepisse, sed quæ à nobis fieri possunt.

Deus nanque, ut supra dixi, præcipit, non esse occidendum; & tamen Lex humana, pro bono communi, aliquos casus excipit, de proscriptis, fure nocturno, Rebelle &c. cum Deus hoc præcepto non intendat auferre de medio humanam justitiam. Deus præcipit, ut filii Parentibus obediant; & tamen si Parentes velint, ut filii peccent, vel aliquid aliud faciant contra Deum, non tenentur obedire: unde hic casus excipitur à divino præcepto, & quidem ex divina charitate, qua quilibet tenetur magis animæ suæ, quam parentum obsequio. Deus præcipit: *Non furaberis*; ex quo præcepto sequitur, furem obligatum esse ad restitutionem; & tamen manens in extrema necessitate, non tenetur restituere: & quidem de Jure naturæ; cum quilibet teneatur pro suæ vitæ sustentatione. Hanc noto doctrinam; quælibet divina præcepta ortum ducere à natura, & præceptum Christi de pascendis ovibus ortum ducere ab Ecclesia. In illis, quæ ortum ducunt à natura, natura ipsa quosdam excipit casus: Præcipit Deus, *non furaberis*: & hoc præceptum ortum ducit ex eo, quod natura præcipit cuique Jus suum esse tribuendum; & insuper, quia facta est rerum divisio. Præcipit Deus, *non occidas*, & hoc præceptum à natura ortum ducit, quia occisus privatur Jure naturali, quod habet ad vitam suam. Ita in casu Christus Dominus dixit D. Petro: *Pasce oves meas*; ex quo præcepto deducitur Residentia Pastorum in loco Beneficii: hoc Christi Domini præceptum ortum duxit ab Ecclesia ipsa, ad quam spectat Beneficia dividere. Unde sicuti ex illis præceptis excipiuntur aliqui casus in favorem Legis naturalis, & communis; ita etiam excipi possunt illi quatuor casus ab hac divina Lege: præsertim quia, ut dicit Pater Mastrius, Beneficiarius pactum init cum Ecclesia de residendo; quod quidem pactum potestati Ecclesiæ subest: & iccirco potest Ecclesia excipere casus illos, resultantes in majorem Ecclesiæ utilitatem, & in bonum publicum fidelium.

127 Pro casuum conscientie resolutione, infero primò, Residentiam Episcoporum, & aliorum Beneficiorum habentium curam animarum, esse de Jure divino necessariam in proprio loco, ubi Beneficium habent. Ratio est, quia illis ex divino præcepto incumbit pascere oves Christi, vigilare, & curam habere animarum fidelium: quod præstari minimè poterit, nisi per Residentiam Pastorum in loco, ubi Beneficium possident.

Infero secundò, à tali Residentia excipi posse illos quatuor casus in Concil. Tridentino sess. 23. de ref. c. 1. notatos, scilicet *Christianam charitatem*: quatenus à loco Episcopus discedat ad proximum juvandum, ei auxilium præstando, lites, & odia removeudo. Ur-

gentem necessitatem; si nimirum locus Episcopatus sit aere infectus, ex qua aeris infectione posset Episcopus periculum vitæ pati: vel si in morbum inciderit, posset à loco suæ Residentiæ discedere, & ad alium se conducere ad suam recuperandam salutem. *Debitam obedientiam*, ut si Pontifex ob Ecclesiæ, & fidei Catholicæ necessitatem disponderet de Episcopo, vel eum Apostolicæ legationi applicando, vel Romæ retinendo pro bono publico Ecclesiæ. *Evidentem Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitatem*; ut si ob Ecclesiæ negotium abesse à loco suæ Residentiæ contingat. Omnes isti casus notantur in Concil. Trident. cit.

Infero tertio ex eodem cit. Concil. Episcopos (exceptis his casibus) non posse à loco propriæ Residentiæ, seu à sua Diocesi discedere ultra duos, vel ad summum tres menses pro singulis annis: & Parochos non posse ultra duos menses à propria Parochia abesse. Quod exprimitur illis verbis: *Quoniam autem, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia, non videntur abesse, quia statim reversuri sunt: Sacrosancta Synodus vult, illud absentia spatium singulis annis, sive continuū, sive interruptū, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere.* Et insuper vult Concilium, hujusmodi discessum nullum debere afferre detrimentum animabus, & gregibus, suæ curæ commissis; unde subdit: *Et habere rationem, ut id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento.* Hortantur insuper per Conc. Pastores, ne discedant à propria Residentia, tempore Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi: *Quibus diebus refici maxime, & in Domino gaudere, Pastoris presentia, oves debeant.*

128 PETES. An hujusmodi Residentia se extendat etiam ad Canonicos, tum Ecclesiarum Cathedralium, tum Collegiarum?

Respondetur affirmativè; quod scilicet, ultra tres menses, absque legitima causa ab Ordinario loci cognita, discedere nequeant à loco Canonicatus. Ratio est, quia cum ipse Canonicus suscipiat fructus ex Beneficio, & interire teneatur personaliter recitationi officiorum, quæ in Cathedrali, vel Collegiali perfolvuntur; iccirco non potest à loco suæ Residentiæ abesse. Imò Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 12. incip. *Cum dignitates*, hoc exprimit. *Præter ea*, ubi ait: *Præterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis, Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, ac Residentiæ fecit suos; quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit; rescende*

*sciente verò contumacia, contra eos juxta Sacrorum Canonum constitutiones, procedatur.*

QVÆSTIO QVINTADECIMA.

*An Beneficiarius possit licitè plura Beneficia retinere?*

**P**ro præsentis quæstionis intelligentia suppono, Beneficia alia esse curata, habentia scilicet curam animarum, & alia non curata, non annexa scilicet curæ animarum. Beneficia curata exposcunt Residentiam Beneficiarii in loco Beneficii; non curata verò talem præsentiam, & Residentiam non exposcunt, nisi eis sit annexa personalis assistentia divinis officiis in Ecclesia persolvendis. Insuper suppono, duo Beneficia curata esse inter se incompatibilia, ut duo Episcopatus, duæ Parochiæ &c. cum utrumque Beneficium ex se postulet præsentiam, & Residentiam Episcopi, vel Parochi in proprio loco: duo tamen Beneficia, quorum unum sit curatum, aliud non curatum: vel ambo non curata, sunt ad invicem compatibilia: ut Episcopatus, & Abbatia; Parochia, & Canonicatus &c. vel duæ Abbatia, duo Canonicatus &c.

His notatis, quod quæritur in præsentia est, an Beneficiarius possit licitè plura Beneficia obtinere? Et certissimum est, quòd nisi avaritiæ, & aviditati locus detur, dum Beneficiarius congruam habeat sustentationem ex unius Beneficii redditibus, aliud Beneficium simul desiderare non debet, nisi facta primi Beneficii renunciatione; & hoc valet quantum ad Beneficia compatibilia; secùs dicendum de Beneficiis incompatibilibus, quæ naturalem habent repugnantiam ad invicem: ut si Titius simul occupasset Episcopatum Toletanum, & Salernitanum; quia uterque Episcopatus exigit Episcopi Residentiam, & naturaliter residere repugnat utrobique simul; ita eidem personæ repugnat simultas illa Episcopatus. De omnibus nanque Beneficiis, tam curatis, quàm non curatis est sermo in præsentia, & pro quæstionis resolutione

*DICO*, Regulariter loquendo, non licere Beneficiario simul plura Beneficia retinere. Ita decernitur à Concilio Trident. sess. 24. de Reform. cap. 17. incip. *Cùm Ecclesiasticus ordo pervertatur*. Et est communis inter Doctores, quod assertum etiam deducunt ex cap. *singula &c.*

129 Probat. Non licet Beneficiario, ordinem Ecclesiasticum pervertere, cum magno Ecclesiæ detrimento; sed si idem Beneficiarius plura simul Beneficia retineret, perverteretur ordo Ecclesiasticus, cum magno Ecclesiæ detrimento: Ergo nequit licitè Beneficiarius simul plura Beneficia retinere. Probat. minor: tunc

ordo Ecclesiasticus pervertitur, cum Ecclesiæ detrimento, quando minuitur cultus divinus; quando Ecclesia privatur operariis; pauperes privantur sustentatione; & fundatorum Beneficii pia frustatur intentio; sed hæc omnia sequerentur, si Beneficiarius plura simul Beneficia retineret: Ergo &c. Patet major; nam ordo Ecclesiasticus exposcit, ut servetur, imò augeatur cultus divinus; & quòd Ecclesia non privetur operariis; nec pauperes sustentatione; nec fundatores pia eorum intentione. Probat. minor: quando idem Beneficiarius duplex retineret Beneficium, cum in utroque simul residere non posset, jam in illa Diocesi, vel Parochia, in qua non resideret, minueretur cultus divinus, propter Curati absentiam: & insuper pauperes nutrimentum non reciperent; & illi Ecclesiæ, cui deesset Prælatas, deficeret vineæ Domini operarius; & tandem fundator illius Beneficii ad augendū divinum cultum, pia sua intentione privaretur: Ergo omnia illa sequerentur inconvenientia, quæ pervertunt ordinem Ecclesiasticum, ut in initio cit. cap. exprimit Concilium, dum dicit: *Cùm Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurimum officia occupat Clericorum, &c.*

130 Neque valet, si dicas, ordinem Ecclesiasticum perverti tantum, si eidem Beneficiario conferantur duo Beneficia incompatibilia Curata, quæ in quolibet Beneficiario propriam exigunt residentiam; secùs verò, si conferantur duo Beneficia, quorum unum sit Curatum, alterum verò simplex, seu non Curatum, ut esset Parochia, & Canonicatus; Episcopatus, & Abbatia simplex.

Non valet, inquam; nam licet quandoq; hoc contingere possit, vel ob Ecclesiæ necessitatem, vel ob connexionem ad invicem, ut evenit in Canonicatu, cui accessorie connectitur Parochia: vel ob tenuitatem unius Beneficii, cujus fructus non sufficiunt ad congruam Beneficiarii sustentationem; tamen hoc regulariter non evenit, præsertim si unum Beneficium est sufficiens ad congruam Beneficiarii sustentationem: Ergo nulla responsio. Tum etiam quia; quoties Concilium prohibet pluralitatem Beneficiorum, absolutè dicendum est, non licere Beneficiariis plura simul retinere Beneficia, sive sint Curata, sive non Curata, vel unum Curatum, & alterum simplex; sed Concilium prohibet cujuscunque Beneficii pluralitatem; Ergo &c. Probat. minor ex verbis ipsius Concil. *Verùm quoniam multi, improba cupiditatis affectu, seipso, non Deum decipientes, ea, quæ bene constituta, variis artibus eludere, & plura simul Beneficia obtinere, non erubescunt.* Quæ verba cum non sint limitata ad sola Beneficia Curata, se extendunt etiam ad non Curata, dum retentio plurimum Beneficiorum, motuum desumit ab affectu improbæ cupiditatis. Et subdit: *Sancta Synodus*

us debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, presenti decreto, quod in quibuscunque personis, quocunque titulo, etiam si Cardinalatus honore fulgeat, mandat observari: statuit, ut in posterum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur.

131 Ubi advertendum est, quod Concilium loquitur absolute, & regulariter, & in suppositione, quod quilibet Beneficiarius possit congruè sustentari ex fructibus unius Beneficii; nam si non posset ex fructibus unius Beneficii sustentari; tunc posset eidem Beneficiario aliud Beneficium concedi, dummodo utrumque personalem Residentiam non requirat. Quod patet ex sequentibus Concilii verbis: *Quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam, non sufficiat; liceat nihilominus, aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem Residentiam non requirat, eidem conferre.*

132 In hac materia, ante objectionum resolutionem nolo prætermittere quoddam Christianum documentum datum ab Eminentissimo Bellarmino è Societate Jesu, Episcopo Theanensi suo nepoti; desumptum ex melliflua D. Bernardi doctrina epist. 271. qui Card. ad supradictum suum nepotem scribens, post citatos Canones, quibus prohibetur multiplicitas Beneficiorum, dixit: *Neminem posse duo Beneficia, si unum sufficeret ad eum alendum, obtinere, sine peccato mortali.* Et hoc scripsit, se referendo ad determinationem factam à Doctoribus Parisiensibus sub anno 1238. Et post Doctorum Parisiensium judicium, fuit postea per Triđ. Conc. decretum.

### Solvuntur Objectiones.

133 **O**bjicies primò: quando pluralitas Beneficiorum nullum affert detrimentum, vel Ecclesiæ, vel Ecclesiastico gregi, non est neganda eidem Beneficiario; sed nullum tale detrimentum affert pluralitas Beneficiorum in Beneficiario: Ergo potest licitè à Beneficiario simul duplex retineri Beneficium. Probatur minor: nullum affert detrimentum Ecclesiæ; quia Diocesis illa, quæ careret Residentia Pastoris, esset zelo gubernata à Vicariis, & per ipsos à Curatis: & propter eandem Vicariorum administrationem grex Ecclesiasticus nullum pateretur detrimentum; cum æquè benè Vicarii curam animarum haberent: Ergo &c.

Deinde: quando unum ex Beneficiis est Curatum, & alterum simplex, ita ut utrumque sit simul compatibile, non videtur repugnantia retentionis utriusque: Ergo &c. Probatur antecedens; nam in tantum habetur repugnantia duorum Beneficiorum Curatorum, in quantum utrumque personalem requirit residentiam; sed quando unum est Curatum, &

alterum non Curatum, utrumque non requirit personalem residentiam: Ergo tunc nulla videtur repugnantia retentionis utriusque.

Respondetur ad primum transacta majori, negando minorem. (Dixi transeat major:) quia nedum ex detrimento, quod affertur Ecclesiæ pro absentia Pastoris, & detrimento, quod ob talem absentiam affertur gregi, neganda est dualitas Beneficiorum; (hoc nanque tantum valeret in Beneficiis Curatis, quibus annexa est cura animarum, quæ non nisi per Pastoris residentiam haberi possit, ut dictum est in præterita quæstione): sed etiam neganda est dualitas Beneficiorum, ex ordinis Ecclesiastici inversione, quæ sequeretur; ut ex primis Concilii verbis constat: ex diminutione cultus divini, & ex aliis motivis in probatione adductis. Quare etsi ex assistentia, zelo, & vigilantia Vicarii, in Diocesi; vel ex assistentia Vice-Curati in Parochia, nullum Ecclesiæ, & gregi evenire possit detrimentum; tamè etiam ex alio capite esset neganda dualitas Beneficii, ex affectu scilicet improbæ cupiditatis; ratione cujus Conciliū prohibet Beneficiorum pluralitatem in eadè persona: & ex eo, quod ordo Ecclesiasticus perverteretur. Verum motiva assignata inter arguendū sunt urgentia ad removendam Beneficiorum pluralitatem; quia, ut dictum est in præterita quæstione, ex Conc. Tridentino, supra Jus divinum fundato, necessaria est Residentia Prælati in sua Diocesi, vel Parochi in sua Parochia; sess. 23. cap. 1. ad agnitionem scilicet ovium suarum; ad prædicationem divini verbi, ad Sacramentorum administrationem; ad pascendas oves exemplo bonorum operum; & ad pauperes alendos: quæ omnia non præstarentur in illo loco, ubi Beneficiarius non resideret. Et iccirco citatum Conc. sess. 24. cap. 17. statuit, ut in posterum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur.

134 Respondetur ad secundum negando antecedens, ad cujus probationem nego præcisè, quod Beneficiarius nequeat retinere duplex Beneficium Curatum; quia utrumque requirit personalem residentiam; sed hæc est una ex rationibus; at ultra hoc requiritur, ut amoveatur à Beneficiario affectus improbæ cupiditatis, ratione cujus unus diceretur impinguatus, quando alter esurieret: quæ propter etsi in Beneficiis compossibilibus, quorum utrumque sit non Curatum, vel quorum unum sit Curatum, & alterum non Curatum, non interveniat in utroque personalis Residentia; tamen adhuc ex capite affectus improbæ cupiditatis, est prohibita dualitas Beneficiorum. Nec in tali prohibitione de pluralitate Beneficiorum Concilium distinguit de compossibilibus, vel incompossibilibus Beneficiis, dum contra eos, qui plura Beneficia obtinere non erubescunt, statuit, ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur.

tur. Adeoque sive Beneficia sint Curata, sive non, non potest eadem persona plura retinere Beneficia.

Dices: quando unum ex Beneficiis non requirit personalem residentiam, concedit Concilium, posse Beneficiarium simul plura Beneficia retinere: Ergo solum repugnantia in retinendis duobus Beneficiis, est, quando utrumque requirit personalem residentiam. Antecedens patet ex illis verbis: *Liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri*: Ergo &c.

Respond. dist. antecedens: concedit Concilium, posse plura Beneficia retinere, si unum non est sufficiens ad congruam Beneficarii sustentationem, concedo antecedens: si unum est sufficiens ad congruam Beneficarii sustentationem, nego antecedens, & consequentiam. Utique verum est, Concilium concedere Beneficario, ultra Beneficium Curatum, aliud Beneficium simplex; quando scilicet Beneficium Curatum non est sufficiens ad congruam Beneficarii sustentationem; secus verò, quando sufficiens est: quod expressè patet ex superioribus verbis relati Concilii, ubi legitur: *Quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficit; liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri*. At quando unum est sufficiens, contra decretum Concilii retineretur duplex illud Beneficium: adeoque &c.

35 Obijcies secundò, In casu quo Beneficium aliquod est de se sufficiens ad congruam sustentationem Episcopi non insignis nobilitatis, non tamen sufficiens ad congruam sustentationem Episcopi insignis nobilitatis; tunc licitè poterit huic nobilis sanguinis Episcopo conferri aliud Beneficium simplex; sed in hoc casu licitè retineret duplex Beneficium: Ergo potest quis licitè retinere duplex Beneficium, unum Curatum, & aliud simplex. Probatur assumptum: nobilitas sanguinis exigit majores expensas in eo, qui tali pollet nobilitate, quam in eo, qui tali non pollet nobilitate; & aliunde Episcopus in sui sustentatione nullum pati debet detrimentum: Ergo in hoc casu potest ei conferri duplex Beneficium.

Respondetur dicendo, quòd in casu, quo Pontifex confert Personæ nobili Episcopatum, qui aliàs pro personis non nobilibus esset sufficiens ad congruam earum sustentationem, & nobili non est sufficiens; tunc posset ei licitè conferre aliud simplex Beneficium, ut juxta suum statum congruè vivat, ne propter dignitatem Episcopalem cadat à sui status nobilitate; nam nobilitas sanguinis personæ est justa causa exigendi aliud simplex Beneficium, ut dicunt Lessius, Azorius, Layman, Mastrius, & alii. Et in hoc non videtur discordare Concilium; dum dicit: *Quod qui-*

*dem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri*. Et hoc experimur in Cardinalibus quibusdam, qui non habentes patrimonium, ultra reditus alicujus Episcopatus, conceduntur eis, vel pensiones supra reditus aliorum Beneficiorum, vel eis alia simplicia conferuntur Beneficia; ut congruè vivant in statu, qui deceat altissimam eorum dignitatem. Neque hic casus potest vitare generalem regulam reprobantem pluralitatem Beneficiorum; nam dixi in conclusione (regulariter loquendo) non ergo fuit sensus, quòd in omni casu, non possit duplex Beneficium retineri; sed solum, quòd ut plurimum, pluralitas Beneficiorum non retineatur.

36 Pro casuum conscientie resolutione, infero primò, regulariter loquendo, non posse eandem personam simul plura retinere Beneficia. Ratio deducitur ex cit. Conc. Trid. de reform. sess. 24. cap. 17. quia perverteretur ordo Ecclesiasticus; & præberetur ansa affectui improbæ cupiditatis.

Infero secundò, quando ob tenuitatem unius Beneficii Ecclesiastici, non possit Beneficiarius congruè sustentari, posse eidem concedi aliud Beneficium simplex non exigens personalem residentiam. Ratio est, quia residentia cum sit Jure divino præcepta est necessaria in persona habente Beneficium Curatum; & quia una persona nequit simul esse in duobus locis residentie; ideo dum pro vitæ sustentatione aliud conceditur Beneficium, hoc nequit esse Beneficium curatum, si primum, quod possidebat, erat etiam Curatum. Quod patet ex verbis Concilii relati: *Quod quidem si ad vitam ejus &c.*

Infero tertio, quòd concessio alterius Beneficii justa causa dari debet, & tantum ad hunc finem, vel ad majorem Ecclesie utilitatem, & non ad proprium Beneficarii commodum. Ratio est, quia Concilium, dum concedit illam dualitatem exprimit tantum motivum congruæ sustentationis; qua sustentatione secuta, haberetur utilitas Ecclesie; quia magis Beneficiarius motivum haberet inserviendi Ecclesie, & gregem gubernandi.

Infero quarto, quòd loquendo de Beneficiis curatis, curæ animarum annexis, inter regulares etiam extendenda est prohibitio Concilii cit. (ut multi Doctores notant cum Bordonio, Diana, & aliis, quòd ad duplicitatem officiorum, quibus cura animarum annexa est: ita ut nemini sit licitum duos simul exercere Guardianatus, Prioratus, duplicem Provincialatum &c. Ratio est, quia cum utrumque officium requirat personalem Residentiam, quæ ab eadem persona præstari non potest, ideo illud duplex officium, cui annexa est cura animarum, simul conferri non potest. Non tamen

tamen repugnat in Religionibus simul uni personæ duplex officium, attentæ qualitatē, & necessitate personæ; quorum unum sit sine cura animarum, & alterum cum animarum cura: ut Provincialatus cum Diffinitoratu generali: & inter Capucinos Diffinitoratus simplex cum Guardianatu. Sicut etiam in Ecclesia non videtur repugnantia Cardinalatus cum Episcopatu &c. quia hujusmodi officia ambo annexam non habent curam animarum, exigentem personalem residentiam.

### QVÆSTIO SEXTADECIMA.

*An Regularis assumptus ad Episcopatum possit esse Dominus fructuum Episcopatus?*

137 **D**OCTOR noster Seraphicus Bonaventura in 4. sent. dist. 38. §. ad illud, ait, Religiosum professum esse ita votis essentialibus, paupertatis, obedientiæ, & castitatis, obstrictum, ut ab obligatione illa servandi, quantum ad voti essentialia, non censetur solutus, si ad Cardinalatum, vel ad Episcopatum transeat. Unde si Religiosus aliquis factus sit Episcopus, votum castitatis magis augetur, quantum ad vitam honestam, exemplaremque ducendam. Votum obedientiæ, etsi non ligat Religiosum factum Episcopum quò ad Superiores Ordinis, à quorum Jurisdictione solutus est; ligat tamen illum ad obedientiam Summo Pontifici præstandam majori conatu, quam omnes fideles; nam factus Episcopus Pontificem cognoscere debet, ut Pastorem, & Superiorem. Votum tandem paupertatis (de quo est præsens difficultas) vult etiam Sanctus Doctor, esse à Religioso professore servandum, quantum ad hujus voti essentialia; quòd scilicet omni prorsus careat dominio fructuum Episcopatus, & quarumcunque rerum adventitiarum; quia hoc dominium, cum deberet esse proprietatis, est omninò voto paupertatis impossibile, & ab eo distinctum; iccirco si à voto essentiali paupertatis Religiosus factus Episcopus, non est solutus, nullum habere potest dominium in fructus Episcopatus. Hæc sententia est etiam Angelici Doctoris D. Thomæ 2. 2. q. 185. art. 3. & q. 88. art. 11. ad 4. & alibi. Ægrè ferunt hanc opinionem quidam Doctores apud Lezanam citati, Sotus, Angles, & alii: qui volunt, dignitatem Episcopalem secumferre dominium fructuum Episcopatus, & vim habere reddendi Religiosum ipsum capacem domini, & cujuscunque advenientis hæreditatis. In hac tam magna inter veteres Doctores orta controversia, veriore, ac tutiorem sequor, quæ duos habet Clarissimos Ecclesiæ Doctores tutelares. Et

*DICO*, Religiosum assumptum ad Episcopatum (idem dicendum ad Cardinalatum), non esse dominum fructuum Episcopatus; sed obstrictum remanere voto essentiali paupertatis. Conclusio est D. D. Thomæ, & Bonavent. loc. supra cit. quos secuti sunt Sanchez, Suarez, Henriquez, Lessius, Layman, Astefanus ex nostris, Mastrius, & alii; & nuperrimè P. Felix de Panormo: Contra Valquez, Angles, Medinam, Sotum, & alios. Et colligitur ex Scoto in 4. dist. 6. q. 10. §. *Hic dicitur, vers. quod additur ibi de relatione &c.* Ubi ait, *quòd potest Religiosus per votum Religionis obligari ad servandam Religionem*. Per quæ verba inferitur, quòd etsi Religiosus factus sit Episcopus adhuc est Religioni obligatus, idest ad vota Religionis servanda.

138 Probatur: cum voto essentiali paupertatis stare non potest dominium proprietatis, sive in re, sive ad rem; sed Religiosus professus, etià ad Episcopalem dignitatem assumptus, & creatus Cardinalis, est voto essentiali paupertatis obstrictus: Ergo non potest ad Episcopalem dignitatem assumptus, dominium sive in re, sive ad rem habere. Major est certæ; quia votum paupertatis est promissio Deo facta de abnegando quocunque rei dominio. Probatur minor: Religiosus professus, etiam ad Episcopalem dignitatem assumptus, non est à voto essentiali paupertatis dispensatus: Ergo est illi obstrictus. Probatur antecedens, primò: status Religiosus ad dignitatem Episcopalem se habet, ut dispositio ad perfectionem; sed (ut ait Sanctus Thomas) per perfectionem non tollitur dispositio: Ergo status Religiosus non tollitur per Episcopalem dignitatem; sed cum statu Religioso stat votum essentiali paupertatis: Ergo &c. Probatur nunc secundò idem antecedens: si esset à voto essentiali paupertatis dispensatus; vel esset per dispensationem propriè dictam; vel per dispensationem impropriè dictam, scilicet per declarationem, quòd votum paupertatis non teneat: si primo modo, est falsum, posse Pontificem hoc modo dispensare inter contractum promissorium solemnem, initum inter creaturam, & Deum; ac etiam si posset, tunc dissolveret Religiosum ipsum à statu Religioso, & sic non essemus in casu. Si secundò modo dispensaret, declarando scilicet, votum non tenere, tunc Religiosus non ampliùs remaneret Religiosus: Ergo ex vi status Religiosi, qui per dignitatem Episcopalem non tollitur, remanet Religiosus obligatus, & obstrictus voto paupertatis.

Confirmatur: dum Religiosus professionem emisit, Deo vovit de observanda obedientia, paupertate, & castitate, & quidem perpetuò; ut ex formula professionis, in nostro ordine consueta, colligitur; in qua exprimuntur illa verba: *Voveo, & promitto, toto tempore vitæ meæ &c.* sed dignitas superveniens, & non obstanti statui Religioso, & cum Regulæ professæ ob-

servantia

servantia compossibilis, non dissolvit Religio-  
sum à voto: Ergo &c. Probatur minor: Di-  
gnitas illa Episcopalis majori zelo, & charita-  
te erga pauperes, & ad utilitatem Ecclesiæ  
exerceretur, dum Episcopus remanet voto  
paupertatis obstrictus, quàm si ab hoc voto  
esset solutus; nam cum ligamine voti pau-  
per-tatis esset fidelior administrator fructuum mē-  
sæ Episcopalis, in beneficium, & utilitatem  
Ecclesiæ, in pios usus, & in pauperum subleva-  
tionem; cum sibi ipsi non posset ex justitia  
reditus illos applicare: Ergo &c.

*Solvuntur Objectiones.*

139 **O** Bicies primò. Religiosus professus  
est obstrictus voto paupertatis,  
quandiu vivit in Religione: Ergo si  
esset assumptus ad Episcopatum, est à voto  
paupertatis solutus. Probatur antecedens: Re-  
ligiosus professus obstringitur votis Religio-  
nis ex contractu inito inter ipsum, & Religio-  
nem, ratione cujus contractus Religiosus re-  
manet obligatus ad observantiam regulæ, &  
Religio remanet obligata ad alendum, & su-  
stentandum Religiosum: Ergo quoties egredi-  
tur à Religione, non remanet obligatus ad  
observantiam regulæ: Ergo &c. Probatur con-  
sequentia: in quocunque contractu promisso-  
rio, tandiu pactum ex utraque parte contra-  
hentium tenet, quandiu contractus durat; sed  
per egressum Religiosi à Religione, promoti  
ad Episcopatum, dissolvitur contractus pro-  
missorius inter Religiosum, & Religionem:  
Ergo tunc non tenet pactum; sed pactum est  
de observantia regulæ: Ergo &c.

Respondetur dist. antecedens: quandiu vi-  
vit in Religione tantum, nego antecedens:  
quandiu vivit in Religione, & ut Religiosus,  
concedo antecedens, & nego consequentiam:  
ad cujus probationem dico, Religiosum non  
precisè ex contractu inito inter ipsum, & Re-  
ligionem, remanere obligatum votis essentia-  
libus; sed insuper esse obligatum Deo, cum  
quo contractum promissorium fecit, vota illa  
emittendo: unde quamvis Religiosus profes-  
sus promotus ad Episcopatum remaneat so-  
lutus à contractu, & pacto inito inter ipsum,  
& Religionem, in ceteris ad Regulam, & statu-  
ta ordinis spectantibus; ut essent observantia  
silentii, disciplinæ, jejunii certis temporibus,  
usus lanearum &c. quæ à Regula præcipiun-  
tur: tamen non remanet solutus à votis essen-  
tialibus, quibus non solum cum Religione  
contractum, & pactum iniit, sed etiam cum  
Deo, vivendi scilicet toto tempore vitæ suæ  
in obedientia, paupertate, & castitate: quare  
non tantum, quandiu vivit in Religione, tene-  
tur Religiosus illa servare, sed etiam quandiu  
vivit ut Religiosus: at dum est ad Episcopa-  
tum assumptus adhuc Religiosus est; atque

iccircò tenetur, etiam assumptus ad Episcopa-  
lem dignitatem, vota essentialia, in Religione  
emissa, servare: quapropter fructuum Episco-  
patus non erit censendus Dominus.

Dices: Religiosus professus, ad Episcopa-  
tum assumptus, à regulæ mandatis, & sta-  
tutis est absolutus: Ergo etiam à voto pau-  
per-tatis. Probatur consequentia: in tantum à pri-  
mis est solutus, in quantum mandata, & sta-  
tuta regulæ sunt incompossibilia cum exerci-  
tio officii Episcopalis; sed etiam observantia  
voti paupertatis est incompossibilis cum eo-  
dem exercitio Episcopalis officii: Ergo &c.  
Probatur minor; nam observantia voti pau-  
per-tatis faceret redivus Episcopatus bona  
communis, & sub absoluto Papæ Dominio,  
ita ut absque ulla Episcopi injuria Pontifex  
posset omnibus illis bonis Episcopum, pau-  
per-tati obstrictum, privare; sed hoc est fal-  
sum; cum de bonis illis disponat ipse Episco-  
pus, & si absque justa causa ipsis Episcopus  
priveretur, ei fieret injuria: Ergo &c.

Respondatur concessio antecedente, negando  
consequentiam, & minorem probationis. Ce-  
tera nanque mandata, & Regulæ præcepta,  
quæ promittit Religiosus observare in Reli-  
gione, dum rescinditur contractus per egres-  
sum Religiosi à Religione, nullam relinquunt  
in Religioso obligationem; quia est particularis  
obligatio sibi imposita, pro ut in Religione,  
& de Religione vivit: & ex altera parte Re-  
ligio se obligavit, Religiosum alere, nutrire  
&c. Hæc omnia pacta particularia in statu  
Episcopali, nedum sunt dissoluta; sed etiam  
sunt incompatibilia; quia in exercitio officii  
Episcopalis nequit stare silentium, jejunium  
&c. vel etiamsi posset hæc omnia Episcopus  
observare, non tamen teneretur; quia nullum  
pro illo statu Episcopalis dignitatis recipit  
emolumentum à Religione. Non sic dicendum  
de votis essentialibus, non Religioni tantum,  
sed Deo factis. Ad ultimam probationem di-  
co, majorem esse falsam; nam in casu, quo hæc  
Ecclesia ab Episcopo Religioso gubernaretur,  
bona, seu fructus illius, provenientes ex Epi-  
scopatu, essent in istius Ecclesiæ dominio: un-  
de si Pontifex injustè Episcopum Regularem  
omnibus fructibus Episcopatus priveret, etsi  
ipsi injuriam, ortam ex injustitia, non faceret;  
præjudicaretur Ecclesia, cui præest ipse Epi-  
scopus, quæ sicut est Domina fundi Beneficii,  
ita in casu esset Domina fructuum. Ultra-  
quamquod, etiam Pontifex injuriam rigoro-  
sam faceret Episcopo ob talem injustam pri-  
vationem; quia priveret eum victu congruo,  
& decenti ejus sustentatione; ad quam quilibet  
Jure naturæ Jus rigorosum, & strictum  
habet; quo si priveretur, injustè priveretur.

Dices: Ergo saltem, ad vitam ejus susten-  
tandam, dominium habet circa fructus Epi-  
scopatus.

Respondetur dicendo, consequens illatum  
esse



esse verum, quò ad dominium ortum ex jure naturali; non tamen ex Jure gentium, & humano; nam illis bonis Episcopus uteretur, non ut particularis Dominus Jure gentium factus, per dominii translationem, & rerum divisionem; neque Jure humano, quo ab uno ad aliud transfertur dominium (de quo nos loquimur.) At loquendo de rigoroso dominio, hoc omninò caret Episcopus; quia non potest, stante paupertatis voto, quò ad omnem usum de fructibus illis disponere.

140 Obijcies secundò: Religiosus factus Episcopus non est amplius Religiosus; sed dum non est Religiosus, est capax dominii: Ergo dum est factus Episcopus, est capax dominii: Ergo dum est factus Episcopus est Dominus fructuum Episcopatus. Probatur major: Dignitas Episcopalis eximit Religiosum ab obligatione sibi à Religione imposta; sed quando exemptus est à tali obligatione, non est amplius Religiosus: Ergo &c.

Deinde: Religiosus factus Episcopus potest sibi acquirere paternam hæreditatem; sed nemo potest acquirere paternam hæreditatem, nisi sit capax dominii: Ergo Religiosus factus Episcopus est capax dominii: Ergo etiam poterit esse dominus fructuum Episcopatus. Major patet ex cap. *statutum* 18. quæst. 1. ubi habetur: *Statutum est, ut Monachus, quem electio Canonica à jugo Regula, & professionis Monachalis absolvit, & Sacra Ordinatio de Monacho Episcopum fecit, velut legitimus hæres, paternam sibi hæreditatem postea Jure vendicandi potestatem habeat.* Probatur minor ex L. *In rem actio* ff. de rei vendica. Ubi Lex concedit capacitatem acquirendi paternam hæreditatem, ex dominii capacitate: Ergo &c.

Respondetur ad primum negando majorem, ad cujus probationem dist. majorem: eximit Religiosum ab obligatione circa ea, quæ repugnant, & sunt impossibilia cum tali dignitate; & aliunde sunt Jurisdictionis in Religione, concedo majorem: circa ea, quæ non repugnant dignitati Episcopali, & non sunt Jurisdictionis in Religione, nego majorem; & eodem modo distincta minori, nego consequentiam. Dico igitur, Religiosum ad Episcopatum assumptum adhuc esse Religiosum, & manere obligatum tribus votis essentialibus in Religione emissis; quia non fuerunt promissiones soli Religioni factæ, sed etiam principaliter Deo; à qua obligatione dignitas Episcopalis non eximit Religiosum. Et incircò Jura Canonica volunt, Religiosum, ad Episcopatum assumptum, deferre debere habitum Religionis suæ coloratum, ut cognoscatur, esse Episcopum Religiosum: quod patet ex cap. *fin. de vita, & honestate Clericorum.* Solum igitur dignitas illa Episcopalis eximit Religiosum ab obligatione imposta à Religione circa ea, quæ sunt officio Episcopali repugnantia, ut silentium, vigilia, jejunium &c.

& omnes actus Jurisdictionis ipsius Religiosis, à quibus exemptus est Religiosus factus Episcopus; cum amplius non sit sub Religionis Jurisdictione, sed solum sub Jurisdictione Papæ.

Dices: si Religiosus factus Episcopus esset adhuc Religiosus, posset à Superiore Religionis compelli, excommunicari, & castigari, si delictum aliquod contra vota committeret; sed hoc est falsum: Ergo jam non remanet Religiosus, si est ad Episcopatum promotus.

Respondetur dicendo, hoc totum posse Religionem exercere contra Religiosum factum Episcopum, si fiat per schisma; in quo casu, quia esset ab Ecclesia Dei, & à Religione Apostata, posset, & teneretur Religio contra illum procedere, excommunicando, castigando &c. At totum est falsum, quando Religiosus est ritè, & à Summo Pontifice factus Episcopus; quia tunc per dignitatem Episcopalem soli Pontificis Jurisdictioni subiectus est, & ab eo solum, ut subditus, recognosci potest, etiam circa votorum observantiam; quatenus ipse est minister Dei circa promissiones Deo factas.

141 Respondetur ad secundum dist. majorem: potest sibi acquirere &c. pro se, nego majorem: pro Ecclesia, quam gubernat, concedo majorem; & concessa minori in primo sensu, negata in secundo, nego consequentiam. Et ad probationem textus Canon. cit. dico cum Gloss. statutum esse intelligendum de acquisitione, quam Monachus facere potest de paternâ hæreditate pro Religione, dum in Religione, & de Religione vivit: non verò de acquisitione faciendâ pro seipso. Et dum est Episcopus, non pro se, sed pro Ecclesia potest paternam acquirere hæreditatem: unde redditur capax acquirendi pro Religione, vel pro Ecclesia præstantibus ipsi Monacho vitæ sustentationem. Neque talis acquisitio reddit Monachum dominii capax, sed reddit Religionem, si est in Religione capaci hæreditatis; vel Ecclesiam, si est factus Episcopus, capax dominii disponendi de illa hæreditate. Solum igitur Religiosus Episcopus potest de illa hæreditate disponere, ut administrator proprius, non ut proprietarius, aut dominus illius.

142 Pro casuum conscientie resolutione, infero primò, Religiosum professum obstrictum voto paupertatis, non esse Dominum reddituum Episcopatus, si factus sit Episcopus; sed duntaxat esse illorum reddituum administratorem. Ratio est, quia dignitas Episcopalis non dissolvit eum à statu Religioso, ratione cujus liberè Deo promissionem fecit, se obligando ad illius observantiam.

Infero secundò, Religiosum assumptum ad Episcopatum remanere liberum ab obligationibus particularibus Religionis, scilicet cujusdam particularis jejunii, vigiliarum, silentii

lentii &c. Ratio est, quia cum per egressum Religiosi à Religione rescindatur contractus initus inter Religionem, & Religiosum, ad particularia mandata, & constitutiones Religiosus amplius non tenetur, dum factus est Episcopus; quia ad alium statum promotus est, ad quem nullam habet Jurisdictionem Religio.

Infero tertio, teneri in conscientia Religiosum factum Episcopum deferre habitum ad colorem habitus suæ Religionis, quamvis non ita ruidum, sed decentem dignitatē Episcopalem. Ratio fundata supra Jus Canon. ex cap. *fin. de vita, & honestate Clericorum*, est, quia si remanet Religiosus post assumptionem ad Episcopatum, tenetur ostendere extrinsecum colorem habitus suæ Religionis, ut ipse præ oculis habeat, se esse Religiosum, & Religiosè vivat.

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

*An Beneficarij obligati ad recitandum divinum officium, si non recitent, possint facere fructus ex Beneficio?*

**C**irca hanc materiam sunt quatuor damnatæ propositiones ab Alex. VII. Quarum prima est desumpta ex num. 20. ubi habetur: *Restitutio imposta à Pio V. Beneficialis non recitantibus, non debetur in conscientia, ante sententiam declaratoriam Judicis, eò quòd sit pœna.* Secunda est desumpta ex nu. 21. ubi habetur: *Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.* Tertia est desumpta ex num. 33. ubi habetur: *Restitutio fructuum, ob omissionem horarum, suppleri potest per quasunque elemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.* Quarta est desumpta ex num. 34. ubi habetur: *In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.*

143 Pro intelligentia damnationis harum propositionum, supponenda sunt ea, quæ exprimit Concilium Tridentinum sess. 23. de reformatione. cap. 1. de pœnis contra Beneficiarios non residentes, scilicet, *eos pro rata temporis absentia, fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, &c.*

Supponendum est aliud Trid. Concilii decretum sess. 22. de reformatione. cap. 3. in quo contra Canonicos non assistentes personaliter divinis officiis persolvendis, pœna taxatur, ubi habetur: *Episcopi, etiam tanquam Delegati Apostolici, ex fructibus, & proventibus quibuscunque omnium dignitatum, personarum, & officiorum in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis exi-*

*stentium, tertiam partem in distributiones, eorum arbitrio assignandas, dividere possunt; ut scilicet qui eas obtinent, si personaliter competens illi servitium, juxta formam ab eisdem Episcopis præscribendam, quolibet die statuto, non impleverint; illius diei distributionem amittant, nec ejus dominium acquirant, sed fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pro loco, arbitrio Ordinarii applicetur. Crescente verò contumacia, contra eos juxta Sacrorum Canonum constitutiones procedant &c.*

144 Supponendum est decretum Concilii Lateranensis sub Leone X. quod sic habet: *Statuimus quoque, & ordinamus, ut quilibet habens Beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento Beneficio, divinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissionis recitationis officii, & temporis, sed eos, tanquam injustè perceptos, in fabricas hujusmodi Beneficiorum, vel pauperum elemosynas erogare teneatur. Si verò ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso privetur; cum propter officium detur Beneficium.*

145 Supponendum est tandem decretum innovatum, & auctum per Pium V. quod incipit *Exprimo Lateranensi Concilio Pio, & Salubris Sanctio emanavit, ut quicumque habens Beneficium Ecclesiasticum, cum cura, & sine cura, si post sex menses &c. Et subdit. Verumtamen multorum animi suspensi tenentur, cujusmodi rata prædicta ratio sit habenda. Nos huic rei evidentius, atq; expressius providere volentes, statuimus, ut qui horas omnes Canonicas, uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii, seu Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui verò matutinum tantum, dimidiam; qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei, amittat; tamen si aliquis choro addictus, non recitatis omnibus horis Canonicis, cum aliis præsens adsit, fructusque, & distributiones fortè aliter assignatas, sola præsentia, juxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel aliàs sibi invicem prætendat: Is etiam, præter fructuum, & distributionem amissionem: item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligatur admisisse.*

146 His itaque decretis omnibus suppositis, infero, gravem esse obligationem Beneficiorum, tum in assistentia præstanda divinis officiis in choro persolvendis, si recitatio divini officii in choro facienda, sit Beneficio addicta, ut est de Canonicis, & aliis Præbendariis, tum Cathedralium, tum Collegialium Ecclesiarum: tum etiam in recitandis horis Canonicis extra chorum, quæ recitatio addicta est Ecclesiastico Beneficio. Equidem hæc obligatio, nedum est sub pœna, sed etiam sub culpa.

- Quod exprimitur per illa verba Concilii in sess. 23. cit. (*Nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta*), Per verba ejusdem Concilii sess. 22. (*Nec ejus dominium acquirant*). Per verba causalia Concilii Later. (*Cum propter officium detur Beneficium*): Intendens Concilium, obligationem esse in conscientia recitandi ex justitia officium; & privatio fructuum oritur ex virtute justitiæ, ante Judicis sententiam. Per verba decreti Pii V. (*Grave peccatum intelligatur admisisse*;) exprimitur obligatio in conscientia reddendi fructus non suos, dum recitationem divini officii omittat.
- 147 Quibus omnibus suppositis, & consideratis, apparet falsitas illarum propositionum ab Alex. VII. damnatarum. Falsa itaque est prima ex num. 20. desumpta, ex ipsa Pii V. Bulla, scilicet per verba ultima: Quæ sunt: *Grave peccatum intelligatur admisisse*. Hoc autem peccatum est peccatum injustitiæ, quod committit Beneficiarius obligatus pro Beneficio, aut fructibus ejus ad officium persolvendum, si ipsū officium non recitat; cum recitatio illa officii sit tanquam onus, imposita Beneficiario, & pro pretio talis oneris fundatum est Beneficium; ut sonant ultima verba relati Conc. Later. *Cum propter officium detur Beneficium*. Et quia restitutio orta ex virtute justitiæ facienda est ante Judicis sententiam; ideo Beneficiarius non recitans divinum officium, tenetur in conscientia restituere, ante Judicis sententiam: unde restitutio illa facienda, nedum est pœna, sed etiam culpa.
- 148 Est insuper falsa secunda propositio ex num. 21. Ratio potissima est, quia Capellania, sive sit collativa, sive non, est Ecclesiasticum Beneficium, & quidem personale; quare habens tale Beneficium debet onera illius subire; nam, cujus est honor, debet esse & onus. Si igitur Capellania est Beneficium, cui annexa est obligatio recitandi divinum officium, hoc (excepta causa legitima infirmitatis, cognoscenda, & approbata à Medico, Confessario, & viris prudentibus) nequit per aliud suppleri. Neque causa studii potest Beneficiarium excusare; quia hæc non est legitima, nec à Concilio approbata causa excusandi Beneficiariū à propria obligatione officium recitandi. Quod confirmari potest etiam per residentiā Beneficiarii, quæ non excusat Beneficiarium à residendo, etiamsi alium suo loco substituat. Falsitas illius propositionis est etiam desumpta ex verbis relatæ Bullæ Pii V. qui si pœnam infligit contra non recitantes divinum officium, & declarat, illos peccatum committere; signum est, quod vult, officium, in Beneficii onus, esse personaliter recitandum; & non ab alio per ipsum Beneficiarium destinato.
- 149 Falsa est etiam tertia propositio desumpta ex num. 33. nam restitutio est actus justitiæ; opera verò bona præterita, sunt actus charitatis, per elargitionem eleemosynarum; & ideo

non possunt esse satisfactoria obligationi insurgenti ex justitia. Ultraquamquod illa elemosyna facta ex fructibus Beneficii nequit esse actus justitiæ in futurum exercendæ; aliàs quis posset licitè nunc tradere eleemosynam, pro culpa voluntariè cras committenda. Quis enim non videt, hoc esse potius impietatis opus, quàm justitiæ? Nemo pro opere malo faciundo potest anticipatè pretium solvere. Pretium itaque solvitur in pœnam commissæ culpæ contra justiciam; unde dum quis incipit esse debitor, incipit obligatio restitutionis. Quibus consideratis rationibus, evidenter deducitur, non esse validam restitutionem, quæ fit pro omissione officii divini, si Beneficiarius ante talem omissionem dederit in pauperum sublevationem partem ex fructibus ejusdem Beneficii.

- 150 Falsa tandem est quarta propositio ex num. 34. contra antiquatam opinionem illorum, qui dicebant, officium pro officio valere; & quidem malitiosè, unum pro altero recitando. Quapropter ex ipsis terminis apparet falsitas illius quartæ propositionis ex num. 34. quia pro quolibet die proprium assignatum officium, ex Ritu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, recitandum est; nec unum ex natura sua potest pro alio suppleri; aliàs ritus assignatus ab Ecclesia esset frustraneus, & ad libitum hominis variari poterit, quod nemo sanz mentis dicere audeat. Omnes istæ propositiones, ut discordantes à decretis Conciliorum, Bullæ Leonis X. & Pii V. & etiam ut rationibus dissonæ, sunt jure merito damnatæ.

Quod nunc exagitur est, an Beneficiarius, qui tenetur divinum officium recitare, si non recitet, possit in conscientia facere fructus ex Beneficio? id est an possit in conscientia pro se applicare fructus Beneficii, absque ulla restitutionis obligatione? Et pro resolutione

*DIŒO*, Beneficiarios obligatos ad recitandum divinum officium pro Beneficio, si ipsum non recitant, teneri in conscientia ad restituendos fructus ex Beneficio perceptos; ut determinatum est per Bullam Pii V. relatum num. 145. Hoc est etiam juxta mentem Conc. Lateranensis, & est ferè omnium Doctorum; & oppositum est damnatum ab Alex. VII. in illa prop. ex num. 20. in initio questionis relatæ, Est etiam D. Bonaventuræ sententia in 4. dist. 24. p. 1. q. 1. art. 4. Colligitur ex Scoto in 4. dist. 15. q. 2.

- 151 Probatur; tunc in aliquo insurgit obligatio ad restituendum, quando injustè res aliena retinetur; sed quando Beneficiarius recipit fructus Beneficii pro recitatione divini officii, & ipsum officium non recitat, tunc injustè retinet rem alienam: Ergo quando tenetur recitare divinum officium, & ipsum non recitat, tenetur in conscientia ad restitutionem. Major est certa; quia una ex principalibus radicibus restitutionis, est injusta rei alienæ retentio.

Proba-

Probatur minor: qui constituit Beneficium, voluit, ut pro officio recipiantur fructus ex Beneficio: Ergo quoties officium non recitatur, & Beneficiarius recipit fructus ex Beneficio, injustè fructus illos retinet. Probatur ista consequentia: quoties initus est contractus onerosus, cum pacto aliquid servandi; si pactum illud, aut conditio cadens sub pactum, non servatur jam contractus nullus est: & qui rem suscipit ex contractu nullo, & irrito, rem illam injustè retinet; sed fundator Beneficii, illud fundavit cum pacto, quòd Beneficiarius recitet divinum officium: Ergo dum non recitat divinum officium, contractus est nullus. Sed retinens rem ex contractu nullo, injustè retinet illam; Ergo Beneficiarius retinens fructus ex Beneficio, dum non recitat divinum officium, injustè fructus illos retinet.

Confirmatur. Non solum est injustus rei alienæ retentor, qui aliena rapit; sed qui aliena retinet, non satisfaciendo promisso, & pacto, cui se obligavit; sed Beneficiarius in actu collationis Beneficii se obligavit ad recitandum quotidie divinum officium: Ergo quoties illud non recitat, & accipit fructus ex Beneficio, retinet aliena.

Eò vel maxime, quia Beneficiarius non potest habere justum titulum, ipsum excusantem à restitutione in conscientia facienda: Ergo jam tenetur in conscientia restitutionem facere. Probatur antecedens: si aliquis esset justus titulus, hic fortasse esset Beneficium ipsi, & non alteri collatum; sed Beneficium est titulus onerosus, secum ducens obligationem recitandi officium: Ergo &c. Probatur minor: quia Beneficium fundatum est cum hoc onere: ut colligitur ex cit. Conc. Lateran. in Bulla Leonis X. supra citata, verbis illis: *Cum propter officium detur Beneficium. Ubi videtur titulus Beneficii datus propter officii recitationem: Ergo quoties cessat finis, propter quem conceditur titulus, cessat ipse titulus.*

Confirmatur hoc, & simul exemplificatur. Si pactum habeam tecum de conferendis decem carolenis, si tu in una hebdomada bis jejunas: si decem illos carolenos accipias, & non jejunasti, jam injustè retines denarios illos, quos à me accepisti; nam titulus translativus dominii à me ad te, erat duplicatum illud jejunium: Ergo quoties non jejunasti, injusto titulo retines illos decem carolenos. Ita à pari: pactum feci tecum de tibi conferendo Beneficium, quod per singulos dies fructificat duos carolenos: si tu per singulos dies recitabis officium, fructus illos facies ex Beneficio: at quoties non recitabis, fructus illos non facies. Quoniam justo titulo potuit hic Beneficiarius fructus facere ex Beneficio, si justus titulus erat recitatio divini officii; & hic non interveniret in casu? Ergo semper Beneficiarius diceretur injustus retentor fructus Beneficii, quoties cessaret titulus justæ retentionis:

& sic ad restitutionem esset obligatus.

152 Neque valet, si dicas, justæ retentionis titulum esse ipsum Beneficium collatum.

Non valet; quia quoties Beneficium est onerosum, nequit esse titulus justæ retentionis fructuum Beneficii, nisi adimpleto onere, supra Beneficium imposito; sed onus est recitatio officii: Ergo quoties non recitaretur officium, Beneficium receptum, & collatum sub hoc onere, nequit esse titulus justæ retentionis fructuum, qui ex Beneficio percipiuntur. Tum etiam quia: tunc Beneficium esset justus titulus retentionis fructuum ex Beneficio, quando conferretur Beneficium absq; ullo pondere: Ergo quoties confertur cum pondere recitandi officium; nisi officium recitetur, non poterit dari justus titulus retentionis fructuum.

Potest insuper idem probari ex Bulla Pii V. relata num. 149. in qua Sanctissimus Pontifex obligavit Beneficiarios ad restitutionem fructuum, quos receperunt ex Beneficio, quoties officium omiserunt: quæ quidem restitutio est facienda, non expectata Judicis sententia, sed in foro conscientiæ; ut sonant ista verba citatæ Bullæ, *Grave peccatum intelligatur admisisse*; quod quidem est injustitiæ peccatum.

153 Pro majori hujus quæstionis claritate advertendum est, sensum hujus quæstionis esse, ut notant Lessius, Navarrus, & alii, quòd dum Concilium Lateran. & Pius V. asserunt, quòd teneantur Beneficarii ad restitutionem fructuum, quos percipiunt ex Beneficio, & quòd non faciant fructus suos, si officium non recitent; est sensus de Beneficiis illis, quibus est annexa obligatio recitandi officium divinum, sive in choro, sive extra chorum. Nihilominus quando Beneficio non est annexa talis obligatio, sed est annexa obligatio recitandi officium B. Mariæ Virginis; vel *quinque Pater, & Ave*; tunc si hæc omitterentur, etiam Beneficiarius ad fructuum restitutionem teneantur. Hujusmodi Beneficia dicuntur quædam Præstimonium, seu pensiones positæ ab Episcopis pro educandis pueris ad servitium Ecclesiæ; quæ Præstimonium multoties stant cù onere recitandi officium B. Mariæ Virginis; vel *quinque Pater noster, & quinque Ave Maria*, per singulos dies. Si tandem nulla talis obligatio esset in Beneficiario recitandi officium pro compensatione fructuum ex Beneficio, tunc si est in sacris, mortaliter peccat, officium divinum omittendo, ad quod tenetur ex Instituto Ecclesiæ. Quod exprimitur in cap. illo *Dolentes*, de celebratione Missarum. *Districte precipimus in virtute Sanctæ obedientiæ, ut divinum officium nocturnum, pariter, & diurnum, quantum eis Dominus dederit, studiosè pariter celebrent, & devotè.* Quapropter concludo, restitutionis onus oriri in Beneficiario non recitante divinum officium, quando pro illo officio recitando fructum recipit ex Beneficio.

*Salvantur Objectiones.*

154. **O**bjicies primò, In tantùm Beneficiarius non recitans divinum officiũ, ad quod, ratione Beneficii, est obligatus, ad restitutionem teneretur, in tantùm injustè fructus illos retineret; sed hoc est falsum: Ergo non tenetur ad restitutionem fructuum Beneficiarius, qui divinum officium non recitat. Probatúr minor: si teneretur ad restitutionem fructuum, vel teneretur ex injusta acceptione fructuum, vel ex injusta retentione; sed ex neutro, capite teneretur ad restitutionem: Ergo &c. Probatúr minor: non teneretur ex injusta acceptione; quia fructus illos acciperet, Domino volente, & fundante Beneficium, ex quo à Beneficiario sint accipiendi fructus. Neque ex injusta retentione; quia fructus illi sunt fructus Beneficii ipsi collati: Ergo, neque teneretur ad restitutionem ex injusta acceptione fructuum, neque ex injusta ipsorum retentione: Ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dico, obligationem oriri ex injusta fructuum retentione. Quod patet primò, ex prohibitione illa facta in Bulla Pii V. quòd scilicet relinquens totum officium restituat omnes fructus illius diei, in qua officium omittit; ut si fructus pro illo die sint duo caroleni, his privetur pro illo die. Si tantùm matutinum omittat, privetur media parte fructuum, uno scilicet caroleno. Si ceteras omnes omittat horas, etiam media parte privetur. Si unam horam, sexta privetur parte. Quare stante illa Bulla, supra injustam fructuum retentionem fundata, jam injustè fructus illos Beneficiarius retineret, quoties officiũ omitteret. Secundò, quia etsi Beneficium justè reciperet, & fructus ex Beneficio justè exigeret, tamen, quia Beneficiarius non adimpleret voluntatem dantis, & fundantis Beneficium, quæ est, ut recitetur à Beneficiario divinum officium, ideo fructus illos perceptos injustè retineret. Laici nanque fundantes Beneficium, aut redditus conferendos, & percipiendos ex Beneficio, hoc fecerunt, ut suffragium ex officio recitando reciperent; pactum scilicet faciendum, hoc modo explicatum: *Do tibi redditus ex Beneficio, ut tu pro me officium recites.* Quis ergo non consideret, injustum esse retentorem redditus ex Beneficio, eum, qui fructus reciperet, & officium non recitaret? Semper injustitia intervenit, quando æqualitas non servatur; quæ in casu non servaretur, si fructus Beneficii retineret, & officium non recitaret.

155. Objicies secundò, Quando obligatio restituendi est duntaxat in pœnam delicti, & non in foro conscientiæ, non tenetur quis ad restitutionem rei, ante Judicis sententiam; sed re-

stitutio faciendâ à Beneficiariis non recitantibus officium, est tantùm in pœnam delicti, & nõ in foro conscientiæ; Ergo non tenentur Beneficarii non recitantes officium ad restitutionem fructuum, ante Judicis sententiam. Probatúr minor: in Bulla citata Pii V. exprimitur taxata pœna restituendi fructus ex officii omissione; ut constat ex illis verbis: *Statuimus, ut qui horas omnes Canonicas &c.* Ergo nisi Judex decernat per suum decretum, restitutionem faciendam, juxta taxam decreti Pii V. in pœnam delicti, nunquam in conscientia obligatus remaneret Beneficiarius ad restitutionem illorum fructuum. In hac objectione stat damnata propositio Alex. VII. ex n. 20.


Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dico, quòd quamvis in Bulla illa Pii V. sit taxata restitutio faciendâ pro officii, & cujuslibet ejus partis omissione, in pœnam delicti, tamen illa pœna est juridica culpæ commissæ contra justitiam. Unde potius prætendit Pontifex declarare pœnam, crimini, & peccato commensurandam, quam oculum habere ad Judicem, à quo ferri debeat sententia: & iccirco dicit: *Grave peccatum intelligatur admisisse*, quod est peccatum contra justitiam. Quanquam ergo multoties in decretis Pontificiis exprimatúr pœna contra transgressores, non tamen illa pœna est semper per Judicis sententiam ferendam, sed multoties, si peccatum contra jus committitur, Juris satisfacere quis tenetur ante Judicis sententiam, ut dictum est de Beneficarii residentia, ubi adduximus Decretum Conc. Trid. cap. 1. sess. 23. de reform. in quo Decreto statuuntur pœnæ contra non residentes, & hoc non obstante, quia non residentes contra divinum præceptum peccant, non residendo; iccirco obligantur ad fructuum Beneficii restitutionem, ante quamcunque Judicis sententiam; ut sonant illa verba in eodem Decreto citatæ sessionis: *Eum pro rata temporis absentia, fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi retinere posse &c.* Ita in proposito; quia Beneficarii sunt ex Beneficio obligati ad recitandam officium, si ipsum omittunt, quia contra justitiam peccant, tenentur ad restitutionem, nulla alia secuta sententia. Addo, quòd dum Pius Quintus expressit pœnam, tantùm taxavit summam restituendam, non expressam in Bulla Leonis X. in ultimo Lateran. Concilio emanata; in qua tantùm exprimebantur illa verba: *Non faciat fructus suos pro rata omissionis recitationis officii, & temporis.* In qua Bulla Leonis X. consideranda sunt illa verba: *Sed eos tanquam injustè perceptos.* Quæ verba indicant actum injustitiæ in percipiendis, & retinendis fructibus ex Beneficio, quando omittitur divini officii recitatio; & hæc Bulla est ampliata, & non restricta per illam Pii V.

156. Pro resolutione casuum conscientiæ infe-

ro primò, Beneficiarium obligatum ex Beneficio ad recitandum divinum officium, si ipsum omittat, teneri in conscientia ad restitutionem fructuum pro rata, ante Judicis sententiam. Ratio est, quia fructus Beneficii conceduntur pro officio; & Beneficium est onerosus contractus, quando ei annexa est obligatio recitandi officium, quæ obligatio est in foro conscientiæ ante Judicis sententiam. Hoc ipsum exprimunt Bullæ Leonis X. in Lateran. Concil. & Pii V. supra relatæ.

Infero secundò, obligationem recitandi divinum officium, esse nedum in Beneficiariis, qui ex Beneficio emolumenta recipiunt, sed etiam in iis, qui sunt initiati ordinibus Sacris; & quidem ex universalis praxi Ecclesiæ obligantis Clericos, à die recepti Ordinis Subdiaconatus, ad divinum recitandum officium: quæ praxis universalis vim Legis habet, ut nosse Atesanus notat. Esse tandem hanc obligationem in omnibus Religiosis professis cujuscunque Instituti, etiamsi non sint initiati, & constituti in Sacris Ordinibus; & hoc non ex Regulæ præcepto; sed ex consuetudine; quia choro addicti sunt. In nostra verò Religione est obligatio ex præcepto Regulæ in 3. cap. tum pro Clericis, tum pro Laicis, seu Conversis: pro Clericis officium divinum; pro Laicis verò, seu Conversis pro singulis horis est taxatus numerus *Pater noster*, scilicet 24. *Pater noster pro Matutino; pro Laudibus 5. pro prima, Tertia, Sexta, & Nona, pro qualibet istarum septem; pro Vesperis duodecim; & pro Completorio septem*: sicut in tot horas officium est ab Ecclesia divisum. Et tam Clerici, quàm Laici, seu Conversi, sunt sub peccato mortali obligati à die professionis ad recitandum officium.

Infero terciò, obligationem recitandi divinum officium in Choro in singulis horis, omnibus inesse Regularibus (aliquibus exceptis); quæ obligatio deducta ex Clement. 1. *de Regularibus*, ut ait Lezana, magis viget in superioribus, quàm in subditis; nam superiores invigilare debent, ut Deus debita laude, in singulis horis, non privetur. Nec displiceat audire, hanc obligationem magis esse in nostra Minorum Observantia, & omnibus, ac singulis, qui sub Patris Sancti Francisci Regulæ vivunt, qui cum panem fidelium emendicatum ostiatim manducemus, majori obligatione ligamur præces fundendi ad Deum in Choro, pro Benefactoribus, qui nos nutriunt, & pascunt.



QVÆSTIO DECIMA OCTAVA.

*An unica divini officii lectione duorum dierum obligationi satisfieri possit?*

157 **I**N hac materia circa officii divini recitationem servandus est ordo præscriptus in Romano Breviario, edito à Pio V. & à Clemente VIII. & Urbano VIII. reformato; in quo specialis Rubrica servanda est, quòd officium incipiat à Matutino, & deinde immediate post prosequantur Laudes: deinde prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium. Pro singulis horis propria pars officii est designata. *Pro Matutino, & Laudibus* media nox; & ita in quibusdam Religionibus observatur, vel à secunda hora post meridiem antecedentis diei, in quo recitari potest, usque ad occasum solis: vel in sero antecedentis diei, vel ante ortum solis diei designatæ ad illud officium recitandum. *Prima* post ortum solis propriæ diei, in quo recitanda est. *Tertia, & Sexta*, una hora, vel saltem duabus ante prandium. *Nona* immediate ante, vel immediate post prandium. *Vesperæ* una hora post meridiem. Completorium tandem ante occasum solis ejusdem diei. Iste ordo à pluribus Doctoribus determinatur, juxta ritum recitandi officium: & præsertim dum in choro perfolvitur, & recitatur, servandus est; quàmquam Doctores isti dicant, ut Lessius, Toletus, Lezana, & alii, quòd si hic ordo distinctionis, & intervalli temporis, non servetur, recitans officium, læthale non committeret peccatum; quia illa circumstantia temporis non ponit obligationem sub culpa, & in conscientia. Imò addunt cum Lezana, Soto, Layman, & aliis, quòd sive in choro ob impedimentum, sive extra chorum ob aliam justam causam postponeretur, vel anteponeretur, nedum tempus, sed etiam ordo non servaretur; ut si prius recitentur Vesperæ, quàm prima, Tertia &c. vel primò Completorium, quàm Vesperæ, neque peccaret hoc modo recitans divinum officium; nam præceptum de recitando divino officio, non est additum tempori, nec ordini, sed tantum distinctis partibus, & singulis recitandis, quibus officium ipsum constat. Quare sic, quòd ad præceptum, & obligationem recitandi officium, sive in choro, sive extra chorum, solum spectat integritas ipsius officii recitandi, nulla omiſsa parte ipsius, (& quidem ex malitia, aut negligentia; ) nam si omitteretur involuntariè, & ignorantèr, non peccaret omittens illam partem; cum non sit peccatum, nisi voluntarium, & ignorantia illa omittentem à peccato excusaret.

158 Quibus notatis, in præſenti quaeritur, an unica divini officii lectione duorum dierum obli-



obligationi satisfieri possit? Et sensus hujus quæstionis potest esse duplex. Primum, si una tantum recitatione unius officii valeat ad satisfaciendum pro duobus diebus, pro hodie scilicet, & Cras? Secundus, si una recitatione duplex officium recitetur integrum in uno die, pro satisfactione duorum dierum: ut si hodie quis duplex recitaret officium, unum pro die præsentis, & aliud pro die crastina; ita ut crastina die nullum recitando officium, remaneat solutus ab obligatione satisfaciendi præcepto. Quocumque ex his modis accipiatur sensus quæstionis secum fert sententia affirmans quaedam damnatam propositionem ab Alex. VII. positam sub num. 35. ubi habetur: *Unica officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsentis, & crastino.*

159 Ad quam propositionem magis intelligendam, suppono tanquam certum apud omnes Doctores, recitationem divini officii, tum in Beneficiariis, tum in aliis ecclesiasticis personis, sive Regularibus, sive ordinibus sacris additis, esse onus affixum diei; ita ut pro quolibet die proprium, ac distinctum recitari debeat officium. In hac damnata propositione prætendebant, eam patrociantes, quod si hodie diceretur totum officium dicendum, crastina die, hujusmodi recitatio valeret, tam pro officio hodierno, quam pro crastino. Vel si hodie relinqueretur integrum officium, quod pro satisfactione hujus diei recitari debebatur, & diceretur tantum matutinum, cum laudibus officii crastini, & cras dicerentur reliquæ partes officii; etiam affirmabant esse validam recitationem hujusmodi officii pro utriusque diei satisfactione. Hæc opinio damnata (ut dicit Pater Mastrius) non est difformis ab illa, quam tenebat absque ulla Doctorum sequela Illustrissimus Caramuel, qui dicebat, quod unica Missæ auditio valebat pro satisfactione audiendi Sacrum in duobus diebus. Nam, ut bene infert ipse Mastrius, sicut obligatio recitandi officium est onus affixum diei, ita etiam auditio Sacri in die festo ponit obligationem illi diei affixam. Quicquid autem sit de hoc, sensus nostræ dubitationis est, an unica recitatio divini officii sufficiat pro satisfactione præcepti duorum dierum? Et pro quæstionis decisione

*DICO*, Unicam divini officii recitationem non sufficere ad satisfaciendum obligationi duorum dierum. Hæc conclusio est ferè omnium Recentiorum Doctorum, cum aliquibus ex antiquioribus. Et oppositum est damnatum ab Alex. VII. in illa 35. propositione.

160 Probatur primò: obligatio recitandi divinum officium in singulis anni diebus, est onus propriæ diei affixum: Ergo unica recitatio divini officii non est sufficiens ad satisfaciendum obligationi duorum dierum. Probatur antecedens: obligatio recitandi divinum officium est ab Ecclesia imposita, ut pro singulis

diebus speciale recitetur officium: Ergo est onus propriæ diei affixum. Probatur antecedens: si non esset imposita, ut pro singulis diebus speciale recitetur officium, qui in uno die omitteret officium, non peccaret; cum posset excusari, quod diei antecedentis officium valebat pro utriusque diei satisfactione; sed hoc non est dicendum; quia omittens officium, etiam pro uno die, imò unam integram partem officii illius diei, peccat mortaliter: Ergo &c.

161 Probatur secundò, Si recitatio unius officii valeret pro satisfactione duorum dierum, non esset major ratio, cur non posset valere pro satisfactione obligationis trium, quatuor, vel quinque dierum, & etiam ascendendo usque ad ultimum tempus suæ vitæ; sed hoc non asseritur, nec ab ullo sanæ mentis est asserendum: Ergo recitatio unius officii non valet pro satisfactione obligationis duorum dierum. Probatur sequela majoris: onus, quod non est affixum propriæ diei, si auferatur per unam solutionem, hæc valere debet pro omnibus diebus. Exemplifico hoc: si ego deberem Petro unum carolenum in singulis diebus unius anni, si hodie Petro solverem summam totius anni, solutus sum per unicam satisfactionem à toto debito unius anni: quia unica illa solutio æquivaleret tercentis, & sexaginta solutionibus. Ita similiter cum recitatio divini officii non esset per adversarios affixa diei, si unica recitatione posset satisfieri obligationi duorum dierum, posset etiam pari ratione satisfieri obligationi plurium dierum; quia sicuti illa una recitatio æquivaleret duabus recitationibus pro duobus diebus, posset etiam æquivalere recitationibus pro tribus, quatuor &c. diebus; quod omninò absurdum videtur.

Confirmatur: si quis deberet centum Cajo pro hodierno die, & aliud centum eidem Cajo pro die sequenti, non satisfaceret suæ obligationi, si hodie Cajo centum redderet pro solutione faciendâ, tam pro hodie, quam pro crastina die; cum pro crastina die jam remaneret obligatus ad alium centenarium solvendum: Ergo pariter si teneor ad recitandum officium hodie, & cras, non sum solutus ab obligatione pro crastino die per recitationem officii hodierni, sed insuper teneor ad aliud officium recitandum cras. Antecedens est notum, quia totum debitum, Cajo solvendum, est biscentum; & nequit in debitore extinguui per solam solutionem summæ centenariæ, quæ æqualitatem inter debitum, & creditum non poneret. Probatur consequentia à pari: quia debitum meum recitandi pro duobus diebus, est debitum duorum officiorum: Ergo solvi non potest per recitationem unius officii.

163 Neque valet, si dicas, saltem sufficere, si hodie duplex officium recitetur, hodiernum, & crastinum, tunc recitantem satisfacere obligationi-

gationi duorum dierum . Sicut si ego debe-  
rem decem Cajo, quinque pro hodie, & quin-  
que pro cras, solutus essem à debito, si hodie,  
illi traderem totam summam denariam.

Non valet, inquam, in proposito (et si secun-  
dum aliquos posset valere pro satisfactione  
redituum ex Beneficio, cui est annexa recita-  
tio divini officii). At juxta veriore[m] doctri-  
nam, neque valet pro satisfactione officii, ne-  
que pro compensatione redivituum ex Benefi-  
cio, Quod probatur, quia onus recitandi di-  
vinum officium, sive à Religiosis, sive à Cleri-  
cis constitutis in Sacris ordinibus, sive à Be-  
neficiariis, est onus affixum diei; ita ut quoli-  
bet die Ecclesiasticus per divini officii recita-  
tionem maneat Deo dicatus, ipsique Deo uni-  
tus; & insuper, ut voluntatem adimpleat Le-  
gislatoris, instituentis recitationem officii pro  
quolibet die. Paritas illa adducta non tenet,  
quia restitutio non est affixa diei, sed facienda  
est habito mutuo consensu debitoris, & cre-  
ditoris: unde si creditor velit liberare debito-  
rem à solutione facienda pro duobus diebus,  
ut fiat in uno die, hoc evenit ex suo benepla-  
cito: at solutio Deo facienda per divini offi-  
cii recitationem non dependet, nisi à Lege ta-  
xante talem recitationem, quæ cum cuilibet  
diei affixerit recitationem divini officii, iccir-  
cò in unica die per recitationem, etiam plu-  
rium officiorum, non potest satisfieri obliga-  
tioni plurium dierum. Quocumque modo in-  
telligatur: *ly unica divini officii recitatio*, sive  
sit recitatio unius officii, sive duorum officio-  
rum, nunquam satisfieri potest obligationi  
duorum dierum.

*Solvuntur Objectiones.*

164 **O** Bjicies primò . Si quis media  
hora ante mediam noctem diei se-  
quentis inciperet recitationem of-  
ficii diei præsentis, ita ut tantum Matutinum,  
& Laudes persolverit usque ad mediam no-  
ctem; tunc iste prosequendo idem officium,  
post mediam noctem satisfaceret obligationi  
diei præsentis, & sequentis diei: Ergo unica  
divini officii recitatione satisfaceret obliga-  
tioni duorum dierum. Probatur assumptum;  
quia officium illud fuit incæptum ad satisfac-  
ciendum præcepto, pro die præsentis; & quia  
dies in ipsa recitatione elapsus est, ex dato si-  
gno mediæ noctis, jam illa pars officii, reci-  
tata ante mediam noctem, valet pro die præ-  
sentis: Ergo reliquæ partes, quas ille prosequi-  
tur post mediam noctem, valent pro die se-  
quenti. Probatur ista consequentia, quia offi-  
cium non est interruptum, sed continuatum:  
Ergo &c.

Respondetur explicando casum. Vel quis,  
data opera, se poneret ad recitandum officium  
antecedentis diei in illa media hora ante me-

diam noctem, vel ob grave impedimentum. Si  
ob grave impedimentum potens illum excu-  
sare à recitatione totius officii; tunc dico, in  
casu illo posito, quod pars, quæ completa  
fuerit ante mediam noctem, sufficeret pro  
obligatione diei antecedentis (si occupatio sit  
ita gravis, ut excusare posset à recitatione di-  
vini officii.) At in hoc casu, ut adimpleat obli-  
gationem pro die sequenti, tenetur principia-  
re, & complere totum officium diei sequentis;  
nam si prosequeretur officium diei antecedentis,  
hæc officii prosecutio bona, & melior es-  
set pro satisfactione diei antecedentis, licet  
non esset necessaria; cum jam dies elapsus es-  
set; & officium diei affixum sit: sed non vale-  
ret pro satisfactione diei sequentis. Ratio est  
primò, quia deficeret illa pars dicta pro satis-  
factione diei antecedentis; & sic pro die se-  
quenti non esset totum officium, quò ad om-  
nes partes recitatum. Secundò, quia non re-  
cicaretur officium juxta Ecclesiæ ritum inci-  
dens pro illo die: unde semper officium diei  
sequentis est integrè recitandum, ut pro hac  
die satisfactio habeatur.

Si se poneret ad recitandum officium in il-  
la media hora ante mediam noctem diei se-  
quentis, absque ullo impedimento, & data  
opera; tunc nedum per recitationem unius  
officii non satisfaceret obligationi duorum  
dierum, sed insuper, quia talem omissionem  
voluntariè causavit, illa pars officii diei ante-  
cedentis recitata ante mediam noctem, non  
sufficeret pro præcepti satisfactione illius an-  
tecedentis diei. Ratio est, quia dans causam  
omissioni, peccat: & sic illa pars recitata an-  
te mediam noctem (data opera) non suffice-  
ret pro die antecedenti. Aliunde, si idem  
officium prosequeretur, deficeret pro die se-  
quenti una pars pro antecedenti die applica-  
ta; & sic illud officium, saltem juxta applica-  
tionem recitantis, nec pro antecedenti, nec  
pro sequenti diei satisfaceret: non pro antece-  
denti, quia recitans dedit causam omittendi  
alias partes: non pro sequenti, quia integrè  
non recicaretur, ut exigitur pro sequenti diei;  
& iccirco pro duorum dierum satisfactione,  
unius officii recitatio non valet.

165 **O** bjicies secundò: si quis hodie duplex  
recitaret officium, unum incidens pro hodie-  
no die, & aliud pro crastina die, satisfaceret  
obligationi, tam pro die hodierno, quam pro  
crastino: Ergo saltem per recitationem dupli-  
cis officii in uno die, satisfaceret obligationi  
duorum dierum. Probatur assumptum: obli-  
gatio recitandi officium, est, ut pro quolibet  
die unum completum, & integrum recitetur  
officium: Ergo sive unum recitetur hodie, &  
unum cras, sive duplex hodie, unum pro ho-  
dierno die, & alterum pro crastino die, satis-  
fit præcepto, & obligationi. Probatur ista  
consequentia à pari: qui debet ex contractu  
decem Cajo, quinque solvendum pro hodie,  
& quin-

& quinque pro cras; satisfaceret suæ obligationi, & debitum extingueretur, si hodie simul totam summam solveret. Ergo pariter, quia pro duobus diebus ex contractu inito cum Deo, Ecclesia, vel Religione, quis est obligatus ad duorum officiorum recitationem, sive illa recitentur in duobus diebus, sive in uno die, satisficit obligationi duorum dierum.

Respondetur dicendo, quod quamvis hoc argumentum non directè militet contra nostram conclusionem; cum nos loquamur de unica lectione, aut recitatione divini officii pro duobus diebus, tamen etiam est falsum assumptum adversariorum; nam officii divini recitatio, est propriæ diei affixa, ita ut cuilibet diei proprium officium correspondeat; cum nullo die debeat Deus digna laude privari, Deus enim non est creditor ad habendum simpliciter, sed ad habendum pro quolibet die. Quare si quis hodie duplex recitet officium, unum pro hodie, & alterum pro cras, non diceretur solutus ab obligatione pro cras, si cras non recitat officium; quia officium crastinum est crastino diei affixum. Et si dicas: anticipatur officium, quia certò quis scit, se crastina die habere grave impedimentum, quo non potest officium recitare. Tunc dico, quod si impedimentum est ita grave, ut possit recitantem excusare, non tenetur officium recitare, neque cras, neque hodie pro cras. (De impedimentis videnda sunt, quæ dicemus in sequenti quæstione.) At ex hoc non sequitur, quod officium crastinum, hodie recitatum, valeat pro die crastino; quia non est affixum diei crastino. Paritas illa inter arguendum adducta non tenet; quia solutio debiti ex contractu, non est diei affixa, sed potest anticipari, vel postponi ad libitum contrahentium; nam sicut creditor potest temporis dilationem, ex suo beneplacito, concedere debitori; ita etiam potest anticipatè solutionem crediti accipere. Ceterum divini officii recitatio est ita diei affixa, ut cuilibet diei quælibet recitatio correspondere debeat; adeoque &c.

Dices: pro die sequenti potest hodie recitari Matutinum cum Laudibus: Ergo etiam totum officium. Patet antecedens, ex Ecclesiæ consuetudine, Probatur consequentia; quia non est major ratio cur una pars, & quidem principalis, non sit diei affixa, & ceteræ partes sint affixæ diei: Ergo &c. Probatur antecedens; nam omnes partes integrant unum completum, & totale officium: Ergo vel omnes sunt ita diei affixæ, ut nulla pars possit anteponi, vel omnes possunt anteponi.

Respondetur negando consequentiam, cum antecedenti probationis: in tantum Matutinum cum Laudibus potest anteponi in sero diei antecedentis, in quantum adest speciale privilegium, vel saltem consuetudo recitandi Matutinum tantum, cum Laudibus diei se-

quentis, etiam ab Ecclesia Romana in praxim deducta, in triduo hebdomadæ Sanctæ: quod Privilegium, & consuetudo non est pro ceteris officii partibus. Et quamvis omnes partes officii integrent unum completum; & totale officium, tamen (ut optime dicit Pater Felix de Panormo) sunt partes dividuæ, non individuæ; id est sunt partes, quarum singulæ sunt materia præcepti, etiam ut divisæ à toto: ut quia est præceptum jejunandi in Quadragesima, quilibet dies Quadragesimæ est materia præcepti; quia quilibet dies est pars dividua totius Quadragesimæ. Unde si omnes officii partes, quæ sunt materia præcepti, recitentur hodierno die, jam pro die crastino non satisfaceret obligationi. Sufficit ergo, ut (Matutino, & Laudibus exceptis) ceteræ partes recitentur die sequenti; quia singulæ sunt materia præcepti, etiam à toto officio divisæ.

166 Pro casuum conscientiarum resolutione, infero primò; unicam divini officii recitationem non sufficere ad satisfaciendum obligationi duorum dierum. Oppositum hujus sententiæ est damnatum ab Alex. VII. prop. 35. Ratio est, quia recitatio divini officii est onus ab Ecclesia impositum ad satisfaciendum obligationi cujuscunque diei; adeoque unicum officium uni diei tantum correspondere potest.

Infero secundò: si hodie duplex recitetur officium, & quidem completum, non valere utrumque ad satisfaciendum pro hodie, & cras. Ratio est, quia recitatio divini officii est ita diei affixa, ut cuilibet diei propria correspondere debeat recitatio; ne Deus pro illa die debita laude privetur.

Infero tertio: si hodie recitetur Matutinum cum Laudibus (ultra officium spectans ad hodiernum diem) satisficit obligationi, si cras ceteræ officii partes recitentur. Ratio est, quia cum ceteræ partes sint divisim materia præcepti recitandi officium, etiam ut divisæ à Matutino, & Laudibus, satisfaciunt præcepto obliganti pro illo die.

167 PETES RIMO. An, quando quis ex errore involuntario recitaverit officium de uno Sancto pro alio, teneatur iterum repetere officium de Sancto currentis diei?

Respondetur dicendo, quod vel quis recitando unum officium præ alio ex involuntario errore, advertit de errore post completum totum officium; vel in ipsa officii recitatione, & adhuc non completa recitatione. Si post completum totum officium, non tenetur illud repetere; cum in casu erroris involuntarii valeat illud commune dictum: *Officium pro officio valet*. Si verò advertit de errore post Matutinum, vel post Laudes, post Primam &c. tunc ab illa hora tenetur officium prosequi de Sancto currenti, & quamvis religiosius esset repetere partes jam recitatas, nulla tamen est obligatio eas repetendi. Ratio utriusque est, quia officium, sive totum, sive quò ad partes

tes aliquas recitatum, & quidem involuntarie, & absque culpa, est æquivalenter satisfactorium pro debito, Deo solvendo. Advertendum est tamen, quòd quis advertendo de errore in ipsa officii recitatione, si prosequatur idem officium incæptum non incidens in illo die, tunc iste talis peccaret. Ratio est, quia error est corrigendus, & non continuandus; & dum non corrigeretur, error ipse evaderet voluntarius.

Ex quo sequitur, non posse licetè, accedente malitia, recitari officium de Sancto, dum incidit officium de Dominica, vel de feria, & quidem ad incommodum vitandum. Imò damnata fuit quædam propositio ab Alex. VII. sub num. 34. ubi habetur: *In die Palmarum recitans officium de Resurrectione satisfacit præcepto.*

168 *PETES SECVNDO*. *An itinerantes debeant se conformare officio loci, per quem transeunt, in ipsius officii recitatione?*

Respondetur dicendo, quod vel itinerantes in eodem die transeunt; vel causa negotii; vel lassitudinis permanent per unum, vel duos dies in loco, per quem transeunt. V. G. quis discedit ab hac Civitate Neapolis, ad se conducendum in Civitatem Meffanz, transit per Salernum, in quo fit hodie officium de uno Sancto, de quo non fit in hac Neapolitana Civitate. Si officium hodiernum non recitavit, sed debet illud recitare dum Salernum pervenit in hora debita recitandi officium hodiernum: tunc certissimum est, quod non tenetur se conformare officio loci, ad quem pervenit. Ratio est, quia lex non obligat itinerantes ad talem contormationem, sed solum ad recitationem officii; præsertim quia sicuti poterat officium anticipare, vel partem illius dicere, juxta ritum Neapolitanum, ita juxta eundem ritum poterit illud officium recitare. Si tamen causa negotii; vel lassitudinis per plures dies moram fecerit in Civitate Salerni, tunc poterit se conformare officio recitando in illa Civitate; sed neque ad hoc est obligatus; quia etiam hospes est; & ad satisfaciendum præcepto, sufficit, ut se conformet ritui illius Ecclesiæ, à qua discessit, donec perveniat ad locum, ad quem transit. Si verò per longum tempus moram fecerit in Civitate Salerni, tunc se debet ritui Salernitano conformare; quia longitudo temporis extrahit illum à ratione itinerantis, & hospitis; sed illum facit veluti Civem, & Ecclesiæ Salernitanæ subiectum.



QVÆSTIO DECIMANONA.

*An, qui rationabili causa integrum diei officium recitare non possit, saltem aliquam ejus partem recitare teneatur, si potest?*

**I**ncidit in hac materia quædam propositio damnata ab Innoc. XI. sub num. 54. Ubi habetur. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.* Supponebant fautores hujus propositionis, excusandum esse ab obligatione recitandi ceteras officii partes, quando quis propter impotentiam excusatur à Matutini, & Laudum recitatione: & pro ratione assignabant id, quod in propositione ipsa adducitur; quia scilicet major pars trahit ad se minorem, desumptam ex cap. 1. *De iis, que fiunt à majori.* At malè pro ipsis interpretati sunt Textum illum: nam Textus loquitur de suffragiis, quæ dantur in electione alicujus ad Canonicatum, vel aliam dignitatem; in qua electione standum est majori parti suffragiorum, quæ quidem pars major trahit ad se minorem; non autem est intelligendus textus in iis, quæ divisivè sunt materia præcepti; nam si una pars, estò major, excuset ob gravem necessitatem, ab obligatione præcepti, non per hoc sequitur, quòd etiam ceteræ partes, ad quas exercendas non intervenit gravis necessitas, excusent ab eadem obligatione. Ut quia propter infirmitatem non possum jejunaire per duas Quadragesimæ partes, & possum jejunaire per aliam tertiam partem, non sequitur, quòd quia ob infirmitatem excusor à duabus partibus Quadragesimæ etia excusor à tertia parte, in qua possum jejunaire. Hoc magis notum erit, probando conclusionem, & objectionibus respondendo.

169 *Quare pro clariori præsentis dubii notitia adducam quasdam causas excusantes à recitatione divini officii. Prima causa excusans à tali recitatione est gravis infirmitas; nam cum Ecclesia sit benigna Mater, non obligat cum tanto onere; quod deducitur ex cap. Clericus vitum.* Adverto tamen, quòd infirmitas, ut excuset à recitatione divini officii, attendi debet à prudentum judicio, Confessarii, & Medici; nam si infirmitas non esset in capite, febrili continua, vel dolore nimio gravato; & insuper per recitationem officii nullum nocuum corpus infirmi reciperet, tunc infirmitas non excusaret. Excusat insuper gravis infirmitas à recitatione divini officii, etiam si sit propria culpa contracta; dummodò infirmus non dederit causam infirmitati, ob mo-

tium omittendi officium, Ut si Petrus ob motuum omittendi cras officium hodie superfluum cibum, & potum sumeret; ex qua superfluitate cibi, & potus necessariò deberet in morbum incidere; tunc Petrus, omittendo officium cras, peccaret in causa, quia ob hoc motuum omittendi, occasionem dedit suæ infirmitati. At si omisso præter intentum secuta fuerit ex infirmitate, etiam culpabiliter causata, non peccat tunc omittens officium; quia in tali casu dedit causam infirmitati, & non omissioni.

Secunda causa excusans à divini officii recitatione, est gravis occupatio tum circa negotium publicum, tum privatum, sed de necessitate faciendum, quod postponi non potest. Circa negotium publicum; ut si quis per totum diem esset occupatus ad studendum causa concionandi, vel audiendi confessiones: vel pro ipsis concionibus faciendis, & confessionibus audiendis, ita ut nulla super sit ei hora, nec ante, nec post, in qua posset officium recitare; tunc iste talis à recitatione divini officii esset excusatus. Circa honum etiam particulare, sive proprium, sive alienum: circa proprium, quando casu contingeret hodie, debere magnum negotium expedire, scripturas efformando &c. quod negotium differre non potes, & si differas maximum tibi afferret præjudicium; tunc ab officii recitatione excusaris. Circa negotium alienum, si occupatus es in cura necessaria infirmorum; vel in negotiis urgentioribus tui Prælati, superioris, vel Principis. Ista causa gravis occupationis excusat, quando est subitanea, & in puncto incidens: at quando prævidetur, non excusat: ut si ego præviderem, me cras occupationem gravem habiturum in studiis, in concionibus, in audiendis confessionibus &c. tunc deberem, quantum possum, officium anticipare, ut me ponam in tuto de ipsius recitatione.

Tertia causa excusans est impotentia; quæ si est physica, reducit ad primam causam, scilicet ad infirmitatem; si est moralis, reducit ad secundam causam, ad impedimentum scilicet, seu gravem occupationem, quæ à prudentibus existimatur talis, ut excuset à divini officii recitatione. Ad hanc impotentiam reducit etiam deficientia casualis Breviarii, quo recitatur officium. Ut si alicui fuisset sublatum Breviarium; & alium modum recitandi officium non haberet: vel esset in itinere, & illud casualiter amitteret; tunc à recitatione officii excusaretur, saltem ab illis partibus, lectionibus, Psalmis, & canticis, quæ memoriter recitare non posset. Tenetur tamen ad illas partes recitandas, quas in memoria habet; saltem si partes illæ integram aliquam horam constituent, vel ferè integram. Iste tres causæ excusantes à recitatione divini officii dependere semper debent à iudicio prudentum, & ipsius Ecclesiastici cognitione; quæ

revera cognoscat, se non posse officium recitare. Unde cavendum est, ne impotentia reducat ad nolitionem; nolendo scilicet officium recitare, se excusando quia non potest; cum ante Divini Judicis Tribunal hanc excusationem afferre non poterit. His omnibus notatis, pro præsentis quæstionis resolutione

*DICO*, eum, qui rationabili causa nequit integrum divinum officium recitare, si potest aliquam partem, teneri in conscientia illam recitare. Conclusio nunc est juxta determinationem Sacræ Congregationis, & oppositum est ab Inn. XI, damnatum: ante cujus damnationem aliqui Doctores sustinebant partem oppositam, quod scilicet non tenebatur recitare partem illam, quam potest. Communior erat nostra opinio cum Lezana, Suario, Mastrio, Layman, & aliis. Et

170 Probatur primò: officium continet plures partes ab invicem divisibiles, & divisas; ita ut quælibet pars sit materia cadens sub præceptum; Ergo quoties quis ob grave impedimentum non potest integrum recitare officium, & potest unam partem recitare, non excusatur à totius officii recitatione. Patet antecedens; quia officium est materia dividua, cujus singulæ partes ponunt distinctam obligationem, ut si una pars relinqueretur, absque excusabili causa, jam pro illa parte non satisfaceret præcepto. Probatur consequentia. Per hoc, quod quælibet pars officii sit materia præcepta, & non adsit legitima excusatio quò ad omnem partem, sequitur debere satisfieri illi parti, pro qua non adest legitima excusatio: Ergo quamvis una pars, spectans ad integritatem officii, excuset, ob impossibilitatem cum satisfactione, altera pars compossibilis cum satisfactione recitari debet. Probatur antecedens: si pro toto hoc die sim infirmitate gravatus, ut non possim plures officii partes recitare, possum tamen absque ullo incommodo Completorium recitare, hæc pars completorii compatibilis est cum satisfactione: Ergo deberem illam satisfacere, quando totum officium satisfacere non possum. Probatur hoc assumptum; nam sicut infirmitas, quia impeditiva recitationis officii quò ad alias partes, me excusat à recitatione illarum; ita quia non est impeditiva Completorii, vel alterius partis, quam possum sine incommodo recitare, me non excusat à recitatione alterius partis, quam recitare possum: Ergo &c.

171 Probatur secundò à pari, simul proseguendo hanc ultimam instantiam. Qui debet mille Cajo, & non potest, nisi centum solvere, non excusatur à totius debiti solutione, propter impotentiam solvendi mille: Ergo pariter qui debet singulas officii partes recitare, & non potest, nisi unam partem, non est solutus à toto debito recitandi officium, propter impotentiam, quam habet ad aliam partem.

Ante-

Antecedens est certum. Probatur consequentia à paritate rationis. Non magis est debitor quis Cajo in summa illa millenaria, quam sit quis debitor Deo in officii recitatione: Ergo si propter primum debitum, qui redditur impotens ad solvendum mille Cajo, & potest tantum solvere centum, non excusatur à totius debiti solutione, sed tenetur illa centum solvere; ita etiam per secundum debitum, qui non potest totum officium recitare, & potest aliquam partem, tenetur illam partem recitare. Probatur antecedens: quia Deus non minus est creditor contra Ecclesiasticum, qui tenetur ad officii recitationem; quam Cajo contra suum Debitorem. Et Ecclesiasticus non minus est debitor Deo in officii recitatione, quam ille, qui Cajo debet summam illam millenariam: Ergo &c.

Confirmatur hoc alia urgente paritate: adest præceptum Ecclesiæ de jejunio faciendo per totam Quadragesimam. Hoc posito sic arguo. Non obstante præcepto jejunandi per totam Quadragesimam, si quis aliquam partem illius non posset jejunare, non esset excusatus à jejunio alterius partis Quadragesimæ, si in illis aliis diebus posset jejunare: Ergo pariter si quis propter grave impedimentum esset excusatus à recitatione alicujus partis officii, & potest alteram partem recitare, non excusatur à totius officii recitatione, sed tenetur illam partem recitare. Consequentia sequitur à pari: quia sicuti jejunium Quadragesimale in plures dies est divisum, ita pariter officium est divisum in plures partes: & sicuti quilibet dies Quadragesimæ, seorsim sumptus est materia præcepti, ut uno die non observato jejunio, peccatum committeretur contra præceptum; ita quælibet pars officii est materia præcepta, ita ut una malitiosè omittatur, & non recitata, peccatum contra præceptum committeretur: Ergo &c. Hæc paritas est ita evidens, ut nullus remanere possit locus tuendi oppositum. Ubi noto, quod materia utrobique cadens sub præceptum est divisibilis, non præceptum.

*Solvuntur Objectiones.*

172 **O** Bicies primò. Officium est in plures partes divisum, majorem scilicet, quæ est Matutinum cum Laudibus, & minores, ut sunt horæ canonicæ, Prima nimirum, Tertia &c. Vesperæ, & Completorium. Nunc sic arguunt Adversarii. Estò qui potest recitare Matutinum cum Laudibus, & non potest ceteras partes, teneatur hanc partem majorem recitare; tamen si tantum potest partem minorem, & non reliquas partes, non tenetur: Ergo falsa conclusio. Probatur assumptum: pars major trahit ad se partem minorem: Ergo sicuti quando potest

partem majorem, tenetur illam recitare; ita quando hanc majorem partem non potest, sed potest tantum minorem, non tenetur hanc recitare. Antecedens est deductum ex cap. 1. de iis, qui sunt à majori. Prob. antecedens: si pars major recitari debet, quando cōpossibilis est illius partis recitatio; quādo non est cōpossibilis, recitari non debet; sed quando pars major recitari non debet, neque pars minor debet recitari; quia sicuti tunc pars major eximeretur ab obligatione, ita ab eadem obligatione eximeretur pars minor: Ergo &c.

Respondetur negando assumptum antecedentis, ad cujus probationem dico, axioma illud deductum ex cap. 1. de iis &c. non valere in proposito, sed tantum in electionibus, in quibus major votorum, & suffragiorum pars, quia facit electionem, trahit ad se minorem. Ad probationem verò consequentis dico, nedum minores partes officii recitari debere, quando quis potest majorem partem recitare, sed etiam quando majorem non potest recitare, & potest minores: unde recitatio minorum partium non dependet à possibilitate recitationis majoris partis; sed à possibilitate absoluta partem illam recitandi. Quare si quis non posset majorem partem officii recitare, & posset minorem partem, ad hanc minorem partem recitandam teneretur. Ratio hujus est, quia tam major pars, quam minor pars est præcepta, & obligationem inducit.

Ex hoc insurgere possum ad hominem contra adversarios: quando pars officii, quæ recitari potest, est pars major, tenetur illam partem recitare, estò non teneretur recitare alias partes minores, quas recitare non potest: Ergo pariter quando non potest partem majorem recitare, & potest minorem, hanc minorem partem tenetur recitare. Probatur ista consequentia, quia non magis est materia præcepta inducens obligationem pars major officii, quam pars minor; ita ut idem peccatum committeretur, si omitteretur pars major officii, ac si omitteretur pars minor: adeoque illam partem, quam recitare potest, sive sit major, sive minor, recitare tenetur, non obstante quòd non possit ceteras partes recitare.

Potest etiam retorqueri hoc argumentum contra Adversarios, tam de solutione debiti, quam de satisfactione jejunii; nam tam qui potest majorem summam restituere, & non potest totam, debet illam majorem summam restituere; quam qui potest restituere minorem, tenetur hanc restituere, estò non possit majorem. Idem de jejunio efformari potest argumentum.

Dices: obligatio recitandi officium divinum est ad totum officium: Ergo quoties quis ob urgentem necessitatem excusatur à parte principali officii, excusatur à totius officii recitatione: Ergo excusatur à parte minori. Probatur consequentia, quia officium conti-



net illas partes tanquam integrales : sicut co-  
mestio unius diei continet tanquam partes  
integrales prandium , & cœnam ; & qui ob  
gravem necessitatem excusatur à comedendis  
carnibus in matutino Veneris , etiam in sero  
excusatur ; & sic pro toto die Veneris : Ergo  
&c.

Respondetur dist. antecedens: est ad totum  
officium, ut indivisibile in plures partes, qua-  
rum neutra est materia præcepta , nego ante-  
cedens: est ad totum officium , ut divisibile  
in plures partes , quarum singulæ sunt mate-  
ria præcepta , concedo antecedens , & nego  
consequentiam. Et eodem modo dist. anteces-  
dens probationis . Unde dico , obligationem  
recitandi divinum officium nõ esse ad ipsum,  
ut omninò indivisibile, ita ut vel totum, & to-  
taliter recitari debeat , vel nulla pars sit reci-  
tanda; sed esse ad ipsum recitandum , ut divi-  
sibile in plures partes , quarum singulæ sunt  
materia præcepta; ita ut si una pars (quæcun-  
que sit, sive major, sive minor ) recitari potest,  
& reliquæ partes recitari non possunt , jam  
obligatio remanet ad illam partem , quæ po-  
test recitari . Quod est evidens à pari de Qua-  
dragesimali jejunio ; & de restitutione . Obli-  
gatio jejunii Quadragesimalis est ad omnes  
dies Quadragesimæ; & quia isti dies , divisivè  
accepti , sunt materia præcepta , si aliquis ex-  
cusatur, ob urgentem necessitatem , à jejunio  
aliquorum dierum, etiam majoris partis Qua-  
dragesimæ , non remanet excusatus à jejunio  
aliorum dierum, in quibus potest jejunare : &  
hoc quia cessante necessitate, excusante à jeju-  
nio, insurgit obligatio ex præcepto. Ita à pa-  
ri dicendum de divini officii recitatione . Pa-  
ritas adducta de esu carnis in die Veneris non  
valet ; quia unica materia præcepta est non  
edere carnes in die Veneris ; quare sicuti facit  
contra præceptum pro una vice , comedendo  
carnes in die Veneris; ita si pro una vice excu-  
satur, ob urgentem necessitatem , dicitur pro  
toto die excusatus: (si id fiat ob cõvalescentiã)  
secus verò, fiat ob alias indispositiones. Unde  
Clem. XI. nũc regnans obligat in Urbe Romæ  
ad abstinentiam carnis in sero, eos, qui oleum  
comedere non possunt propter indispositio-  
nem. Ceterum non una simplicissima materia  
præcepta est officii divini recitatio , sed quot  
partes sunt , tot sunt materiæ præceptæ: unde  
etsi quis ob urgentem necessitatem ab una  
excusetur, quantumvis majori, si potest aliam  
partem minorem, tenetur hanc partem recita-  
re; quia pro hac parte , quam recitare potest,  
insurgit obligatio.

173 Obijcies secundò . In tantum qui potest  
unam partem officii recitare, & non potest ce-  
teras recitare partes, teneretur ad illam partem,  
quam potest , in quantum omnes partes divi-  
sivè sumptæ sunt materia præcepta ; sed hæc  
ratio est nulla : Ergo qui rationabili causa ne-  
quit integrum officium recitare , estò possit

unam recitare partem , ad hanc recitandam  
non tenetur, Probatur minor; omnes illæ par-  
tes sunt materia præcepta, ut ordinatæ ad in-  
tegritatem officii recitandi ; ita ut si integrè  
dici potest , vel saltem major pars , obligatio-  
nem ponit; si non potest integrè dici, nec ma-  
jor pars, pro illo die, nulla erit obligatio offi-  
cium recitandi : Ergo &c.

Respondetur negando minorem , ad cujus  
probationem dico , omnes officii partes esse  
materiam præceptam, nedum ut ordinatas ad  
integritatem officii recitandi, sed etiam ut di-  
visas à toto officio ; quia recitatio officii est  
materia dividua, & divisibilis, non individua,  
& indivisibilis . Quare singulæ partes cadunt  
sub præceptum , tum ut ordinatæ ad totum  
officium , tum ut divisæ à toto officio : & sic  
si una pars recitari non potest, & poterit alte-  
ra recitari , quia viget præceptum recitandi  
hanc partem, quam recitare potest, hanc reci-  
tare tenetur . Ratio potissima, & inconcus-  
ta est, quia quælibet pars, etiam divisa à toto of-  
ficio, est materia præcepta ; unde si una omit-  
teretur, absque urgenti, & rationabili causa,  
omittens mortaliter peccaret.

174 Pro casuum conscientie resolutione, infero  
primò, eum, qui urgenti, & rationabili causa  
non potest integrum recitare officium divi-  
num , & potest unam illius partem recitare  
(quæcunque sit hæc pars sive major, sive mi-  
nor) teneri illam recitare. Ratio est, quia om-  
nes partes officii divisivè sumptæ sunt mate-  
ria præcepta , unde si ob urgentem causam,  
quis recitare non potest unam officii partem,  
vel plures, & potest unam recitare partem, ad  
illam , quam recitare potest , tenetur.

Infero secundò . Qui propter rationabilem  
causam omittit Matutinum , & Laudes hora  
determinata, & potest tam Matutinum, quam  
Laudes recitare, post alias horas Canonicas  
recitatas, & de facto recitat, neque venialiter  
peccat : at si absque rationabili causa id fece-  
rit, peccat saltem venialiter . Ratio primi est,  
quia sicuti causa rationabilis excusat simpli-  
citer à divini officii recitatione, ita à fortiori  
excusat à postpositione ordinis in recitando.  
Ratio secundi est ; quia negligentia ipsa con-  
tra ordinem recitationis, quamvis non obstat  
præcepto , obstat tamen Ritui recitandi offi-  
cium.

175 PETES . An notabiliter interrumpens offi-  
cium, vel quò ad totum, vel quò ad partes, peccet  
mortaliter?

Pro hujus dubii resolutione noto , officii  
interruptionem, esse posse , vel omittendo ali-  
quam partem officii , ut in Matutino Psalmũ,  
vel lectionem ; & in aliis horis hymnum , vel  
Psalmum . Vel esse posse absque ullius partis  
omissione , sed solum interrumpendo ipsum  
officium per aliquod temporis spatium , sus-  
pendendo scilicet recitationem , illamque  
post aliquod temporis spatium proseguendo.

Hoc notato.

Re.

Respondetur ad quæsitum dicendo, quòd si interruptio fiat sine ulla omissione partis officii, Psalmi nimirum, lectionum, vel Hymni; & insuper repetatur officium ab initio illius partis interruptæ; tunc nullum committitur peccatum; præsertim si interruptio fiat absque ullo contemptu, sed iusta causa. Ratio est, quia ad integritatem satisfaciendi præcepto, sufficit, ut totum, & totaliter recitetur officium; quod quidem fit, etiamsi interrumpatur, & ab initio partis interruptæ repetatur. Si verò interruptio fiat cum omissione alicujus partis officii, Psalmi nimirum, lectionum &c. tunc totum, quod omittitur, recitandum est. Ratio hujus est; quia officium, ut præcepto satisfiat, recitari debet totum, & totaliter. Et hoc valet si malitiosè, & ex contemptu, vel in curia, omitteretur illa pars.

QVÆSTIO VIGESIMA.

*An milites Commendatarii possint fructus Commendarum ad libitum alienare, & expendere?*

**N**on immeritò de Commendatariis pertractare hic volui: nam multi Doctores inter Beneficiarios, vel quasi Beneficiarios ipsos connumerant. Unde quicquid (proportionè servata) dictum est de Beneficiariis, applicari potest Commendatariis, tam quò ad Commendæ collationem, quam quò ad obligationem, quam habent ipsi Commendatarii. Solum in præsentì videndum est, an ita fructus Commendarum cadant sub Commendatariòrum dominium, ut de illis possint ad proprium libitum disponere? vel ita cadant sub eorum potestatem, ut tantum usum ipsorum fructuum habeant, absque ullo dominio? vel etiam dominium habeant, sed non quò ad omnem usum?

176 De his Commendatariis, alii sunt obstricti rigoroso Paupertatis voto, ita ut de fructibus Commendarum tantum vivant, quasi sub communi, & non sub proprio; & de iisdem fructibus dicantur administratores, & non proprietarii: & insuper Commenda datur sub spirituali titulo, sicuti datur Beneficium, aut præbenda; cum obligatione recitandi officium divinum. Hujusmodi sunt Commendatarii Ordinis Sancti Joannis Baptistæ, ut dicit Bonacina. Et alii sunt, qui non ita obstringuntur paupertatis voto, & de Commendarum fructibus vivunt, ut de proprio; & insuper absque obligatione recitandi divinum officium eis Commenda conceditur; & non sub titulo spirituali; sed sub temporali titulo, scilicet militari. Hujusmodi sunt Commendatarii Ordinis Sancti Jacobi Calatravæ, Sancti Stephani Pisarum, & similes. De omnibus his Commendatariis est sermo in præsentì. Et pro quæstionis resolutione

datariis est sermo in præsentì. Et pro quæstionis resolutione

**DICO**, Commendatarios, qui obstricti sunt rigoroso voto Paupertatis, & quibus conceditur Commenda titulo spirituali, non posse absque peccato mortali, ad eorum libitum de fructibus Commendarum disponere. Eos verò, qui non sunt Paupertatis voto obstricti, & quibus Commenda datur titulo temporali, seu militari, posse absque mortali peccato, ad eorum libitum de fructibus Commendarum disponere. Conclusio quò ad utraque partem est plurimum Doctorum, & videtur communior, quam tenent Bonacina, Mastrius, Stephanus à Sancto Gregorio, & alii. Prima pars est communissima, & secunda est contra Azorium, Navarrum, & Reginaldum, & alios. Et

177 Probatur prima pars: Commendatarii, sunt obstricti rigoroso Paupertatis voto, & quibus Commenda datur in titulum spiritualement, perfectum, plenumque dominium, quò ad omnem usum habere non possunt de Commendarum fructibus: Ergo absque peccato mortali, non possunt de illis fructibus ad eorum libitum disponere. Probatur antecedens: Commendatarii obstricti voto Paupertatis, & quibus Commenda datur in spirituale titulum, se habent veluti Beneficiarii, nec majorem potestatem habent, quam isti; sed Beneficiarii, quibus collatum est Beneficiarium, & quidem in spirituale titulum, non habent perfectum, plenumque dominium, quò ad omnem usum de fructibus Beneficii: Ergo neque hujusmodi dominium habent Commendatarii. Probatur major: Commendatarii obstricti rigoroso voto Paupertatis, & habentes Commendam in titulum spiritualement, se habent ad Commendam, ut Ecclesiastici; quia ratione fructuum, quos ex Commenda percipiunt, obligantur ad divini officii recitationem: Ergo se habent veluti Beneficiarii.

Confirmatur hoc: Votum paupertatis repugnat dominio perfecto, quò ad omnem usum: Ergo si isti Commendatarii emittunt rigorosum votum paupertatis, nequeunt ex redditibus Commendæ ad eorum libitum disponere.

Eò vel maximè, quia fructus Commendæ sunt bona Ecclesiastica, & concessa in spirituale titulum; sed de bonis Ecclesiasticis nequit quis ad suum libitum disponere; aliàs posset eos in profanos usus expendere, in ludos &c. vel ditando parentes, consanguineos &c. sed hoc facere nequit, contradicente Tridentino Concilio sess. 25. cap. 1. in quo ultra determinationes factas à Patribus Concilii Carthaginensis, contra vanitates Episcoporum (ita discurrendum de aliis Beneficiariis), subditur per ipsum Concilium: *Omninò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant &c.* Ergo &c.

178 Probat<sup>ur</sup> secunda pars : Commendatarii non obstricti rigoroso paupertatis voto , & possidentes Commendam, non in titulum spiritualem, sed in titulum temporalem, habent verum, plenumque dominium, quò ad omnem usum fructuum Commendarum ; sed habens de aliqua re dominium, quò ad omnem usum, potest de illa ad suum libitum disponere : Ergo Commendatarii non obstricti rigoroso paupertatis voto, & possidentes Commendam, tantum in titulum temporalem, possunt de redditibus ipsius Commendæ ad eorum placitum disponere, Probat<sup>ur</sup> major : cui non repugnat capacitas domini in re, quæ conferatur, velut in remunerationem laborum, qui in militia præstiti sunt, ei non repugnat facultas, quò ad omnem usum ; sed Commendatariis, qui non sunt obstricti rigoroso paupertatis voto, & Commenda datur in titulum temporalem militiæ ; non repugnat capacitas domini fructuum ex Commenda provenientiu ; Ergo &c. Probat<sup>ur</sup> minor : nam talibus Commendatariis non repugnat huiusmodi dominium, nec ratione voti paupertatis ; nec ratione tituli. Non ratione voti paupertatis, cum hoc non sit rigorosum, excludens omne dominium, sed illud quod venire posset ex aliquo oneroso contractu repugnante statui militari ; & ideo emittunt votum paupertatis, ut magis militiæ addicti sint. Neque obstat titulus militaris, quia hic est titulus temporalis, nullum excludens dominium, & quidem rigorosum ; Ergo &c.

*Solvuntur Objectiones.*

179 **O**bjicies primò contra primam partem. Commendatarii obstricti rigoroso paupertatis voto, & quibus datur Commenda in titulum spiritualem, sunt veri, & rigorosi domini capaces : Ergo ad eorum libitum possunt disponere de fructibus Commendarum. Probat<sup>ur</sup> primò antecedens : eis ad verum, & rigorosum dominium habendum, nec obstat votum paupertatis, nec titulus spiritualis : Ergo &c. Probat<sup>ur</sup> antecedens : non obstat titulus spiritualis ; quia hic quamvis concedatur eis, pro ut Ecclesiastici sunt, & Commenda sit bonum Ecclesiæ, datur tamen illis in recognitionem laborum præstitorum in militiis, qui labores temporales sunt. Neque obstat votum paupertatis, quia hoc votum non est ita rigorosum, ut Commendatarios ipsos reddat incapaces recipiendi donationes, & succedendi paternis hæreditatibus : Ergo neq; reddit ipsos domini rigorosi incapaces. Probat<sup>ur</sup> nunc consequentia, quia cum rigoroso, & pleno dominio stat potestas disponendi de re cadente sub dominiu : Ergo &c. Respondetur dist. antecedens : sunt veri, & rigorosi domini capaces, quò ad ea, quæ pro-

veniunt ex Commenda, nego antecedens : quò ad ea, quæ aliunde proveniunt, vel donatione, vel hæreditate, concedo antecedens, & nego consequentiam. Et hoc modo respondeo ad probationem. Dico igitur, Commendatarios obstrictos voto rigoroso paupertatis, & quibus datur Commenda in titulum spiritualem, posse verum, plenumque dominium habere, tum circa donationes, tum circa hæreditates ; quia ista bona sunt adventitia, vel hæreditaria, & proveniunt ex temporali titulo : eo prorsus modo, quo Episcopi, & alii Beneficarii de similibus bonis plenum, perfectumque dominium habent, & de illis ad eorum beneplacitum disponere possunt ; quia bona propria sunt, & non Ecclesiæ ; imò sunt acquisita titulo temporali. Unde circa ista bona Commendatarius, quamvis sit obstrictus voto paupertatis, est domini pleni capax. Neque votum paupertatis obstat ; cum non sit ita rigorosum, sicut illud, quod emittitur à Claustralibus, per quod omninò abnegant quamcunque proprietatem : sed est votum, quod servari solet inter ipsos Commendatarios, ne se in secularium negotiis, & negotiationibus ingerant, ad lucrum acquirendum ex contractu : & hoc faciunt, ut magis militiæ attendere possint pro bono publico Religionis eorum, & Ecclesiæ. Ceterum circa fructus Commendarum, quæ dantur ad titulum spiritualem, tale dominium plenum habere non possunt ; quia bona ista sunt bona Ecclesiæ, & ad tale habendum dominium obstat tam Ecclesiæ, seu titulus spiritualis, quam paupertatis votum, ne bona Commendarum dissipentur, ac in vanos usus expendantur.

180 Objicies secundò contra secundam partem. Commendatarii, etiam non obstricti voto paupertatis rigorosæ, & quibus Commenda datur in titulum temporalem, possident fructus Commendæ, tanquam bona Ecclesiastica ; sed de bonis Ecclesiasticis nemo potest, absque peccato, ad suum libitum disponere : Ergo isti Commendatarii mortaliter peccant, si ad eorum libitum expendunt fructus Commendarum. Probat<sup>ur</sup> major : (nam minor patet ex cit. Concilio Trid. sess. 25. cap. 1.) Commenda ipsa est bonum Ecclesiasticum : Ergo fructus provenientes ex Commenda sunt bona Ecclesiastica. Antecedens est certum ; quia semper sunt supra Ecclesias fundata. Probat<sup>ur</sup> consequentia : in tantum non essent bona Ecclesiastica fructus ex Commendis provenientes, in quantum conceduntur in titulum temporalem ; sed hæc ratio non valet : Ergo &c. Probat<sup>ur</sup> minor : etiam Commenda conceditur in titulum temporalem, scilicet militiæ, & tamen Commenda est bonum Ecclesiasticum : Ergo et si fructus concedantur in titulum temporalem, non per hoc sequitur, quòd non sint bona Ecclesiastica.

Respondetur distinguendo majorem : sunt bona

bona Ecclesiastica collata, & concessa in titulum Ecclesiasticum, nego majorem; concessa in titulum militare, & temporalem, conceda majorem, & eodem modo distincta minori, nego consequentiam, ad cujus probationem eodem modo distinguo propositiones adductas. Aliud enim est, bonum aliquod esse Ecclesiasticum, & aliud est conferri, & concedi in Ecclesiasticum titulum. Tam Commenda, quam fructus provenientes ex Commenda sunt bona Ecclesiastica, ad Ecclesiam spectantia, & ad administratores ejusdem. At hujusmodi bona, quæ Ecclesiastica sunt, non est necesse, ut conferantur titulo Ecclesiastico, imponente onus recitandi officium in ipso Commendatario; sed possunt quandoque conferri titulo temporali, seu militari, non imponente onus recitandi officium in ipso Commendatario. Quare dum conceduntur talia bona Commendatariis, tantum in titulum temporalem, reddunt ipsum Commendatarium absolutum dominum fructuum Commendarum, de quibus ad suum libitum disponere potest; non obstantem, quod fructus ipsi sint bona spiritualia. Quod patet de operariis, qui in Ecclesia laborant, & pecunia, quæ eis traditur à Beneficiario, est de bonis Ecclesiasticis; & tamen quia illa datur in titulum temporalem, & ut merces laborum temporalium, possunt operarii de illa disponere ad eorum beneplacitum. Ita discurrendum est in proposito.

181 Pro casuum conscientiarum resolutione infero primò, Commendatarios obstrictos voto rigoroso paupertatis, & recipientes Commendam in titulum spirituale, mortaliter peccare, si fructus Commendarum in vanos usus expenderint. Subindeque illorum fructuum non sunt absoluti Domini, quò ad omnem ipsorum usum. Ratio est, primò, quia votum paupertatis repugnat pleno, & perfecto dominio, quò ad omnem usum, estò non sit votum ita rigorosum, sicut illud emissum à Claustralibus. Secundò, quia fructus dati in titulum Ecclesiasticum sunt pro congrua Commendatarii sustentatione; & sic illos ad alios usus, præter congruam sustentationem, expendere non potest Commendatarius.

Infero secundò, Commendatarios non obstrictos voto paupertatis, & quibus Commenda datur in titulum temporalem, seu militarem, non peccare mortaliter, fructus Commendarum expendendo ad omnem usum: subindeque esse absolutos Dominos illorum. Ratio est, quia fructus illi conceduntur in justam militiarum compensationem; cujus compensationis capax est Commendatarius; & non officit, quòd fructus illi Commendarum sint bona Ecclesiastica; quia dantur ob titulum, & in mercedem laborum.

QVÆSTIO VIGESIMAPRIMA.

*Quædam dubia resolvuntur circa renunciationem, & permutationem Beneficii.*

Q U Æ R E S P R I M O'.

*In cujus manibus facienda sit Beneficii renunciatio, seu resignatio?*

182 **A** Nte hujus dubii resolutionem supponendum est, resignationem, seu renunciationem Beneficii esse spontaneam Beneficii cessionem, legitime factam. Dicitur spontanea Beneficii cessio; quia si fieret vi, metu, & dolo, jam Beneficium non dicitur resignatum, seu renunciatum: ut si quis cogeret aliquem ad Beneficium renunciandum; ut si non renunciaret, eum occideret; tunc si Beneficiarius renunciaret Beneficium, non sponte, sed metu mortis ipsi Beneficio cederet. Dicitur legitime facta, ad denotandum, quòd renunciatio Beneficii justa causa fieri debet, & in manibus superioris habentis potestatem, renunciationem illam acceptandi. Hujusmodi renunciatio, vel est tacita, vel expressa. Tacita, quando quis ponit impedimentum naturale, vel ex Jure, ad Beneficium retinendum; ut si quis esset Clericus Beneficiarius, & uxorem duceret, vel fieret Religiosus, & in Religione professionem emitteret: vel se militiarum daret; quia tam matrimonium, quam professio in Religione, quam militia sunt impedimentum ad retentionem Beneficii; & ideo propter tale impedimentum Beneficium tacite renunciat. Expressa verò, est, quando fit in scriptis coram Prælato auctoritatem habente, representando justam causam renunciandi; quæ justa causa, vel est infirmitas, vel impossibilitas residendi in loco, ubi Beneficium possidetur, vel quæcunque alia, quæ cum Beneficio incompossibilitatem dicit. Et hæc expressa renunciatio potest esse absoluta, quæ scilicet nullum intervenit pactum, aut conditio servanda; & potest esse conditionata, quæ scilicet intervenit conditio, vel pactum. Si ergo Titius Canonicatum renunciaret, absque ullo pacto servando, & ob justam causam, hæc renunciatio esset absoluta: si verò Canonicatum renunciaret cum pacto, quòd conferatur Cajo, tunc talis renunciatio diceretur conditionata.

Quæcunque expressa renunciatio requirit ex parte superioris acceptationem. Ubi noto, superiorem non esse illum, qui potest solum conferre Beneficium; sed est ille, qui supra Beneficiarium Jurisdictionem habet, ratione cujus Jurisdictionis potest eum, in casu criminis, Beneficio privare. Quare etsi multa Beneficia conferri non possunt ab Episcopo; quia tamen potest illis privare, sequitur, quòd renunciatio aliquorum Beneficiorum potest Episcopus acceptare.

- 183 Advertendum est tamen, renunciationem conditionalem, quæ vocabatur *per Regressum, Ingressum, & Accessum*, fuisse per Concil. Tridentinum prohibitam, in fest. 25. cap. 7. de reform. ubi habetur; *Cum in Beneficiis Ecclesiasticis, ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa, & Patrum decretis contraria, nemini in posterum accessus, aut regressus, etiam de consensu, ad Beneficium Ecclesiasticum cujuscuque qualitaris concedatur &c.* Et subdit: *Neque decretum in quibuscunque Beneficiis Ecclesiasticis, ac etiã in Cathedralibus Ecclesiis, ac in quibuscunque personis, etiam Cardinalibus honore fulgentibus locum habeat.* Hujusmodi conditionales renunciationes hoc modo fiebant: *per Regressum*, quando quis renunciabat alicui personæ Beneficium cum pacto ad illud redeundi, si illa persona, cui resignatum fuit Beneficium, præmoreretur: *per Ingressum* fiebat, quando quis ante possessionem Beneficii alteri resignabat, cum pacto ad illud Beneficium ingrediendi, si Resignatarius præmoreretur, *per Accessum*, quando conferebatur alicui puero Beneficiũ, quod ob incapacitatem exercere non potest, illud alteri personæ renunciabat, cum pacto, quod dum pervenerit ad ætatem congruam, ad illud accederet, absque nova collatione, & institutione. Et quia hujusmodi renunciationes præferrebant imaginem hæreditariæ successionis, Patribus, & Pontificiis decretis odiosæ, iccirco tales renunciationes fuerunt prohibitæ. His omnibus suppositis
- 184 Respondetur nunc ad quæsitum, dicendo, renunciationem absolutam Beneficii iusta causa factam, posse fieri in manibus Episcopi; renunciationem verò conditionalem factam cum pacto, ut Beneficium certæ personæ conferatur, fieri debere in manibus Papæ. Prima pars, colligitur ex supra dictis. Et ratio est, quia Episcopus, cum Jurisdictionem habeat, in causa criminis à Beneficiario commissi, ipsum Beneficio privare potest & ideo renunciationem absolutam Beneficii potest acceptare. Nihil enim aliud requiritur ad acceptandam absolutam Beneficii renunciationem, nisi potestas, & jurisdictio supra Beneficiariũ, & non est necessaria potestas collativa.
- Secunda pars fuit determinata à Pio V. in Bulla, quæ incipit: *Quanta Ecclesia &c.* Ubi habetur: *Caveant autem Episcopi, & alii, itemque omnes Electores, Presentatores, & Patronis tam Ecclesiastici, quàm Laici, quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo, futuri in hujusmodi Beneficiis, & officiis successores, ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu resignentur, aut de his assumendis, promisso inter eos, vel etiam intentio qualiscunque intercedat. Ceterum præcipimus, atque interdici-mus, ne ipsi Episcopi, aut alii Collatores de Beneficiis, aut officiis resignandis prædictis, aut suis, aut admittentium consanguineis, affinibus, vel*

*familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, audeant providere &c.* Quibus verbis interdicitur Episcopis acceptare resignationem, aut renunciationem Beneficii sub conditione, ut certæ personæ Beneficium conferatur.

- 185 Ad majorem intelligentiam illius §. *Ceterum* contenti in Bulla supradicta Pii V. adduco quandam explicationem desumptam ex Bullario Stephani Quaranta, qui refert declarationem exceptivam Beneficiorum, quæ sunt Juris patronatus, factam à fel. recor. Gregorii XIII. Unde Beneficii Juris patronatus renunciatio, aut resignatio fieri potest in manibus Episcopi in personam alicujus consanguinei, vel affinis; cum hoc tamen, quod ad tale Beneficium sit per examen habilis repertus ille, cui Beneficium resignatur.
- 186 Per superiora verba cit. Bullæ Pii deducitur prima pars nostri asserti, quod scilicet, renunciatio absoluta, absque ulla addita conditione, fieri possit in manibus Episcopi, attentis causis, & rationabilibus motivis ad renunciandum. Hæc sunt verba supradictæ Bullæ: *Posthac Episcopi, & alii facultatem habentes, eorum duntaxat resignationes recipere, & admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiiati, aut crimini obnoxii, censurisque Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, aut Beneficio inservire; qui unum aliud, vel plura Beneficia obtinuerit, vel quos ad aliud contigerit promoveri &c.* Et subdit. *Ac has Beneficiorum, & officiorum permutationes admittere, quæ Canonicis Sanctionibus, & Apostolicis Constitutionibus permittuntur.*

## QUÆRES SECONDO.

*Quomodo fieri debeat Beneficii permutatio, ut sit licita?*

- 187 **C**ertissimum est, permutationem Beneficiorum esse reciprocam cessionem Beneficiorum duarum personarũ, quarum una Beneficium alterius per dictã cessionem consequitur. Ut si Canonicus suum permutet Canonicatum cum altero Canonico: vel Parochus unius Parochiæ cum Parocho alterius. Hæc nanque est mutua permutatio Beneficii in jure Canonico admittenda, ob majorem Ecclesiæ utilitatem, & à solo Episcopo admitti potest. De modo, quo fieri debeat permutatio Beneficiorum, ut licita sit, est sola difficultas. Nec immeritò hanc proposui difficultatem; cum multoties in permutandis Beneficiis soleat contingere simonia conventionalis cum pacto expresso. Ut si permutetur Beneficium unius cum Beneficio alterius; quorum unum excedit aliud, & talis excessus pecunia, aut alio temporali pretio compensetur: in hoc nanque casu labes simoniæ incurritur; quia excessus ille, cum sit spiritalis, ut annexus titulo Beneficii; vel temporalis,

lis, spirituali annexus, si est ex redditibus Beneficii; pretio temporali venderetur (quo modo simonia committeretur). Quare pro dubii resolutione

*DICO*, ut Permutatio Beneficii sit licita, quatuor requiri condiciones. Prima est, ut permutatio sit inter duas tantum personas. Secunda, ut si Beneficia permutanda sint inæqualia, excessus non compensetur pretio temporali. Tertia, ut fiat legitima causa. Quarta tandem, ut fiat autoritate superioris. His non intervenientibus conditionibus, non erit licita permutatio. Colligitur hoc ex Jure Can. & est certum apud omnes Canonistas.

188 Probatur per singulas partes. Si permutatio Beneficiorum fieret inter plures, quam inter duos, pactio de permutacione Beneficii, evenire posset cum labe simoniae. Sed hoc periculum evitandum est in Beneficiorum permutacione: Ergo nequit fieri permutatio licita Beneficii, nisi tantum inter duas personas. Probatur major: si fieret inter tres personas, non videtur posse effugi pactum. Ut ergo cum Cajus permuto Beneficium, cum pacto quod Cajus suum Beneficium resignet Titio; tale autem pactum esset simoniacum, & quidem confidentiali simonia; quod in quaest. de simonia confidentiali, ut prohibitum per Bullas Pii IV. & Pii V. impugnatum est. Nam idem esset permutare cum pacto obligandi permutantem, ut Beneficium permutatum alteri resignet, ac simpliciter illud Beneficium in confidentia resignare: Ergo &c.

189 Probatur secunda pars; nam excessus dignitatis officii permutati, vel majoris redditus percipiendi ex Beneficio permutato, est vel simpliciter spiritualis, vel annexus titulo spirituali; sed quoties spirituale, vel annexum spirituali, pecunia compensatur, toties committitur simonia: Ergo ut sit licita permutatio Beneficiorum, excessus ex parte unius nequit pecunia, aut alio temporali pretio compensari.

190 Probatur tertia pars de tertia conditione: Ut licita fiat Beneficii permutatio, non est attendendus favor, aut commodum temporale permutantis, sed utilitas aliqua Ecclesiae: ut si Parochus unius Parochiae commutaret, aut permutaret cum Parocho alterius Parochiae, ut legitima causa fiat hujusmodi permutatio, attendi debet, quod permutatus sit magis utilis illi Ecclesiae, ad quam transit gubernandam. Idem dicendum de permutante: Ergo ut fiat licita permutatio, debet fieri ex legitima causa.

191 Probatur quarta pars, quod scilicet fieri debeat autoritate superioris: si permutatio Beneficii fiat propria autoritate, cum solo scilicet consensu permutantium, nulla esset permutatio; imò uterque posset à proprio superiore puniri: Ergo ut fiat licita, necessaria est superioris autoritas. Ubi nota, quod si

duo Episcopi vellent ob legitimam causam, Episcopatus commutare, hoc facere debent autoritate Papæ: si duo Canonici, vel Parochi de Episcoporum autoritate, sub quorum jurisdictione manent.

## QVÆSTIO VIGESIMASECVNDA

*An Patronus teneatur presentare digniorem, & an Jus Patronatus licite vendi possit?*

**A**Nte resolutionem utriusque partis quaestionis, suppono tanquam certum apud omnes, Jus Patronatus esse potestatem quandam presentandi personam aliquam ad Beneficium vacans. Unde fit, quod presentatio sit quaedam personae exhibitio Episcopo, vel alteri superiori potestatem habenti, facta per Patronum, qui ad presentandum Jus habet. Definitio illa tradita Juris Patronatus est bona, & ab omnibus tradita Doctoribus; Hæc autem potestas presentandi alterum ad Beneficium vacans, ad seipsum presentandum extendi non potest. Titius nanque si potestatem habet ex Jure Patronatus presentandi aliquem ad Beneficium Ecclesiasticum vacans, seipsum presentare non potest, licet possit quascunque presentare personas; etiam proprium filium: quia Jus presentandi ad seipsum dari non potest, estò detur ad filium, ut personam à Patre physicè distinctam: Quod colligitur ex cap. *Per nostras*, de Jure Patron. Hæc potestas presentandi triplex esse poterit, Clericalis scilicet, laicalis, & mixta. Prima est, quando Beneficium fuit factum, fundatum, aut contractum ex bonis Ecclesiae. Secunda, quando factum fuit ex bonis patrimonialibus, quæ sunt bona laicalia. Tertium tandem, quando factum fuit ex bonis simul Ecclesiasticis, & laicalibus, seu patrimonialibus.

192 Suppono insuper ex doctrina Concilii Trid. sess. 14. de reform. cap. 12. neminem habere Jus patronatus ad Ecclesiasticum Beneficium, nisi propriis bonis Beneficium illud de novo fundaverit, construxerit, & competentibus redditibus dotaverit, præsertim quando Capella, supra quam erectum est Beneficium Capellanæ, non gaudeat sufficienti redditu pro Beneficiarii sustentatione. Hæc sunt Concilii cit. verba. *Nemo etiam cujusvis dignitatis Ecclesiastica, vel secularis, quacunque ratione, nisi Ecclesiam, Beneficium, aut Capellam de novo fundaverit, & construxerit, seu jam erectam, qua tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, Jus Patronatus impetrare, aut obtinere possit, aut debeat.* Et insuper ad talem fundationem, erectionem, vel auctarium dotis, Diocelani Episcopi consensus requiritur. Quod patet ex relato Const. in fin. cap. ubi habetur

H h h

In



*In casu autem fundationis, aut dotationis, hujusmodi institutio, Episcopo, & non alteri inferiori reservetur. Ex quibus Concilii verbis colligitur, neminem habere posse Jus Patronatus, nisi Beneficium, aut Capellam fundaverit, vel de novo construxerit; alias titulo Juris Patronatus sine tali fundacione, erectione, & auctario, gaudere neminè poterit; quod etiam expressè deducitur ex eodem Conc. sess. 25. de reform. cap. 9. Ut igitur in omnibus debita ratio observetur, decernit Sancta Synodus, ut titulus Juris Patronatus sit ex fundacione, vel dotacione; qui ex authentico documento, & aliis Jure requisitis ostendatur.*

193. Quantum nunc spectat ad primum questionis dubium, an scilicet Patronus teneatur presentare digniorem; adverte, Patrono plura Jura competere in Ecclesia, in qua Jus Patronatus habet: scilicet primum, ac digniorem locum in Ecclesia, vel Capella; honorem; causam defendendi Jura ejusdem Ecclesie; Jus presentandi in vacatione Beneficii; & tandem si Patronus in paupertatem inciderit, tenetur Ecclesia, aut Capella, in qua fundavit Beneficium, ipsum Patronum sustentare. Hoc notato, suppono ea, quae dicta sunt de electione ad Beneficia, quod scilicet ad illa presentim, quae curam animarum habent, semper dignior est eligendus, minus digno omisso.

194. Quantum ad secundum questionis dubium, suppono, sine labe simoniae, rem spiritualem, aut spirituali annexam, vendi non posse pretio temporali. Quibus omnibus suppositis, & notatis, pro utriusque partis questionis resolutione *DICO*, Patronum in Beneficiis Curatis presentare debere digniorem; in non Curatis vero, & simplicibus non teneri digniorem presentare, sed sufficere, ut dignum presentet. Jus Patronatus autem licite vendi non potest. Conclusio quod ad utramque partem communissima est inter Doctores: & prima pars est pluribus Concilii Trid. decretis roborata.

195. Probatur prima pars primo, quod ad Beneficia Curata. Nequit Patronus ratione Juris, quod habet, presentandi ad Beneficium vacans, presentare cum detrimento Ecclesiae, aut saltem cum minori ejusdem Ecclesiae utilitate; sed si ad Beneficium Curatum, cui annexa est cura animarum, presentare posset minus dignum, omisso digniore; jam presentatio illa esset cum Ecclesiae detrimento, vel saltem cum minori ejusdem Ecclesiae utilitate: Ergo debet Patronus ad Beneficia Curata, presentare digniorem. Probatur minor; nam majoris utilitatis Ecclesiae est, quando gubernatur à Rectore zeloso, doctiore, & optimae famae, quam si gubernetur à Rectore non habente tantum zelum, tantamque doctrinam: Ergo majorem affert Ecclesiae utilitatem Beneficiarius dignior, quam minus dignus.

Confirmatur hoc ex verbis Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. de refor. ubi habetur: *Omnes vero,*

*& singulos, qui ad promotionem proficiendorum quodcumque Jus, quacumque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam praestant; nihil in eis pro presenti temporum ratione innovando; hortatur, & monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesia gubernanda idoneos promoveri studeant; eosque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesia magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, profici diligenter curaverint: Ergo &c.*

Neque valet, si dicas, Concilium loqui de electione ad Beneficia Curata, non vero de presentatione habita per Patronum Beneficii, qui ad presentandum quemcumque voluerit, Jus habet,

Non valet, inquam, primo, quia illa verba: *Qui ad promotionem proficiendorum quodcumque Jus &c. à Sede Apostolica habent*, referuntur ad Patronum habentem Jus presentandi, & non ad solos Electores ad Beneficia: Ergo nulla responsio. Probatur assumptum antecedentis; nam illa verba nequeunt referri ad solos Electores, quia isti quamvis Jus habeant eligendi, non tamen habent Jus promovendi: Ergo &c. Tum etiam quia; si Patronus Jus haberet ad presentandum quemcumque voluerit, posset etiam pro suo libito presentare indignum, omisso, nedum digniore, verum etiam digno; sed hoc ultraquam quod est falsum, dat etiam potestatem Episcopo, vel Papae eum excludendi, ut incapacem, & indignum tali Ecclesiastico Beneficio: Ergo &c.

196. Probatur secundo, quod scilicet ad Beneficia non Curata, non teneatur Patronus presentare digniorem. Beneficia non Curata, si dignis conferuntur, omittis dignioribus, nullum Ecclesiae praedictum asserunt; cum ipsis non sit annexa cura animarum: Ergo potest Patronus ad illa dignum presentare, omisso digniore. Haec omnia diffusius pertractata sunt in questione illa de electione ad Beneficia, tum Curata, tum non Curata.

197. Advertendum est tamen, Concilium Tridentinum supra relatum, dum loquitur de electione, aut presentatione ad Beneficium Curatum, quod scilicet eligi debeat, vel presentari dignior, loqui de Patrono Ecclesiastico, qui tenetur digniorem presentare; quod ex verbis ejusdem Concilii sess. 24. de ref. cap. 18. deducitur, his verbis: *Si vero Jus patronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is, quem Patronus digniorem inter probatos ab examinatore judicabit, Episcopo presentare teneatur, ut ab eo instituat, Cum vero institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei presentet, ad quem institutio spectet. At quando*

Jus

Jus patronatus non est Ecclesiasticum, sed seculare, aut laicale, non est necesse, quod Patronus presentet ad Beneficium, sive non Curatum, sive Curatum, digniorem; sed sufficit, ut presentet dignum, ab Episcopo per examen approbandum. Ut si Titius Jus patronatus habeat ad presentandum Rectorem alicujus Ecclesie; & Jus patronatus sit laicale, non est necesse, ut presentet Petrum digniorem, sed sufficit, ut Paulum probatum dignum presentet. Hoc ex sequentibus verbis Concilii cit. cap. 18. ostenditur, his verbis: *Quod si Jus patronatus laicorum fuerit, debet, quia Patrono presentatus fuerit, ab eisdem deputatis, ut supra examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit, admitti.* Ex quibus infertur, sufficere Patrono laicali, presentare idoneum, & dignum; & ut talem per examen cognitum, & approbatum, & non requiri, ut digniorem presentet ad Beneficium, quodcumque sit, per propria bona ipsius Patroni fundatum, erectum, vel saltem auctum. Adde tamen, quod si presentatio sit duarum personarum, & a Patrono relinquatur arbitrio Episcopi, ad conferendum Beneficium digniori, per examen reperto, tunc optima censenda erit presentatio; sed ad hoc faciendum Patronus laicalis non tenetur; cum sufficiat, ut dignum presentet.

198. Probatum nunc secunda pars conclusionis: Jus patronatus est annexum rei spirituali: Ergo nequit licite vendi. Patet antecedens, quia est annexum Beneficio, quod spirituale est. Probatum consequentia: nulla res spiritualis, vel spirituali annexa potest licite vendi: Ergo si Jus patronatus est annexum rei spirituali, nequit licite vendi. Probatum antecedens; quia nulla res spiritualis licite vendi potest, quando venditio est simoniaca; alias quandoque simonia licita fieret; sed quando res spirituali annexa licite posset vendi, venditio ista esset simoniaca: Ergo &c.

Eo vel maxime, quia ut dictum est in superioribus questionibus de simonia, res spiritualis, vel spirituali annexa non est pretio estimabilis, imo est omnino super excedens quodcumque temporale pretium; sed quando nullum datur pretium æquivalens rei spirituali, si tunc hæc emeretur, emptio, & venditio essent illicitæ: Ergo cum Jus patronatus sit res spiritualis, vel spirituali annexa, si venderetur, venditio ista illicita foret, & simoniaca. Quod confirmatur ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 9. de refor. §. nec dictum &c. Circa hanc partem me refero ad ea, quæ dicta sunt in pluribus questionibus de simonia.

*Solvuntur Objectiones.*

199. **O**bjicies primò contra primam partem, probando, Patronum non teneri digniorem presentare ad Beneficium curæ animarum annexum, in tantum. Patronus teneretur presentare digniorem ad Beneficium curatum, in quantum attendere debet majori Ecclesie utilitati; sed non tenetur Patronus huic utilitati attendere: Ergo non teneretur præ-

sentare digniorem. Probatum minor: Ecclesie utilitati teneretur tantum attendere collator Beneficii, ita ut cognito digniore, vel per concursum, vel extra talem concursum, debet minus dignum omittere; sed Patronus non est collator Beneficii, sed tantum presentator: Ergo Patronus non teneretur attendere Ecclesie utilitati;

Eo vel maxime, quia Patronus Jus habet ad presentandum, ut presentatus repertus idoneus, eligatur ab habente potestatem eligendi: Ergo ad ipsum non spectat digniorem presentare; sed sufficit, ut dignum presentet.

Respondetur ad primum dist. minorem: sed non teneretur Patronus huic utilitati attendere, si est Patronus Ecclesiasticus, nego minorem: si laicalis, transeat minor, & nego consequentiam, cum majore probationis. Dico igitur, Jus patronatus, aliud esse Ecclesiasticum, fundatum scilicet ex bonis Ecclesie (ut dictum est supra,) & aliud laicale, fundatum ex bonis patrimonialibus. Patronus Jure patronatus laicali non teneretur attendere majori utilitati Ecclesie, ex justitia, teneretur tamen ex quadam æquitate; quatenus quilibet majus commodum optare, & majorem procurare debet utilitatem Ecclesie, & omnibus à Rectore gubernandis. At Patronus Jure patronatus Ecclesiastico teneretur ex justitia, majori bono publico, & majori utilitati Ecclesie attendere; quatenus Jus illud est ex bonis Ecclesie fundatum. Unde loquendo coherentur ad verba relata Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. quando Jus patronatus est Ecclesiasticum, Patronus teneretur presentare digniorem; quia presentatio facta à Patrono Ecclesiastico est veluti promotio ad Beneficium, quæ juxta verba relati Concilii, nequit fieri, nisi de digniore. Quod constat etiam ex eodem Concilio cit. sess. cap. 18. ubi habetur: *Si verò Jus patronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is, quem Patronus digniorem inter probatos ab examinativibus judicabit, Episcopo presentare tenetur, ut ab eo instituat.* Quibus verbis constat obligatio, quam habet in Beneficiis Curatis, etiam Patronus, si Patronatus est Ecclesiasticus, ac per consequens nedum teneretur majori utilitati Ecclesie attendere Collator Beneficii; sed etiam Patronus.

200. Ad additum respondetur eodem modo, ut supra, quod scilicet, si sensus sit de Patrono Patronatu laicali, est verum, quod ei sufficiat, ut presentet idoneum ad Beneficium, sive hoc sit non Curatum, sive Curatum; quia de Justitia teneretur presentare dignum, & ab Episcopo per examen dignum, & idoneum repertum. Si verò sit sensus de Patrono Ecclesiastico, hic digniorem presentare debet ex approbatis per examens; ita ut si non presentaret digniorem, posset Episcopus digniori Beneficium conferre, omisso minus digno: & ratio est, quia Jus Patroni Ecclesiastici, cum sit in bonis Ecclesie fundatum, debet magis se conformare Ecclesie utilitati,

& bono publico Ecclesie, quam Juri, quod habet: & ita ad Beneficium Ecclesiasticum annexum curam animarum Patronus Patronatu Ecclesiastico semper debet digniorem presentare.

Hic obiter noto, quod si Patronus habet Patronatum mistum, ex bonis scilicet Ecclesie, & patrimonialibus, etiam ad Beneficium curatum tenetur digniorem presentare, præsertim si in fundatione, aut erectione Beneficii bona Ecclesiastica excedebant bona patrimonialia. Ratio hujus est, Primum, quia Ecclesia præfertur, ut à dignioribus gubernetur. Secundum, quia ratione honorum Ecclesiasticorum, etiam Jus unitum cum bonis laicalibus, seu patrimonialibus, pro Ecclesie gubernio, præfertur. Et quia Ecclesia majori pompa, zelo, & animarum salute à digniore, quam à minus digno gubernatur; ideo etiam Patronus mistus, in presentandis ad Beneficium Curatum, tenetur digniorem presentare. Et per hoc patet disparitas de Patrono laicali simplici, & Patrono Ecclesiastico; quia Patronus simplex habet Jus presentandi, absque eo, quod ipse Patronus habeat cognitionem de idoneitate presentati, sed hæc idoneitas remittitur arbitrio Examinatorum, & Episcopi, vel alterius, ad quem spectat conferre Beneficium; & per hoc non tenetur presentare digniorem. Patronus vero Ecclesiasticus debet esse certus de idoneitate presentati: unde quoties est certus, quod unus sit altero dignior, tenetur semper digniorem presentare. Et hæc differentia ponit majorem obligationem in uno Patrono, quam in alio.

301 Obijcies secundum, probando, quod etiam in Beneficiis non Curatis teneatur presentare digniorem, Patronus Ecclesiasticus (de quo habetur major difficultas) dum presentat aliquem ad Beneficium, debet esse certus de idoneitate presentati; sed quando est certus de majori idoneitate unius personæ, non debet hanc postponere minus dignæ, etiam ad Beneficium non Curatum: Ergo ad Beneficium non Curatum Patronus Ecclesiasticus etiam tenetur presentare digniorem. Probatur minor: quando est certus de majori idoneitate unius, si hunc postponit minus digno, injuriam illi facit: Ergo ne digniori injuria inferatur, non debet digniorem omittere, & presentare minus dignum. Probatur antecedens: tunc aliquis est injuriatus, quando ab eo aufertur, quod ei de Jure competit; sed ratione majoris idoneitatis de Jure competit digniori Beneficium, de qua majori idoneitate est certus Patronus: Ergo si digniori non conferatur, ei fieret injuria: Ergo &c.

Resp. negando minorem, ad cujus probationem dist. antecedens; si cum hac certitudine ex parte Patroni, stet etiam Jus acquisitum per examen ex parte dignioris, injuriam facit illi, concedo antecedens: si non stet Jus acquisitum per examen ex parte dignioris, nego antecedens, & consequentiam: eodem modo respondeo ad probationem ejus. Unde dico, Patronum Ec-

clesiasticum, esto debeat esse certus de idoneitate presentati ad Beneficium, tam Curatum, quam non Curatum, tamen ad Beneficium non Curatum, cum sufficiat idoneitas ad illud exercendum, & non sit necessaria major idoneitas; non teneri, digniorem presentare. Quod patet etiam de conferente Beneficium non Curatum (ut proprio loco dictum est). At quando ex una parte Patronus Ecclesiasticus est certus de majori idoneitate unius personæ, & aliunde hic per examen probatus est dignior; tunc, quia Jus ad Beneficium illud acquisivit, ei fieret injuria, si minus digno postponeretur; nam in tali casu auferretur ab eo, quod sibi de Jure competit: in quo casu utique Patronus teneretur digniorem presentare. At quando absque prævio examine Patronus presentet dignum, nulla tunc fit injuria digniori; quia nullum Jus acquisivit, ut presentetur potius ipse, quam minus dignus. Circa hoc videte, quæ dicta sunt de electione ad Beneficia.

302 Obijcies tertium contra secundam partem, probando Jus patronatus posse licite vendi. Si Jus patronatus laicale venderetur, venditio non esset simoniaca: Ergo tale Jus patronatus laicale licite vendi potest. Probatur antecedens; non est simoniaca illa venditio, cujus res, quæ venditur, pretio temporali æstimari potest; sed Jus patronatus laicale pretio temporali æstimari potest: Ergo &c. Probatur minor: Jus patronatus laicale non est res spiritualis, nec annexa spirituali, quia constitutum est ex bonis patrimonialibus: Ergo &c.

Resp. negando antecedens, & minorem probationis. Dico igitur, Jus patronatus, sive Ecclesiasticum, sive laicale, esse quandam spirituales potestatem presentandi ad Beneficium Ecclesiasticum: & quia hujusmodi potestas nequit pretio temporali æstimari; cum nullum spirituale æstimari possit pretio temporali; ideo si quodcunque Jus patronatus venderetur, venditio esset simoniaca, & illicita; quia venderetur spirituale pretio temporali. Quod autem sit res spiritualis, patet; quia cum sit potestas ad Ecclesiasticum Beneficium presentandi, est quid spirituale. Ordo namque ad terminum, à termino specificari debet. Ultraquamquod, hæc potestas in Patrono, sive Ecclesiastico, sive laico, est omnino invendibilis: quod patet expressis verbis Concilii Trid. in sess. 25. cap. 9. de ref. ubi circa medium §. nec dictum, ait: *Nec dictum Jus patronatus venditionis, aut alio quocunque titulo in alios contra Canonicas Sanctiones transferre præsumant: si secus fecerint, excommunicationis, & interdicti penis subjiciantur, & dicto Jure patronatus, ipso Jure privati existant.* Hoc interdictum Conc. propter illicitas venditiones: adeoq; &c.

Dices: Jus patronatus in laico residet: Ergo est potestas temporalis: Ergo vendibilis. Probatur consequentia. Pensio laicalis, quæ in laico residet, est potestas temporalis: Ergo si Jus patronatus, præsertim laicale, residet in laico, erit potestas temporalis.

Re-

Resp. negando consequentiam, cum consequentia probationis. Et disparitas est evidentissima. Penso namq; laicalis nullum habet annexum titulum spirituale; cum sit sola potestas percipiendi fructus temporales ex alterius Beneficio, absq; ulla obligatione recitandi officium: & ulterius Pensio datur ob temporale emolumentum, & ideo est temporalis potestas; & subinde poterit licite vendi. Ceterum Jus patronatus habet annexum titulum spirituale, scilicet Beneficium, ad quod obtinendum conceditur facultas presentandi; quæ facultas non conceditur laico ab Ecclesia ob temporale emolumentum, sed ob titulum spirituale; quatenus fundator, erecto, vel auctor fuit illius Beneficii, ad quod obtinendum, habet Jus presentandi. Hæc disparitas pendet ab eo, quod dicemus in sequenti questione.

303 Pro casuum conscientia: resolutione infero primò, ad Beneficia Curata Patronum debere digniorem presentare, præsertim si est Patronus Ecclesiasticus. Ratio est, quia Patronus Ecclesiasticus debet majorem habere certitudinẽ de idoneitate presentati: & insuper magis attendere debet utilitati Ecclesie, quæ resultaret magis ex digniore, quàm ex minùs digno.

Infero secundò, Patronum laicalem non teneri presentare digniorem etiam ad Beneficiũ Curatum. Ratio est, quia ad hunc laicalem Patronum non spectat de cognitione majoris sufficientia, & idoneitatis, sed tantum ad illum spectat pura presentatio, & ad Collatorem Beneficii spectat, prævio examine, cognoscere majorem idoneitatem.

Infero tertio, ad Beneficia non Curata, nec Patronum laicum, nec Ecclesiasticum teneri ad presentandum digniorem. Ratio est, quia ad Beneficia Ecclesiastica non est necessaria major idoneitas; cum hæc Beneficia respiciant solam personam Beneficiarii, & non utilitatem Ecclesie: quod fieri æquẽ potest, si dignior persona presentetur, quàm minùs digna; secùs dicendum si presentetur indigna.

Infero quartò, Jus patronatus licite vendi non posse. Ratio est, quia hujusmodi venditio, cum esset de re annexa titulo spirituali, scilicet Ecclesiastico Beneficio, diceretur simoniaca. Ultraquamquòd talis venditio Juris patronatus est per Concilium Trid. prohibita, ut patet ex cit. 25. sess. cap. 9.

204 PETES PRIMO. An si Patronus presentaret Episcopo personam non idoneam ad Beneficium, posset hæc ab Episcopo excludi?

Resp. affirmativè: & hoc est verum, tam si presentetur ad Beneficium Curatum, quàm non Curatum. Ratio hujus est, quia et si Jus presentandi sit in Patrono Beneficii, tamen ad Episcopum spectat conferre Beneficium; qui si non sit certus de idoneitate presentati, non debet Beneficiũ conferre. Quod etiam patet ex Trid. Conc. eadem cit. sess. 25. ubi habetur: *Ad hæc liceat Episcopo presentatos à Patronis, si idonei non fuerint, repellere.*

205 PETES SECUNDO. An fructus percipiendi ex Beneficio Juris patronatus colligi, & distribui debeant à Patrono, vel ab ipso Beneficiario?

Resp. dicendo, collectionem, & distributionem fructuum ex Beneficio non spectare ad Patronum, sed ad ipsum Beneficiarium. Quod patet, primò, quia Patronus solam facultatem presentandi ad Beneficium habet, & nullum Jus, nec Beneficium quomodolibet alienandi, nec ad fructus ex Beneficio. Secundò patet veritas nostri asserti, ex verbis relati Trid. Concil. ubi habentur hæc verba: *Patroni autem Beneficiorum cujuscunque Ordinis, & Dignitatis, etiam si Communitates, Collegia, quacunque Clericorum, vel laicorum existant, in perceptione fructuum, proventus, obventionum quorumcunque Beneficiorum, etsi verè de Jure patronatus ipsorum ex fundatione, & dotatione essent, nullatenus, nullave causa, vel occasione se ingerant, sed illos liberè Rectori, seu Beneficiario, non obstante etiam quacunque consuetudine, distribuendos dimittant.* Ex quibus verbis deducitur, collectionem fructuum ex Beneficio spectare ad ipsum Beneficiarium.

## QVÆSTIO VIGESIMATERTIA.

An Pensiones licite imponi possint in Beneficiis?

206 DE hac materia Canonistæ omnes pertractant, & unanimiter Pensionem definiunt, quòd sit *Jus certos fructus percipiendi ex alieno Beneficio, autoritate legitima, ad tempus, justa causa concessum.* Dicitur, *Jus certos fructus percipiendi*; quia Pensio non imponitur supra fructus incertos, dubios, & litigiosos; cum Pensio imponatur ad ipsius Pensionarii commodum, & utilitatem, quæ utilitas non proveniret, nisi ex fructibus certis. Dicitur *ex alieno Beneficio*; quia Pensio non ponitur supra proprium Beneficium; aliàs eadem esset Pensio, ac Beneficium, & idem esset Beneficiarius, & Pensionarius. Dicitur, *autoritate legitima*; quia absque autoritate, nedum Pensio nulla esset, sed esse posset simoniaca, autoritate non interveniente; præsertim si Pensio poneretur in confidentia, quo modo simonia esset, ut diximus questione speciali de simonia confidentiali, in qua retuli duas Summorum Pontificum Bullas Pii Quarti, & Pii V. per quas simonia confidentialis damnatur, dum quis scilicet in confidentia promovet, presentat, eligit, vel confert Beneficium, cum pacto solvendi certam Pensionem annualem ex fructibus Beneficii, ipsi promoventi, presentanti, aut conferenti Beneficium. Dicitur *ad tempus*, ad denotandum, Pensionem in Beneficiis non posse poni perpetuam, sed tantum durante vita Pensionarii, pro cujus utilitate confertur. Dicitur tandem, *justa causa concessum*, ad signifi-

ficandum, quòd ad imponendam Pensionem iusta intervenire debet causa, aliàs Pensio nulla esset, imò iniuriosa Beneficiario, supra cuius Beneficium ponitur.

207 Ut autem causa imponendi Beneficiis Pensionem sit iusta, requiruntur plures conditiones. Prima, quòd Pensio non ponatur in perpetuum duratura, nisi hoc fiat de auctoritate Papæ in bonum publicum Ecclesiæ (quo modo non persona privata, sed Ecclesia ipsa esset Pensionaria). Secunda, quòd Pensio supponat Beneficium pingue, supra quod ponitur; aliàs si esset tenue, ut Beneficiarius vix vivere possit ex Beneficii redditibus, causa imponendi esset iniusta; quia cederet in alterius detrimentum. Quare Concilium Tridètinum decrevit sess. 24. cap. 13. de refor. Episcopos, & Parochos non esse gravandos ex Pensionibus imponendis; imò determinavit, quòd si redditus Episcopatus non excedant summam mille aureorum; & Parochia summam centum aureorum, non potest absque iniustitia super istis Beneficiis Pensio imponi. Hæc sunt Conc. verba: *Quoniam pleræque Cathedralis Ecclesiæ tam tenui redditus sunt &c.* Et subdit propè finem: *Ad hæc in posterum omnes Cathedralis Ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum mille, & Parochiales summam ducatorum centum, secundum verum annum valorem, non excedunt, nullis Pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur.* Tertiã conditio est, quando ponitur Pensio ad removendas lites inter duos habentes Jus litigiosum ad idem Beneficium; & hoc modo Pontifex iusta causa, lites scilicet removendi, uni confert Beneficium, & alteri Pensionem supra redditus ex Beneficio. Quarta tandem est, quando Pensio ponitur pro mercede conferenda ab Ecclesia alicui personæ, quæ maximè pro Ecclesia laboravit; & tunc iusta causa daretur Pensio, in iustum suorum laborum stipendium.

208 Huiusmodi Pensio alia est clericalis, quæ soli Clerico datur, & quidem titulo clericali: ut esset Pensio, quæ datur Parocho, Concionatori, Coadjutori Episcopi; vel aliquibus, cum onere officium recitandi. Hæc Pensio clericalis potest dici talis dupliciter, vel ex titulo clericali, vel ex persona clericali. Est Pensio clericalis ex titulo, quando datur ob titulum clericalem, ut essent assignati casus Parochi, cõcionatoris &c, qui spirituales tituli dicuntur. Est autem ex sola persona, quando estò titulus non sit clericalis, & spiritualis, datur tamen Clericali personæ, licet ob temporale motivum; ut si ob paupertatem, vel senectutem Clerici, detur huic Pensio aliqua super alieno Beneficio; hæc Pensio esset clericalis, tantum ratione personæ; & non ratione tituli; quia paupertas, senectus &c, sunt tituli temporales. Alia est Pensio laicalis, & est illa, quæ datur laico ob temporale motivum; vel etiam si detur Clerico, tamen ob motivum temporale: ut esset Pensio, quæ datur ædituo, seu curatori domus, vel Cantori, organa pulsanti &c,

nedum huiusmodi Pensiones dicuntur laicales, quia laico conferuntur, sed quia motivum, propter quod dantur, est temporale. Essentialis autem differentia, quæ est inter utranque Pensionem, est, quòd Clericalis datur tantum Clerico, & laicalis datur tum laico, tum Clerico: unde quoties motivum est temporale, absolute laicalis censenda est, estò tantum relative poterit dici clericalis; si personæ clericali detur; & quoties motivum est spirituale, Pensio dicitur clericalis. His notatis,

Quod quæritur in præsentem est, an in Beneficiis Ecclesiasticis licite ponantur Pensiones? In qua re suppono ea, quæ supra dicta sunt: Pensionem scilicet non esse perpetuam, sed ad certum tempus, & durante vita Pensionarii: unde supra Beneficium, & non supra Beneficiarium, Pensio ponitur; aliàs si adhuc Pensionarius supervixerit, & Beneficiarius moreretur, non posset Pensionarius Pensionem exigere, si supra Beneficiarium, & non supra Beneficium poneretur. Quare pro dubii resolutione

*DICO*, si Pensiones imponuntur à Pontifice, vel ex ejusdem expressa auctoritate, licite posse supra Beneficiis poni. Conclusio est omnium Canonistarum. Et deducitur ex cap. 2. de Præbend. in 6.

209 Probatum primò, Pensiones, quæ supra Beneficiis imponuntur, ut sint licite impositæ, debent esse ex iusta causa, & legitima auctoritate impositæ; sed solus Pontifex habet auctoritatem, ex iusta causa, Pensiones imponendi supra Beneficiis Ecclesiasticis; Ergo possunt licite poni Pensiones supra Beneficiis, si ponuntur à Pontifice immediate, vel ex ejusdem auctoritate. Major patet ex definitione Pensionis, Probatum minor: Ille solum imponere potest Pensiones supra Beneficiis, qui plenam auctoritatem habet disponendi de Beneficiis; sed solus Pontifex habet hanc plenam potestatem disponendi de Beneficiis, & quidem ex iusta causa, ne videatur, & æstimetur bonorum Ecclesiasticorum dissipator: Ergo &c. Probatum minor primò, ex cap. 2. de Præbend. in 6. ubi determinatur, potestatem imponendi Pensiones in Beneficiis esse, in solo Pontifice. Secundò sic: Ille tantum disponere potest de Beneficiis, qui potestatem habet dispensandi in iis, quæ sub ejus potestatem cadunt; sed tantum Pontifex habet hanc potestatem: Ergo &c. Probatum major: quia impositio Pensionis supra Beneficiis est quædam dispensatio supra Beneficiis: Ergo &c.

210 Probatum secundò: si ab alio, qui sit inferior Papa, imponerentur Pensiones supra Beneficiis, injustè fieret huiusmodi impositio: Ergo ut licite fiat, imponi debent Pensiones supra Beneficiis à Pontifice. Probatum antecedens: si imponerentur ab Episcopis V.G. absque Papæ facultate expressa, non haberent vim obligandi Beneficiarium ad Pensiones solvendas; sed quando Pensiones non habent vim obligandi Beneficiarium, injustè imponuntur: Ergo &c. Probatum



batur major : quia posset Beneficiarius justum habere recursum ad Pontificem contra suum Episcopum imponentem talem Pensionem; sed talis recursus justus esse non posset, si Pensiones haberent vim obligandi Beneficiarium, quando ab Episcopo, absque Pontificis facultate, sunt impositæ : Ergo &c. Hoc assertum magis patebit ex argumentorum solutione.

*Solvuntur Objectiones.*

211 **O**bjicies primò . Possunt in aliquibus casibus, etiam stante Jure Canonico, ob justam causam ab Episcopis imponi Pensiones in Beneficiis : Ergo etiam ab Episcopo licitè imponi possunt Pensiones, absque Pontificis expressa autoritate . Probatur antecedens: Episcopus, saltem ut Papæ Delegatus, in Jure dubio, aut litigioso duorum ad idem Beneficium, potest uni Beneficium conferre ( si jam non esset collatum ) & alteri concedere Pensionem, sua vita durante, supra eodem Beneficio: Ergo &c. Probatur assumptum; quia Episcopus tenetur jurgia, & lites inter subditos remove; sed licitum est, lites remove cum tali Pensionis impositione; quæ Pensio æquivalet divisioni ejusdem Beneficii, vel fructuum ex Beneficio provenientium : Ergo &c.

Resp. negando antecedens, & assumptum probationis. Dico igitur, quòd in casu illo, in quo sit Jus litigiosum inter duos circa idem Beneficium, tantum facere potest Episcopus, absque Papæ expressa facultate, (& quidem non autoritate ordinaria, sed delegata) ut obligetur Beneficiarius ad tantam summam ex redditibus Beneficii conferendam annuatim ei, qui supra suum Beneficium Jus habet. Hujusmodi autem obligatio, quæ ab Episcopo imponeretur, non esset supra Beneficium, sed supra Beneficiarium; quia tandiu duraret, quandiu viveret Beneficiarius, vel quandiu viveret Pensionarius: ita ut si Beneficiarius moreretur, ante quam moriatur Pensionarius, obligatio solvendi redditus illos non transiret ad novum Beneficiarium. Ratio est, quia non est obligatio, aut impositio supra Beneficium, sed supra Beneficiarium. Hæc autem obligatio non habet rationem Pensionis rigorosæ, de qua nos loquimur; quia Pensio, qua talis, est Jus percipiendi fructus ex alieno Beneficio, non ex Beneficio: at Pensio illa ab Episcopo imposita, propter illud motuum, est Jus fructus percipiendi à Beneficiario. Quare concludendum est, Pensionem rigorosè acceptam, non posse licitè imponi, nisi de Papæ facultate.

Dices: in casu posito, obligatio esset in Beneficiario solvendi Pensionem: Ergo quamvis non esset imposita supra Beneficium, tamen esset rigorosa Pensio; sed hæc Pensio esset licita, & absque facultate Papæ: Ergo non requi-

rirur. expressa Papæ facultas, ut Pensio licitè imponatur. Probatur prima consequentia: ut sit rigorosa Pensio, sufficit, ut obligatio solvendi illam sit personalis, & ex redditibus Beneficii: sed quando esset in Beneficiario debitum solvendi Pensionem, Pensio esset personalis, & ex redditibus Beneficii: Ergo esset rigorosa Pensio. Probatur minor: quia ad lites componendas, Episcopus obligaret Beneficiarium, ut ex redditibus Beneficii Pensionem solvat: Ergo &c.

Respondetur negando consequentiam, & majorem probationis. Rigorosa itaque Pensio illa censenda est, quæ non ponit obligationem, & onus in Beneficiario, sed in Beneficio; ita ut si Beneficiarius moreretur, & Pensionarius viveret, adhuc in Beneficio esset onus, quod in solutione facienda transiret ad novum Beneficiarium; & est quasi perpetua, præsertim si ad publicam Ecclesiæ utilitatem imponeretur. At Pensio imposita ab Episcopo, ad lites componendas, est tantum in Beneficiario, quæ morte Beneficiarii finitur; atque ideo non est rigorosa Pensio. Quanquam autem sit ex redditibus Beneficii, non per hoc est obligatio supra Beneficium, sed supra personam Beneficiarii, quæ tantum obligata est, quandiu vivit, solvere Pensionem, remanente libero Beneficio, absque ullo scilicet onere, dum ad alium transit Beneficiarium.

Dices: dum Episcopus obligat Beneficiarium ad solvendam Pensionem ex redditibus Beneficii, imponit etiam obligationem, & onus in ipso Beneficio; sed quando Pensio est supra Beneficium, est rigorosa Pensio; quia rigorosa Pensio est Jus percipiendi fructus ex alieno Beneficio: Ergo Pensio illa ab Episcopo imposita, absque Papæ facultate, est rigorosa Pensio. Probatur major; quia Pensio solveretur ex redditibus Beneficii: Ergo onus esset in Beneficio.

Ultraquam quòd non est assignabilis ratio, quare Episcopus possit obligationem illam in Beneficiario imponere, & non in Beneficio: Ergo si absque expressa Papæ facultate, potest imponere obligationem in Beneficiario, potest etiam illam imponere in Beneficio.

Respondetur negando majorem, & consequentiam probationis. Aliud igitur est, Beneficiarium obligatum esse ad Pensionem solvendam ex redditibus Beneficii, & aliud esse obligationem esse in Beneficio, ut ex ejus redditibus Pensio solvatur. Primum conceditur Episcopo, ob rationabile illud motuum componendi lites inter duas personas habentes litigiosum Jus ad idem Beneficium. At secundum non conceditur Episcopo; quia Beneficium non stat sub Episcopi dispositione; iccirco nullam obligationem potest Episcopus in Beneficio imponere, quanquam ex redditibus ipsius possit Beneficiarium obligare ad Pensionem solvendam.

Respondetur ad additum, dicendo, rationem esse; quia Beneficiarius, cum sit Episcopo subditus,



ditus, potest ab eo obligari, ex justa, & rationabili causa, ad lites removendas, & ad se componendum cum parte contraria. Ceterum Beneficium non est Episcopo subiectum, sed Papæ; qui solus plenam habet potestatem de Beneficiis disponendis, sive cum onere, sive absque onere. Et per hoc solus Pontifex potest licite in Beneficiis Pensiones imponere (habita tamen justa causa): & Episcopus tantum potest Pensionem imponere in Beneficiario, uti subdito.

213 Obijcies secundò. Qui habet Jus præsentandi ad aliquod Beneficium, potest, absque Papæ expressa facultate, imponere in Beneficio Pensionem solvendam, vel ipsi Patrono, vel alteri, ad Patroni libitum: Ergo absque Papæ facultate possunt licite in Beneficiis Pensiones imponi. Probatur assumptum antecedentis: Patronus Beneficii potest de illo disponere ad suum beneplacitum, dummodo ad illud obtinendum præsentet idoneam personam; & ab Episcopo, ut talem existimatam; Ergo potest in illo, sicut ei placuerit; præsertim si justa intervenerit causa, ut esset ipsius Patroni paupertas, vel alterius, imponere Pensionem.

Deinde: Patronus, qui habet Jus præsentandi, dummodo dignum præsentet, potest licite pro tali præsentatione aliquid accipere: Ergo potest etiam licite in Beneficio, ad quod obtinendum alium præsentat, Pensionem imponere: Ergo &c.

Respondetur ad primum negando assumptum antecedentis, cum sua probatione. Patronus itaque habens Jus ad præsentandum, nequit de illo Jure ad suum beneplacitum disponere; aliàs Jus illud esset dominium rigorosum, quod nemini conceditur in rebus spiritualibus, vel spiritualibus annexis, cum Deus solus sit rerum spiritualium, & Ecclesiasticarum Dominus; & Pontifex, ut Christi Vicarius, est illarum administrator. Quod autem Patronus nequeat Pensionem imponere in Beneficio, ad quod Jus præsentandi habet, patet, nedum ex cap. *Tua Nos 34. de simonia*, & alibi, his verbis: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum inventum derelinquit*; sed etiam patet ex Bulla Pii Quinti, quæ incipit: *Intolerabilis multorum pervertitas*: ubi his verbis prohibet Patronis præsentare ad Beneficia Ecclesiastica cum pacto, vel resignandi Beneficium, vel solvendi Pensionem ex fructibus Beneficii: *Et pariter si à Patrono, etiam laico, vel alteri presentatori, seu electori contigerit, aut contingat id fieri &c.* Talis prohibitio facta fuit à B. Pio Quinto, ad simoniam vitandam, præsertim, quæ in confidentia vocatur, quam, stante tali Pensione imposita, vel imponenda à Patrono, præsentator committeret. Quando autem intervenerit justa causa, aliquid accipiendi à presentato, ob Patroni paupertatem, hæc cognosci debet à Papa, ad evitandam simoniam, & non

debet hujusmodi pecuniæ acceptio provenire ex pacto facto inter Patronum, & præsentatum; aliàs semper simonia committeretur.

213 Respondetur ad secundum negando antecedens: Patronus itaque sive a aviditate motus, sive necessitate ductus, nequit licite aliquid accipere pro præsentatione ad Beneficium, ad quod præsentandi Jus habet; cum hujusmodi acceptio esset simoniaca. Si verò Patronus esset pauper, posset Episcopus ex bonis illius Beneficii Patronum ipsum sustentare, Pensionem imponendo, non Beneficio, sed Beneficiario, donec Patronus vivat, vel sit ad pinguiorem fortunam redactus. Propria autem autoritate nequit hoc facere Beneficiarius, absque labe simoniæ.

214 Pro casuum conscientie resolutione, infero primò, ex justa causa, posse Pontificem Pensionem imponere in Beneficiis, sive ante, sive post Beneficii collationem, sive in ipsa Beneficii collatione. Ratio est, quia Pontifex est omnium bonorum Ecclesie dispensator, & supra illa plenam dispositionem habet.

Infero secundò. Neminem Papa inferiorem posse licite Pensionem imponere in Beneficiis; bene verò ob justam causam posse illam imponere in Beneficiariis, ipsos obligando ad Pensionem solvendam, ad certum tempus. Ratio primi est, quia sicuti inferior Papa non habet Jus disponendi de rebus Ecclesie, ita neque Jus habet de modo disponendi, aut de imponendis oneribus supra rebus Ecclesie. Ratio secundi est; quia sicuti Beneficiarius est subditus Episcopo, qui ut quietè vivat, potest illum trahere ad suam justam voluntatem; (præsertim quando Jus litigiosum cum altero habet) ita poterit Papa inferior, Episcopus V. G. onus imponere Beneficiario, ut Pensionem alteri solvat, ut lis amoveatur.

Infero tertio, Episcopum non posse imponere Pensionem perpetuam, absque Papæ licentia, pro suæ Ecclesie necessitate. Ratio est supra assignata; quia solus Pontifex est rerum Ecclesiasticarum dispensator, & administrator.

Infero quarto, Patronum, neque pro sui necessitate, posse in Beneficio, ad quod Jus præsentandi habet, Pensionem imponere. Ratio est; quia talis impositio nequit esse sine simonia; quia venderetur Jus illud, quod Beneficio Ecclesiastico annexum est, pretio temporalis; & ita simonia committeretur.

215 *PETES PRIMO. An Principes, qui Jus habent ad promovendum, & præsentandum ad Beneficia Ecclesiastica, etiam ad Episcopatum, possint licite, sine Papa licentia, Pensionem in illis Beneficiis imponere?*

Respondetur negativè. Ratio hujus est, quam supra assignavimus; quòd scilicet solus Pontifex est bonorum Ecclesie administrator, & ipse solus in iis dispensare potest. Principes verò solum Jus nominandi, promovendi, & præsentandi habent & dum ex eorum necessitate, vel boni

boni publici velint partem ex redditibus Beneficiorum, quæ in suis regnis, & statibus fundata sunt, expressam debent habere à Papa facultatem. Hoc tamen est intelligendum de absolutis Principibus, non de feudatariis, ex quorum bonis non sunt fundata Beneficia, sicuti sunt fundata beneficia ex bonis Principum absolutorum.

216. *PETES SECUNDO*. An Episcopus conferens Beneficium, cujus collatio ad ipsam de Jure communi, vel Ecclesiastico spectet, possit in ipso Beneficio Pensionem imponere, sibi, aut pro sua mensa solvendam?

Respondetur negativè. Ratio est; quia Pensio ab Episcopo imposita Beneficiis, ab ipso conferendis, esset simoniaca, ut colligitur ex citata Bulla Pii Quinti: *Intolerabilis multorum pervertitas*. Quod patet, quia tunc conferendo Beneficium cum hoc onere solvendi Pensionem ex redditibus Beneficii, venderet, quod in vendibile est; illudque Beneficium pretio temporali conferret. Hoc expriment illa verba citatæ Bullæ, *Ad hæc plerique ordinarii, & alii Collatores, ac etiam Patroni laici curant deponenda Beneficia, ut fructus, seu Pensiones capiant eorundem, aliisve faciant ministrari. Alia item permulta ejuscemodi admittuntur, quibus immaculata rerum divinarum puritas impiè violatur, disciplina Ecclesiastica neruus dirumpitur, & imminens patrat exitum animarum.* Et sequenti §. *Quare nos volentes*, hujusmodi damnat, & prohibet Pensiones, ut simoniacas. Ex quibus verbis deducitur, Episcopum non posse Pensionem ponere in Beneficiis, ab ipso conferendis, quando ipsa in suam utilitatem cedit.

217. *PETES TERTIO*. An supra Pensionarium possit imponi onus solvendi partem ex fructibus Pensionis?

Respondetur cum distinctione: vel imponens onus supra Pensionarium est Pontifex; vel Episcopus; vel Princeps secularis. Si est Pontifex, tunc dico, posse ad Ecclesiæ utilitatem imponere onus supra Pensionarium, eo prorsus modo, eademque justa causa, qua ab eodem Pontifice imponitur Pensio supra Beneficium: & hujusmodi onus durat, durante vita Pensionarii. Et hoc valet, tam si Pensionarius est talis per clericalem, quam si sit talis per laicalem Pensionem. Si est Episcopus, tunc dico, quod de auctoritate Papæ hoc facere potest, quando onus cedit in suæ mensæ utilitatem; quando verò cedit in utilitatem Ecclesiæ, potest tale onus imponere, etiam absque Papæ auctoritate; quia tunc onus non esset supra Beneficium, ad quod potestatem non habet Episcopus, sed esset supra personam, sibi subjectam; & quidem ex justa causa; quia esset pro Ecclesiæ utilitate. Si tandem est Princeps secularis, tunc supra Pensionarium Clericum non potest onus imponere; quia Clericus est exemptus, & ut talis, non est subditus, quantum ad subeunda onera gabeliarum, & impositionum, quæ à Principe

imponuntur. Supra Pensionarium laicum, gaudentem laicali Pensione, licet sit ei data Pensio ab Ecclesia, potest onus imponere. Primò, quia fructus illi, quos Pensionarius laicus ab Ecclesia percipit, sunt ob motium temporale; quo modo nullum Ecclesiæ præjudicium inferret. Secundò, quia Pensionarius ipse, ut laicus, est Principi subditus, & tenetur onus subire in Principis, & Reipublicæ utilitatem.

## QVÆSTIO VIGESIMA QVARTA, ET VLTIMA.

*An Pensio licitè vendi possit?*

218. **C**irca Pensionem plura à Doctoribus dubitantur, quæ dubitari solent in materia Beneficii: unde ea, quæ dicta sunt in superioribus quæstionibus de Beneficiis, aptari etiam possunt Pensioni. Specialem solent agitare quæstionem de Pensionis pluralitate. An scilicet quis plures simul possit Pensiones retinere? Et quia eadem rationes, quæ militant circa pluralitatem Beneficiorum non Curatorum, militant etiam in hac re, iccirco resolutio dubii ab illa 15. quæstione hujus disp. dependet. Ubi diximus, regulariter loquendo, non posse Beneficiarium simul plura retinere Beneficia; & hoc præsertim valet, quando unum est sufficiens pro congrua Beneficiarii sustentatione. Ita dicendum in proposito, quod si una Pensio sit sufficiens ad congruam Pensionarii sustentationem, nequit licitè Pensionarius plures simul retinere Pensiones; at hoc deduximus ex Concil. Trid. sess. 24. de refor. cap. 17. incip. *Cum Ecclesiasticus ordo pervertatur.* Et hoc præsertim debet esse certum, ne unus ditescat, & alter esuriat.

Quærit etiam solet à quibusdam, an Pensio possit esse perpetua? In qua re, pendet resolutio ex ipsa Pensionis definitione, quæ est *Ius percipiendi fructus &c. ad tempus*. Unde ex natura Pensionis nequit esse perpetua: tandiu enim durat, quandiu vivit Pensionarius, & istius morte extinguitur. Potest tamen Pontifex, ex suæ plenitudine potestatis, facere, ut Pensio sit perpetuò duratura: at hoc non nisi ex evidenti Ecclesiæ utilitate, quam idem Pontifex summo zelo, & prudentia considerare debet. Et quamvis Papa sit omnium Beneficiorum distributor, & dispensator, & super ipsis facere potest quicquid vult; non tamen debet, ad commodum, & utilitatem personarum privatarum, Pensiones perpetuas super Beneficiis imponere: cum optimum sit D. Bernardi documentum lib. 3. de considerat. ad Eugenium. *Cum plenitudine potestatis concurrat etiam plenitudo Justitiæ: ubi enim necessitas urget, excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico, communis, non propria; nam cum ni-*

hil

*hil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

219 Hinc supposita illa divisione Pensionis in clericalem, quæ scilicet titulo clericali datur, & in laicalem, quæ scilicet datur titulo temporali, infero, Pensionarium, cui Pensio datur, ob titulum clericalem, teneri ad recitationem officii B. Mariæ Virginis; quod constat ex Bulla Pii V. incip. *Ex proximo*; in qua habentur hæc verba: *At quicumque Pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, ut Clericus percipit, cum modo prædicto ad dicendum officium paruum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & Pensionum fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.* Ex quibus præfatæ Bullæ verbis, colligimus, Pensionarios non facere fructus, ratione Pensionis percipiendos, nisi officium B. Mariæ Virginis recitent. Probabilis etiam iudicamus cum Mastro, Molina, & alijs, Pensionarium, cui data est Pensio in titulum clericalem, ex charitatis præcepto, teneri, eodem prorsus modo, ac sunt obligati Beneficiarii, ad expendendum superfluum ex Pensione in pios usus, & in pauperum sublevationem; aliter peccare mortaliter.

His omnibus notatis, quæstio præfens procedit, tam de Pensione clericali, quæ in titulum spiritualem datur, quàm de laicali, quæ scilicet datur in titulum temporalem. Et pro quæstionis resolutione

*DICO*, Pensionem laicalem posse licite vendi; non verò clericalem. Conclusio est communissima inter omnes Doctores, & secunda pars est juxta determinationem Pii Quinti inrelata Bulla.

220 Probatur prima pars: Pensio laicalis, quæ scilicet datur ob titulum temporalem, est pretio æstimabilis: Ergo potest licite vendi. Consequentia sequitur, quia licita rei venditio supponit rem vendibilem esse pretio æstimabilem, Probatur antecedens: Pensio laicalis, nec est spiritualis, nec rei spirituali annexa; sed quod non est spirituale, nec spirituali annexum, est pretio æstimabile: Ergo &c. Probatur major: si Pensio laicalis esset spiritualis, vel spirituali annexa, hoc eveniret, quia esset Jus ad fructus provenientes ex Beneficio; sed tale Jus in laicali Pensione non est spirituale, nec annexum rei spirituali: Ergo &c. Probatur minor: Jus percipiendi fructus ex Beneficio, si datur ob titulum temporalem, non est Jus spirituale, sed omnino temporale; nam Jus ad aliquid percipiendum sequitur ad titulum, ratione cujus conceditur potestas, rem illam, vel fructus rei percipiendi: Ergo quia titulus, ob quem conceditur Jus percipiendi fructus ex alieno Beneficio, est temporalis, sequitur quod Jus ipsum erit temporale, & non spirituale, nec spirituali annexum.

Neque valet, si dicas, titulum illum laicalem esse temporalem ratione finis; quia datur ob finem temporalem, scilicet ob cantum, ob orga-

norum pulsationem &c. tamen censendum esse spiritualem, ut annexum Beneficio, quod spirituale est.

Non valet, inquam, quia ex hoc, quod Pensio laicalis sit Jus percipiendi fructus ex Beneficio, quod spirituale est, non sequitur, quod, si detur ob solum temporale motuum, habeat titulum spiritualem: Ergo nulla responsio. Probatur assumptum; nam Jus percipiendi fructus ex Beneficio, non est Jus ad Beneficium, sed ad fructus, ex Beneficio provenientes; sed Jus ad fructus est Jus ad temporale; cum fructus sint temporales: Ergo est Jus temporale; sed quoties hoc Jus temporale datur, ob motuum temporale, ex nullo capite dici poterit spirituale, neque spirituali annexum: Ergo &c. Tum etiam quia: ex hoc, quod Pensio sit Jus ad fructus ex Beneficio spirituali, nullam dicit connexionem cum ipso Beneficio; sed connexionem dicit cum redditibus ex Beneficio: Ergo quoties titulus; ob quem conceditur Pensio, est temporalis, Pensio ipsa erit temporalis. Tandem: omnis actio specificatur à fine: Ergo si finis, ob quem conceditur Pensio supra fructus ex Beneficio, est temporalis, etiam Jus exigendi fructus ex Beneficio, erit temporale. Ex his subsumo: sed Jus temporale, datum ob finem temporalem, licite vendi potest: Ergo Pensio, seu Jus percipiendi fructus ex alieno Beneficio, quando est laicale, licite vendi potest.

221 Probatur secunda pars: Omnis venditio rei spiritualis, vel spirituali annexæ, est illicita; sed si Pensio clericalis venderetur, venditio talis Pensionis esset venditio rei, annexæ spirituali: Ergo esset illicita venditio. Major patet, quia esset venditio simoniaca, quæ illicita est. Probatur minor: Pensio clericalis, quæ scilicet datur ob spirituale motuum, est Jus percipiendi fructus, ob titulum spiritualem: Ergo est titulo spirituali annexa: Ergo dum venderetur, esset venditio rei, annexæ spirituali. Probatur antecedens: titulus, ob quem datur Pensio clericalis, est recitatio officii B. Mariæ Virginis, ad quod officium recitandum, obligatus est Pensionarius, Pensione clericali; ut patet ex citata Bulla Pii V. sed recitatio officii Beatæ Mariæ Virginis, est spiritualis titulus: Ergo Pensio clericalis, quæ datur ob talem recitationem, est Jus percipiendi fructus, ob titulum spiritualem.

Confirmatur hoc: si titulus hic non esset spiritualis, non poneret obligationem in conscientia in Pensionario recitandi officium: neque poneret impedimentum ad percipiendos fructus ex alieno Beneficio, dum officium non recitatur; quod colligitur ex verbis citatæ Bullæ: Ergo si habetur obligatio in conscientia in Pensionario recitandi officium; & si hoc omitteret, privaretur fructibus illis, percipiendis ex alieno Beneficio, sequitur, quod titulus ille sit spiritualis; sed Jus concessum ob spiritualem titulum, nequit vendi licite; & si venderetur,

deretur, venditio esset simoniaca: Ergo Jus clericalis Pensionis nequit licitè vendi. Hoc probari potest à pari de Beneficio, obligante Beneficiarium ad divini officii recitationem.

*Solvuntur Objectiones.*

222 **O**bjicies primò contra primam partem, Pensio laicalis, estò detur ob finem, & motuum temporale, tamen est annexa rei spirituali; sed quod est annexum rei spirituali, nequit licitè vendi: Ergo Pensio laicalis nequit licitè vendi. Probat major: Pensio laicalis est annexa Beneficio, quod est spirituale: Ergo &c. Probat antecedens: Pensio laicalis est Jus ad reditus ex alieno Beneficio: Ergo est Beneficio annexa. Probat consequentia: ut Jus ad reditus ex Beneficio, est extracta ab ipso Beneficio: Ergo est cum ipso Beneficio annexa.

Respondetur negando majorem, & consequentiam probationis, ad cujus probationem concessio antecedente, nego consequentiam. Dico igitur, Pensionem laicalem, quia datur ob temporale motuum, nullam dicere cum Beneficio connexionem. Pensio nanque non est Jus ad Beneficium alienum (quo modo utique diceret cum Beneficio connexionem; ) sed est Jus ad reditus ex Beneficio: quare solam connexionem dicit cum fructibus Beneficii, qui temporales sunt. Solum hi fructus possunt dici spirituales, quando Jus ad illos datur ob finem, & titulum spirituale, scilicet ob conciones, ob Parochiale munus, vel ob officii recitationem. Ceterum, ex eorum natura, sunt purè temporales. Neque ex hoc, quòd Pensio sit extracta ex Beneficio, dici debet spiritualis, vel spirituali annexa; nam etiam tertiæ Decimarum, quæ Regibus conceduntur, sunt ex Beneficiis extractæ, & tamen ex nullo capite sunt spirituales, neque rei spirituali annexæ. Ratio hujus est, quia nec conceduntur ob titulum spirituale, nec ad officium spirituale ordinantur. Idem etiam dicendum est de Pensione laicali, quæ licet sit ex Beneficio extracta, nullam dicit cum Beneficio connexionem; quia nec ad spirituale officium ordinatur; nec ob titulum spirituale conceditur.

Dices: quamvis Pensio laicalis non detur ob finem, & titulum spirituale, nec ad officium spirituale ordinatur, tamen ut extracta à rei spirituali, seu à Beneficio, nequit licitè vendi: Ergo nulla responsio. Probat assumptum antecedentis: ut extracta ex Beneficio, induit naturam Beneficii; sed Beneficium ex natura sua vendi non potest: Ergo neque Pensio laicalis, ut extracta ex Beneficio, licitè vendi potest. Probat major; nam Pensio est veluti pars Beneficii; & pars, ut extracta à toto, induit naturam totius; ut patet in physicis: Ergo &c.

Respondetur negando assumptum antecedentis; ad cujus probationem dist. majorem, induit naturam Beneficii, quantum ad esse, & obligationem ex ipso Beneficio exortam, nego majorem: quantum ad perceptionem fructuum, ex Beneficio provenientium, concedo majorem, & concessa minori nego consequentiam. Beneficium itaque considerari potest quantum ad sui esse, quod spirituale est; & ad obligationem exortam ex ipso, quæ etiam spiritualis est; nimirum recitatio officii, & quæcunque alia, cum ipso Beneficio connexa: & considerari potest quantum ad perceptionem fructuum, provenientes ex Beneficio. Verum utiq; est, Pensionem esse extractam ex Beneficio, quantum ad perceptionem fructuum; quia Pensio est Jus ad fructus, provenientes ex Beneficio; non verò extracta est ex Beneficio quantum ad esse, & obligationem, quam secum fert Beneficium: adeoq; Pensio non sequitur naturam Beneficii in esse spirituali, sed tantum in fructuum perceptione; quæ fructus perceptio, sicut à Beneficiario vendi potest licitè, retento, Jure cum obligatione officium recitandi; ita etiam à Pensionario, retento pro se Jure (si Pensio est clericalis) cum obligatione officium recitandi, vendi potest sola fructuum perceptio. Falsum etiam est, Pensionem esse partem Beneficii: est nanque pars fructuum, ex Beneficio, vel Jus ad partem fructuum, ex Beneficio: unde naturam Beneficii sequi non potest, nisi titulus acquirendi tale Jus ad partem fructuum, sit spiritualis, ut evenit in Pensione clericali.

223 Objicies secundò contra secundam partem. In tantum Pensio clericalis non potest licitè vendi, in quantum titulus, ob quem conceditur Pensio, est spiritualis; sed hæc ratio non valet: Ergo licitè vendi potest. Probat minor: licet Pensio clericalis concedatur ob titulum spirituale, tamen est Jus ad fructus temporales: Ergo ratio tituli spiritualis non obstat, quin licitè vendi possit. Probat consequentia: non obstante, quòd detur ob titulum spirituale, potest Pensionarius licitè vendere fructus, percipiendos ex Pensione, eo prorsus modo, quo similes fructus potest licitè vendere Beneficiarius, retento pro se Jure ad fructus: Ergo non obstante eodem titulo spirituali, potest etiam vendere Pensionem ipsam. Probat consequentia; nam idem esset vendere fructus, percipiendos ex Pensione, ac vendere ipsam Pensionem: Ergo si potest Pensionarius, non obstante titulo spirituali, ob quem Pensio conceditur, vendere fructus Pensionis, & quidem licitè, poterit etiam vendere licitè ipsam Pensionem.

Respondetur negando minorem; ad cujus probationem nego consequentiam, cum antecedente alterius probationis. Aliud est vendere fructus, percipiendos ex Pensione, seu fructus Pensionis; & aliud est vendere ipsam Pensionem, seu Jus ad percipiendos fructus Pensionis.


Pensionis . Primum licitè fieri potest; quia venderetur illud temporale emolumentum , quod Pensionario competit ratione Pensionis . Et ex hoc, quòd fructus illi Pensionis venderentur, in emptore non consurgit Jus spirituale ad fructus emptos, sed tantum Jus temporale, ortum ex contractu naturali, & civili emptionis. Quare, absque labe simoniæ, fructus illi Pensionis licitè vendi possunt . Hoc etiam valet de venditione fructuum Beneficii ; & de venditione terrarum Decimarum ; quarum fructus nec sunt spirituales, nec spirituali rei annexi . At vendere Pensionem clericalem, est vendere Jus spirituale, datum ob titulum spiritualem ; & ideo talis venditio esset illicita, & simoniaca : Et emptos, emendo Pensionem illam, emeret Jus spirituales; quod facere non potest, absque labe simoniæ.

§ 24 Pro resolutione casuum conscientiarum, infero primò, Pensionem laicalem licitè vendi posse.

Ratio est, quia nec est spiritualis ; nec res spirituali annexa ; nec conceditur ob titulum spiritualem ; sed ob titulum, seu emolumentum, temporale.

Infero secundò, Pensionem clericalem non posse licitè vendi. Ratio est; quia est Jus, concessum ob titulum spiritualem, ponentem obligationem in Pensionario recitandi officium Beate Virginis ; ut colligitur ex supra citata Bulla Pii V.

Et hæc satis dicta sint, pro hac utilitè materia de Justitià scilicet, & Jure. Quæ omiſſa sunt in hoc tomo, videbitis ( Deo Propitio ) in secundo, quem præ manibus habeo, de Legibus scilicet, & Præceptis. Interim huic operi finem impono, ad Laudem Omnipotentis Dei, Beate Mariæ semper Virginis, sine labe Conceptæ, Sancti Patris nostri Francisci ; ac omnium Sanctorum; qui in Cœlis vivunt, & regnant. Amen.



FINIS.







